

1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

MONUMENTA

SPECTANTIA

HISTORIAM SLAVORUM MERIDIONALIUM

EDIDIT

ACADEMIA SCIENTIARUM ET ARTIUM SLAVORUM MERIDIONALIUM

VOLUMEN TERTIUM

ZAGRABIAE 1872.

APUD FR. ŽUPAN (ALBRECHT ET FIEDLER).

LISTINE

O ODNOŠAJIH IZMEDJU JUŽNOGA SLAVENSTVA I MLETAČKE REPUBLIKE

SKUPIO

SIME LJUBIĆ
PRAVI ČLAN JUGOSLAVENSKE AKADEMIJE ZNANOSTI I UMJETNOSTI ITD.

KNJIGA III
OD GODINE 1347 DO 1358

NA SVIET IZDALA

JUGOSLAVENSKA AKADEMIJA ZNANOSTI I UMJETNOSTI

U ZAGREBU 1872

U KNJIŽARNICI FR. ŽUPANA (ALBREHLA I FIDLERA) NA PRODAJU.

MONUMENTA

SPECTANTIA

HISTORIAM SLAVORUM MERIDIONALIUM

VOLUMEN III.

LISTINE

O ODNOŠAJIH IZMEDJU JUŽNOGA SLAVENSTVA I MLETAČKE REPUBLIKE

NA SVIET IZDAJE

JUGOSLAVENSKA AKADEMIJA ZNANOSTI I UMJETNOSTI, agram.

KNJIGA III.

U ZAGREBU 1872

U KNJIŽARNICI FR. ŽUPANA (ALBREHTA I FIDLERA) NA PRODAJU.

Kazalo.

Strana

Strana

Strana

Strana

*

*

I. God. 1347. 3 srpnja, u Mletcih.

Neka se pozovu Pažani, da svoje poslanike u Mletke pošalju s naputkom, da ustanove sa republikom pismo, iz koga bi izlazilo, da su se republici podložili. Njeki se Zadrani iz Mletaka kući odpravljaju.

1347. die III iulii, capta: cum non reperiatur aliqua certa forma de insula Pagi, que ordinate submissa sit nostro communi, et honori nostro sit de providendo, quod cum deo et iusticia et iusto titulo ipsam possideamus, ut possimus ordinare et facere, que sint pro honore nostro et bono dicte insule: vadit pars, quod mittatur aliqua bona persona Pagum cum illis pulcris verbis, que videbuntur, cum recomendatione sue fidelitatis et de nostra bona dispositione ad omnem suam conservationem et statum, et ad procurandum, quod ipsi de Pago sint contenti de submittendo dominium insule Pagi et districtum nostro dominio et fidelitati, et quod ipsi mittant sindicos suos ad nostram presentiam cum mandato pleno ad faciendum submissionem predictam, et dictus nuncius portet secum copiam sindicatus, quem debebunt mittere occasione predicta; et si illi de Pago facerent vel moverent aliquod dubium in predictis, rescribat nobis quicquid invenerit et habuerit, et expectet nostrum mandatum. 72, de non 3, non sinceri 6.

Quod filius Petri de Matafaris, qui huc missus est cum aliis loco illorum Jadratinorum, qui habuerunt licentiam redeundi Jadram, cum pater sit hic, et non habeat aliquem, qui faciat facta sua, possit redire Jadram; et scribatur comiti, quod mittat unum alium loco eius, et tunc veniente illo, et non ante, iste filius dicti Petri redire possit Jadram. De non 25, non sinceri 6, de parte 60; non 28, non sinceri 5, de parte 59.

Capta: quod quidam alius Jadratinus, qui est antiquus et cecus hic, similiter huc missus, possit pariter redire Jadram cum conditione predicta. Non 14, non sinceri 0, de parte 69.

Capta: quod Michael de Gniaris, generus Marini de Harnaruto, qui etiam missus est, possit similiter redire Jadram, ut supra. Non 16, non sinceri 3, de parte 66.

Secr. cons. rogat. A. 80, u arkivu mletačkom.

II. God. 1347. 7 srpnja, u Mletcih.

Opredieljuju se uvozne i izvozne daće za Zadar.

Partes capte super daciis Jadre. 1347. die VII iulii, capta: quod omne vinum, quod extrahetur de Jadra et districtu, solvat pro anfora grossos duodecim, excepto eo, quod adduceretur Venetias; sed in dicto casu accipiant comes et consiliarii plezariam ab illo, qui vinum voluerit extrahere pro adducendo Venetias, de reportando contralitteram a nostro dominio, qualiter dictum vinum fuerit Venetias apportatum.

Capta: quod omne vinum forense, quod intrabit Jadram vel districtum, solvat pro anfora soldos tres grossorum.

Capta: quod omne vinum tam terrigenum quam forense, quod vendetur ad spinam, debeat venditor, antequam vendat, primo estimari facere per dominationem, deinde vegetim vini, videlicet capacitatem ipsius, et dicere pro quanto voluerit vendere, possendo vendere, quantum voluerit, de quo vino solvatur de quinque denariis denarius unus, et habeat terminum unius mensis ad solvendum, postquam fuerit estimatum, dando plezariam idoneam de solvendo.

Capta: quod carnes castratine, moltonine, caprine et bechine, que occidentur, solvant pro quolibet capite soldos tres parvorum. Quod de quolibet agno, qui vendetur in Jadra, solvantur p. XVIII; quod de quolibet edo, qui occidetur in Jadra, solvantur p. VIII; de carnibus manzinis seu bovinis, que occidentur in Jadra, solvantur pro qualibet libra denarii unus parvus. Quod omnes porci, qui intrabunt Jadram tam pro occidendis in beccaria, quam pro salandis vel commedendis in domo, solvantur soldi octo pro quolibet. Quod omnes castrati, montoni, capre vel bechi etc., qui extrahentur de Jadra et districtu pro portando alio quam Venetias pro quolibet capite solvant soldos sex parvorum. Quod omnes boves, qui extrahentur de Jadra et districtu pro portando alio quam Venetias, solvant soldos 20 pro quolibet. Quod pro porcis tam necatibus quam salatis, qui extrahentur de Jadra pro deferendis alio quam Venetias, solvantur soldi sexdecim parvorum. Quod de toto caseo, qui fiet in Jadra et districtu, et de illo, qui veniet de extra districtum Jadre, et apportabitur in civitate vel supra districtum Jadre, solvatur unus denarius pro qualibet libra.

Item quod de toto caseo tam terrigeno quam forensi, qui extrahetur de Jadra et districtu pro portando alio quam Venetias, dari debeat plezaria de reportando contralitteram a dominio, quomodo dictus caseus Venetias fuerit apportatus.

Quod de oleo, quod intrabit Jadram, solvatur unus denarius pro qualibet libra ipsius. Quod de toto oleo, quod nascetur in comitatu et districtu Jadre, quod non intrabit Jadram, solvatur unus denarius pro qualibet libra. Quod de toto oleo, quod extrahetur de Jadra et districtu pro deferendo alio quam Venetias, solvatur unus alius denarius pro libra; et quando portabitur Venetias, dari debeat plezaria de apportando contralitteram, ut superius de aliis dictum est.

Quod de quolibet barili piscium recentium salitorum vel factorum ad zelatiam ponderis librarum centum, quod extrahetur de Jadra pro portando alio quam Venetias, solvi debeant grossi 12, et si esset minoris ponderis librarum centum, solvatur tanto minus; et si maioris, tanto plus per ratam.

Quod omnes mercationes, que extrahentur de Jadra, comitatu et districtu tam per Venetos quam per alios quoscumque, solvant unam pro centenario, salvis iis, que dicta et specificata sunt superius de mercationibus et rebus, quibus datus est ordo, qualiter solvere debeant ad exitum.

Quod omnes mercationes, que recedent de Venetiis et intrabunt Jadram et districtum, solvant unam pro centenario.

Quod omnes mercationes, que conducentur Jadram et districtum aliunde quam de Venetiis, tam per Venetos quam per alios quoscunque, solvant duas pro centenario, salvo quam de aromatibus, seta, vel alio havere subtile, quod non possint deferri Jadram vel districtum aliunde, quam de Venetiis; et si portabitur aliunde quam de Venetiis, et discaricabitur in

Jadra vel districtu, incurrant contrafacientes de quinquagintu pro centenario de toto eo, quod discaricatum esset contra predicta; cuius pene due partes deveniant in commune, et tertia in comitem et consiliarios, vel illos, quibus per eos fuerit commissum factum predictum. Et si accusator inde fuerit, per quem veritas habeatur, tunc ipsa pena per tertium dividatur, tertium sit communis, tertium dictorum comitis et consiliariorum vel eorum, quibus foret commissum factum, ut dictum est, et tertium accusatoris predicti.

Secr cons. rog. A. 80, u arkivu mletačkom.

III. God. 1347. 7 srpnja, u Mletcih.

Odgovori na pismene predloge, koje knez Grgur Kurjaković učini po svojem poslaniku mletačkoj vladi.

1347. die VII iulii. Ad ambaxatam ducali dominio in scriptis exhibitam pro parte comitis Gregorii Curiaci consulunt sapientes, quod respondeatur in serie subsequenti:

Capta: et primo ad capitulum primum et alia dependentia ab ipso primo capitulo, per que exponitur, quod quando nobis placeret, esset paratus ire ad dominum regem Hungarie ad tractandum pacem inter ipsum regem et nos etc., non videatur sapientibus bonum esse, quod debeat se intromittere de dicto tractatu, et propterea consulunt, quod respondeatur ambaxatori suo cum illis pulcris verbis, que videbuntur domino, consiliariis et capitibus, removendo se a facto et requisitione premissis.

Capta: ad secundum capitulum, per quod conqueritur de comite Maladino, quod respondeatur, quod de dictis damnis, violentiis et raubariis nobis displicet vehementer, quia vellemus, quod inter eos esset pax et concordia, et quod viverent invicem pacifice et quiete, et quod per litteras comitis Maladini, et querelas nobis pro parte ipsius factas habemus, quod ipse similiter damna, derobationes et violentias intulit ipsi comiti Maladino; et propterea affectamus bonum et statum pacificum ambarum partium, scribemus dicto comiti, hortando et requirendo ipsum, quod sibi placeat vivere cum ipso comite Gregorio in tranquillitate, et pacifice pertransire, et quod de damnis datis, se cum eo debeat adaptare. Et e contra similiter ipsum comitem Gregorium rogamus attente, quod pro bono pacis et dilectionis hinc inde procuret a latere suo esse et permanere in amore et pace cum prefato comite Maladino, et de damnis per eum sibi illatis taliter se aptare cum ipso, quod habeat materiam contentandi, cum hiis et aliis verbis pulcris, que domino, consiliariis et capitibus videbuntur; et capta parte presenti, scribatur comiti Maladino, ut superius dictum est.

Capta: ad tercium capitulum, per quod petit, quod recommendetur comiti nostro Jadre in facto domorum suarum existentium in civitate Jadre, respondeatur, quod intentionis nostre est, et sic comiti nostro Jadre dabimus in mandatis, quod permittat ipsum domos suas affictare et disfictare civibus vel habitatoribus Jadre, sicut sibi placuerit, et quod eidem faciant ab illis, qui habitabunt dictas domos, de affictu integre responderi. Et quia tangit, quod habet potere ius contra aliquos debitores suos Jadratinos, respondeatur ad istud, quod comes et consiliarii nostri Jadre a nobis obtinent in mandatis, ius reddere unicuique postulanti.

Et scribatur comiti et consiliariis Jadre, quod in facto domorum dicti comitis faciat et servet, ut superius dictum est.

Secr. cons. rogatorum lib. A. 81, u arkivu mletačkom.

IV. God. 1347. 14 srpnja, u Mletcih.

Meštar hospitalskoga reda moli, neka mu zadarska občina povrati njeka sela. Odgovara se, da su prošla u druge ruke za zadnjega rata.

1347. die XIV iulii, capta: quod respondeatur ambaxatori domini magistri Hospitalis petenti, quod placeat nobis ordinare sibi restitui certas villas detentas per commune Jadre, et dudum sibi concessas per fratrem Philippum de Gragnana priorem Hungarie et Sclavonie tunc temporis existentem, dicente ambaxatore predicto, ipsas villas per dictum commune fuisse possessas indebite et iniuste, eo quod prior eas sibi ad tantum tempus dare non potuit etc. respondeatur, quod de petitis et requisitis per eum pro parte dicti magistri, quem reputamus nobis specialem amicum, de conditione negotii voluimus informari, ut possemus sibi convenientem responsionem et debitam exhibere; et examinato negotio, reperimus, quod dudum dictus frater Philippus de Gragnana prior in recompensationem et remunerationem quorumdam obsequiorum et beneficiorum, que a communi Jadre receperat, dederit eis in usufructu tres villas ad tenendum et usufructuandum eas per spatium annorum XXIX, que omnia idem commune Jadre preter conscientiam nostram tractavit et fecit; que ville, sicut manifeste persensimus, durante guerra inter nos et Jadratinos, tunc nostros rebelles, per alios intromisse, usurpate et occupate fuerunt ita, quod non invenimus, quod dictum commune Jadre vel nostrum dominium nomine dicti communis habeat, teneat vel possideat dictas villas vel aliquam earum, ymmo in manibus eorum sunt, qui eas guerre temporibus occuparunt, ut superius est expressum; et in casu, quo eedem ville forent in manibus vel dominio nostro, non modo domino magistro, ad quem specialem dilectionem gerimus et habemus, verum unicuique persone, que in eis diceret ius habere, essemus prompte dispositi facere id, quod iustitia svaderet. Omnes.

Capta: quod, facta responsione supradicta ambaxatori, de presens scribatur comiti et consiliariis nostris Jadre, quod mittant nobis copiam illorum instrumentorum, que repererint in procurarıa Jadre, loquentia de datione dictarum villarum, et de omni alio pertinente ad factum ipsarum villarum.

Secr. cons. rogat. A. 81, u mletačkom arkivu.

V. God. 1347. 14 srpnja, u Mletcih.

Republika nastoji, da na mir privede medju sobom zavadjene hrvatske knezove, naime kneza Grgura Kurjakovića s jedne i knezove bribirske Grgura i Mladina s druge strane.

1347. die XIV iulii, capta: auditis et intellectis ad plenum litteris comitis nostri Jadre, per quas significat nobis, comitem Maladinum Jadram venisse, et certam ambaxatam sibi fecisse pro parte comitis Gregorii

et sua, ostendendo in verbis suis, quod comes Gregorius Curiaci cum Hungaris de Tinino faciunt coadunationem gentium pro damnificando terras eorum etc., videtur sapientibus, quod cum dictus comes Gregorius cum suis ex parte una, et comites Gregorius et Maladinus cum suis ex altera sint potentiores homines Sclavonie, utilissimum esset pro bono et statu pacifico terrarum nostrarum et aliarum partium Sclavonie, quod inter eos esset concordia taliter, quod viverent in quiete, cessante inter eos qualibet novitate. Et propterea consulunt concorditer sapientes predicti, quod scribatur comiti et consiliariis Jadre, quod intellectis litteris dicti comitis, respondeamus eis, quod de discordia et dissidio vigentibus inter comites predictos displicet nobis multum, et libenter vellemus pro bono statu terrarum nostrarum, quod nulla novitas caderet inter eos; et ideo mandamus eis, quatenus studeant et procurent per illum convenientem et destrum modum et viam, qui eorum prudentie videbuntur, quod ambe partes, scilicet comes Gregorius Curiaci et comes Maladinus, veniant Jadram vel prope Jadram, ubi videbitur, et ibi conferentes cum eis, cum illis pulcris verbis, que pro honore nostro et pacificatione animorum utriusque partis viderint expedire, dent operam toto posse, quod inter eos pax vel treugua firmetur, operando ipsum comitem et consiliarios totum illud bonum, quod sciverint et potuerint pro inducendo ipsos ad pacem vel treuguam, ut superius est expressum. Omnes de parte.

Secr. cons. rogat. lib. A. 81, u arkivu mletačkom.

VI, God. 1347. 14 srpnja, u Mletcih.

Piše se ponapose knezu Mladinu i knezu Grguru Kurjakoviću, da se izmire.

1347. die XIV iulii, capta: quod scribatur comiti Maladino in serie subsequenti: Comes et capitaneus noster Jadre per suas litteras nobis noviter intimavit, quod fuistis Jadre, et ibi pro parte comitis Gregorii, patrui vestri et vestra exposuistis eidem, quod comes Gregorius Curiaci procurat cum Hungaris de Tinino coadunare gentes ad damnum et offensionem terrarum et locorum vestrorum, de quo revera turbationem et gravitatem in mentibus nostris percepimus, tamquam illi, qui propter magnam devotionem et fidelitatem, quam sepe in nostris negotiis ostendistis, statum et conservationem vestram summe diligimus et optamus. Sed comes Gregorius Curiaci nobis etiam cum gravi querela fecit exponi, quod multa damna, violentias et derobationes sibi et gentibus suis multipliciter intulistis; et propterea revolventes in animis nostris de via et modo, qui possent teneri in removendo et precidendo quamlibet scandali materiam et erroris, pro quo possetis aliquod incurrere dotrimentum, deliberavimus committere comiti et consiliariis nostris Jadre, quod solicite procurent et studeant operari, quod inter dictum comitem Gregorium ex una parte et patruum vestrum et vos ex altera pax vel treugna fiat per illum bonum et aptum modum, quem, deo dante, sciverint invenire; et propterea devotionem et prudentiam vestram hortamur attente pro speciali bono et commodo vestro, quod si comes et consiliarii nostri Jadre predicti vos duxerint requirendum, ut Jadram eatis, quia velint habere collationem vobiscum, eatis et faciatis, sicut duxerint ordinandum; nam optantes, ut premittitur, conser-

vationem vestram et civium et fidelium dilectorum, sibi iam commisimus dictum factum.

Quod scribatur etiam comiti Gregorio Curiaci in forma subscripta: Pluribus diebus elapsis coram nobis comparuit quidam ambaxator vester, et pro vestri parte nobis certam exposuit ambaxatam, et antequam haberet aliquam responsionem a nobis cum nostra licentia recessit, asserens, quod opportebat eum recedere, et quod rediret in brevi. Verum inter cetera nobis exposuit, quod comes Maladinus Clissie multa damna, derobationes et violencias fecerat et intulerat gentibus vestris, quod in veritate nobis displicuit et displicet vehementer, quia placeret nobis, quod inter vos et eum pax et concordia forent, et quod viveretis invicem pacifice et quiete; et affectamus conservationem et statum vestrum, ex quo iam disposueramus scribere efficaciter comiti Maladino, hortando et requirendo ipsum, ut disponeret animum suum ad vivendum vobiscnm in tranquillitate et amore, et quod de damnis et iniuriis illatis deberet se vobiscum amicabiliter adaptare. Et licet per querelam nobis dudum factam pro parte dicti comitis Maladini ad notitiam nostram fuisset deductum, quod vos similiter damna, derobationes et violentias sibi et suis gentibus irrogastis, noviter tamen graviorem querelam utique animis nostris displicibilem et molestam pro parte dicti comitis Maladini percepimus, quod vos cum Hungaris de Tinino coadunationem gentium facitis et paratis pro veniendo ad damnum eius et patrui sui comitis Gregorii et eorum gentium et terrarum, de quo, ut premittitur, turbationem et gravitatem in animis nostris percipimus vehementem, tum propter affectionem, quam ad conservationem utriusque partis gerimus et habemus, tum quia novitates huiusmodi, si fieri deberent, non possent esse absque gravi damno et scandalo partium Sclavonie. Et gerentes cordi ac multipliciter cupientes, quod removeatur et precidatur a partibus omnis materia scandali et erroris, per quem possetis aliquod incurrere detrimentum, deliberavimus committere comiti et consiliariis nostris Jadre, quod solicite procurent et studeant operari, quod inter dictos comites Gregorium et Maladinum ex una parte et magnitudinem vestram ex altera pax vel treugua fiat per illum bonum et aptum modum, quem, deo dante, sciverint invenire. Et propterea nobilitatem vestram attente requirimus et rogamus, quatenus debeatis desistere a qualibet novitate, quam proposuissetis movere comitibus antedictis; que, si fierent, mentem nostram gravi commotione turbarent, et animum vestrum ad ea, que pacis et concordie sint, cum eisdem totaliter disponere placeat, et velitis. Et si comes et consiliarii nostri vos duxerint requirendum, quod eatis Jadram, quia velint super premissis conferre vobiscum, placeat vobis pro speciali commodo et bono vestro ire ad eos, et facere, sicut duxerint ordinandum; nam optantes, ut dictum est, conservationem partium, eis iam commisimus dictum factum.

Secr. cons rogat. A. 82, u mletačkom arkivu.

VII. God. 1347. 14 srpnja, u Mletcih.

Odredjeno, da se stavi nješto vojničke sile u Zemniku zato, da brani zadarski kotar.

1347. die XIV iulii, capta: quod respondeatur comiti nostro Jadre, quod recepimus et intelleximus litteras suas, et ea, que in facto custodie

Selmenici nobis descripsit, ad quas respondemus ei, quod optantes conservationem et tutelam districtus Jadre pro utilitate et comodo habentium et possidentium territorium in starea, dudum deliberavimus et contenti fuimus, quod reperiretur persona, que velet tenere ad custodiam districtus Jadre XXX equites vel saltem XXV, dando sibi in usufructu terras et possessiones Selmenici, que ante guerram dabantur occasione dicte custodie ad X annos, et mutuando sibi pro furnimento eius et sociorum ducatos auri VI centum ad tempus predictum decennii, habendo ydoneam plezariam de restituendo dictam pecuniam; et insuper dando sibi ducatum unum pro qualibet porta usque ad kalendas mensis marcii proxime secuturi, prout dicto comiti scripsimus per alias nostras litteras ordinate. Verum cum dicat, quod ille Bertucius de cha de Jadra, civis noster, qui alias se obtulit ad premissa, nunc asserit velle usque ad mensem marcii pro qualibet porta ducatos quinque auri cum aliis conditionibus supradictis, denotamus sibi, quod non est nostre intentionis gravare nostrum commune ultra ea, que superius dicta sunt, et alias scripsimus sibi; sed mandamus ei, quatenus procurare debeat et facere, si poterit, cum Jadratinis, qui habent possessiones suas in starea, cum illis pulcris verbis, que sibi videbuntur, quod ipsi Jadratini reperiant viam et modum inter se, sicut sibi videtur; et placet, quod dicta custodia possit fieri et teneri, dante nostro dominio illi, qui acceperit et facere promiserit dictam custodiam, ea, que superius sunt descripta. Verum quia possibile est, quod non reperietur persona, que contentetur de provisione ducati usque ad mensem marcii tantum, sed volet eam usque ad unum annum proximum, scribatur comiti, quod in casu, quo non possit facere melius, contentetur dare provisionem ducati usque ad unum annum proximum a die, quo incipiet custodia supradicta; et quicquid fecerit et firmaverit in premissis, nobis rescribat. Omnes.

Secr. cons. rogat. A. 82, u mletačkom arkivu.

VIII. God. 1347. 14 srpnja, u Mletcih.

Odbija se ponuda cara rimskoga za savez.

1347. die XIV iulii, capta: quod respondeatur ambaxatoribus domini imperatoris Romanorum super facto unionis, quam petunt pro parte ipsius domini cum pulcris et bonis verbis, excusando nos ab ipso facto cum honore nostro sicut videbitur domino, consiliariis et capitibus.

Secr. cons. rogat. lib. A. 82, u arkivu mletačkom.

IX. God. 1347. 17 srpnja, u Mletcih.

Odgodjeno; da se tvrdjava sv. Mihajla blizu Zadra osim jedine crkve sruši.

1347. die XVII iulii. Cum pro firmitate status nostri in Jadra faciant pro nobis evellere et removere omne, quod possit aliquo tempore nobis esse damnosum et preiudiciale nostris negociis, cumque utile sit diminuere expensas in quantum possibile est cum securitate nostra, et castrum sancti Michaelis nullum comodum nobis afferat sed solum expensas, et quando in futurum perveniret ad alias manus, quod absit, multum esset nobis nocivum et sinistrum: vadit pars in christi nomine et bona gratia, omnes muri, masserie, cirche, campanule, domus fratrum et generaliter omne la-

borerium muri vel lignaminis existentis intus castrum predictum preter ecclesiam sancti Michaelis, de qua fiet et terminabitur in processu temporis sicut videbitur, prosternantur et funditus ruinentur, ita quod nichil excepta ecclesia ibi remaneat ullo modo. Et insuper cisterna vel cisterne existentes in castro predicto destruantur et removeantur in totum, ita quod nullo tempore eis uti possint aliqui ullo modo vel ingenio. Et scribatur comiti et consiliariis Jadre, et ponatur in commissionibus futurorum, quod non permittant ullo tempore penes dictam ecclesiam vel in aliqua parte situs castri predicti poni vel fieri aliquod hedificium pro habitando vel alia occasione. 32, 34, 33.

Capta: quod supersedeatur pro nunc de ruinatione castri predicti, donec terminabitur, quid debebit fieri de muris Jadre, et interim scribatur comiti et consiliariis nostris Jadre, quod condicionem fortilicie et esse castri predicti videant, examinent, et de eis plenarie se informent, euntibus ipsis ad unum ad unum sive unoquoque singulariter et per se ad locum predictum pro informatione maiori; et quecumque invenerint et examinaverint in premissis, rescribant nobis et suum consilium super inde. 37, 39, 41; de non 3, non sinceri 6, 5, 4.

Secr. cons. rogat. A. 82, u mletačkom arkivu.

X. God. 1347. 19 srpnja, u Mletcih.

Osuda proti Ivanu Fanfonji Zadraninu za to, što je iz Mletaka, gdje je prognan bio, pobjegnuo; a Jeremiji Molinu njeka vojnička služba u Kopru dozvoljena.

1347. die XIX iulii, capta: si videtur vobis per ea, que dicta et lecta sunt contra Johannem de Fanfogna de Jadra, qui erat de illis L nobilibus Jadratinis, qui hic stare debebant ad nostrum mandatum, et se de Venetiis absque nostra licentia absentavit, et citatus, noluerit comparere ad terminum iam elapsum, quod procedatur contra eum. Vel non 1, non sinceri 2.

Capta: quod dictus Johannes de Fanfogna banniatur perpetuo de Venetiis et districtu, et de omnibus terris et locis dominio nostro subiectis, et quod omnia bona sua mobilia et immobilia veniant in commune Venetiarum; et scribatur comiti et consiliariis Jadre, quod dicta bona sua intromictant, mictendo illa ad nostrum dominium. Et hec notifficentur rectoribus nostris, et publice clamentur hic et in civitate Jadre, comictendo tam dictis nostris rectoribus et comiti et consiliariis Jadre, quam capitaneis, quod, si quo tempore se permiserit reperiri, ipsum detineant et in ferris Venetias mictant †, et tunc infra octo dies dominus, consiliarii et capita teneantur venire ad istud consilium, et fiet de eo, sicut videbitur. 48.

Quod fiat in totum ut in dicta parte continetur †, dicendo solum, de quo tunc fiet, sicut videbitur huic consilio. 14, non sinceri 4.

Capta: considerata fidelitate et bono postamento Jeremie de Molino, filii ser Filippi, et fratrum suorum, qui tam in guerra Justinopolis quam Jadre existentes ad nostrum stipendium, laudabiliter pro honore nostri dominii se gesserunt, et omnes fratres dicti Jeremie, qui erant tres, in dicta guerra Jadre decesserunt: vadit pars, quod fiat gratia dicto Jeremie, quod habeat duas postas peditum in Justinipoli, tenendo unum famulum ab armis

sufficientem ad beneplacitum et contentacionem potestatis nostri Justinopolis, non augendo propterea numerum et soldum stipendiariorum.
Misti knj. XXIV. 27, u arkivu mletačkom.

XI. God. 1347. 19 srpnja, u Mletcih.

Dopušća se, da mjesto starijega sina Petra Matafara Zadranina dodje kao prognanik u Mletke, mladji sin.

1347. die XIX iulii, capta: quod filius ser Petri de Matafaro, qui huc fuit missus de Jadra, quia non habet dictus ser Petrus, qui faciat sua, possit redire Jadram, veniente huc alio filio suo minore, qui sit computatus in numero de quinquaginta Jadratinis, qui debent venire morari ad confines, sed non possit hinc recedere, nisi prius ille alter filius de Jadra venerit hic. 68, non sinceri 4, de non 18.
Secr. cons. rogat. A. 82. u mletačkom arkivu.

XII. God. 1347. 19 srpnja, u Mletcih.

Zahvaljuje se gospodaru padovanskomu, što je sa gospodinom Karlom na korist Mletčana govorio.

1347. die XIX iulii, capta: quod respondeatur nuntio domini Padue, quod regraciamur ipsi domino Padue de verbis, que dixit domino Carolo, ut dicit, in honorem nostri dominii, quem scimus reputare tanquam suum; et super aliis verbis, que dixit dominus Carolus, respondeantur verba generalia amoris et dilectionis, sicut videbitur domino, consiliariis, capitibus et sapientibus, vel maiori parti eorum; et similiter respondeatur de facto regis Hungarie.
Secr. cons. rogat. lib. A. 83, u arkivu mletačkom.

XIII. God. 1347. 21 srpnja, u Mletcih.

Riešeno, da se Pažani u oblast mletačku prime.

1347, die XXI iulii, capta: cum sindici communis et hominum Pagi sint Veneciis cum pleno sindicatu dandi et submittendi se nostro dominio, et sic sint parati facere et observare: vadit pars, quod recipiatur datio et submissio in forma, que hic lecta est, facta cum consilio sapientum. Omnes de parte.
Secr. cons. rogat. A. 83, u arkivu mletačkom.

XIV. God. 1347. 21 srpnja, u Mletcih.

Pažani se predaju Mletčanom uz pogodbu.

Submissio Pagi. In christi nomine amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo trecentesimo quadragesimo septimo, indictione quintadecima, die XXI mensis iulii. Existentibus flexis genibus ante presentiam illustris et excellentissimi domini Andree Dandulo dei gratia Veneciarum, Dalmacie atque Croacie incliti ducis, domini quarte partis et dimidie totius imperii Romanie et eius consilii, pro infrascriptis specialiter peragendis, sapientes et circumspecti viri Dragogna Schi(t)chovich, Premuda Lavorich, Prodanus

Jurgii, et Dissigna Damiani, cives Pagenses, procuratores et sindici, actores et nuntii legittimi ac negociatores, gestores communis, hominum et universitatis Pagi, habentes ad infrascripta ipsi et quilibet eorum in solidum liberum, speciale et generale mandatum a predictis communi, hominibus et universitate Pagi, ut constat publico instrumento scripto manu Blasii Michaelis Leonardi imperiali auctoritate notarii et communis Pagi cancellarii sub anno domini MCCCXLVII mense iulii die X indictione quintadecima, per me notarium infrascriptum viso et lecto, considerantes, quod multis dudum et variis temporibus et longevis recognoverunt ipsi ac predicti commune, homines et universitas Pagi, et predecessores eorum, se esse subditos et fideles illustrium et serenissimorum dominorum ducum Veneciarum, et pro ipsis dominis ducibus et communi Veneciarum dictam insulam Pagi tenuerunt et possederunt et cognoverunt ab eis, tenent, possident et cognoscunt, ut etiam sui predecessores fecerunt. Et quia ipsi domini duces, homines et commune Veneciarum tenuerunt, rexerunt et gubernaverunt, tenent, regunt et gubernant per se et suos officiales ipsam insulam Pagi pro sua insula et tanquam suam et pro suis fidelibus et subiectis, et tamquam suos volentes agnoscere bonam fidem, et cupientes, ut de suprascriptis et infrascriptis in posterum et futuris temporibus noticia plenior habeatur, unanimiter et concorditer vice et nomine dictorum universitatis, communis et hominum dicté insule Pagi, omni modo, iure et forma, quibus melius potuerunt, specialiter confirmaverunt, approbaverunt, omologaverunt et ratificaverunt ac etiam de novo, in qaantum opus esset, dederunt, tradiderunt et concesserunt pleno iure dominium et proprietatem terre et districtus et totius insule Pagi predicti suprascripto domino duci recipienti et stipulanti pro se et communi Veneciarum et successoribus suis cum mero et mixto imperio, et cum omnimoda et plenissima iurisdictione et exercicio ipsius meri et mixti imperii, et iurisdictionis, et omnia alia et singula publica et communia dicte universitatis et hominum bonorum et rerum omnium et iurium dictorum communis et hominum, cum omnibus et singulis castris, terris et fortiliciis, viis et stratis publicis, ac portubus et honorificentiis, iurisdictionibus, notionibus, homagiis, utilitatibus, proventibus, fructibus, obventibus et aliis iuribus quibuscumque spectantibus et pertinentibus, et que spectare et pertinere possent in futurum dicte terre et districtus et insule Pagi quomodocunque et qualitercunque, et ex quocunque iure et causa. Supponentes, subicientes et submittentes supradictis nominibus, et ex dicta potestate et auctoritate sibi concessis, vigore et potestate dicti sindicatus et procurationis dictam terram et districtum insule Pagi, et omnia et singula fiscalia ipsius terre et distrrictus, et personas ipsorum civium et incolarum dicto domino duci et successoribus suis recipientibus ut supra. Tradentes ex nunc dictis nominibus possessionem liberam et vacuam et expeditam dicte terre, insule et districtus Pagi inperpetuum dicto domino duci recipienti pro se et communi Veneciarum et successoribus suis. Et omnia et singula suprascripta, cum omnibus et singulis suprascriptis, et cum omnibus aliis et singulis provenientibus, vel que provenire possent ex eis, et aliis supradictis. Constituentes se ex nunc dictis nominibus pro dicto domino duce et communi Veneciarum et successoribus suis possidere et tenere, volentes dicti sindici dictis nominibus, quod ex nunc dictus dominus dux et commune Veneciarum et successores

sui per se et alios quoscumque voluerint, possint facere et libere exercere omnia et, singula supradicta, et de omnibus et singulis supradictis pro libito voluntatis. Et etiam quemadmodum dicti commune et homines et universitas insule Pagi facere possent seu ullo tempore facere potuerunt; et promittentes nominibus quibus supra, omnia et singula supradicta et totum presentem contractum, et contenta in eo et quodlibet eorumdem vice et nomine dictorum communis et hominum et universitatis Pagi perpetuo firma, rata et grata habere et tenere, et non contrafacere vel venire per se vel alios, de iure vel de facto, directo vel per obliquum, aliqua ratione vel causa, sub ypotecha et obligatione omnium et singulorum bonorum dictorum communis, hominum et universitatis Pagi, presentium et futurorum. Renuntiantes in predictis et quolibet predictorum exceptioni, doli, mali et in factum contractus non sic celebrati, rei non sic geste et omni alio iuri et auxilio, per quod possent se tueri in predictis et circa predicta. Et nichilominus ad maiorem firmitatem dicti presentis contractus et contentorum in eo, dicti sindici, nominibus quibus supra, iuraverunt et quilibet eorum iuravit in animas eorumdem ad sancta dei evangelia, tactis scripturis, presentem contractum, et omnia et singula in eo contenta perpetuo firmum et ratum et firma et rata habere et tenere et non contrafacere vel venire sub pena predicta et sacramenti prestiti, et aliquo tempore non petere absolutionem sacramenti predicti. Qui dominus dux pro se et communi Veneciarum et successoribus suis, auditis et intellectis recognitionem, approbationem, ratificationem, oblationem et submissionem prefatis ac omnibus aliis et singulis, dictis, factis et traditis per dictos sindicos nominibus quibus supra, ipsaque omnia et singula sua benignitate clementer recipiens et acceptans pro se et successoribus suis et communi Venetiarum, dei nomine invocato, ipsam insulam, terram et districtum, homines et universitatem Pagi, cum omnibus et singulis supradictis, sub suo dominio, fidelitate, gubernatione, regimine et protectione imperpetuum admisit et graciose recepit, intendens et volens decetero ipsos commune, universitatem et homines terre, insule et districtus Pagi, tanquam suos caros fideles et subditos benigne regere et tenere et favorabiliter in omnibus pertractare ac ipsorum et cuiuslibet eorum et tocius insule prefate statum, conservationem et incrementum ut devotorum subditorum et fidelium gratiosius procurare.

Acta sunt hec Veneciis in sala maioris consilii, presentibus nobilibus viris domino Hermolao Zane honorabili cive Veneciarum, domino Nicolao Pistorino ducatus Veneciarum honorabili cancellario, ser Nicolino de Fraganeschis, Jacobello Venerio, Marco bono scribis dicti ducatus, et aliis pluribus testibus ad hec vocatis specialiter et rogatis.

L. S. Ego Johannes Vido, imperiali auctoritate notarius et ducatus Veneciarum scriba, predictis omnibus interfui et rogatus scripsi.

Pactorum u arkivu mletačkom knj. V 81, a u bečkom knj. V 204.

XV. God. 1347. 22 srpnja, u Mletcih.

Ovlašćuju se komornici pažki, da na javno ime prime posjed grada i kotara pažkoga.

Sindicatus factus camerariis Pagi pro intrando in tenutam et possessionem Pagi. In Christi nomine amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo

trecentesimo quadragesimo septimo, indictione decimaquinta, die vigesimo secundo mensis iulii. Illustris et excelsus ac magnificus dominus dominus Andreas Dandulo dei gratia Veneciarum, dux etc. pro se et successoribus suis ducibus, ac nomine et vice communis, universitatis et hominum Veneciarum, et omni modo, iure et forma et causa, quibus melius et efficacius potuit, fecit, constituit, creavit et ordinavit suos et dicti communis Venetiarum sindicos, actores, procuratores legitimos ac negotiorum gestores, et quicquid melius dici potest, nobiles et sapientes viros Franciscum Dente et Thomam Miani, camerarios suos ibidem, licet absentes tanquam presentes, et quemlibet eorum in solidum, ita quod occupantis conditio melior non existat, sed quod unus eorum inceperit, alter mediare et prosequi valeat et finire, specialiter ad intrandum, intromittendum et recipiendum tenutam et corporalem possessionem pro ipso domino duce et successoribus eius, et nomine et vice eiusdem domini ducis, communis, universitatis et hominum Venetiarum puri, meri et generalis dominii dicte terre Pagi et totius districtus et insule et omnium locorum et villarum et aliorum quorumcunque ad ipsam terram, districtum et insulam Pagi spectantium, cum omnibus et singulis iuribus iurisdictionibus, honoribus, servitutibus et aliis quibuscumque ad ipsam terram, insulam et districtum Pagi spectantibus et pertinentibus tam in res, quam in personas, et aliter quomodocumque, cum puro, mero et mixto imperio et plena ac libera iurisdictione et potestate secundum formam et tenorem oblationis, traditionis et concessionis factarum prefato domino duci pro se et nomine quo supra de dicto dominio terre Pagi, districtus et insule per sapientes viros Dragognam Schi(t)chovich Premundam Lavorich, Prodanum Jurgii et Dissignam Damiani sindicos et sindicario nomine communis, hominum et universitatis Pagi, et acceptationis facte per prefactum dominum ducem pro se et dicto nomine in millesimo trecentesimo quadragesimo septimo, indictione XV, die 21 iulii, scripte in publicam formam per me notarium infrascriptum et cartas, instrumenta et scripturas quaslibet opportunas rogandum et faciendum et sibi fieri postulandum et recipiendum cum cautelis et clausulis opportunis, et generaliter ad omnia alia et singula gerenda et procuranda, que in predictis et singulis et dependentibus ac connexis necessaria fuerint et opportuna, eliamsi talia forent, que mandatum exigerent speciale, et que prefatus dominus dux, commune, universitas et homines Venetiarum facere possent, si presentes forent; dans et concedens dictus dominus dux pro se et dicto nomine predictis eius sindicis et procuratoribus et cuilibet eorum plenum mandatum et liberam potestatem in predictis et singulis ac dependentibus et connexis; et promittens pro se et dicto nomine michi notario infrascripto stipulanti et recipienti nomine et vice quorumcunque interest vel interesse posset, se firmum ratumque perpetuo habituros quicquid per dictos eius sindicos et procuratores, et quemlibet eorum actum et procuratum fuerit in predictis, et quolibet predictorum, et non contravenire sub obligatione omnium bonorum communis Venetiarum, et in premissorum fidem et evidentiam pleniorem, idem dominus dux mandavit presens publicum instrumentum sub bulla plumbea communiri.

Actum in ducali palatio Venetiarum, presentibus sapiente viro domino Nicolao Pistorino honorabili cancellario Venetiarum, ac providis et discretis viris domino Nicolino de Fraganesco, ser Rafaino de Caresinis et ser Ja-

cobello Venerio notariis ducatus Venetiarum, testibus ad hoc vocatis et rogatis, et aliis. Ego Johannes Vido etc.

Sindicatus I, 48, u mletačkom arkivu.

XVI. God. 1347. 24 srpnja, u Mletcih.

O nametu na brodove ulazeće u zadarsku luku.

1347. die XXIV iulii, capta: cum multociens navigia forinsecorum intrent portum Jadre, et de consuetudine semper solverint arboratium: vadit pars, quod quodcumque navigium intrabit de cetero portum Jadre, solvat arboratium secundum usum, exceptis navigiis Venetorum, que ad solutionem dicti arboratii nullatenus teneantur. De non 8, non sinceri 2, alii de parte.

Secr. cons. rogat. A. 83, u arkivu mletačkom.

XVII. God. 1347. 24 srpnja, u Mletcih.

Izprave u zakonu o uvoznih i izvoznih daćah, koje su se u Zadru plaćati imale.

1347. die XXIV iulii, capta: cum comes noster Jadre super reformationibus datiorum captorum in consilio rogatorum moveat aliqua dubia, petens declarationem in ipsis, ut sciat, quid in casibus illis habeat observare, propterea consulunt sapientes, quod respondeatur eidem super dubiis antedictis ut infra.

Et primo super eo, quod scribit, quod cum in ipsis datiis inter cetera caveatur, quod omnes mercationes, que extrahentur de Jadra, solvant unam pro centenario, petit, quod declaretur, si argentum, quod extraheretur de Jadra pro conducendo Venetias, solvere debeat dacium unam pro C.; respondeatur, quod nostre intentionis existit, et sic mandamus, ut debeat observare per totum argentum, quod perveniret in Jadram, libere et absque aliquo datio possit deferri Venetias; et non possit extrahi pro deferendo ipsum alio, quam Venetias ullo modo vel ingenio. Et comes et consiliarii imponant adversus contrafacientes illam penam et penas, que eisdem videbuntur, ut hec nostra intentio melius observetur.

Ad secundum dubium, quod est: utrum villani et alii ementes pannos ad retalium, et volentes extrahere de Jadra, teneantur solvere pro huiusmodi unam pro contenario; respondeatur, quod de pannis emptis per villanos et alios ad retalium pro induendo se nichil solvant pro datio communi; sed de petia vel petiis integra vel integris solvant unam pro centenario; et de pannis emptis etiam ad retalium, quos non emerent pro induendo se, solvant similiter et subiaceant datio antedicto.

Ad tertium, quod est: utrum mercationes conducte Jadram, que solvissent unam pro centenario secundum formam reformationum nostrarum, si non haberent expeditionem ibidem, extraherentur pro portando eas Sibinicum vel Spaletum, sive ad alias terras, solvere debeant duas pro centenario; respondeatur, quod cum per ordines nostros constitutum sit, ut mercationes quelibet, que extrahentur de Jadra, teneantur ad solvendum ad exitum, et nulla exceptio facta fuerit in casu predicto, presenti declaratione firmamus, quod dicte mercationes teneantur ad solvendum in exitu, ut tenentur alie per ordines antedictos.

Ad quartum, quod est: utrum pro animalibus, que de partibus Sclavonie conducerentur Venetias vel alio, et que discaricabuntur in districtu Jadre pro pabulando, solvi debeant secundum consuetudinem antiquam parvuli XII pro quolibet capite; respondeatur, quod cum, ut scribit ipse, de consuetudine fuerit, quod solvebantur dicti denarii XII pro quolibet capite, volumus et presenti statuto decernimus, quod accipiatur et exigatur dictum dacium parvuli XII pro quolibet capite animalium predictorum, quod perveniat in nostrum commune, ut cetera dacia.

Ad quintum dubium, quod est, utrum pro quibuslibet porcis intrantibus Jadram, qui salabuntur pro deferendo Venecias, solvi debeant ad introitum solidi VIII parvorum, ut in ordinibus continetur; respondeatur, quod pro evitando omnem fraudem et malitiam, qui et que in hoc casu posset committi, volumus et hac declaratione sancimus, quod tam pro predictis porcis, scilicet pro exteris et Jadram intrantibus solvantur solidi VIII parvorum pro quolibet eorundem.

Secr. cons. rogat. lib. A. 83, u arkivu mletačkom.

XVIII. God. 1347. 24 srpnja, u Zadru.

Odredjuje se daća na sol, koja se izvaža iz Paga i Zadra; a brodovi dolazeći u zadarsku luku neka obični namet izplate.

1347. die XXIV iulii, capta: cum commune nostrum subeat multas expensas pro factis Jadre, ut notum est omnibus, et conveniens sit invenire modum et viam, in quantum honeste fieri potest, per quem possit tantis et tot expensis aliqualiter subveniri: vadit pars, quod totius salis, qui extrahetur de Pago et eius districtu per modum emptionis et quemcumque alium modum, per quamcunque personam undecumque et cuiuscunque conditionis existat, solvantur per emptorem vel extractorem salis predicti pro quolibet centenario modiorum ducati quinque auri, qui exigantur et recipiantur nomine nostri communis per camerarios nostros Pagi; et committatur comiti et camerariis Pagi, quod provideant proinde per illos modos, qui sibi vel maiori parti videbuntur, imponendo et statuendo illas penas, quas viderint opportunas pro obviando, ne dacium predictum per aliquos defraudetur.

Item quod totius salis, qui extrahetur de Jadra et comitatu per mare per quamcunque personam, undecunque, cuiuscunque conditionis existat, solvantur per emptorem vel exactorem salis predicti pro quolibet centenario modiorum ducati V auri, qui exigantur et recipiantur per camerarios nostros Jadre nomine nostri communis; et comes et consiliarii habeant libertatem per maiorem partem eorum imponendi penam et penas, et aliter providendi, ne datium predictum per aliquos defraudetur. 47 de parte, de non 17, non sinceri 5.

Capta: cum multoties navigia forinsecorum intrent portum Jadre, et de consuetudine semper solverint arboraticam: vadit pars, quod quodcumque navigium intrabit de cetero portum Jadre, solvat arboratium secundum usum, exceptis navigiis Venetorum, que ad solutionem dicti arboratii nullatenus teneantur. De non 8, non sinceri 2, reliqui de parte.

Secr. cons. rogat. A. 83, u arkivu mletačkom.

XIX. God. 1347. 24 srpnja, u Mletcih.

Na molbu spljetskih poslanika riešeno, da njekoja dobra kao zadarska uzapćena za zadarskoga rata budu na slobodu puščena.

1347. die XXIV iulii, capta: ad ambaxatam in scriptis porectam ducali dominio per ambaxatorem comitis et civitatis Spaleti, in qua primo exponit, quod dum domine Catherina et Dobriza, filie condam Petri Camureri civis Spaleti, quarum una, scilicet domina Catherina predicta, fuit uxor Marci condam Johannis de Cevalellis, et altera Grisogoni Musche, vidue remansissent, et intendentes redire Spaletum, ipsa domina Catherina dotem suam, que fuit librarum mille quingentarum, et quoddam legatum eius a matre sua sibi relictum librarum quingentarum; et dicta domina Dobriza legatum suum a dicta eius matre similiter sibi relictum librarum quingentarum, traxissent de Jadra, et Spaletum secum duxissent, supervenit guerra Jadre, propter quod dominus Stephanus Contareno, tunc come Spaleti, propter mandatum ducale, quod fuerat, quod intromitteret omnia bona Jadratinorum, habens quodamodo conscientiam de istis bonis, fecit ipsa sequestrari, et sic manserunt hucusque, petens, quod cum ipsa bona sint repromissa et legata dictarum dominarum, et ad ipsas spectent et pertinent pleno iure, nec possint dici bona Jadratinorum, dignaretur ducale dominium ipsam intromissionem facere revocari: sapientibus considerationem habentibus, quod dicta bona sunt de dote et dimissoriis dictarum dominarum, que ad eos spectant et pertinent de iure, et quod ipsa bona ipse domine extraxerant ante guerram et tulerant Spaletum, ut habuerunt a ser Stephano Contareno predicto, qui fecit fieri intrommissionem predictam, videtur iustum et rationabile, et sic capta fuit pars, quod sequestratio quelibet facta de bonis predictis penitus debeat annullari, ita quod de cetero ipse domine eis gaudeant, teneant, et de eis disponant ad libitum, ac si nulla unquam novitas facta fuisset.

Ad secundum capitulum ambaxate, in quo tangitur de certa quantitate lini et aliarum rerum tempore guerre captarum per Jadratinos et conductarum in castro sancti Damiani, quod tunc Jadratini tenebant, petente dicto ambaxatore restitutionem denariorum perceptorum ex ipso, cum dicat, ipsum fuisse venditum per ser Nicoletum Quirino, quando cepit castrum predictum; videtur sapientibus, quod cum ipsum linum per dictum ser Nicoletum Quirino fuerit venditum, et pecunia ex ipso recepta posita fuerit ad butinum et distributa inter stipendiarios cum alia pecunia missa per dominium dicto ser Nicoleto, quando captum fuit castrum predictum, quod dicta peticio sit iniusta, esse nullatenus admittenda.

Secr. cons. rog. A. 84, u arkivu mletačkom.

XX. God. 1347. 29 srpnja, u Pagu.

Pažani prisižu vjernost mletačkoj republici.

In nomine domini nostri Jesu Christi, anno eiusdem nativitatis millesimo trecentesimo quadragesimo septimo, indictione quintadecima, die vigesimo nono mensis iulii, in pleno et generali consilio insule et terre Pagi ad sonum campane et voce preconum, ut moris est, solempniter congregato in palacio terre predicte, coram nobile et sapiente viro domino Mapheo Bembo honorabili comite Pagi. Cum alias per eumdem dominum comitem,

iudices, consilium, homines et universitatem Pagi creati et constituti fuerint sapientes viri Dragogna Schi(t)chovich, Premuda Lavorich, Prodanus Jurgy et Disigna Damiani sindici, actores et nuncii legittimi ac negociorum gestores, dictores communis, hominum et huniversitatis Pagi specialiter ad recognoscendum, approbandum, ratifficandum, ac etiam ad de novo tradendum et dandum dominium terre, insule et districtus Pagi illustri et magnifico domino domino Andree Dandulo dei gratia inclito duci Veneciarum, recipienti pro se et successoribus suis ducibus et communi Veneciarum cum clausulis omnibus contentis in instrumento publico sindicatus predicti scripto per me Blasium Michaelem Leonardi imperiali auctoritate notarium et communis Pagi cancellarium anno domini millesimo trecentesimo quadragesimo septimo, indictione quintadecima, die decimo mensis iulii, a me infrascripto notario viso et lecto, et postmodum dicti sindici sindicario nomine predicto eidem illustri et magnifico domino domino duci recipienti ut supra dederint et tradiderint dominium dicte terre, insule et districtus Pagi eundem dominium benigne et feliciter acceptanti cum omnibus clausulis contentis in instrumento dicte dacionis, tradicionis et acceptacionis scripto per Johannem Vido imperiali auctoritate notarium et ducatus Veneciarum scribam in millesimo trecentesimo quadragesimo septimo, indictione quintadecima, die vigesimo primo mensis iulii. Nunc supradictus nobilis et sapiens vir dominus Mapheus Bembo honorabilis comes Pagi, sindici predicti communis Pagi Dragogna Schitchovich, Premuda Lavorich, Prodanus Jurgy et Disigna Damiani et iudices dicte terre de consensu et voluntate expressa omnium existencium in dico consilio, qni fuerunt numero quadraginta, scilicet Premuda Lavorich, Dragogna Schitchovich, Dominicus Subich, Johannes Bratonisse, Petrus Vitovich, Stephanus Puzmano, Chissan Pancich, Rados Cassce, Bogdan Radogostich, Cernota Prestecich, Prodanus Jurgy, Elias Guthonostich, Rebaz Protocich, Meduan Plafcich, Radovan Prodano, Thomicha Chissano, Cresta Ambrosii, Matheus Petri Moiacich, Disigna Damiani, Johannes Stephani, Simon Mreno, Damianus Tominch, Moyssa Sripthovich, Dragos Ichins, Raden Gifchgnich, Rados Golich, Disislaus Vulzchovich, Sivaz Saratino, Cossan Jurgy, Raden Oprovich, Moyssa Stephani, Dragos Buldrisich. Johannes Subich, Damianus Lucovich, Radovanus Chranthovich, et Raden Thomistich, et universi existentes in dicto consilio cum eis animo et intencione tradendi dominium et corporalem possessionem terre, districtus et insule Pagi, dederunt et tradiderunt claves palacii communis Pagi et vexillum ipsius communis Pagi nobilibus viris Francisco Dente et Thome Miani camerariis pro dicto domino duce et communi Veneciarum ibidem ac sindicis et sindicariis nominibus suprascripti domini ducis Veneciarum, prout in instrumento dicti sindicatus, bullato plumbea bulla ducali pendente integra et illesa, cuius tenor talis est.

In Christi nomine amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo trecentesimo quadragesimo septimo, indictione quintadecima, die vigesimo tercio iulii, excelsus et magnificus dominus dominus Andreas Dandulo dei gratia Veneciarum, Dalmacie atque Croacie dux, dominus quarte partis et dimidie tocius imperii Romanie, pro se et successoribus suis ducibus, ac nomine et vice communis, universitatis et hominum Veneciarum, et omni modo, iure, forma et causa, quibus melius, efficacius potuit, fecit, constituit, cre-

avit et ordinavit suos et dicti communis Veneciarum sindicos, actores, procuratores legitimos ac negociorum gestores, et quidquid melius dici potest, nobiles et sapientes viros Franciscum Dente et Thomam Miani, camerarios suos in Pago, licet absentes tamquam presenteset quemlibet in solidum, ita quod occupantis condicio melior non existat, sed quod unus eorum inceperit, alter mediare, prosequi valeat et finire, specialiter ad intrandum, intromittendum et recipiendum tenutam et corporalem possessionem pro ipso domino duce et successoribus eius, et nomine et vice eiusdem domini ducis et communis, universitatis et hominum Venetiarum, puri, meri et generalis dominii dicte terre Pagi, et tocius districtus et insule et omnium locorum et villarum et aliorum quorumcumque ad ipsam terram, districtum et insulam Pagi spectancium cum omnibus et singulis iuribus, iurisditionibus, honoribus, servitutibus et aliis quibuscumque ad ipsam terram, insulam et districtum spectantibus et pertinentibus tam in res, quam in personas, et aliter quomodocumque cum puro, mero et mixto imperio et plena et libera iurisdicione et potestate secundum formam et tenorem oblacionis, tradicionis et concessionis factarum prefato domino duci pro se et nomine quo supra de dicto dominio terre Pagi, districtus et insule per sapientes viros Dragognam Schitchovich, Prodanum Jurgy, Premudam Lavorich et Disignam Damiani, sindicos et sindicario nomine communis, hominum et universitatis Pagi, et acceptacionis facte per prefatum dominum ducem pro se et dicto nomine in millesimo trecentesimo quadragesimo septimo, indictione quintadecima, die vigesimo primo mensis iulii, scripta in publica forma per me notarium infrascriptum, et cartas, instrumenta et scripturas quaslibet opportunas rogandum et faciendum, et sibi fieri postulandum et recipiendum cum cautellis et clausulis opportunis, et generaliter ad omnia alia et singula gerenda et procuranda, que in predictis et singulis et dependentibus et conexsis neccessaria fuerint et opportuna, etiam si talia forent, que mandatum exigerent speciale, et que prefatus dominus dux, commune, universitas et homines communis Veneciarum facere possent, si presentes forent; dans et concedens dictus dominus dux pro se et dicto nomine predictis eius sindicis et procuratoribus et cuilibet eorum plenum mandatum et liberam potestatem in predictis et singulis et dependentibus et conexsis, et promittens pro se et dicto nomine michi notario infrascripto stipulanti et recipienti nomine et vice quorumcumque interest vel interesse posset se firmum et ratum perpetuo habiturum, quidquid per dictos eius sindicos et procuratores et quemlibet eorum actum, gestum et procuratum fuerit in predictis et quolibet eorum, et non contraventurum sub obligacione omnium bonorum communis Veneciarum. Et in predictorum fidem et evidenciam pleniorem idem dominus dux mandavit presens publicum instrumentum sua bulla plumbea comuniri. Actum in ducali palacio Veneciarum presentibus sapiente viro domino Nicolao Pistorino ducatus Veneciarum honorabili cancellario, ac providis et discretis viris ser Nicolino de Fraganeschis, ser Rafayno de Caresinis et ser Jacobello Venerio, notariis seu scribis ducatus Veneciarum, testibus ad hec vocatis specialiter et rogatis et aliis. Ego Johannes Vido imperiali auctoritate notarius, et ducatus Veneciarum scriba, predictis omnibus interfui, et ea de mandato dicti domini ducis scripsi, et in publica forma redegi. Plenius continetur, recipientibus sindicariis nominibus supradictis, animo et

intencione acquirendi dominium et corporalem possessionem terre, insule et tocius districtus Pagi. Insuper dicti iudices et sindici communis Pagi, et omnes alii existentes in predicto consilio pro se ipsis et successoribus suis iuraverunt corporaliter ad sacra dei evangelia tactis scripturis eisdem et eorum cuilibet prestito iuramento ipsis nobilibus viris Francisco Dente et Thome Miani, sindicis recipientibus dictis nominibus, quod fideles erunt et obedientes prefato illustri domino domino duci et eius successoribus ducibus et communi Veneciarum eorumque rectoribus mittendis dicte terre, insule et districtui Pagi per ducalem dominium Veneciarum contra omnem hominem et universitatem, et quod nunquam erunt in facto vel consilio, ex quo status ducalis magnificencie et communis Veneciarum in aliquo minuatur, vel quod aliquem honorem vel regaliam, quem vel que ipse illustris dominus dominus dux et commune Veneciarum in insula, terra et districtu Pagi vel alibi habet, in antea habebit, quocumque modo amittat vel perdeat in toto vel parte; et si sciverit vel audiverit aliquem vel aliquos contra illustrem et magnificum dominum ducem eiusque successores duces et commune Veneciarum quicquam vellet facere et eorum statum et honorem in aliquo diminuere, illud pro eorum posse impedient et impedire curabunt; quod si impedire nequiverint, illud quam cito poterunt, manifestabunt et nunciabant eidem domino duci et communi Veneciarum, nec unquam facient vel fieri procurabunt, quod ad ipsius illustris et excellentissimi domini domini ducis et successorum suorum ducum et communis Veneciarum pertineat iniuriam vel iacturam. Qui domini Franciscus Dente et Thoma Miani sindici supradicti, receptis dictis sacramentis et iuramentis, clavibus palacii predicti ac vexillo ipsius communis, predictum dominum comitem, iudices et sindicos communis Pagi et homines predictos de consilio terre predicte eisdem sindicis communis Veneciarum et in eorum manibus presentatis, portas ipsius palacii cum clavibus aperiendo et claudendo et per ipsum palacium eundo et redeundo et alia faciendo, que spectant ad intromissionem predictam et possessionem corporalem aprehendendam, et per talem modum seu per talem intromissionem dicti sindici nominibus antedictis tenutam et possessionem intraverunt et aprehenderunt de dicta terra, insula et districtu Pagi, et de omnibus et singulis iuribus integre spectantibus et pertinentibus dictis terre, insule et districtui, et possessionem fuerunt corporalem adepti. Actum est hoc et firmatum coram hiis vocatis et rogatis testibus, scilicet ser Leonardo Bonhomo de Veneciis, socio dicti domini comitis et Johanne de Opitina, natario eiusdem domini comitis, et aliis.

L. S. Ego Blasius Michaelis Leonardi, imperiali auctoritate notarius et terre Pagi cancellarius, predictis omnibus interfui rogatus, et de mandato dictorum domini comitis, iudicum, consilii et sindicorum universitatis Pagi scripsi et publicavi, et signo meo et nomine roboravi.

Izvornik na pergameni u mletačkom arkivu br. 59.

XXI. God. 1347. 5 kolovoza, u Mletcih.

Buduć se prosuo glas, da kralj ugarski slazi s vojskom u primorje, Mletčani šalju svoga bilježnika u Dalmaciju s naputkom, neka obodri zadarskoga kneza na obranu onoga grada, a kneza Grgura i Mladina na učuvanje Ostrovice; knezovom se pako trevizkoga kotara nalože, neka stoje na oprezu te nastoje po uhodah kraljeve namjere doznati.

1347. die qninto augusti, capta: quod occaxione novorum hic lectorum mittatur de presenti unus notarius curie, qui vadat primo Jadram, et ibi conferre debeat cum comite et consiliariis nostris Jadre, dando sibi intelligere nova, que habemus de adventu gencium regis Hungarie, et de tractatu, qui dicitur fieri, de dando Ostroviciam dicto regi, et dicendo sibi, quod de civitate Jadre habeant bonam custodiam atque curam, sicut de eis confidimus et speramus, et hoc facto recedat et vadat ad comitem Gregorium Ostrovicie, et eciam si comode poterit, eundo ad dictum comitem Gregorium, loquetur comiti Maladino, quibus ambobus vel dicto comiti Gregorio solo salutatis, sicut convenit, parte nostra referat eis nova, que habemus de facto Ostrovicie, inducendo et ortando eos cum illis pulcris verbis, que videbuntur domino, consiliariis, capitibus et sapientibus vel maiori parti, quod retineat et conservet dictum castrum, et promittendo sibi duas banderias peditum pro custodia dicti castri de hiis, que sunt Jadre. Et scribatur comiti Jadre, quod ad requisitionem dicti comitis Gregorii mittat dictas duas banderias, et cras erimus hic, et providebitur circa hec et alia, que viderentur, sicut videbitur isti consilio.

Capta: quod nova, que habemus ad presens de rege Ungarie et gentibus suis significentur potestati Tarvisii et aliis nostris rectoribus Tervisane, mandantes eis, quod de locis et terris sibi commissis habeant curam vigilem et attentam, et quod mittant specialiter Utinum et alio, sicut eis videbitur, pro senciendo nova de rege Ungarie et eius gente; et quecumque habuerint et senserint, nobis solicite intimare procurent.

Secr. cons. rog. A 84, u arkivu mletačkom.

XXII. God. 1347. 10 kolovoza.

Sudci nad imovinom neka riеše razmiricu obstojeću medju biskupom ninskim i Reineriom de Musto.

1347. die X augusti, XV indictionis. Quod iudices proprii debeant cognoscere de omnibus questionibus vertentibus seu que verti possent inter episcopum civitatis None et ser Reinerium de Musto, occasione seu pro facto Staphili, et eas diffinire, sicut ipsis videbitur esse iustum. Et si consilium etc.

Maius consilium. Spiritus 153, u mletačkom arkivu.

XXIII. God. 1347. 16 kolovoza, u Mletcih.

Odlučeno, da se imenuje nadstojnik za luku zadarsku.

1347. die XVI augusti, capta: cum penitus sit utile et neccessarius unus admiratus in Jadra, ut esse convenit: vadit pars, quod fiat unus

admiratus in Jadra cum salario librarum quinque grossorum, habendo domum a communi etc. Remansit Antolinus de Arduino.

Secr. cons. rog. A. 84, u arkivu mletačkom.

XXIV. God. 1347. 22 kolovoza, u Mletcih.

U smislu oporuke kneza Pavla Ostrovičkoga Mletčani opominju kneza Grgura o njegovoj prisegi, po kojoj se je obvezao učuvati Ostrovicu za Pavlova sina.

1347. die XXII augusti, capta: quod scribatur comiti Gregorio in hanc formam infrascriptam: cum, ut scire debetis, comes Paulus Ostrovicie ob fidem et devotionem, quam habuit in nostrum dominium, ordinaverit in sua ultima voluntate, quod nos et commune nostrum ordinare et disponere deberemus de eius filio et suo castro Ostrovicie, sicut ad conservacionem eorum cognovimus expedire, et comiserit vobis dictum castrum usquequo eius filius deveniret ad etatem, qua posset se et castrum predictum ac bona sua regere et gubernare, iniungendo, quod semper in omnibus tam dicti castri, quam filii nobis tanquam superioribus obedire debeatis, ut patet per formam testamenti predicti, et predicta iurastis super corpus Christi integraliter observare; et nos affectantes, ut tenemus ex debito, conservationem filii et castri et bonorum suorum defendere et manutenere, habito respectu ad amorem intimum, quem semper gessimus dicto comiti Paulo et maxime per pacta secum habita, per que tenemur sua habere comendata tanquam civis nostri dilecti, vos pro adimplendo suam ultimam voluntatem, que fuit, quod dictum castrum conservaretur pro dicto eius filio, et quod ad manus alias devenire non posset, requirimus et rogamus cum intellexerimus, quod rex Hungarie per multos et diversos tractatus procuret, quod dictum castrum deveniat ad manus suas, ad quos tractatus non ambiguimus, quod vos, attendentes ad continentiam testamenti predicti, nullatenus attendetis, quatenus velitis, ut de iure tenemini per testamentum predictum, dictum castrum tenere et custodire nomine pueri predicti, ne ad manus alias valeat pervenire; quod si accideret, quod absit, esset contra iuramentum per vos factum tam de tenendo dictum castrum, quam de obediendo nobis in omnibus, ut dictum testamentum indicat manifeste. Ad relaxationem et liberationem pueri et filiarum vestrarum fecimus et facere intendimus nostrum posse, et si quid aliud videretur vobis in hoc fiendum vel tractandum, nobis rescribatis modum et viam, quem in dicto facto tenere debemus, paratis queque tangentia conservationem pueri et castri predictorum ac vestri et vestrorum facere et possetenus adimplere. Comisimus etiam comiti et capitaneo nostro Jadre, quod vobis subveniat de gente nostra et aliis, ut ab eo duxeritis postulandum pro conservatione dicti castri.

Secr. cons. rog. A. 84, u arkivu mletačkom.

XXV. God. 1347. 26 kolovoza, u Mletcih.

Knezu zadarskomu daje se dvie tisuće dukata, neka nabavi hrane za potriebe onoga grada s tim uvjetom, da glavnicu utjera.

1347. die XXVI augusti, capta: quod pro subveniendo neccessitatibus bladi, quas substinet nostrum commune Jadre, mittantur comiti et capitaneo Jadre ducatos duo millia, de quibus emere debeat, ut sibi videbitur; quod

bladum vendere debeat pro precio, quo commune nostrum nichil amittat, ut cum integritate nobis mittere possit dictos denarios exactos de blado predicto quociens ab eo duxerimus requirendum.

Capta: quod terminus sapientum Sclavonie elongetur per totum mensem septembris futuri.

Electus sapiens Sclavonie loco ser Hermolai Zane ser Petrus de Canali.

Secr. cons. rogat. A. 84, u mletačkom arkivu.

XXVI. God. 1347. 27 kolovoza, u Mletcih.

Nalaže se knezu zadarskomu, neka nastoji, da se medju knezom Grgurom i Mladinom barem primirje za sada utanači, i neka ondješnje vojničtvo pregleda. Zadarskomu liečniku povišena plaća.

1347. die XXVII augusti, capta: quod scribatur comiti et capitaneo Jadre ac eius consiliariis in hac forma.

Plures litteras vestras recepimus super multis et diversis mentionem agentes cum litteris comitis Gregorii et Maladini, quibusdam ipsarum litteris interclusis, ad quas vobis presentibus respondemus, quod considerantes, ut novimus per litteras dicti comitis Gregorii, quod ipse comes non est ausus Jadram accedere timore perditionis sue persone et suorum; et optantes pro bono et securitate nostrorum Sclavonie quamlibet scandali et erroris inter ipsos comites Gregorium et Maladinum existentem materiam removere, et quod pax vel treugua fiat inter ipsos, vobis scribimus et mandamus, quatenus cum omni solicitudine procuretis, mittentes quandam idoneam personam sufficientem et fidelem ad dictum comitem Gregorium, per quam tractare possitis per illum modum, qui vobis videbitur, quod pax fiat inter ipsos comites Gregorium et Maladinum vel saltim treugua, et quam longius tempus fieri poteritis; qua facta, postmodum providebimus de reconciliatione et pace fienda inter ipsos comites, ut videbitur expedire. Habebant etiam vestre littere supradicte, quod propter penuriam bladi et victualium, que ad presens est in Jadra, et propter diminutionem stipendii, quasi omnes boni stipendiarii pedites, preter comestabiles, recesserant, et simili modo exquerebantur stipendiarii equites; et propterea mandamus vobis, monstram generalem equitum et peditum vos comes facere debeatis per illum modum, qui vobis videbitur, ipsam per vestras litteras nobis ordinate et solicite denotantes. Ceterum cum per vestras litteras nobis intimaveritis, quod magister Symon de Firmo Phisicus, qui primo habebat de salario ducatos ducentos et decem et novem pro domo, propter dictam diminutionem renunciaverat, nos attendentes ad laudabilem recomendacionem et probitatem, quam nobis de ipso predictis vestris litteris demonstrastis, ei ducatos viginti annuatim duximus munigendos, ita quod habeat de salario ducatos centum et viginti, et decem et novem pro domo in anno, qui si cum dicto salario ducatorum centum viginti, et decem novem pro domo annuatim stare recusaret, nobis rescribatis, quia hic de uno alio vobis providebimus transmittendo.

Secr. cons. rog. A. 85, u arkivu mletačkom.

XXVII. God. 1347. 27 kolovoza, u Mletcih.

Dozvoljeno knezu hvarskomu, da ga državne galije u Hvar prebrode.

1347. die XXVII augusti, capta: quod comedatur nobili viro Sclavo Bolani, ituro in potestatem Farre et Braze, quod possit ire cum nostris galeis, quorum est capitaneus nobilis vir ser Marcus Justinianus, ad dictum suum regimen cum sua familia et levibus arnesiis.

Misti, XXIV. 32, u arkivu mletačkom.

XXVIII. God. 1347. 30 kolovoza, u Mletcih.

Ponudjeno 1000 libara knezu Grguru na godinu, ako pusti, da Mletčani stave svoju posadu u Oštrovicu, i da čuvaju ovu tvrdjavu, dokle sin kneza Pavla bude sposoban s njome sam upravljati. Knezu Mladinu odgovara se, da se naložilo ondješnjim knezovom, neka mu u potriebi pomoć pruže, a u slučaju mira, da će ga u pogodbu uvrstiti.

1347. die penultimo augusti, capta: quod scribatur Johanni Guido notario nostro, quod recepimus litteras suas datas Jadre die vigesimo secundo augusti, per quas nobis scripsit, quod contulerat cum comite Maladino super facto castri Ostrovicie, qui sibi inter alia dixerat, quod quando nostra dominatio tractare faceret cum comite Gregorio Ostrovicie de habendo castrum predictum Ostrovicie in nostra custodia, dando dicto comiti Gregorio aliquam provisionem annuatim donec teneremus castrum predictum, forte dictus comes Gregorius desisteret a novitate dicti castri: et propterea volentes experiri per omnem modum et viam, quibus fieri potest, ei scribimus et mandamus, quod ire debeat iterum ad dictum comitem Gregorium, cui per illum cautum modum, qui sibi videbitur pro adimplendo huiusmodi intentionem nostram, exponere debeat, qualiter, ut rex Ungarie cesset a requisitione et petitione dicti castri, sumus parati accipere in nostra custodia dictum castrum pro filio condam comitis Pauli eius nepote, donec ipse nepos eius pervenerit ad etatem et statum, quibus possit castrum ipsum tenere et gubernare, cui tunc restituemus; et si eius nepos decederet, quod deus avertat, dictum castrum redderemus ipsi comiti Gregorio, habente ipso comite Gregorio fructus et redditus ipsius castri, et dando ei annuatim libras mille parvorum de provisione pro victu eius, donec dictum castrum teneremus modo predicto, cum rex Hungarie per hunc modum videns aliquid sue intentionis ipsius castri Ostrovicie obtinere non posse, de ipso castro amplius non curaret; propter quod credendum est, quod nepos et filie eius de manibus comitis Doymi recuperabuntur sine aliqua diminutione sui honoris et status, quod procurabimus toto posse et omnibus modis, quibus fieri poterit, non cessabimus procurare.

Capta: quod respondeatur ambaxate exposite pro parte comitis Maladini; et primo ad id, quod petit, quod mandemus comitibus nostris Jadre, Sibenici, Tragurii et Spaleti, quod dent sibi auxilium suarum gentium contra Hungaros et alios damnificantes eum sive nostros fideles Dalmatie, cum fuerit necesse, quod scribimus per litteras nostras dictis nostris comitibus, quod in hoc faciant et teneant illum modum et viam, qui eis videbitur pro conservatione civitatum nostrarum et bonorum suorum.

Ad id, quod petit, quod si accideret, quod deveniremus cum rege Hungarie ad aliquod concordium sive pacem, eum ponere velimus in ipso

concordio sive pace; quod attendentes ad devotionem et fidelitatem, quas habuit et habet versus nostrum dominium, ut vidimus manifeste, nostre intentionis semper fuit et est, eum debere ponere in concordio sive pace, quod sive quam faceremus cum dicto rege Hungarie, ut ipse sub nostra fidelitate quiete et pacifice cum bonis suis valeat permanere.

Secr. cons. rogat. lib. A. 85, u arkivu mletačkom.

XXIX. God. 1347. 30 kolovoza, u Mletcih.

Zapovieda se knezovom Zadra, Šibenika, Trogira i Spljeta, da pruže pomoć knezu Mladinu proti Ugrom i drugim napadačem u koliko bi to mogli bez svoje škode.

1347. die penultimo augusti, capta: quod scribatur nostris comitibus Jadre, Sibenici, Tragurii et Spalati, qualiter nuper requisiti sumus per ambaxatam comitis Maladini, et committendo eis. quod dent ipsi comiti Maladino auxilium suarum gentium contra Ungaros et alios, volentes damnificare ipsum sive subditos nostros Dalmatie, quod auxilium ei dare non presumunt, nisi procedat de nostri voluntate et consensu, ut dicta ambaxata continet seriose; et quod optantes bonum et securitatem nostrarum terrarum et bonorum nostrorum fidelium parcium predictarum, et confidentes in sua discretione, relinquimus in libertate eorum in predictis tenendi illum modum, et facere, sicut eis videbitur pro securitate et conservatione terrarum nostrarum et bonorum nostrorum fidelium predictorum; habendo semper pro amicis nostris dominum banum Bosine et gentes suas.

Secr. cons. rogat. A. 85, u arkivu mletačkom.

XXX. God. 1347. 30 kolovoza, u Mletcih.

Odredjuju se njeke radnje za utvrdjenje Zadra. Izdavaju se njeke ustanove tičuće se uprave pažke občine.

1347. die penultimo augusti, capta: quod iuxta requisitionem nostrorum comitis et consiliariorum Jadre mittatur Jadram una persona ingeniosa et instructa pro foveis, que fieri debent circa castrum Jadre et pontibus levatoribus cum illo salario et provisione, que videbitur domino, consiliariis et capitibus de XL.

Capta: quod comes Pagi solus habeat libertatem in criminalibus, sicut ei videbitur fore iustum.

In civilibus vero ipse comes cum duobus iudicibus sive cum uno eorum sententiat et diffiniat secundum consuetudines terre Pagi, qui iudices eligi debeant per modum inferius anotatum.

Judices predicti eligi debeant per maius consilium Pagi per medium annum, et quia consilium Pagi est de circa XVIII personis, dictus comes Pagi cum iudicibus et maiori consilio de XVIII predictis eligere debeant per maiorem partem eorum tot de melioribus Pagi, quot veniant ad numerum de L, dictis XVIII computatis, sic quod dictum maius consilium, sicut erat de XVIII, sic sit de L, et quando aliquis defficeret de dicto numero de L, alium per ipsum maius consilium eligere debeant modo predicto, et similiter eligere debeantur omnes alii officiales, qui consueti sunt fieri in Pago.

Et non possit dictus comes Pagi per se vel alios accipere donum vel presens modo aliquo sive forma, salvo quod in fructibus recentibus possit accipere valorem grossorum duorum in die, non computando unam diem in alteram.

Nec possit ipse comes nec aliquis de sua familia facere sive fieri facere mercationes, nec tenere tabernam, nec emere vel emi facere aliquas salinas, possessiones vel territorium in insula Pagi per totum tempus sui regiminis, nec aliqua alia ad incantum aliquo modo vel ingenio.

Secr. cons. rogat. lib. A. 86, u arkivu mletačkom.

XXXI. God. 1347. 11 rujna, u Mletcih.

Odgodjeno riešenje o tom, imali se dozvoliti njekim Ugrom, da slobodno prodju kroz mletačke zemlje.

1347. die XI septembris, capta: quod fiant littere aperte istis militibus et fidelibus domini regis Ungarie, quod possint libere transire per loca nostra cum omnibus suis rebus et comitiva, que est numero XX vel circa omnibus computatis, et si volunt venire et transire per Venecias, libere venire possint, quos libenter videbimus. Et valeant dicte littere per decem dies.

Capta: cum istud factum sit arduum, et habere requirat bonam provisionem et deliberationem: vadit pars, quod inducietur usque ad diem lune proximum post nonam, quo die et ora vocetur istud consilium sub pena solidorum viginti, ubi procedetur in dicto facto sicut pro statu nostro utile fore videbitur, et legetur consilium.

Secr. cons. rogat. lib. A. 86, u mletačkom arkivu.

XXXII. God. 1347. 11 rujna, u Mletcih.

Upućuje se jedna osoba na kraljicu ugarsku, neka razvidi, bili primila rado mletačke poslanike na dogovore za mir.

1347. die XI septembris, capta: cum, ut est omnibus manifestum, rex Ungarie faciat posse suum in volendo obtinere intentum suum in regno Apulie, mittendo quotidie gentes suas et pecuniam ad partes Apulie, que secure et libere transeunt per Lombardiam ac per terras et loca nobis subiecta, quibus per nos fit omnis curialitas, que fieri potest, et ut habemus per comites terrarum nostrarum Dalmatie, gens ipsius regis currit quotidie territoria terrarum nostrarum predictarum, depredando omnia, que reperiunt; quamobrem clare colligitur, quod dictus rex Umgarie est in guerra nobiscum, et nos secum nec in pace nec in guerra sumus, sed in pace potius dici potest, et pro parte nostra non faciat sic stare, cum nobis posset potius damnum et sinistrum quam proficuum aliquid generare, et maxime, cum ipse rex Ungarie in dicto regno Apulee prosperaret: quare nobis incumbit salubriter et taliter providere, quod in casu aliquo nobis aliquid sinistri vel mali evenire non possit; consulunt concorditer sapientes, quod mittatur ad dominam reginam Ungarie quedam persona religiosa sive notarius curie vel alia persona, que videretur domino, consiliariis, capitibus de quadraginta et sapientibus vel eorum maiori parti, cui, facta salutatione decenti parte nostra, exponere debeat, qualiter nos et commune

nostrum semper habuimus intimum et specialem amorem bone memorie condam domini viri sui et ei ac suis progenitoribus, cum quibus semper vivimus in pace et amore magno, et habentes eos in reverentia, eis impendimus gratos et obsequibiles actus, quod idem optavimus et optamus cum affectione animi versus dominum regem presentem eius natum agere et servare, propter quod per ipsum amorem sincerum et reverentiam, quem et quam gerimus ad ipsam dominam reginam et dominum regem presentem in confirmatione amoris utriusque partis, si de eorum procederet beneplacito, per nostros solemnes ambaxatores libenti animo visitaremus. Et si dictus nuntius videret, quod predicta placerent domine regine predicte ac etiam de missione ambaxatorum nostrorum, tunc de voluntate ipsius domine regine vadat ad presentiam domini regis, cui exponat similem ambaxatam; et si dictus dominus rex consentiet missioni ambaxatorum nostrorum predictorum, tunc dictus noster nuncius nobis velociter scribat per litteras suas omnia, que habuerit a domina regina et rege predictis, et interim procuret habere litteras securitatis pro dictis nostris ambaxatoribus, per quas secure ire possint ad dictum dominum regem et redire, et eas cum solicitudine nobis mittat, non recedendo sine nostro speciali mandato. Verum si dicto notario videbitur, quod dicto domino regi non placeret, quod nostri ambaxatores ad eum accederent, Venetias revertatur. 56.

Quod pro presenti inducietur mittere ad dominam reginam per modum contentum in parte predicta, cum in processu temporis melius superinde erimus informati, et melius poterimus providere. 27, 4, 5.

Secr. cons. rogat. lib. A. 86, u arkivu mletačkom.

XXXIII. God. 1347. 13 rujna, u Mletcih.

Za njeko vrieme obustavlja se daća na vino, koje se u Mletke vozilo iz Šibenika i Otranta i dalje.

1347. die XIII septembris. Cum alias propter penuriam vini, que erat in terra, data fuerit certa franchisia aliquibus vinis de extra, et presens tempus multum requirat hoc fieri: vadit pars, quod vinum de Sibenico et de Sibenico ultra inter culfum, intelligendo de Corfu et a Corphu citra, et vinum capite Otranti et inde per riperiam usque Gaietam, et de Sicilia et a monte Angeli ultra usque ad confines predictos, quod ab hodie in antea recedet de ipsis partibus, et adducetur Venecias, sit franchum a dacio ducati; et istud duret usque ad sanctum Michaelem proximum et inde usque ad alium sanctum Michaelem sequentem: et officiales nostri dacii vini apponant mentem et curam, ne fraus aliqua committatur in damnum communis, et cridetur hoc in scalis Rivoalti, ut per omnes sciri possit. Et si consilium etc. Ego Pangratius Georgius consiliarius manu mea subscripsi. Ego Marcus Superancio manu mea subscripsi.

L. S. Ego Amadeus de Bonguadagnis notarius curie predictum consilium de mandato prescriptorum dominorum consiliariorum cancelavi 1349 die 9 septembris.

Maius consilium. Spiritus 153, u arkivu mletačkom.

XXXIV. God. 1347. 27 rujna, u Mletcih.

Obćini ninskoj daje se njeka svota u zajam, da s njome nabavi konje i dotično oružje za obranu svoga kotara.

1347. dfe 27 septembris, capta: cum comes et commune None nobis fecerint supplicari per suum ambaxatorem, et similiter per suas litteras nobis scripserint, quod cum communiter derobeutur furtive per Sclavos et Ungaros omnia, que habent extra civitatem None, qui veniunt ad X, XV et XX, propter quod sua territoria laborare non possunt in damnum maximum et consumationem eorundem, dignemur eis de gratia mutuare ducatos quadringentos pro emendo equos viginti, qui dari et distribui debeant inter bonos homines civitatis predicte, qui cum dictis equis et armis suis furniti teneantur equitare et ire, ut fuerit expediens pro oviando dictis predonibus; et iustum et conveniens sit providere pro securitate et conservatione dictorum nostrorum fidelium, ut in totum non consumentur, et ut magis sint constantes in fidelitate nostri dominii, consulunt sapientes, quod mutuentur dicto communi None dicti ducati quadringenti pro emendis equis predictis, cum quibus se hortantur defendere et sua territoria laborare et usufructuare, quorum denariorum quintum omni anno nostro communi solvere teneantur; et iniungatur in commissionibus nostrorum comitum None, quod teneantur et debeant quolibet anno excutere et accipere de denariis communis None dictum quintum denariorum predictorum, et Venecias per fidum nuncium destinare; et ut dicti denarii melius exigantur, scribatur comiti nostro presenti None, quod provideat taliter super introitibus communis None, quod dicti nostri denarii nobis restituantur per terminos superinde, et ut in casu, quo necesse esset eos habere et ire acceptum per mare succursum gentium a Pago, Arbe et Jadra, ut provisum est, ire per mare, et habere possint, detur dictis nostris fidelibus None una barca longa de nostris custodibus riperiarum a remis XX vel inde infra per stimam, que fieri debeat, quam solvere teneantur ad beneplacitum nostre dominationis.

Secr. cons. rogat. A. 87, u mletačkom arkivu.

XXXV. God. 1347. 27 rujna, u Mletcih.

Tjeraju se iz Zadra svi, koji su po zadarskom knezu kažnjeni bili prije zadarskoga rata.

1347. die 27 septembris, capta: cum Jadratini tempore guerre per quandam cridam per eos factam, ut habetur, venire fecerint aliqui Jadratini condemnati et sententiati per nostros comites solos ante guerram in iis, in quibus soli habebant arbitrium, et etiam banniti de Jadra per alium modum, et ipsi Jadratini sententiati predicti steterint in Jadra usque ad factam pacem, et nunc similiter stent, quod est in minus honoris nostri dominii, et quod Jadratini possint revocasse sententias et condemnationes factas per nostros comites supradictos, et factas tempore, quo primo erant sub nostro dominio ante guerram, videtur sapientibus, quod scribatur comiti nostro et consiliariis Jadre, quod in locis solitis faciant publice proclamare, quod quicunque de hinc retro sententiatus per nostros comites supradictos per homicidium, rubarias, incendium aut per violentias mulierum vel banniti de Jadra quocumque alio modo, debeant de Jadra et eius

districtu recessisse usque ad octo dies tunc proximos, et elapso dicto termino, si quos in Jadra reperiri contigerit, contra eos debeant procedere secundum processus et sententias factos et factas per nostros comites antedictos sive iudices Jadre. Verum si non repirerentur dicte sententie et processus, debeant inquirere et examinare de novo, et contra eos procedere, sicut eis vel eorum maiori parti videbitur fore iustum.

Secr. cons. rogat. lib. A. 87, u arkivu mletačkom.

XXXVI. God. 1347. 27 rujna, u Mletcih.

Zapovieda se knezu zadarskomu, neka pozove preda se sve bjegunce zadarske, koji u tudjinstvu snuju zlo proti mletačkoj vladi, i neka prijavi one, koji bi mu se uslied toga poziva prikazali.

1347. die 27 septembris, capta: quia, ut habent littere comitis et consiliariorum nostrorum Jadre, sunt aliqui Jadratini morantes in Segna, qui cum quodam fratre Silvestro, ministro ordinis fratrum minorum, et filio Cerne de Fanfogna publice et occulte conveniunt insimul in loco fratrum minorum pro faciendo et procurando, ut credi debent, omnia, que possent contra honorem nostrum et detrimentum redundare, qui Jadratini gaudent bonis et possessionibus suis existentibus in Jadra et districtu, et eorum aliqui iverint in Ungariam, et superinde sit taliter providendum, quod predicta non fiant, que possent nobis generare sinistrum; videtur sapientibus, quod scribatur comiti et consiliariis nostris Jadre, qualiter intellectis litteris suis continentibus de illis Jadratinis, qui morantur in Segna, procurantes et convenientes insimul cum filio Cerne de Fanfogna et fratre Silvestro predicto in subversionem status nostri, et gaudent bonis suis etc., eis scribimus et mandamus, quod diligenter inquirere et examinare debeant, qui sint illi Jadratini nominati, qui morantur in Segna et iverunt in Ungaria vel essent in aliquibus aliis partibus Sclavonie tractantes vel conantes tractare aliquid in subersionem status nostri in partibus Sclavonie, et eos nominaliter citari faciant publice in Jadra, quod coram eis debeant personaliter comparere infra terminos, qui eis habiles videbuntur vel eorum maiori parti, habito respectu ad distantiam locorum, in quibus essent, contra quos. si non comparuerint, elapso termino eis dato, procedatur contra eos, ut videbitur; et si aliqui comparuerint, statim eos debeant nobis denotare per litteras suas et eorum conditiones, et ubi firme steterint vel tractaverint contra honorem nostrum, ut superinde, ut nobis videbitur, providere veleamus.

Secr. cons. rogatorum lib. A. 87, u arkivu mletačkom.

XXXVII. God. 1347. 27 rujna, u Mletcih.

Nalaže se zadarskim komornikom, neka sve javne prihode pobiraju sami.

1347. die XXVII septembris, capta: cum habeatur per litteras nostrorum comitis et consiliariorum Jadre, quod camerarii nostri Jadre nolunt se impedire ad exigendum dacia per nos de novo imposita in Jadra, et propterea dicti comes et consiliarii fecerant et constituerant aliquos ad exigendum ipsa dacia pro expeditione mercatorum, et non sit conveniens, quod denarii nostri communis vadant et exigantur per tales personas: vadit

pars, quod scribatur et committatur dictis nostris camerariis, agravando nos de eo, quod nolunt exigere dicta dacia, ut tenentur, quod sint studiosi et soliciti ad exigendum dicta nostra dacia et omnes alios redditus et proventus nostri communis, et inquirendum, ne fraus committatur in eis daciis, et ut predicta debeant observare, comes noster et consiliarii Jadre possint imponere eis et cuilibet eorum penam et penas, ut eis vel eorum maiori parti videbitur, ut exigant dicta dacia et omnes alios introitus nostri communis Jadre, a quibus, si non observarent predicta, excutere debeant dictas penas per eos vel eorum maiorem partem eis vel eorum alicui impositas, et predicta iniungantur in commissionibus comitis et consiliariorum Jadre et camerariorum predictorum.

Secr. cons. rogat. A. 87, u arkivu mletačkom.

XXXVIII. God. 1347. 1 listopada, u Mletcih.

Nudja se knezu Grguru 500 godišnjih libara, ako učuva Ostrovicu za sina kneza Pavla. Posada zadarska umaljena.

1347. die primo octubris, capta: quod scribatur Johanni Guido notario nostro, quod intellectis litteris suis et litteris comitis Gregorii Ostrovicie, continentibus finalem responsionem ei factam per dictum comitem Gregorium, ei scribimus et mandamus, quatenus iterato ire debeat ad ipsum comitem Gregorium, replicando sibi provisionem per nos factam de accipiendo castrum Ostrovicie in nostra custodia nomine eius et nepotis sui, dando ei libras mille de provisione omni anno, et quod hec nostra provisio erat modus directus et aptus pro relaxatione et liberatione sui nepotis et filiarum de manibus comitis Doymi; et si dictus comes Gregorius instaret dicte eius responsioni, tunc dicere debeant ipsi comiti, quod, habentes specialem amorem ei, et confidentes de sua bona devotione et fidelitate, quam gerit versus nostrum dominium, reddimur certi, quod dictum castrum Ostrovicie tenebit et conservabit nomine nepotis sui predicti iuxta formam testamenti comitis Pauli condam fratris sui; et pro dando ei omnem bonam causam perseverandi in hoc volumus ei dare libras quingentas annuatim de provisione, recipiendo in principio cuiuslibet medii anni medietatem dictorum denariorum et retinendo et conservando castrum predictum nomine sui et nepotis; cum hiis et aliis verbis, que ei pro honore nostro et bono facti utilia videbuntur, accipiendo ab ipso comite Gregorio de tenendo dictum castrum per modum predictum sacramentum et omnem aliam securitatem et cautelam, quam habere poterit; quibus omnibus percompletis et factis, et contento dicto comite Gregorio de predictis, Venetias revertatur. De parte 74, de non 10, non sinceri 12.

Capta: cum nostra intersit expensas inutiles removere, et per dei gratiam in Jadra non habeamus ad presens de aliquo dubitare, videtur sapientibus, quod scribatur nostro comiti Jadre, quod per illum modum, qui ei aptior videbitur, debeat cassare de nostris equitibus Jadre de minus bonis quinquaginta, ita quod remaneant solum centum, quibus faciat firmam per quatuor menses cum conditione et soldo, cum quibus sunt ad presens.

Secr. cons. rogat. A. 88. u mletačkom arkivu.

XXXIX. God. 1347. 1 listopada, u Mletcih.

Naputak za pažke komornike.

1347. die primo octubris. Commissio camerariorum Pagi. Juro ad evangelia sancta dei ego . . . qui sum camerarius in insula Pagi, proficuum et honorem Venetiarum, salvis capitulis in hoc capitulari specificatis: Et cum de toto sale, qui extrahitur de Pago per modum emptionis, vel per alium quemcunque modum, per quamcunque personam, undecunque, et cuiuscunque conditionis existat, solvi debeat per emptorem vel extractorem salis predicti pro quolibet centenario modiorum ducati quinque auri, exigam et recipiam dictum dacium salis nomine communis Venetiarum, et providebo et solicitabo, ne in ipso datio salis fraus committatur. Et propterea habeo libertatem cum comite Pagi et socio meo per maiorem partem nostrorum imponendi et statuendi penas, ne, ut dictum est supra, in ipso datio salis fraus aliqua comittatur.

Et omnes possessiones, terras, salinas et aquas ac bona insule Pagi, que spectassent ad nostrum commune, que nunc deveniant ad nostrum commune Veneciarum, inquiram, intromittam, et salvabo cum socio meo camerario, et pro me solum, si ipse aliquo casu interesse non posset, et tenebo in culmen. Et si comiti Pagi, michi et socio meo vel maiori parti nostrorum videbitur, affictabo per incantum, et disfictabo, sicut dicto comiti et nobis duobus camerariis, vel maiori parti affictare et disfictare et tenere in culmen bonum videbitur. Et si aliquo casu socius meus interesse non posset ad ea, que dicta sunt, facienda, vel ad partem eorum, debeo ea facere cum consilio et beneplacito dicti comitis Pagi.

Et scribam eciam confinia, possessiones terrarum, salinarum et aquarum predictarum distincte, et pro quanto affictata est unaqueque possessio, terra, salina et aqua predicte, et cui vel quibus et pro quanto pretio, et ad quantum tempus; et si socius meus aliquo casu, quando ego scribam, scribere non posset, statim quando venerit ad locum constitutum scribendi, faciam, quod ipse scribet in suo quaterno. Et similiter ambo faciemus, quod comes Pagi scribat, vel faciat scribi in suo quaterno concorditer nobiscum tam mobilia quam imobilia, que ad manus nostras pro commuui Venetiarum pervenerint et pervenient, et quocumque modo ad nostrum commune Venetiarum spectabunt, et omni mense ero cum dicto comite ad videndum, si rationes erunt bene concordes et bene facte; et scribam domino duci totum illud, quod ad manus meas devenerit et devenire debebit, quod scire potero ad commune spectare.

Et non possum, nec aliquis de mea familia, facere vel fieri facere mercationes, nec tenere tabernam, nec emere vel emi facere aliquas salinas, possesiones vel territorium in insula Pagi per totum tempus mei regiminis seu officii, nec aliqua alia ad incantum aliquo modo vel ingenio.

Et si quid questionis occurrerit pro ipso officio inter me et socium meum camerarium, faciam de ipsa questione, sicut per maiorem partem nostrorum duorum cum comite Pagi, qui debet esse ad questionem diffiniendam, fuerit terminatum.

Habere quidem debeo pro meo salario ducatos centum et viginti auri in anno, recipiendo medietatem salarii primi anni in Venetiis, et sic successive quolibet medio anno habere et recipere debeo in Pago residuum

salarii mei per modum predictum, et debeo esse per duos annos in hoc officio, et tamen non debeo inde discedere, licet duo anni essent completi, nisi successor meus illuc primo applicuerit, salvo si de licentia domini ducis inde discederem. Et preterea tenere debeo unum equum et unum famulum.

Et non possum per me vel alios recipere donum vel presens modo aliquo seu forma, salvo quod in fructibus recentibus possum accipere valorem duorum grossorum in die, non computando unam diem in alteram. Item alia capitula consueta poni in commissionibus rectorum.

Secr. cons. rogat. A. 88, u mletačkom arkivu.

XL. God. 1347. 1 listopada, u Mletcih.

Neprima se povišenje plaće kneza spljetskoga spljetskom občinom predloženo.

1347. die primo octubris. Cum consilium et commune Spalati per sua consilia ad hec neccessaria providerint in magna unitate pro honore suorum rectorum et terre sue, quod sicut sui rectores consueverunt hactenus habere de salario libras mille ducentas parvorum in anno, sic rector presens et alii omnes de cetero habere debeant ducatos auri quingentos omni anno, non imponendo eisdem rectoribus propterea aliquod onus ultra solitum et consuetum; et supplicaverint, quatenus dictam suam provisionem acceptantes, eam dignaremus de nostra benignitate solita confirmare: vadit pars, quod predicta confirmentur et acceptentur, sicut petunt. 34, 33, non et hec fuit capta 45, 56; non sinceri 12, 3.

Misti knj. XXIV. 37, u arkivu mletačkom.

XLI. God. 1347. 4 listopada, u Mletcih.

Povjereno odboru za hrvatske poslove, da rieši razmiricu obstojeću medju ninskom občinom i Danielom Varikašićem Zadraninom glede njekoga otoka.

1347. die IV octobris, capta: cum quedam questio iam bonum tempus fuerit et sit inter commune et homines None et Danielem de Varicasis de Jadra de insula Puncteure, pro qua quelibet pars procurat instanter expeditionem, et audire partes in consilio rogatorum esset nimis longum et induceret thedium, et ipsa de levi possit terminari et expediri per sapientes Sclavonie, qui sunt informati de ipsa: vadit pars pro expeditione facti, quod committatur sapientibus Sclavonie, quod audiant partes et examinent iura earum, et diffiniant eam sicut eis vel maiori parti eorum videbitur fore iustum.

Secr. cons. rogat. A. 88, u arkivu mletačkom.

XLII. God. 1347. 9 listopada, u Mletcih.

Knezu zadarskomu se nalaže, da povede iztragu o njekoj bezimenoj tužbi tičućoj se dvaju vojničkih načelnika; i da po zadarskih kućah potraži, jeda li se ozužja nalazi. Daje se ukor krčkim knezovom Dujmu i Bartolu zato, što dopušćaju, da se njeki Zadranin u Senju oruža i po moru gusari, te se mletačkim knezovom u Dalmaciji zapovieda, da toga gusara ulove.

1347. die novo octubris, capta: quod scribatur nostro comiti Jadre, qualiter recepimus litteras carentes nomine mittentis eas et loco, quo date

seu scripte fuerunt, et continentes de aliquibus, que fiunt per duos nostros comestabiles equestres in Jadra, que si essent, essent contra honorem, quarum exemplum mittatur ei, et quod super contentis in eis litteris examinet caute et provide et teneat illum modum, qui ei videbitur pro honore nostro et securitate terre nostre Jadre, procurando habere illam mulierem, de qua fit mencio in dictis litteris, et ab ea scire veritatem predictorum quam caute fieri poterit, contra quos, si culpabiles reperiret, procedat, sicut ei videbitur, et secundum formam sue commissionis; et quicquid fecerit et invenerit, nobis per suas litteras debeat denotare.

Capta: quod committatur nostris comiti et consiliariis Jadre, quod pro observatione intencionis nostre, que est, quod aliqui Jadratini non teneant arma in domo, faciant diligenter querere per domos ipsorum Jadratinorum semel in mense ad minus, et plus, sicut maiori parti eorum videbitur, si Jadratini habent et retinent arma aliqua in domo, et si reperirentur in domo alicuius vel aliquorum Jadratinorum arma aliqua, contra eum vel eos procedant per maiorem partem ipsorum, sicut eis videbitur fore iustum; et hoc iniungitur in commissione comitis et consiliariorum nostrorum Jadre.

Capta: quod mittatur ad comites Doymum et Bartholum fratres de Segna unus notarius curie, aggravando factum de eo, quod scribit comes Arbi de quodam Paladino de Jadra, qui armavit et armat in Segna ad damnum et derobationem nostrorum civium et fidelium, cum illis verbis, que domino, consiliariis, capitibus de XL et sapientibus, vel maiori eorum parti videbitur; et scribatur omnibus nostris rectoribus Sclavonie, quod dent operam de capiendo dictum Paladinum per omnem modum, quo fieri potest, et cum ad nostram presenciam debeant sub bona custodia destinare, et in hoc possint expendere de pecunia nostri communis, ut eis videbitur opportunum.

Secr. cons. rogat. A. 89, u arkivu mletačkom.

XLIII. God. 1347. 9 listopada, u Mletcih.

Dozvoljava se knezu osorskomu i creskomu, da iz Istre nješto hrane izvaže.

1347. die IX octubris, indictione prima, capta: quod concedatur viro nobili Marco Contareno comiti nostro Auseri et Chersi, quod pro victu suo et familie sue possit extrahere de Pola et Polisana, et conducere ad dictum suum regimen staria trigiuta frumenti. Et si consilium.

Misti XXIV 38, u arkivu mletačkom.

XLIV. God. 1347. 11 listopada, u Mletcih.

Daju se Hvaranom njeke sprave za njihovu galiju ali uz dobro jamstvo za izplatu dotične vriednosti.

1347. die XI mensis octubris, capta: cum illi de Farra fidelissime se gesserint in servitiis guerre Jadre, et ipsi petant aliquas arnesias pro sua galea: vadit pars, quod de dictis arnesiis concedatur eis per extimationem usque ad valorem librarum octo grossorum, dando bonam plezariam hic nostris patronis arsenatus solvendi dictum precium usque ad unum annum proxime secuturum. Et si consilium etc. Omnes de parte.

Misti XXIV. 38, u mletačkom arkivu.

XLV. God. 1347. 25 listopada, u Mletcih.

Dozvoljeno knezu pažkomu, da nješto hrane iz Istre izvaže, s primjetbom, da se takova milost nesmije više ni ma komu podieliti.

1347. die XXV octubris, capta: quod fiat gratia viro nobili Jacobo Cornario, ituro comiti Pagi, quod pro usu suo et familie sue possit extrahere de Pola et Polisana et conducere Pagum staria triginta frumenti; et quod de cetero non possit alicui concedi licentia vel similis gratia extrahendi de aliquibus partibus Ystrie aliquod bladum pro conducendo seu portando alio quam Venetias sub pena librarum decem pro quolibet consiliario contrafaciente.

Misti XXIV. 43, u mletačkom arkivu.

XLVI. God. 1347. 8 studenoga, u Mletcih.

Na predlog kneza kliskoga Mladina, smjerajući na to, da se silom predobije Ostrovica. o kojoj se govorilo, da će pasti u ruke ugarskoga kralja, mletačko vieće upućuje svoje nadstojnike u Zadru, neka nastoje, da ju novcem dobiju.

1347. die VIII novembris. Cum pro securitate et conservatione terrarum nostrarum Sclavonie ad obviandum et turbandum, ne castrum Ostrovicie tradatur regi Ungarie, experiri omnimode requiratur, nam dici potest, quod dictum castrum, deveniens ad manus dicti regis Ungarie, esset consumptio et destructio omnium nostrarum civitatum predictarum, et habeamus per litteras comitis Maladini, quas misit nostro comiti Jadre, quod habendo auxilium gentium dicti nostri comitis Jadre et cum sua posset obsidere ipsum castrum Ostrovicie taliter, quod esset honor nostri dominii, nam propter tempus hiemale non posset habere ad presens aliquod succursum, videtur ser Johanni Sanuto sapienti, quod mandetur comiti et consiliariis Jadre, quod conferre debeant per illum modum, qui eis videbitur, cum comite Maladino super facto dicti castri Ostrovicie, quid sit agendum, ne dictum castrum detur regi predicto; et si dictus comes Maladinus peteret a nostris comite et consiliariis de nostris stipendiariis pro obsidendo dictum castrum vel alia faciendo pro accipiendo ipsum castrum, vel turbandum, ne deveniat ad manus Ungarorum, et dictis comiti et consiliariis, vel ipsorum maiori parti, appareret, quod per ea, que diceret et peteret dictus comes Maladinus, posset facere dictum castrum ad manus nostras pervenire vel ducere dictum factum ad aliquod bonum effectum cum honore nostro et securitate et bono terrarum nostrarum taliter, quod dictum castrum non deveniret ad manus Ungarorum, possint dare in subsidium dicto comiti Maladino XXV de nostris equitibus, qui sunt in Jadra, et centum pedites Jadratinos, providendo cuilibet ipsorum peditum de libris quatuor parvorum in mense, habentes semper respectum, quod dicta nostra gens possit ire secure cum dicto comite Maladino; et quidquid fecerint in predictis, et sequetur in facto dicti castri, nobis debeat solicite suis litteris denotare. 6.

Capta: cum, ut dictum est, multum faciat pro conservatione terrarum nostrarum Sclavonie providere in facto castri Ostrovicie, in iis, que fieri possunt cum honore et bono nostro: vadit pars, quod scribatur comiti et consiliariis nostris Jadre, quod, conferentes cum comite Maladino et aliis,

qui eis viderentur pro dicto facto, possint tractare per modum pecunie, et per omnes alios modos, qui eis viderentur, ut castrum Ostrovicie venire possit ad manus nostras, vel quod saltim non tradatur regi Ungarie, non possendo mittere extra Jadram in hoc casu de nostris stipendiariis absque nostra licentia; et quidquid fecerint in predictis, nobis debeant suis litteris denotare. De non 12, non sinceri 1, de parte omnes alii.

Secr. cons. rogat. lib. A. 89, u arkivu mletačkom.

XLVII. God. 1347. 10 studenoga, u Mletcih.

Izabran odbor, da s obzirom na listove došavše iz Ugarske, savjetuju o poslanstvu, koje se kanilo u Ugarsku odpremiti.

1347. die decimo novembris, capta: quod super istis litteris Ungarie et super ambaxata, que videretur mittenda et super commissione et forma dicte ambaxate, et super omnibus pertinentibus ad dictam ambaxatam et expeditionem ipsius eligantur per quatuor manus quinque sapientes, qui possint accipi de omni loco, qui debeant examinare et dare nobis suum consilium in predictis, cum quo erimus hic, et fiat, sicut videbitur, et quilibet possit ponere partem, et die martis post nonam sit istud consilium, et fiet sicut videbitur, et quia factum est magnum et arduum, debeant etiam sapientes Sclavonie in predictis per se examinare et dare suum consilium, et cum ipso consilio ambarum manierarum erimus hic, et fiet, quod erit melius, domino faciente, et durent sapientes per istum mensem.

Sapientes: ser Marcus Lauredano, ser Frescus Quirino, ser Besinus Contareno, ser Johannes Mauroceno Zarocola, ser Marinus Faletro.

Secr. cons. rogat. lib. A. 89, u arkivu mletačkom.

XLVIII. God. 1347. 15 studenoga, u Mletcih.

Daje se dopust palatinu ugarskomu, da slobodno prodje sa svojom družinom preko mletačke zemlje; te se zaključuje, da se poslanstvo u Ugarsku odpremi.

1347. die XV novembris, capta: quod concedantur littere aperte isti comiti Palatino Hungarie secundum usum, quod possit libere transire per loca nostra cum sua comitiva, et rebus, que littere valeant per dies decem. Et notificetur potestati Tarvisii et aliis rectoribus nostris de adventu dicte gentis, et quod non permittant intrare dictam gentem in Tarvisio vel in castris nostris nisi cum pauca gente et cum securitate nostrorum locorum.

Capta: cum frater Johannis missus fuerit in Hungariam cum verbis sibi commissis, et dominus rex et domina regina acceptaverint, quod ad ipsos possimus mittere ambaxatores nostros, videtur, quod non possit aliud fieri, quam mictere ambaxiatam; et propterea vadit pars, si videtur de mittendo ipsam ambaxatam vel non; et si capietur de mictendo, accipientur denarii neccessarii pro ambaxiata de monte, secundum quod accipiebantur pro factis Jadre. Capta prima quod mictantur 94, secunda quod non mictantur 3, non sinceri 6.

Secr. cons. rogat. lib. A. 90, u arkivu mletačkom.

XLIX. God. 1347. 15 studenoga, u Mletcih.

Naputak za poslanike odlazeće u Ugarsku.

1347. die XV novembris, capta: quod in nomine domini committatur ambaxatoribus ituris ad dominum regem Hungarie, quod premissa salutatione decenti, exponant eidem, quod considerantes antiquum amorem et benivolentiam specialem, que sinceris affectibus viguit inter inclite memorie dominos reges Hungarie predecessores suos, et specialiter patrem et matrem eius ac nostrum ducale dominium, qui quidem amor mutuus et mutuis ac gratis servitiis impensis hic inde apparuit per effectum, et magnum suscepit augumentum cum honore et bono utriusque partis; et affectantes puro corde, sicut semper fuit et est nostre firme intentionis, ut secundum laudabilia vestigia suorum progenitorum et predecessorum nostrorum prefatus amor et dilectio, favente domino, conservetur et crescat inter suam maiestatem et nos ac nostros fideles et subditos, providimus eos in nostros ambaxatores honorabiles et solemnes ad suam celsitudinem destinare ad declarandum nostram puram et sinceram devotionem et amorem, quem semper habere et firmiter observare intendimus erga exaltationem et honorem sue sancte corone et regni eius; et sperantes indubie, quod sua regia maiestas, habita consideratione ad predicta, similem dispositionem habebit, eandem maiestatem affectiosius requirimus, quod sibi placeat nos nostrumque dominium cum subditis et fidelibus nostris pro veris et intimis amicis reputare et habere, quemadmodum prefati precessores sui continuatis et successivis temporibus habuere, ut antiquata et semper servata dilectio inter partes mutuis et sinceris affectibus, sicut optamus, valeat perpetuo conservari. 84.

Quod committatur dictis ambaxatoribus, quod exponant predicta, faciendo mentionem de infrascriptis duobus, videlicet, quod scientes dispositionem nostram veram et puram, miramur audientes, quod per aliquos subiectos regios fiunt gravitates nostris subiectis partium Sclavonie, non procedente a nobis aliqua causa, cum per nostros non fiant suis alique novitates. Secundo quod recordamur, quod pro parte domini regis ad nos venerunt Venetias ambaxatores sui, cum quibus multum avidi eramus reformare hinc inde benivolentiam et amorem, quod fieri tunc non potuit propter aliquas differentias, que fuerunt inter partes, et etiam quia ambaxiatores mandatum non videbantur habere. Attamen nolentes, quin tantum bonum desisteret, obtulimus tunc mittere ambaxatores nostros ad suam maiestatem, sed incumbentibus nobis aliis arduis agendis, eos nequivimus destinare. De parte 18, de non 2, non sinceri 1.

Capta: intelligendo, quod nostri ambaxatores faciant hunc introitum et dicant hec verba primo persone proprie domini regis, et postmodum subsequenter domine regine, mutatis mutandis. Verum pro habendo habilius et favorabilius introitum ad dominum regem possint nostri ambaxatores, et quando eis videbitur, facere salutationem domine regine, non exponendo tamen sibi ambaxatam nisi primo illam exposuerint domino regi; sed si rex recusaret audire personaliter nostros ambaxatores, tunc pro honore nostro Venetias revertantur. Non sinceri 3, de non 5.

Capta: et si per dominum regem diceretur seu recordaretur aliquid de novitatibus Jadre, respondeant, quod nulla unquam pro parte nostra

fuit data nec daretur causa scandali vel erroris inter suam maiestatem et nos, quia si civitatem predictam, quam iam trecentis annis et ultra possedimus, recuperare voluimus, et a sua indebita rebellione revocare, eius summa providentia hoc sibi ad gravitatem reputare non poterat neque potest, sicut nec fecerunt predecessores sui, et dominus genitor suus, dum fuisset de hoc specialiter requisitus, qui in casu rebellionis, que pluries contigit, se de ipsa nullatenus intromittere voluerunt, ymo permiserunt nos facere facta nostra, perseverantes nobiscum in antiqua et speciali dilectione predicta. Sumus etiam certi, quod nisi fuisset sinistra et non vera informatio Jadratinorum, aures sue celsitudinis in facto predicto minime inclinassent. Unde non opportet, ut per hoc aliquam gravitatem concipiat erga nos, qui honores sue corone semper diteximus et diligere intendimus toto corde. Non sinceri 1, omnes alii de parte.

Capta: si autem dominus rex diceret, quod alie quatuor civitates Dalmacie, scilicet Spaletum, Tragurium, Sybenicum et Nona, quas tenemus, sunt sue, dicant, quod iam multo tempore elapso invenimus ipsas civitates in sua plena libertate, et communitates earum se sponte nostro dominio submiserunt. Nos etiam attendentes, quod antiquissimo tempore predecessores nostri dominium et titulum habuerunt in illis, conservavimus et conservamus eas cum magnis expensis in dominio et protectione nostra cum magno bono et augumento status eorum. Non sinceri 4, alii de parte.

Secr. cons. rogat. A. 90, u mletačkom arkivu.

L. God. 1347. 16 studenoga, u Mletcih.

Nastavak naputka za poslanike odlazeće u Ugarsku.

1347. die XVI novembris, capta: si autem dominus rex perseveraret in dicendo, quod ius habet in civitatibus Dalmatie, quas tenemus, et quod contentatur de stando cognitioni et iudicio aliquorum ex principibus mundi, dicant, quod nos optamus procedere cum sua maiestate per illum habiliorem et expeditiorem modum, qui, vitatis quibuslibet disputationibus et cavillationibus, inducere habeat et conservare amorem pristinum inter partes. Et licet in iure nostro plenissime confidamus, tamen quia deducere iura per aliquem modum cause seu iudicii posset trahere verisimiliter factum in longum et generare confusionem inter partes, que tam benevolum et purum amorem affectant, credimus esse melius et magis consonum utrique parti, ne tantum bonum aliqualiter retardetur, ut statim bona pax et concordia amicabiliter et domestice fiat per modum alicuius bone compositionis et amicabilis tractatus; et in hoc casu possint ambaxatores componere per modum infrascriptum. Non sinceri 2, de non 1, alii de parte.

Capta: et quia de providentia nostrorum ambaxatorum possumus plenarie confidere, sit in eorum discretione incipiendi ab illo capitulo de infrascriptis, quod eis melius videbitur pro honore nostro et bono facti. Modus autem est iste:

1. Quod remittente domino rege et transferente in nos statim libere et expedite absque ulla conditione in perpetuum omnia iura, que haberet vel diceret habere in dictis quatuor civitatibus et generaliter in aliis civitatibus et locis Dalmatie, quas tenemus cum pertinentiis earumdem, possint ambaxatores promittere inter reges et barones ducatos 60 millia vel inde

infra quam minus poterunt, faciente hoc predicto domino rege pro se et successoribus suis nobis et successoribus nostris per modum transactionis vel omnem alium modum magis tutum, cum cautellis et renunciationibus opportunis, de consilio sapientum, cum sapientes iuris dicant, quod de iure hoc fieri potest cum securitate nostra.

2. Si autem dominus rex non contentaretur nobis dimittere absolute dictas quatuor civitates, sed potius vellet aliquid annuatim, et foret contentus, quod ipse quatuor civitates nobis perpetuo et libere remanerent, dimittendo in nobis omnia iura, que haberet seu diceret habere in eis, possint nostri promittere pro ipsa transactione et concordio ducatos tres mille annuatim, et ducatos octo mille baronibus semel tantum vel minus dictis quantitatibus, si poterunt, dummodo hoc non fiat per modum feudi neque census seu subiectionis, nec per alium modum, qui possit preiudicare nobis et titulo nostro; cum sapientes iuris similiter dicant, hoc fieri posse de iure absque preiudicio nostro; intelligendo, quod in omni casu rex renunciet et dimittet nobis perpetuo et libere omnia iura, que diceret seu posset habere in omnibus aliis civitatibus et locis Dalmatie, quas tenemus. 38, 44.

Ser Nicolaus Leono vult, quod dictis ambaxatoribus commictatur solum: quod si rex tangeret eis de illis quatuor terris Sclavonie, quas tenemus, possint nostri ambaxatores promittere de dando domino regi usque ad florenos tres mille omni anno, dando nobis ambaxatores omnia iura in dictis terris, possendo providere baronibus usque ad florenos octomille una vice solum, et solvantur solum completo negotio concordie: et predicta fiant per modum transactionis et omni alio modo, quo melius fieri et confirmari poterit cum consilio sapientum, ut perpetuo dicte terre nobis remaneant cum pleno iure, intelligendo, quod in contractu compositionis dominus rex renuntiet et remittat omnia iura, que haberet vel diceret habere tam in dictis quatuor civitatibus, quam in omnibus aliis civitatibus et locis Dalmatie, quas tenemus. De parte 37, 37, de non 6, non sinceri 2, 2.

Secr. cons. rog. A. 91, u arkivu mletačkom.

LI. God. 1347. 18 studenoga, u Mletcih.

Nastavak naputka za poslanike odlazeće u Ugarsku.

1347. die 18 novembris, capta: si vero dominus rex peteret transitum a nobis in Apuleam cum galeis et navigiis nostris, respondeatur, ut alias factum est, quod conditio patrie nostre exigit, quod mercatores nostri possint absque suspicione ubilibet conversari et facere mercantias suas; unde cum ipsi in regno Apulie cum eorum bonis copiosius utantur et sint, periculosum valde esset eis, nos intromittere in hoc facto, et cum hiis et aliis idoneis verbis se elongent et recedant ab hoc. De non 0, non sinceri 2.

Capta: verum si dominus rex diceret, si in casu, quo ipse vel gens sua transire vellet in Apuliam per mare vel per terram, utrum prestaremus sibi impedimentum vel obstaculum, respondeatur, quod postquam erimus in bona pace secum, intendimus illam pro parte nostra inviolabiliter observare, dummodo pro parte sue maiestatis nobis similiter observetur; et super hoc puncto instent, procurent et faciant ambaxatores, quantum poterunt, quod dominus rex de responsione huiusmodi sit contentus; sed

si omnino et finaliter scire vellet clarius intentionem nostram super hoc, tunc respondeant, quod sicut iam diximus, intendimus pro parte nostra habere in casu quolibet cum maiestate sua benevolentiam et amorem, propterea diximus, quod postquam erimus in concordia et amore secum, et eius maiestas, sicut et nos facere intendimus, perseverabit in pace predicta, nos non impediemus nos in factis alienis; et ideo transeundo absque lesione nostra, poterit, sicut voluerit, facere facta sua. 50, 60.

Ser Nicolaus Leono consiliarius: Licet exquirendum sit per omnem viam et modum de vivendo in pace et quiete cum omnibus, maxime cum principibus mundi, tamen in quolibet casu agendum est id, quod sit noster honor et conservatio nostre iurisdictionis et status. Cum autem ultra omnia nostri antiqui et nos semper cor et mentem habuerimus ad defensionem et securitatem culphi nostri, in quo pendet totum nostrum bonum et statum, et concedere transitum huic domino sic expresse, qui cum tanta novitate transire vult pro acquirendo regnum Apulee, non sit absqne periculo et derogatione iurisdictionis nostre: vadit pars, quod in casu, quo dominus rex hanc interrogationem faceret, videlicet, si sibi daremus impedimentum in transeundo per mare vel per terram, respondeatur cum pulcris verbis, quod in omni re possibili et honesta non impedimentum sed favorem reperiret in nobis; sed cum a tempore citra, cuius non extat memoria in contrarium, culphum nostrum possederimus et custodiverimus, et presentialiter possideamus et custodiamus cum magnis laboribus et expensis, habeamusque multa pacta et conventiones cum multis civitatibus et dominis mundi, quibus nunquam assentire voluimus, ymo expresse prohibuimus, ut cum armatis possint dictum nostrum culphum intrare, celsitudo regia nos quantum in facto transitus per mare potest habere merito excusatos. Verum cupientes sue serenitati, in quantum possumus, complacere, dicimus ei, quod eundo per terram, poterit transire, sicut voluerit, quia quantum in nobis est, nos non intendimus in facto transitus per terram aliqualiter impedire; et cum iis et aliis verbis convenientibus nostri ambaxatores se excusent a facto transitus per mare. 26, 31.

Ser Maucus Lauredano, ser Petrus de Canali et ser Superantius Superantio: Et si pro parte dicti domini regis requireretur, quod esset nostre intentionis in casu, quo vellet transitire in Apuliam cum navigiis aliorum, si videlicet opponeremus nos suo transitui vel non, respondeant dicti ambaxatores, quod dominium Venetiarum, postquam esset facta pax et firmata per sacramentum partium, observaret sibi integraliter dictam pacem, sicut semper facere consuerit. 8.

Ser Besinus Contareno et ser Johannes Mauroceno volunt, quod dicti ambaxatores respondeant, quod dominium Venetiarum, postquam esset facta pax et firmata per sacramentum partium, observabit dicto domino regi integraliter dictam pacem, dummodo ipse serviet eam nobis, secundum quod semper facere consuevit, faciendo suo posse, quod rex contentetur de responsione predicta, Sed si viderent, quod non esset contentus, possint, si eis videbitur, dicere dicto domino regi, quod si sibi placet, ipsi hoc scribent Venetias; et quando finaliter viderent, quod de scribendo Venetias non esset tangendum, vel si tangerent, quod dominus rex nollet differe, possint dicti ambaxatores videndo, quod pessint esse concordes de aliis eis commissis, dicere, quod dominium Venetiarum se in hoc facto non introm-

mictet, dummodo faciat suum transitum sine damno nostrorum gentium et locorum. 3, de non 8, non sinceri 9, 13.

Secr. cons. rogat. A. 91, u arkivu mletačkom.

LII. God. 1347. 20 studenoga, u Mlétcih.

Nastavak naputka za poslanike odlazeće u Ugarsku.

1347. die XX novembris, capta: procurent nostri ambaxatores et faciant posse suum de includendo comites Maladinum et fratres in pace per modum alias ultimo ordinatum, videlicet cum terris et locis eorum. Verum quia dominus rex alias super hoc durus videbatur, et conveniens sit etiam pro honore nostro, ut dicti comites habeant a nobis notitiam de ista nostra ambaxata, et verisimile sit, quod antequam nostri ambaxatores sint in puncto firmandi negotia, poterimus scire de intentione dictorum comitum: vadit pars, quod statim scribatur comiti nostro Spaleti et Sybenici, quod unus eorum, qui commodius esse poterit, det operam per illum modum, qui sibi conveniens videbitur, de essendo cum comite Maladino, notificando sibi pro parte nostra de ista ambaxata, quam mittimus ad dominum regem pro honore nostro et bono statu dictorum comitum et ceterorum nostrorum fidelium et devotorum, et inquirat et trahat dictus noster comes, quantum poterit, de intentione dictorum comitum et de dispositione sua in facto predicto, hortando dictum comitem Maladinum et fratres, quod statim mittant ad nos eorum nuntium sufficienter et plenarie informatum super predictis; et rescribat nobis velociter dictus noster comes id, quod habuerit in predictis, et habita notitia premissorum, poterimus clare informari de iis, que committere habebimus ambaxataribus nostris, si rex omnino nollet, quod dicti comites includerentur in pace per modum predictum. 76, de non 3, non sinceri 1.

Capta: item scribatur nostris comitibus et fidelibus Sclavonie, videlicet Spaleti, Tragurii, Sibenici et None, notificando eis de ista nostra ambaxata, quam mictimus pro honore nostro et conservatione ac statu pacifico et tranquillo dictorum nostrorum fidelium. Omnes de parte.

Capta: quod nostri ambaxatores in bona gratia vadant ad dominum regem Ungarie, videlicet in Badoeriam vel in illas pertinentias, ubi ad presens dicitur esse; sed si inde recessisset, et ivisset ad alias partes, sit in discretione eorum vel maioris partis expectandi eum, notificando ei, quod de suo adventu, vel eundi, ubi esset, sicut eis videbitur pro honore nostro et bono negotiorum. Omnes de parte.

Capta: ceterum, quia ista negotia magna et ardua sunt, et multa possent occurrere, super quibus ad presens previderi non posset, comictatur nostris ambaxatoribus, quod quamvis dominus rex omnino nollet compositionem per aliquem dictorum modorum, tamen si diceret de faciendo per aliquem alium modum, qui videretur nostris ambaxatoribus vel maiori parti consonare cum honore nostro, et crederent, quod nobis verisimiliter placere posset, sit in eorum libertate et maioris partis remanendi, inveniendo aliquam honestam causam, et rescribendi nobis velociter id, quod haberent et facere possent, et suum consilium, nostrum expectando mandatum. Verum si nostris ambaxatoribus vel maiori parti videretur, quod dominus rex nullo modo induci posset ad aliquam intentionem nostram, ita quod omnino

nullatenus de compositione sperarent, sit in eorum libertate et maioris partis pro honore nostro Venetias redeundi. Omnes de parte.

Capta: preterea, si cum dei auxilio compositio fiet per aliquem dictorum modorum, et dominus rex pro honore sui diceret, quod postquam presentia nostra ibi non est, intendit factum firmare similiter per syndicos eius, nostri ambaxatores de hoc etiam sint contenti, dummodo huiusmodi syndici mandatum habeant et libertatem ad plenum. Insuper si in contractu seu scriptis fiendis de predictis dominus rex poneret in titulo suo Dalmatiam et Chroatiam, noster similiter titulus totus ponatur; si vero illud taceret, sicut facit in litteris suis nobis missis, dicendo solum: rex Hungarie, nostri etiam taceant, dicendo solum: dux Venetiarum etc. De non 1, non sinceri 2.

Capta: quod in nomine domini et eius matris et pretiosi evangeliste sui Marci fiant tres ambaxiatores solemnes ad dominum regem Hungarie, eligendo eos tres per scrutinium in consilio rogatorum, et tres per duas manus electionum in maiori consilio, scilicet tres per quamlibet manum, approbando eos in maiori consilio ad unum ad unum, et qui habuerint plures ballotas transeundo maiorem partem consilii, sint firmi et possint accipi de omni loco et officio existentes in civitate Rivoalti, non perdendo regimen vel officium, si officium esset continuum. Et habeant de salario libras trecentas pro quolibet in primis tribus mensibus, et inde in antea tibras quinquaginta in mense pro quolibet; et teneantur respondere infra tertiam diem, postquam erunt electi, et ire ad beneplacitum dominii, et non possint refutare sub pena librarum quatuor centum, et huic pene subiaceant quilibet, qui exivissent de terra ab octo diebus citra, et alii etiam, qui ante essent extra terram, et sibi notificatum fuerit per nuntium dominii infra dictum terminum trium dierum; et habeant notarium, dispensatorem et famulum et familiam, et possint expendere per modum, quo alii nostri ambaxatores solennes soliti sunt ire ad testam coronatam. 66.

Quod dicti ambaxatores eligantur per quatuor manus in maiori consilio, et illi tres, qui habuerint plures ballotas, habendo maiorem partem consilii, sint firmi, et vadant cum illo salario, familia et honorificentiis, quibus ire debebant alii ambaxatores facti ad ipsum dominum regem, salvo quod propter expensas, quas supportabunt maiores, secundum quod dicti ambaxatores alias facti habere debebant libras ducentas in duobus mensibus, sic ipsi habere debeant libras trecentas pro tribus mensibus, et teneantur respondere altera die, quando fuerint electi; et non possint refutare sub pena librarum trecentarum pro quolibet. De parte 13, de non 1, non sinceri 0.

Secr cons. rog. A. 92, u arkivu mletačkom.

LIII. God. 1347. 20 studenoga, u Mletcih.

Predlaže se, da pošto je Ostrovica pala u ruke ugarske, a poslanstvo se u Ugarsku šalje, neka se piše knezu Mladinu, da s Ugri u Ostrovici miruje do povratka naših poslanika.

1347. die XX novembris. Quod scribatur comiti Mladino, qualiter recepimus litteras suas mentionem facientes de traditione castri Ostrovicie in manibus et forcio Ungarorum, quod nobis multum grave et molestum

fuit, habito respectu ad bonum et conservationem terrarum Sclavonie et suarum terrarum et castrorum, et quod, nt scire potuit, fecimus nostrum posse, ne ipsum castrum Ostrovicie dictis Ungaris traderetur, et quod, ut per alias nostras litteras ei scripsimus, ad presens mittemus nostros ambaxatores solemnes ad dominum regem Ungarie pro habendo pacem et amorem cum eo rege, quod putamus ducere ad effectum; et nichilominus in omni casu nostre intentionis est attendere et providere ad conservationem et augumentum terrarum nostrarum predictarum et locorum et castrorum suorum, et quod usque ad adventum dictorum nostrorum ambaxatorum credimus bonum esse, quod cum castellanis Ungarie dicti castri Ostrovicie se habeat et transeat quam melius poterit.

Secr. cons rogat. A. 92, u mletačkom arkivu.

LIV. God. 1347. 20 studenoga, u Mletcih.

Obavieščuje se konsul i zastupnik u Napulju o poslanstvu, koje se u Ugarsku šalje, te isto tako punomoćnik u Rimu, da znadu odgovoriti, ako budu upitani o tom od dotičnih dvorova.

1347. die XX novembris, capta: quod scribatur nostro consuli in Neapoli et ambaxatori nostro, qui est ibi, quod pro aliquibus differentiis, que sunt inter dominum regem Hungarie et nostrum commune deliberavimus mittere nostros solemnes ambaxatores ad ipsum dominum regem occasione tractandi concordiam cum ipso domino rege; sed nolumus, quod de hoc aliquid a se dicant; sed si diceretur eis aliquid de ipsa ambaxata, respondeant illis, qui sibi dicerent, quod est verum, quod eam mittimus pro tractando acconcium cum dicto domino rege cum nostro honore et sine lesione alterius. Et quia scripserunt nobis dictus consul et ambaxator de verbis dictis per dominum Ludovicum de Tarento, et de responsione, quam fecerint, dicatur eis, quod sua responsio fuit nimis larga, et nobis non placuit, et quod amplius talem responsionem non faciant ullo modo. Et Neapoleoni nostro procuratori in curia scribatur similiter de dicta ambaxata, quod respondeat, si dicetur sibi aliquid, ut dictum est supra.

Secr. cons. rog. A. 92, u mletačkom arkivu.

LV. God. 1347. 26 studenoga, u Mletcih.

Šalje se svetčano poslanstvo k ugarskomu kralju, o kom se govorilo, da je u Furlansku došao, da ga počasti i da mu ponudi prolaz kroz mletačke zemlje.

1347. die XXVI novembris, capta: cum dicatur, dominum regem Ungarie venisse ad partes Foroiulii, quod sit venturus breviter, et conveniat pro honore dominii honorare eum, postquam est sic vicinus nobis: vadit pars, quod mittantur sine mora sex de nostris nobilibus ad suam maiestatem ad exponendum, quomodo misimus ad suam regalem maiestatem nostrum nuncium pro litteris securitatis pro nostris solemnibus ambaxatoribus. quos intendebamus ad eum destinare, quas litteras generose concessit et dari fecit ipsi nuncio nostro, quibus habitis, statim elegimus tres solemnes ambaxatores de nobilibus et honorabilibus civibus nostris, qui debebant venire ad suam maiestatem cum ambaxata sui honoris et nostri; sed cum parati essent pro dicta via, habuimus nova firma de adventu suo

in iis partibus, propter quod providimus mittere istos sex nobiles ad honorandum suam maiestatem, qui sue regali magnificentie dicant ex parte nostra verba reverentie et amoris, sicut eis videbitur pro honore nostro, et socient eum quousque extra nostrum districtum; et si volet transire per nostrum districtum, hoc sibi liberaliter offerant et sint cum eo; et si velet intrare civitatem nostram et castra, habeant libertatem nostri predicti dandi ei licentiam cum illa gente, que eis videbitur cum securitate nostrorum locorum. Et sic scribatur nostris rectoribus, quod observent, sicut dicti nobiles eis dicent. Et informent se dicti nobiles de omni eo, quod habere et scire poterunt in dicta via, quod spectet ad nostrum honorem, ut ab eis in suo reditu vel per suas litteras ante suum reditum, quas mittere nobis statim debeant, informari possimus. Et eligantur dicti sapientes per tres manus, et respondeant hodie, et vadant, sicut fuerit ordinatum per dominium, et possint accipi de omni loco, non perdendo aliquod, quod haberent, officium vel aliud, non possendo eligi de ambaxatoribus electis. Et vadant dicti ambaxatores ad expensas, cum quibus vadunt ambaxatores ad testam coronatam, et habeant quatuor domicellos pro quolibet, secundum novis vestibus. De parte 55, de non 10, non sinceri 25.

Ambaxatores: ser Thomas Gradonico, ser Marinus Grimani, ser Andreas Superantio, ser Petrus Trivisano, ser Marcus Dandulo, ser Johannes Mozenigo.

Capta: quod si aliquis dictorum sex nobilium refutaret per aliquam legitimam causam, quam assignaret, et que videretur domino, consiliariis et capitibus, vel eorum maiori parti, dominus, consiliarii et capita predicti per maiorem partem ipsorum eligant unum et plures, si refutarent; et si consilium est contra etc. Omnes.

Secr. cons. rog. A. 92, u arkivu mletačkom.

LVI. God. 1347. 27 studenoga, u Mletcih.

Odgovara se poslanikom mletačkih gradova u Dalmaciji i kneza Mladina, da, pošto se šalje poslanstvo u Ugarsku, nije za sada shodno ugovarati o savezu, koj su oni kanili medju sobom utanačiti.

1347. die XXVII novembris, capta: quod respondeatur ambaxatoribus terrarum nostrarum Sclavonie et comitis Maladini, et sic eis scribatur, quod ambaxatas suas audivimus et intelleximus diligenter, et quia mittimus nostros solemnes ambaxatores ad dominum regem Hungarie pro reconciliatione pacis et amoris hinc inde, ut alias eis scripsimus, non videtur nobis, quod sit aliud providendum ad presens super dicta unione; verum suo loco et tempore providebimus id, quod concedente domino convenire videbimus pro honore nostro et conservatione terrarum et fidelium nostrorum, ac comitis Maladini et gentis sue; et cum hiis et aliis verbis, que dictis domino, consiliariis et capitibus videbuntur, fiat responsio ambaxatoribus supradictis. De non 2, non sinceri 0, alii de parte.

Secr. cons. rog. A. 92, u arkivu mletačkom.

LVII. God. 1347. 29 studenoga, u Mletcih.

Upućuje se poslanstvo, odpremljeno k ugar. kralju, da mu slobodno proći u Furlansku, i kad mu se uzvidi, kralju se predstaviti. Obaviešćuje se konsul u Napulju i poslanik u Rimu o nenadanu kraljevu dolazku u Furlansku.

1347. die penultimo novembris, capta: quod scribatur nostris VI ambaxatoribus, quod licet commissio sua nobis satis clara videatur, quod possint ire, si eis videbitur, ubi esset rex in partibus Foroiulii ad faciendum ambaxatam sibi commissam, tamen pro removendo omne dubium, scribimus eis, quod sicut eis videbitur melius, et quando eis videbitur, possint ire ad dictum regem, ubi esset in partibus Foroiulii, et facere ambaxatam eis commissam.

Capta: quod scribatur nuncio de curia et consuli in Napoli nova, que habemus de subito et inopinato adventu regis Hungarie in partibus Foroiulii, et quomodo priusquam erat hic, misimus aliquos nostros nobiles ad visitandum suam maiestatem pro honore nostro et securitate nostrorum fidelium; et quod, si diceretur eis aliquid de dictis novis, respondeant et dicant veritatem predictam.

Secr. cons. rogat. A. 93. u mletačkom arkivu.

LVIII. God. 1347. 30 studenoga, u Mletcih.

Dozvoljeno jednomu od poslanika, idućih k ugar. kralju, koj se razbolio bješe na putu, da se može u Mletke povratiti ili put nastaviti, kako mu volja.

1347. die ultimo novembris, capta: quod concedatur nobili viro Donato Arymundo, uno ex sex ambaxatoribus missis ad dominum regem Hungarie, qui dicitur remansisse in Coneglano, aliqualiter de persona gravatus, quod pro liberatione sua possit redire Venetias, habendo nichilominus licentiam veniendi Venetias vel eundi ad servitium nostrum secundum statum sue persone ut videbitur sibi. Et si forte non esset ille, qui impedimentum predictum haberet, sed alius ex sociis suis, hanc eandem licentiam habeat ille, qui dictam gravitatem haberet.

Secr. cons. rogat. A. 93, u arkivu mletačkom.

LIX. God. 1347. 3 prosinca, u Mletcih.

Povladjuje se saviet poslanika odpremljenih k ugar. kralju glede ponude, da mu slobodno proći kroz mletačke zemlje.

1347. die III decembris, capta: quod respondeatur ambaxatoribus nostris, missis ad dominum regem Hungarie, quod nobis placet consilium suum contentum in eorum litteris datis primo decembris, et quod secundum illud offerre debeant domino regi transitum liberum et securum per totum nostrum territorium et districtum cum gente sua, offerrentes se paratos associare eum usque extra nostrum districtum predictum, et ostendentes in verbis suis, quod postquam eos misimus ad honorandum maiestatem suam et ad dicendum ei verba benivolentie et amoris, nostre intentionis semper fuit et est, quod pertransire posset libere, ut est dictum.

Secr. cons. rogat. A. 93, u mletačkom arkivu.

LX. God. 1347. 5 prosinca, u Mletcih.

Nalaže se poslanikom izabranim, da podju k ugarskomu kralju za ugovaranje mira, neka se na put stave.

1347. die V decembris, capta: cum inter ceteras provisiones semper utilimum censeatur scire, cognoscere tempus et secundum bonam dispositionem illius facere facta sua, et dominus, qui sua benignitate cunctos actus nostros dirigit, concessit nobis tempus et locum concordandi nos cum domino rege Hungarie cum commodo et honore nostro, sicuti manifeste comprehendi potest tam per relationem nostrorum sex ambaxatorum, maxime pro bonis verbis, que habuerunt ab reverendissimo episcopo Vesprimensi, in quo consistere videtur tota intentio et consilium domini regis, quam per multos alios respectus et indicia, quia dici verisimiliter potest, quod dominus rex nos invitet et requirat ad mittendum nostram solemnem ambaxatam iam publicatam et factam: vadit pars, quod in bona gratia nostri ambaxatores solemnes facti pro eundo ad prefatum dominum regem cum ambaxata ordinata et capta per istud consilium, et cum eo etiam, quod videbitur huic consilio addendum de novo et corrigendum vel mutandum, eundo Ariminum vel Forlivium, sicut dictis nostris ambaxatoribus videbitur pro honore nostro et bono negotiorum, cum dominus rex contentus videatur de locis predictis: non transeuntibus dictis ambaxatoribus ultra dua loca predicta, et euntibus per aquam absque ducendo equos; et fiat tercius ambaxator loco ser Justiniani Justiniano, qui acceptavit capitanea-riam unionis, qui tercius habere debeat libras centum pro uno mense et deinde in antea libras centum in mense; et per dominationem operetur, quod alii duo, qui sunt facti, de isto salario similiter contententur. De parte 63, de non 24, non sinceri 10.

Capta: et statim scribatur prefato domino episcopo Vesprimensi, notificando sibi parte nostra, qualiter intelleximus per relationem nostrorum ambaxatorum verba sua super facto nostre ambaxate solemnis mictende ad dominum regem pro honore et bono utriusque partis: et regratiamur sibi de bona voluntate, quam ad hoc habere videtur. Et ideo nolentes, quod pro parte nostra tantum bonum deficiat, disposuimus mictere nostros solemnes ambaxatores ad regiam maiestatem, qui velociter se parant pro eundo ad locum, de quo idem dominus episcopus mentionem facit, videlicet Ariminum vel Forlivium. Quare specialem fiduciam gerentes de paternitate sua hoc sibi notificare voluimus, ut de hoc notitiam dare possit domino regi, et etiam nobis respondere super predictis per presentem nuncium nostrum, quam citius esse potest. De parte 86, de non 7, non sinceri 3.

Secr. cons. rogat. lib. A. 93, u mletačkom arkivu.

LXI. God. 1347. 7 prosinca, u Mletcih.

Izviešćuje se punomoćnik u Rimu i konsul u Napulju, da se šalju poslanici k ugar. kralju, te jim se nalaže, da jave, što se ob ovom veli u onih dvorovih.

1347. die VII decembris, capta: quod scribatur procuratori nostro in curia romana, quomodo ei scripsimus, quod deliberaveramus mittere nostros ambaxatores ad dominum regem Hungarie pro tractando acconcium et concordiam cum ipso rege sine lesione alicuius; postmodum scripsimus, quod

dictus rex subito et inopinate venit ad partes Foroiulii, ad quem misimus aliquos nobiles cives nostros ad honorandum et visitandum suam maiestatem. Nunc vero scribimus ei, quod dictus rex recessit de Foroiulio, et vadit ad viam suam, ad quam ambaxatores nostros, electos per nos ante suum adventum ad partes Foroiulii, deliberavinus mictere pro tractando acconcio cum eo sine lesione alicuius, ut dictum est; que volumus per dictum nostrum procuratorem exponi et informari dominum Tutellensem et dominum Gogum et alios de curia de veritate predicta, sicut ei videbitur pro honore nostro. Et quod dictus procurator nobis solicite rescribat quicquid habuerit et senserit tam a predictis dominis cardinalibus quam ab aliis, non habendo respectum ad expensas. Et similiter scribatur consuli nostro Apulie, ut informatus sit de veritate predicta.

Secr. cons. rogat. lib. A. 93, u arkivu mletačkom.

LXII. God. 1347. 10 prosinca, u Mletcih.

Naredba o odlazku poslanika k ugar. kralju.

1347. die X decembris, capta: quod ambaxatores, qui debent ire ad dominum regem Hungarie, teneantur sub pena librarum CCCC recessisse de Veneciis et sequi viam suam die mercurii proximo, antequam campana officialium, que sonat de mane, cesset, cum habetur, quod rex recessit de Verona; intelligendo, quod nuncius, missus Veronam, venerit ad dictum terminum, et quod dominus rex sit contentus, quod ambaxatores vadant, teneantur ambaxatores recedere statim, cum nuncius venerit. 40, de non 11, non sinceri 2.

Capta: quia consilium non est bene asemblatum: vadit pars, quod pro examinando et dando ordinem in commissione ambaxatorum iturorum ad dominum regem Hungarie vocetur istud consilium sub pena solidorum XX cras post nonam.

Secr. cons. rogat. A. 94, u arkivu mletačkom.

LXIII. God. 1347. 11 prosinca, u Mletcih.

Odlazak poslanika k ugar. kralju odgodjen.

1347. die XI decembris, capta: cum affectavimus hactenus, quod ambaxata nostra solicite vadat ad dominum regem Hungarie, sperantes, quod dicta ambaxata effectum et fructum concordii reportare deberet, et per relationem Marci Bono notarii nostri manifeste colligi possit, quod euntibus nostris ambaxatoribus Ariminum, sicut hic est captum, non invenirent dictum regem; et dato, quod ipsum ibi invenirent, nichil cum eo de factis nostris facere vel perficere possent propter subitum iter, ad quem idem rex videtur dispositus, et etiam possent requiri de eundo Aquilam, et sequendo dictum regem, quod esset extra nostram intentionem isto tempore; propterea vadit pars, quod pro nunc suspendeatur de mictendo ad dictum regem ambaxatam. 61.

Ser Bernardus Justinianus consiliarius: Quod ista nostra ambaxata iam publicata, et de qua data est tanta intentio domino regi, statim in bona gratia procedat et vadat cum eo, quod iam commissum est, et cum eo etiam, quod huic consilio videretur de novo committendum, eundo Ary-

minum vel Forlivium. Et si dominus rex eos requireret de eundo ad Aquilam, excusent se dicentes, quod non sunt fruniti de equis. 4.

Ser Nicolaus Leono consiliarius: Quod ambaxata vadit, ut continetur in parte ser Bernardi (Justiniano), sed si dominus rex requireret eos, quod irent ad Aquilam, fruniant se de equis et aliis neccessariis, et vadant ad Aquilam; et si eum non invenirent in Arimino vel Forlivio, tunc procurent hinc licteras securitatis, et ipsis habitis, vadant ad dictum dominum regem. 4, de non 0, non sinceri 1.

Secr. cons. rog. A. 94, u arkivu mletačkom.

LXIV. God. 1347. 18 prosinca, u Mletcih.

Naloženo knezu i komornikom pažkim, da svaka tri mjeseca sav suvišan novac od daća i drugih dohodaka u Mletke odprave.

1347. die XVIII decembris, capta: quod scribatur comiti et camerariis nostris Pagi, quod singulis tribus mensibus debeant mittere Venecias introytus et exitus dacii nostri salis et aliorum bonorum pertinencium nostro communi Veneciarum et omnes denarios superhabundantes eis, et sic iniungatur in commissionibus aliorum comitum et camerariorum nostrorum decetero iturorum, quod similiter debeant observare.

Capta: quod die iovis in mane XX mensis presentis vocetur istud consilium pro factis Sclavonie sub pena solidorum XX.

Secr. cons. rogat. lib. A. 94, u arkivu mletačkom.

LXV. God. 1347. 20 prosinca, u Mletcih.

Radi napadanja Ugra na mlet. zemlje i na one kneza Mladina, šalje se poslanik u Dalmaciju, neka razvidi stvar, i predloži, što treba za odstranjenje onoga zla; nego da opomene kneza Mladina radi šteta, koje njegovi podanici nanose Šibeničanom, a Spljećane zato, što su brod sa solju kneza Mladina ugrabili, te da mu sve povrate.

1347. die vigesimo decembris, capta: cum habeatur ex relatione ambaxatorum civitatum nostrarum Sibenici, Tragurii et Spalati ac comitis Maladini, quod ab Ungaris Ostrovice, Tinini et aliorum castrorum, subditorum domino regi Ungarie, eorum bona et territoria spolientur et derobentur, propter quod requisiverant et requirant provideri per nostrum dominium super inde pro conservatione et securitate eorum et terrarum et locorum suorum, nam aliter propter dictas derobationes, ut clare dicunt, sic permanere non possent; et pro statu nostro in partibus Sclavonie haberi provisio requiratur, ut subditi et fideles nostri terrarum nostrarum predictarum et comes Maladinus in fidelitate et devotione nostra constantes existant, et propter accessum regis Ungarie ad partes Apulee in processu temporis melius poterit provideri iuxta condiciones et nova ipsius regis, que habebuntur, consulunt sapientes, quod eligatur in isto consilio Rogatorum unus ambaxator et provisor per quatuor manus, qui vadat ad dictas terras nostras Sibenici, Tragurii et Spalati, et ad comitem Maladinum, exponendo eis pro parte nostra, qualiter per expositionem ambaxatorum suorum habuimus, quod Ungari et alii Sclavi, eis Ungaris adherentes, aliqua sua territoria derobarunt et derobare intendunt, quod multum grave et di-

splicibile nobis fuit, optantes eorum bonum et conservationem tamquam de nostris fidelibus carissimis, quos semper in omni tempore reputavimus et reputamus; propter quod intendentes ad tranquillum et statum pacificum ipsorum, et optantes informari de conditionibus ipsarum parcium Sclavonie et eorum intentionibus, ut super augmento et conservatione eorum valeamus melius provideri, providimus ad eos mittere dictum nostrum ambaxatorem et provisorem pro habendo informationem conditionum dictarum partium et de intentione eorum, quid super hoc et per quem modum per nos super securitate et bono eorum ac terrarum et locorum suorum possit salubriter provideri, ortando eos fideles nostros in fidelitate et devotione nostri dominii cum illis pulcris et ortatoriis verbis, que ei conveniencia videbuntur, et accipiendo omnem informationem, quam poterit trahi, de conditionibus ipsarum parcium, quam de intentione dictorum nostrorum fidelium et comitis Maladini, quid providendum esset per nos pro conservatione et securitate terrarum et locorum nostrorum fidelium predictorum, et totum, quicquid habuerit et fecerit, nobis debeat suis litteris denotare, non recedendo inde sine nostro speciali mandato.

Et debeat dictus ambaxator et provisor ire Jadram et Nonam, ortando fideles nostros None in fidelitate nostra, et accipiendo ibi informacionem a nostris comitibus de hiis, que ei viderentur pro securitate et conservatione nostrarum parcium Sclavonie.

Capta: et cum sit commendabile scire pertransire cum inimicis suis cum quam minori sinistro et damno fieri potest, et maxime in hoc tempore, quo bene et salubriter provideri non potest, tum propter condicionem temporis yemalis, tum quia propter progressum agendorum regis Ungarie melius videbimus providere, committatur dicto ambaxatori, quod in casu, quo videtur fieri posse treugua inter Ungaros et terras nostras predictas ac comitem Maladinum debeat cum nostris comitibus terrarum predictarum nostrarum et comite Maladino cum pluri honore nostro et bono nostrorum fidelium nostrarum parcium predictarum, quo fieri poterit, procurare, quod tractetur treugua inter ipsas terras nostras et comitem Maladinum, et Ungaros, ut dicti fideles nostri cum ipsis Ungaris usque ad tempus debitum provisionis secure valeant vivere et manere. Verum si treugua fieri non posset, et dicti fideles nostri peterent auxilium gentis nostre, debeat dictus ambaxator et provisor noster persentire et se informare a nostris comitibus civitatum ac comite Maladino, que quantitas gencium esset per nos mittenda ad dictas partes tam equitum quam peditum, et ubi apcius stare possent dicte gentes pro securitate et succursu dictarum nostrarum civitatum et earum districtuum et castrorum et locorum comitis Maladini, et quod succursum suarum gencium in hoc dicte civitates nostre et comes Maladinus exhibere possent, et de omnibus aliis se informet circa predicta, que ei videbuntur; et quicquid fecerit et habuerit super inde, nobis debeat suis litteris reserare, ortando, ut dictum est, dictos fideles nostros in fidelitate nostri dominii, et dicendo, qualiter nostre intencionis est penitus providere ad conservationem et statum pacificum eorundem.

Capta: ceterum cum dictus ambaxator erit cum comite Maladino, et quando ei videbitur, dicat ei, qualiter incessanter de eo habemus querelam et de suis subditis, quod continue derobant nostros fideles et subditos Sibenici, ac etiam mercatores et conductores rerum et victualium Sibenicum,

quod infert dictis nostri fidelibus magnum damnum, de quo, si ita est, plurimum compellimur admirari, considerantes et attendentes ad magnam fidelitatem et devotionem, quam erga nostrum dominium se habere ostendit, per quam est nobis extraneum et incredibile, quod tales derobationes ab eo procedant, cum firmiter teneamus, eum constanter optare bonum et honorum nostrum et nostrorum fidelium, quem nostrum in omnibus reputamus, requirendo et rogando eum pro parte nostra, quod suos subditos a talibus derobationibus faciat abstinere, et restituere per eos ablata dictis nostris fidelibus Sibenici, et aggravando factum, sicut pro honore nostro et bono facti viderit convenire.

Capta: et comitatur dicto ambaxatori, quod exponere debeat comiti et iudicibus Spalati, qualiter habuimus per litteras comitis Maladini, quod cum ipse comes Maladinus conduci faceret per mare de Scardona Clissam modia quinque salis, ipsi barcham et salem abstulerunt, non permittentes ipsum salem nec aliqua alia victualia portare per mare Clissam, et quod hoc nobis melestum fuit et incredibile, habito respectu, quod deberent quiete vivere et permanere cum dicto comite Maladino pro statu et conservatione eorum; et procuret, quod dictus sal restituatur dicto comiti Maladino, si ita erit, ut habemus per dictas litteras comitis Maladini; et quicquid in hoc habuerit et fecerit, nobis debeat suis litteris denotare.

Capta: et possit dictus ambaxator et provisor accipi de omni officio, exceptis procuratoribus et patronis arsenatus, et habeat de salario libras CC pro duobus mensibus, et ab inde in antea libras L in mense, et possit expendere soldos tres grossorum in die in expensis oris, et sit cum illis conditionibus et familia, quibus vadunt alii provisores Sclavonie, et non possit refutare sub pena librarum C, et teneatur respondere alia die, qua fuerit electus, et vadat ad beneplacitum dominationis cum ligno riperie Istrie usque Sibenicum, et ibi debeat licenciare dictum lignum, ut Venecias vel ad suam custodiam revertatur. De parte 66, de non 16, non sinceri 7.

Secr. cons. rog. A. 94, u arkivu mletačkom.

LXVI. God. 1347. 20 prosinca, u Mletcih.

Daje se nalog knezu zadarskomu, da pobroji ondje ljude za oružje sposobne od 16 do 70 godina; te njemu i poslaniku, da često pregledaju vojničtvo, i o stanju njegovu naposeb izvieste.

1347. die XX decembris, capta: cum faciat pro statu nostro in Jadra habere noticiam de quantitate Jadratinorum ab armis, qui in Jadra et eius districtu habitant et morantur, ut in casu, quo opus esset, providere possemus pro maiori fortificatione nostra in dicta civitate nostra Jadre: vadit pars, quod scribatur et mandetur comiti Jadre, quod diligenter inquirere faciat et in scriptis ponere, quot Jadratini habitant in Jadra et eius districtu ab annis XVI et a LXX infra valentes portare arma, et eos et eorum conditiones nobis debeat cum solicitudine suis litteris denotare, ut plenam informacionem de omnibus habeamus.

Capta: ceterum committatur dicto ambaxatori et provisoribus, quod cum comite nostro Jadre semel et pluries, ut ei videbitur debeant fieri facere monstram generalem nostrorum equitum et peditum armatorum et disarmatorum, et examinare diligenter conditionem et suficienciam ipsorum

stipendiariorum nostrorum, quam ipse ambaxator et provisor noster per se, et comes noster Jadre per se nobis debeat suis litteris declarare, ut super inde per nos valeat provideri. Electus provisor et ambaxator ser Paulus Loredano, plezius ser Johannes Lauredano.

Secr. cons. rogat. A. 95, u mletačkom arkivu.

LXVII. God. 1348. 3 siečnja, u Mletcih.

Predlog, da se neizvrši riešenje o preporuci izabranoga biskupa osorskoga rimskomu dvoru, neprima se.

1347. die tercio ianuarii. Cum foret pridie captum in isto consilio ad supplicationem presbiteri Laurencii sancti Canciani, electi episcopi Abserensis, quod scriberetur in curia romana, recommendando ipsum et iura sua etc., ut in parte super hoc capta continetur: vadit pars, per ea, que audistis et hic dicta sunt de dicto facto, quod suspendatur missio litterarum de hoc facto. 41, 41; non 35, 37; non sinceri 23, 21.

Misti XXIV. 54, u mletačkom arkivu.

LXVIII. God. 1348. 10 siečnja, u Mletcih.

Na molbu bana bosanskoga Marin Pavlović Zadranin riešava se progonstva iz Zadra.

1347. die X ianuarii, capta: cum tempore guerre, que erat inter nostrum dominium et Jadratinos, quidam Marinus Paulus de Jadra bannitus fuisset de Jadra per illos, qui tunc ipsam civitatem regebant, et ut nobis scribit noster comes Tragurii, qui hoc scivit a pluribus, dictus Marinus bannitus fuerit solummodo, quia voluit dare operam, ut aliqui Tragurini, qui tunc erant in carceribus Jadre, de dictis carceribus evaderent, et per eius operam aliqui evaserunt, et dominus banus Bosne, cuius, ut scribit, dictus Marinus fuit et est specialis servitor, dominio nostro petat de gratia, ut dictam condemnationem, contra ipsum Marinum factam, cancellari mandemus; vadit pars: quod intuitu dicti domini bani, considerata etiam causa dicte condemnationis mandetur comiti et consiliariis Jadre, quod inquirant, si dictus Marinus fuit condemnatus occasione predicta, et si invenerint, ipsum fuisse condemnatum dicta occasione, ipsam condemnationem faciant penitus cancellari, ita quod ea non obstante dictus Marinus possit ad propria remeare. Sed si aliter vel alia causa dictus Marinus foret condemnatus. rescribant nobis, quicquid invenerint.

Secr. cons. rogat. lib. A. 95, u arkivu mletačkom.

LXIX. God. 1348. 10 siečnja, u Mletcih.

Njekomu plemiću iz Ugarske dozvoljeno, da s družinom prodje kroz mletačke zemlje.

1347. die X ianuarii, capta: quod lictere securitatis fiant pro isto nobili de Hungaria, qui venit de Aquila et est infirmus, et vadit in Hungaria, quod libere possit transire per Venetias et per partes Tervisanas cum sua comitiva, videlicet cum circa XX ad equum, et habeat terminum in licteris de XV diebus.

Misti XXIV 55, u arkivu mletačkom.

LXX. God. 1348. 17 siečnja, u Mletcih.

Usljed prošnje posedarskih knezova bojećih se, da njihov grad nepadne u ugarske ruke, nalaže se poslaniku u Dalmaciji, neka ga razvidi, i predloži, što mu za obranu treba.

1347. indictione prima, die XVII ianuarii, capta: cum comes Petrus Possedarie pro se et fratribus suis venerit ad presentiam nostram pro facto castri sui Possedarie, quod, si perveniret ad manus Hungarorum, redundaret in damnum et preiudicium fidelium nostrorum tam Jadre quam None, sicut audistis per litteras comitis None, et sicut ipse comes None nobis fecit exponi per suum ambaxatorem, et dictus comes Petrus petat a nobis aliqua, super quibus bonum est providere: vadit pars, quod scribatur ser Paulo Lauredano ambaxatori ad partes Sclavonie, significando sibi ea, que dicti comites Possedarie dicunt et petunt, et quod eundo personaliter ad dictum castrum, examinet factum de inde, videlicet condicionem castri Possedarie et dictorum comitum, et omnia, que in dicto facto fuerint opportuna pro informatione nostra, rescribendo nobis velociter, quecumque invenerit, et suum consilium; scribendo nichilominus comiti et consilio Jadre ac comiti None, quod ipsi per se, non recedentes propterea de locis suorum regiminum, examinent dictum factum, rescribentes nobis quicquid invenerint, et suum consilium. Et quia dictus comes Petrus est pauper, et non habet, unde possit sibi facere expensas, ymo huc venerit ad expensas communis None, provideatur sibi de ducatis viginti, ut bonam causam habeat standi interim hic.

Secr. cons. rogat. A. 95, u arkivu mletačkom.

LXXI. God. 1348. 17 siečnja, u Mletcih.

Odredjuje se poslati nješto vojske u Nin i u Zadar, te se ondješnjim vojnikom plaća diže.

1347. die XVII ianuarii. Sapientes Sclavonie. Capta: cum, sicut scribit comes et capitaneus noster Jadre, stipendiarii nostri Jadre et maxime pedites, propter inmensam caritudinem et parvum stipendium, quod habent, pervenerint ad extremam conditionem, adeo, quod non reperirentur sufficientes ad servicium nostrum; et comes etiam None scripserit et exponi fecerit per suum ambaxatorem, quod terra None custodiri non potest absque duabus banderiis peditum propter paucitatem hominum, qui ibi remanserunt, cum bene quarta pars illorum de Nona ob paupertatem reliquerint civitatem sic, quod porte ad custodiam sufficienter fruniri non possunt: vadit pars, ut in omnibus salubre remedium apponatur, quod de hinc soldizentur octo banderie peditum cum illo soldo, quod videbitur domino, consiliariis, capitibus et sapientibus usque ad libras octo parvorum pro quolibet et inde infra; quarum due mictantur Nonam, que ibi continue usque ad beneplacitum nostrum stent ad omnem obedientiam et mandatum comitis None; alie vero sex mictantur Jadram, scribendo comiti, quod cassare debeat tot de stipendiariis peditibus de inde minus sufficientibus, qui sint ad numerum dictarum sex banderiarum. Item quod propter caritudinem, que est in Jadra, provideatur omnibus stipendiariis peditibus Jadre

de illo soldo, quod habebunt illi, qui accipientur de novo, et hoc usque ad beneplacitum nostrum.

Secr. cons. rogatorum lib. A. 95, u arkivu mletačkom.

LXXII. God. 1348. 20 siečnja, u Mletcih.

Dozvoljeno knezu šibeničkomu, da ga državne galije u Šibenik privezu.

1247. die XX ianuarii, capta: quod fiat gratia viro nobili Marco Dandulo ituro comiti Sybenici, quod cum suis dominabus, familia et levibus arnesiis levetur super galeis nostris unionis, et portetur ubi videbitur capitaneo pro maiori comoditate dicti Marci, non sinistrando propterea iter armate sue. Et si consilium etc.

Misti knj. XXIV. 58, u arkivu mletačkom.

LXXIII. God. 1348. 27 siečnja, u Mletcih.

Izabran odbor petorice, neka razvidi stvari tičuće se ugarskoga kralja ne samo u Hrvatskoj, nego i u svih drugih stranah toliko na moru koliko na kopnu.

1347. die XXVII ianuarii, capta: si videtur vobis de confirmando illos tres sapientes, qui alias facti fuerunt pro factis Sclavonie, per totum mensem februarii proximum. Capta prima, quod confirmentur 47, de non 42, non sinceri 2.

Capta: quod ista negocia regis Hungarie magna et ardua sint, que sic stricte tangunt statum nostrum a multis partibus, et neccessarium sit super ipsis bonam et salubrem provisionem habere: vadit pars, quod eligantur quinque sapientes per tres manus electionum in isto consilio pro factis dicti regis et super omnibus, que spectare possent ad statum nostrum occasione dicti regis tam in Sclavonia, quam in omnibus aliis partibus atque locis tam per mare quam per terram, qui examinent et dent nobis suum consilium in scriptis, cum quo erimus hic, et fiet, sicut videbitur; et quilibet possit ponere partem; et teneantur convenire et esse insimul ad examinandum et conferrendum simul tribus diebus in ebdomada ad minus in mane vel post prandium, et tanto plus, quantum eis videbitur et eis erit commissum per dominium; et habeant terminum per totum mensem februarii proximum, et possint accipi de omni loco; et quotiens voluerint istud consilium, detur eis, et clametur omni vice sub pena solidorum X.

Sapientes: ser Marcus Justiniano, ser Andreas Mauroceno miles, ser Benedictus de Molino, ser Marcus Lauredano, ser Nicolaus Leono.

Item per eundem modum eligantur duo sapientes apud illos tres primos, qui sunt confirmati, ita quod sint etiam quinque sapientes, qui examinare debebunt similiter dicta facta regis Hungarie cum illa libertate et condicionibus omnibus, quibus dictum est supra de aliis quinque sapientibus, intelligendo, quod utraque manus dictorum sapientum faciat poni per se suum consilium in scriptis, cum qua erimus hic, et fiet, sicut videbitur, et incipiant omnes dicti sapientes ad kalendas februarii proximi.

Sapientes: ser Frescus Quirino, ser Johannes Mauroceno Bazeda.

Alii tres sunt: ser Petrus de Canali, ser Superantius Superantio et ser Marcus Fuscareno, ser Johannes Sanuto sancti Cassani.

Secr. cons. rogat. lib. A. 95, u arkivu mletačkom.

LXXIV. God. 1348. 3 veljače, u Mletcih.

Odgovara se Mastinu gospodaru Milana, da se rado prima njegovo posriedovanje za mir sa ugarskim kraljem.

1347. die III februarii. Dominus, consiliarii, capita, sapientes. Capta: quod respondeatur domino Mastino, quod intelleximus ea, que nobis exponi fecit per nuncium suum de interponendo se, quando nobis placeret, in tractando amicabilem concordium inter dominum regem Hungarie et nos; et licet pro parte nostra nulla sit causa discordie, tamen in tractando amicabilem concordiam huiusmodi sua oblatio nobis et communitati nostre valde placuit, et illam, quantum possumus, habemus ad amorem et bonum; regratiantes ex hoc plurimum magnificentie sue, ac firmiter cognoscentes esse manifestum signum vere dilectionis, quam gerit ad nostrum dominium in volendo se operari in iis, que spectare possint ad statum et honorem nostrum. Et quamvis ad conservationem status et honoris sui essemus sincera affectione dispositi, tamen adhuc magnificentia sua nobis ob id reddidit promptiores. Unde considerato antiquo et naturali amore, quem nos et predecessores nostri semper gessimus ad ipsum et domum suam, attenta etiam optima dispositione, quam in ipso clare conspicimus, plene confidimus de magnitudine sua tanquam de quolibet magis caro magisque intimo amico nostri dominii, tenentes pro constanti, quod quelibet nostra agenda, que transirent per manus suas, favorabiliter tractarentur et fierent cum honore nostro, quem potest proprium reputare. Habentes itaque respectum ad predicta, benivolentiam oblationemque suam predictam affectuosius acceptamus. Verum amicitiam suam volumus non latere, quod alias obtulimus, et dici fecimus prefato domino regi de mictendo eidem nostram solemnem ambaxatam pro honore sue maiestatis et nostro, quam expedire et mictere intendimus ad eundem, et cum parata fuerit, id magnitudini sue notificare curabimus, ut in favorem et bonum agendorum nostrorum operari et procurare possit, sicut de magnificentia sua confidimus et speramus. 66.

Quod respondeatur domino Mastino per nuncium proprium dominii, in effectu eorum, que continentur in parte predicta. 37, de non 0, non sinceri 3.

Secr. cons. rogat. A. 96, u mletačkom arkivu.

LXXV. God. 1348. 3 veljače, u Mletcih.

Poslanici, odredjeni za Ugarsku, te se službe riešavaju.

1347. die III februarii. Si videtur vobis, quod ambaxatores, alias facti pro eundo ad dominum regem Hungarie, sint extra ambaxatas, vel durent adhuc ambaxatores. Capta prima, quod spiraverint; secunda, quod durent adhuc ambaxatores 11; tercia non sinceri 0.

Secr. cons. rogat. A. 96, u arkivu mletačkom.

LXXVI. God. 1348. 10 veljače, u Mletcih.

Odgodjeno riešenje njekoga važnoga posla.

1347. die X februarii. Si videtur vobis, quod ista negotia, que sunt tam ardua, ut clarius in eis procedi possit, inducientur usque ad diem

iovis proximum post nonam, qua die et hora vocetur istud consilium sub pena solidorum XX, et si ante habebuntur nova, ante venietur ad istud consilium vel non.

Capta prima, quod inducietur per modum predictum 59; secunda quod non 20, tercia non sinceri 5.

Secr. cons. rog. lib. A. 96, u arkivu mletačkom.

LXXVII. God. 1348. 11 veljače, u Mletcih.

Dva zadarska bjegunca pozvana, da se za 15 dana u Mletke povrate.

1347. die XI februarii, capta: cum isti duo Jadratini Radi de Varichassis et Marinus de Grisogonis aufugerint de Veneciis, fractis confiniis: vadit pars, quod ipsi clamentur, quod infra XV dies debeant comparere corum nobis, alioquin, elapso termino, venietur huc, et fiet, sicut videbitur.

Misti XXIV. 63, u mletačkom arkivu.

LXXVIII. God. 1348. 12 veljače, u Mletcih.

Poslaniku Mastina izkazuje se zahvala na ponude učinjene u ime njegova gospodara.

1347. die XII mensis februarii, capta: cum captum fuerit heri in isto consilio de induciendo ista negocia usque ad diem iovis proximum post nonam, ut clarius posset in eis procedi, per quam induciam cum nichil certum adhuc exprimi possit in hoc: vadit pars, quod respondeatur nuncio domini Mastini, regraciando sibi de eo, quod nobis notificari et exponi fecit, quod procedit ex maxima affectione, quam cognoscimus eum habere erga statum nostrum, quem suum proprium potest reputare, et loco et tempore clarius super hiis negociis nostram intentionem ei aperiemus tamquam intimo et amico nostro specialissimo, de quo specialem confidenciam gerimus, quod agenda nostra et communis nostri habet et habebit omni tempore more suorum favorabiliter commendata, cum hiis et aliis verbis pulcris, que dominio videbuntur. Non 2, non sinceri 0, alii de parte.

Secr. cons. rog. A. 96, u mletačkom arkivu.

LXXIX. God. 1348. 14 veljače, u Mletcih.

Riešenje posla glede ugar. kralja odgodjeno.

1347. die XIV februarii, capta: quod inducientur hec negocia usque ad diem lune proximum post nonam, quo die et hora vocabitur istud consilium sub pena solidorum viginti; et si ante venirent nova, per que videretur de veniendo ante ad consilium, ante veniri poterit, et fieri, sicut videbitur. 53.

Cum habeamus multa agere cum domino rege Hungarie tam pro factis Sclavonie, quam pro consule et mercatoribus nostris, qui utuntur in Apulea, et omnibus consideratis, faciat pro statu nostro in omni parte scire, qualiter vivere debemus cum ipso rege, et videatur predictis ponentibus partem esse bonum et utile mictere ambaxatam ipsi regi: vadit pars, quod ex nunc sit captum de mictendo ambaxatam. 50, non sinceri 2.

Secr. cons. rog. A. 96, u mletačkom arkivu.

LXXX. God. 1348. 14 veljače, u Mletcih.

O straži kneza Dujnskoga u Mletke dovedena.

1347. die 14 februarii, capta: quia comes Dujni, quem secundum nostrum mandatum huc misit noster capitaneus pasynatici, conservetur in sancto Georgio, stando reclusus in una camera, et sex ex custodibus dominorum de nocte et capitum sexteriorum ad mudam stare continue debeant in camera, in qua dictus comes stabit, et barca dominorum de nocte stet continue de nocte et de die circum moy, custodiendo sicut erit expediens. Et hec comitatur dominis de nocte et capitibus sexteriorum, quod, faciendo ad mudam, adimplere debeant predicta, ita quod bene custodiatur.

Misti, XXIV. 63, u arkivu mletačkom.

LXXXI. God. 1348. 15 veljače, u Mletcih.

O izaslanju poslanika k ugar.-hrv. kralju.

1347. die XV februarii, capta: quia sicut amodo quisque considerare potest, non est tempus induciandi amplius in factis nostris, et pro nobis faciat scire, qualiter vivere debemus cum domino rege Hungarie, et inter alias provisiones utile sit facere famam et vocem de mittendo nostram ambaxiatam etiam pro salute et conservatione consulis et mercatorum nostrorum, qui sunt in partibus Apulee cum eorum bonis non absque periculo evidenti: vadit pars, quod ex nunc sit captum de mictendo ambaxiatam ipsi regi, sed ambaxatores ibunt sicut et quando videbitur huic consilio. 36, de non 36, non sinceri 3.

Capta: quod alia facta inducientur usque ad diem lune proximum post nonam, quo die et hora vocabitur istud consilium sub pena solidorum XX. 61.

Ser Donatus Arymundo consiliarius, ser Manus Bragadino sapiens: quod mictatur aliqua persona sufficiens, que videbitur domino, consiliariis et capitibus et utrique manui sapientum vel maiori parti ad dominum regem Hungarie per illum modum et cum illis verbis, que dicto collegio videbuntur pro habendo licteras securitatis, per quas nostri ambaxatores secure possint accedere ad eumdem. 46, non sinceri 1, de non 0.

Secr. cons. rog. A. 96, u mlet. arkivu.

LXXXII. God. 1348. 18 veljače, u Mletcih.

Odredjeno njekoga odpremiti k ugar.-hrv. kralju, da od njega dobije listove za sjegurni prolaz poslanstva, koje mu se kani upraviti.

1347. die XVIII februarii, capta: quod mictatur una persona vel plures, sicut videbitur domino, consiliariis, sapientibus et utrique manui sapientum vel maiori parti ad dominum regem Hungarie per illum modum et cum illis verbis, que videbuntur dicto collegio pro habendo licteras securitatis, per quas nostri ambaxatores secure accedere possint ad eum, non stando propterea de procedendo in mictendo ambaxiatores, et faciendo alia opportuna. Non sinceri 2, de non 5, omnes alii de parte.

Secr. cons. rog. lib. A. 97, u mletačkom arkivu.

LXXXIII. God. 1348. 15 veljače, u Napulu.

Ljudevit ugar.-hrv. kralj izdaje listove sjegurnosti za mletačke k njemu dolazeće poslanike.

Exemplum quorundam litterarum domini regis Hungarie pro securitate nostrorum ambaxatorum missorum ad dominum regem. Ludovicus dei gratia Hungarie, Jerusalem et Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue, Dalmacie, Chroacie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex etc. illustri domino Andree Dandulo, dei gratia duci Veneciarum, salutem et gratiam. A serenitate nostra pro parte vestra et civitatis Veneciarum devote extitit et humiliter postulatum, quod ambaxatoribus vestris ad maiestatem nostram venturis securitatem et fiduciam exhibere dignaremur. Nos igitur postulationi excellencie vestre, ut premittitur, facte annuere benigne et gratiose volentes, ambaxatoribus vestris ad serenitatem nostram venturis, et eorum familiaribus et rebus, tam in veniendo huc ad nos quam hinc recedendo per totum regnum nostrum, tenore presentium, plenam licentiam et securitatem concedimus, presentibus usque per totum mensem maii proxime futuri tantumodo valituras.

Datum Neapoli in nostro regio castro novo die quintodecimo mensis februarii, sub anno nativitatis domini nostri Jesu Christi millesimo trecentesimo quadragesimo octavo, prime indictionis, regnorum nostrorum Hungarie anno sexto, Jerusalem et Sicilie anno primo.

Commemorialium IV. 118, u mletačkom arkivu.

LXXXIV. God. 1338. 18 veljače, u Mletcih.

Dozvoljava se banu bosanskomu, da iz Mletaka nješto oružja izveze.

1347. die 18 februarii, capta: quod quidam comes Gregorius Goysclavich, voyvoda domini bani Bosne, de quo nobis scribit comes noster Tragurii, possit extrahere tot arma de Venetiis, que valeant ducatos centum, solvendo datium nostri communis.

Misti XXIV. 63, u mletačkom arkivu.

LXXXV. God. 1348. 18 veljače, u Mletcih.

Prima se, da se izabere poslanstvo na ugar.-hrv. kralja, koje će se s njim o miru dogovarati.

1347. die XVIII februarii, capta: quod in Christi nomine fiant tres ambaxatores solepnes ad dominum regem Hungarie, eligendo tres per scrutinium in consilio rogatorum et tres per duas manus electionum in maiori consilio, et qui habuerint plures ballottas, habendo maiorem partem consilii, sint firmi; et possint accipi de omni loco et officio existente in civitate Ri.oalti, non perdendo regimen vel officium, si officium esset continuum, et habeant de salario libras trecentas pro quolibet in primis tribus mensibus, et inde in antea libras quinquaginta in mense pro quolibet; et teneantur respondere infra octo dies postquam erunt electi, et ire ad beneplacitum dominii; et non possint refutare sub pena librarum quatuorcentum pro quolibet, et huic pene subiaceat quilibet, qui exivisset de terra ab octo diebus citra, et alii etiam, qui ante essent extra terram, et sibi

notificatum fuerit per nuncium dominii infra dictum terminum; non intelligendo in hoc nostros rectores, qui recessissent de Venetiis pro eundo ad sua regimina, et habeant unum notarium cum famulo, unum interpretem, unum expensatorem, unum narescalcum, unum cochum, subtus cochum et sex domicellos pro quolibet, et possint expendere per modum, quo alii nostri ambaxatores solepnes soliti ire ad creationem domini pape; et si dicti ambaxatores ibunt per terram, habeant duos equos pro quolibet pro suo equitare et equos et sarcinas necessarios et necessarias pro familia et rebus suis. De parte 59, non sinceri 0, de non 0.

Ambe manus sapientum: quod eligantur et mittantur dicti tres ambaxatores per modum supra contentum, salvo quod non possint refutare sub pena librarum ducentarum. 31.

Sapientes predicti. Capta: quod si galee ibunt hac nocte, vocetur crastina die istud consilium rogatorum sub pena solidorum XX pro complendo ea, que restant de ista ambaxata; et si non recederent, vocetur die mercurii sub pena predicta pro dictis factis.

Dominus, consiliarii, capita, sapientes. Capta: quod ambaxatores ituri ad dominum regem Hungarie exponant ambaxatam quantum in isto introytu cum illis verbis, que videbuntur domino, consiliariis et capitibus et ambabus manibus sapientum vel maiori parti, accipiendo de verbis scriptis per utramque manum sapientum.

Capta: intelligendo, quod nostri ambaxatores faciant hunc introitum, et dicant hec verba primo persone proprie domini regis, et ad hoc faciant posse suum. Sed si dominus rex diceret vel dici faceret, quod aliis occupatus, eos personaliter non posset vel nollet audire, et vellet eis dare tractatores, et non sit bonum per hanc cansam recedere ab eo sine concordio, nostri ambaxatores videntes, quod aliter esse non posset, finaliter de dictis tractatoribus sint contenti. De parte 56.

Ser Marcus Lauredano, ser Marcus Justiniano, ser Benedictus de Molino: exposito primo introitu ambaxate persone proprie domini regis, possint nostri ambaxatores sive requirentur pro parte dicti regis vel non, ubi, sicut et quando eis vel maiori parti eorum videbitur, et per illum pulcriorem, decentiorem et aptiorem modum, qui eis vel maiori parti videbitur pro honore nostro et bono negotiorum nostrorum, venire et esse super factis Sclavonie, super quibus tractent et procurent, sustinendo et defendendo iura nostra, ut inferius distinguetur. Verum si idem dominus rex recusaret personaliter audire nostros ambaxatores, et vellet eis dare tractatores, remaneat in discretione nostrorum ambaxatorum vel maioris partis esse cum dictis tractatoribus, sicut eis vel maiori parti pro bono negotiorum videbitur. De parte 47, de non 2, non sinceri 3.

Secr. cons. rog. A. 97, u mletačkom arkivu.

LXXXVI. God. 1348. 22 veljače, u Mletcih.

Naputak za poslanike odlazeće k ugar.-hrv. kralju.

1347. die XXII februarii. Ser Marcus Lauredanus sapiens: quod propter nova, que huc pervenerunt, utque clare procedatur in factis, indu-

cientur hec negotia usque ad diem lune proximam post nonam, et si ante habuerimus nova, ante venietur ad consilium 44, de non 53, non sinceri 4.

Sapientes etc. volunt per totum ut infra, salvo quod possint promittere inter regem et barones ducatos centum mille ut infra.

Capta: si autem ipse rex diceret, quod quatuor civitates Dalmatie, quas tenemur, scilicet Spaletum, Tragurium, Sybenicum et Nona, sunt sue, dicant, quod iam multo tempore elapso invenimus ipsas in maxima desolatione et pessimo statu propter continuas incursiones et derobationes, que sibi fiebant a Sclavis et aliis, et sic ipse de sua plena libertate et voluntate se sponte nostro dominio submiserunt. Nos autem attendentes, quod antiquissimo tempore predecessores nostri dominium et titulum habuerunt in illis, possedimus eas ultra XXV annos, ipsasque conservavimus et conservamus cum magnis expensis in protectione nostra cum magno bono et augumento status eorum. Et predecessores sui et bone memorie condam dominus genitor suus nunquam de eis nobis aliquid dixerunt, sed semper nobiscum amicabiliter vixerunt; unde rogamus, ut sue maiestati placeat nobiscum more suorum progenitorum pertransire. Si vero dominus rex perseveraret in dicendo, quod ius habet in civitatibus Dalmatie, quas tenemus, et quod contentatur de stando cognitioni et iudicio aliquorum ex principibus mundi, dicant quod nos optamus procedere cum sua maiestate per illum habiliorem et expeditiorem modum, qui, vitatis quibuslibet disputationibus et cavilationibus, inducere habeant et conservare amorem pristinum inter partes; et licet in iure nostro plenissime confidamus, tamen quia deducere iura per aliquem modum cause seu iudicii posset trahere verisimiliter factum in longum, et generare confusionem inter partes, que tam benevolum et purum amorem affectant, credimus esse melius et magis consonum utrique parti, ne tantum bonum aliqualiter retardetur, ut statim bona pax et concordia amicabiliter et domestice fiat per modum alicuius bone compositionis et amicabilis tractatus; et in hoc casu possint ambaxatores componere per modum infrascriptum. Et quia de providentia nostrorum ambaxatorum possumus plenarie confidere, sit in eorum discretione incipere ab illo capitulo de infrascriptis, quod eis melius videbitur pro honore nostro et bono facti. Modus autem est iste: quod remittente domino rege et transferente in nos statim libere et expedite absque ulla conditione in perpetuum omnia iura, que haberet vel diceret habere in dictis quatuor civitatibus et generaliter in aliis civitatibus et locis Dalmatie, quas tenemus cum pertinentiis earundem, possint ambaxatores promittere inter regem et barones ducatos sexaginta mille vel inde infra quam minus poterunt, facientes hoc predicto domino rege pro se et successoribus suis nobis et successoribus nostris per modum transactionis, vel omnem alium modum magis tutum cum cautellis et renuntiationibus opportunis, de consilio sapientum; cum sapientes iuris dicant, quod de iure hoc fieri potest cum securitate nostra. De parte 44, 52; de non 24; non sinceri 8.

Domini, consiliarii, capita, et ambe manus sapientum. Capta: si autem dominus rex non contentaretur, nobis dimictere sic absolute dictas quatuor civitates, sed potius vellet aliquid annuatim; et foret contentus, quod ipse quatuor civitates nobis perpetuo et libere remanerent, dimictendo in nobis omnia iura, que haberet seu diceret habere in eis, possint nostri promittere pro ista transactione et concordio ducatos tres mille annuatim, et ducatos

octomille baronibus semel tantum vel minus dictis quantitatibus, si poterunt, dummodo hoc non fiat per modum feudi neque dationis seu subiectionis, nec per alium modum, qui possit preiudicare nobis et titulo nostro; cum sapientes iuris dicant, hoc fieri posse de iure absque preiudicio nostro; intelligendo, quod in omni casu rex renunciet et dimittat in nobis perpetuo et libere omnia iura, que diceret seu posset habere in omnibus aliis civitatibus et locis Dalmatie, quas tenemus. De non 5, non sinceri 2, omnes alii de parte.

Secr. cons. rogat. lib. A. 98, u arkivu mletačkom.

LXXXVII. God. 1348. 25 veljače, u Mletcih.

Obzirom na viesti, koje su dolazile o kralju ugar.-hrv., odredjuje se oboružanje galija za sigurnost mora i Zadra.

1347. die XXV februarii, capta: quod in bona gratia procedatur et eligantur tres ambaxatores ad dominum regem Hungarie, sicut est captum, cum illa commissione, que usque nunc capta est in isto consilio, et cum illo, quod isti consilio videretur de cetero dictis ambaxatoribus committendum.

Capta: cum per nova et signa, que habentur de isto rege Hungarie pro nobis faciat habere bonam custodiam in mari: vadit pars, quod ad custodiam culphi et Romanie armentur galee VIII de illis mensuris, que videbuntur, quibus fiant capitanei septem et tres supracomiti per modum et cum salario, commissione et condicionibus omnibus, quibus fuerunt anno elapso. 65, de non 0, non sinceri 0.

Capta: quod dominus, consiliarii, capita, et ambe manus sapientum per maiorem partem eorum habeant libertatem providendi circa securitatem civitates nostre Jadre, sicut pro honore nostro et conservatione status nostri in dicta civitate videbitur melius, que libertas duret usque ad XV dies. 68.

Capta: quod pro custodia et securitate terre nostre Jadre soldizentur solicite banderie sex equitum, in quibus sint quamplures balistarii poterunt, que quam citius fieri poterit mittantur Jadram: et scribatur comiti Jadre, quod procuret et studeat, quod loboreria solicite compleantur, et quod de dicta terra habeat et haberi faciat bonam custodiam atque curam, sicut de eo plene confidimus, scribendo continue nobis conditionem dicte terre, et quecunque sibi viderentur fienda pro honore nostro et conservatione terre predicte. 27, de non 7, non sinceri 1.

Capta: quod terminus sapientum utriusque manus pro factis regis Hungarie elongetur per totum mensem marcii proxime venturum.

Secr. cons. rog. A. 98, u arkivu mletačkom.

LXXXVIII. God. 1348. 27 veljače, u Mletcih.

Umoljava se po poslaniku ugar.-hrv. kraljica, neka nastoji, da se njezin sin kralj Ljudevit sa republikom pomiri. Odpremljen bilježnik Amadeo u Rim, da u tom poslu odanle izviešćuje.

1347. die XXVII februarii. Ser Marcus Bragadinus caput de LX. Capta: utile est et commendabile valde perquirere per omnem modum et viam de inveniendo favorem in factis nostris tam arduis, que habemus fa-

cere cum rege Hungarie. Et quia inter cetera favor domine regine nobis verisimiliter prodesse debet, quam sperare possumus invenire dispositam ad omne bonum pro gratis servitiis sibi impensis: vadit pars, quod mictatur eidem domine regine per illum modum et cum illis verbis, que videbuntur domino, consiliariis, capitibus et ambabus manibus sapientum vel maiori parti huius collegii ad procurandum, quod cum mictamus nostros solemnes et honorabiles ambaxiatores ad serenissimum dominum regem Hungarie filium suum ad congaudendum de sua excellenti et gloriosa victoria et triumpho digne obtentis in regno Jerusalem et Sicilie, et ad exponendum ei, quomodo nos et nostra communitas intendimus, sicut semper fecimus habere ad suam maiestatem specialem devotionem et amorem, et secum vivere in quiete, placeat dicte domine regine interponere partes suas, ut eius filius dominus rex Hungarie velit nos habere pro amicis intimis et devotis, sicut predecessores retroactis temporibus habuerunt; non intelligendo propterea, quod mictatur aliquis de maiori consilio. De non 17, non sinceri 4.

Capta: quod mictatur Amadeus notarius curie ad curiam romanam, qui poterit esse utilis et fructuosus nobis pro informacione nostra in omnibus factis nostris Sclavonie, cum per omnes verisimiliter credi debebit, quod vadat pro factis Cavolani. 76, de non 18, non sinceri 5.

Secr. cons. rog. A. 98, u arkivu mletačkom.

LXXXIX. God. 1348. 3 ožujka, u Mletcih.

Daje se nalog poslanikom, idućim k ugar.-hrv. kralju, da se na put stave.

1348. die tercio mensis marcii, capta: cum sicut habetur per litteras de Neapoli dominus rex Hungarie iam concesserit litteras securitatis pro nostris ambaxatoribus mittendis ad eum, et ob hoc expediens non sit differre ad expectandum responsionem nuntiorum nostrorum missorum pro litteris securitatis predicte, et utile sit pluribus respectibus solicitare recessum ambaxatorum nostrorum: vadit pars, quod dicti ambaxatores teneantur recedere in bona gratia de Veneciis per totam diem lune proximam subsequenter, et prosequi cum omni diligencia et studio iter suum; qui nostri ambaxatores vadant cum duobus nostris lignis Marchie et Istrie, que ligna interim reforzentur et furniantur XL bonis hominibus et duobus bonis comitis et duobus bonis patronis inter ambo, ut sint bene armata, pro quibus lignis statim mittantur, ut Venecias veniant. 46.

Capta: quod die sabbati proxima in mane vocetur istud consilium sub pena solidorum XX pro resto commissionis ambaxatorum nostrorum, et statim in hoc consilio eligantur illi sapientes, qui restant.

Capta: quod secundum partem pridie captam in isto consilio mittatur ad significandum domino Martino dela Scala de missione nostrorum ambaxatorum cum illis verbis, que domino, consiliariis, capitibus et ambabus manibus sapientum vel maiori parti videbuntur.

Electi sapientes ser Andreas Superantio, ser Pangracius Justiniano, pro factis Sclavonie.

Secr. cons. rogat. lib. A. 99, u arkivu mletačkom.

XC. God. 1348. 3 ožujka, u Mletcih.

Ovlašćuju se poslanici, idući k ugar.-hrv. kralju, da uzmu u zajam u javno ime onoliko novca, koliko bi jim trebovati moglo.

In Christi nomine amen, anno nativitatis eiusdem millesimo trecentesimo quadragesimo octavo, indictione prima, die tercio mensis marcii, in ducali palacio Venetiarum presentibus sapiente viro domino Nicolao Pistorino ducatus Venetiarum cancellario, ac prudentibus viris ser Andrea de Capite aggeris, ser Stephano de Franchino, ser Guidone Civrano, dicti ducatus scribis et aliis ad hec vocatis testibus et rogatis. Pateat omnibus evidenter, quod nos Andreas Dandulo dei gratia Venetiarum, Dalmatie atque Chroacie dux, dominus quarte partis et dimidie totius imperii Romanie committimus vobis nobilibus viris Marco Justiniano, Andree Mauroceno et Nicolao Gradonico, ambaxatoribus nostris ituris ad serenissimum dominum Ludovicum dei gratia Hungarie, Jerusalem et Sicilie regem, et plenam virtutem et potestatem vobis damus tenore presentium accipiendo mutuo super nostrum commune ab omni persona tam veneta quam forensis ad quam meliorem presam poteritis pro nostro communi omnem pecunie quantitatem, que vobis neccessaria fuerit pro vestris expensis in ambaxata predicta, ac promittendi nomine nostri communis, quod ipsam pecunie quantitatem, quam propterea acciperetis, dari et restitui faciemus creditoribus seu nuntiis eorum de peccunia nostri communis infra illud tempus et terminum, quod seu quem per vos fuerit ordinatum, ac promissiones, obligationes, renuntiationes et securitates faciendi omnes et quaslibet, que in predictis et circa predicta fuerint opportuna; et promittimus firmum, ratum et gratum perpetuo habere ac servare et adimplere totum id, quod per vos factum fuerit et promissum in predictis et quolibet predictorum et non contrafacere vel venire de iure vel de facto sub obligatione bonorum omnium communis Venetiarum presentium et futurorum. In cuius rei fidem et evidentiam pleniorem presens instrumentum fieri iussimus per Nicolinum de Fraganesco nostri ducatus notarium, et bulla nostra plumbea communiri.

L. S. Ego Nicolinus de Fraganesco imperiali auctoritate notarius et ducatus Venetiarum scriba predictis omnibus et singulis interfui, et in publicam formam redegi.

Izvornik na pergameni u arkivu mletačkom.

XCI. God. 1348. 8 ožujka, u Mletcih.

Dalje o naputku za poslanike odlazeće k ugar.-hrv. kralju.

1348. die VIII martii, capta: quod si dicti nostri ambaxatores obtinere non possent nostram intentionem per aliquem dictorum modorum, et quod rex diceret, quod contentatur pocius de stando cognitioni et iuditio aliquorum ex principibus mundi, et ultra hoc peteret et requireret aliquod locum, quia periculosum esset ita cito et sine aliquo respectu ad submittendum nos iudicio aliquorum, tunc dicti ambaxatores prudenter et caute, sicut eis videbitur, audiant, quicquid ipsis peteretur, et sentiant et trahant quicquid poterunt tam de finali intentione dicti domini regis et suorum supra premissis, quam de omnibus aliis, que viderentur spectare et pertinere honori nostro et bono negotiorum, et quicquid senserint et habuerint,

velłociter nobis scribant, et suum consilium et nostrum expectent mandatum. 57.

Secr. cons. rogat. lib. A. 99, u arkivu mletačkom.

XCII. God. 1348. 8 ožujka, u Mletcih.

Dalje o naputku za iste poslanike.

1348. die VIII mensis marcii. Ser Bernardus Justinianus consiliarius, capta: cum faciat pro nobis conservari pacificum statum nostrum et invenire viam, per quam possimus transire in quiete cum domino rege Hungarie: vadit pars ne id, quod agendum est, producatur in moram, que multis rationibus et considerationibus possit nobis et factis nostris esse dannosa, quod in christi nomine committatur nostris ambaxatoribus, qui quando melius facere vel obtinere non possent, si dominus rex prefactus foret contentus de dando nobis civitates Tragurii, Sibenici, Spaleti et None ad censum, ipsi ambaxatores nostri eas debeant ab ipso nomine nostro recipere ad censum per illam meliorem et utiliorem viam, que videbitur eis, promittendo eidem domino regi pro censu predicto illud quod eisdem ambaxatoribus videbitur convenire. Intelligendo semper, quod hoc faciant in casu quo finaliter aliam meliorem vel honorabiliorem viam pro nobis cum domino rege invenire seu obtinere non possent. C. Et si dictus dominus rex de hoc non esset contentus, sed omnino vellet terras predictas, ne tantum bonum remaneat imperfectum, attento, quod dictas civitates habuimus salvis iuribus dicti domini regis, atque considerato, quod ipsas civitates de iure non possemus tenere in casu quo ius nostrum cum iure dicti domini regis discuti et videri debetur, committatur eisdem ambaxatoribus, quod fortificantes in quantum poterunt iura nostra, dicant dicto domino regi, quod dictas terras non tenebamus nec acceperamus aviditate dominii nec occasione usurpandi raciones alienas, sed quia iam XX annis elapsis dicte civitates erant in pessimo statu et malis et iniquis vicinitatibus circumdate, ipse civitates et habitatores, considerata desolatione eorum suo proprio motu ad nos venerunt humiliter supplicantes, quatenus eos sub nostro dominio, conservatione et gubernatione recipi dignaremur, et quod aliter erant in statu desolationis extreme, quorum supplicationibus benignius inclinati, eos recepimus sub protectione nostra, salvis iuribus quorumcumque, nec unquam misimus in aliqua civitatum ipsarum nisi solummodo unum de nostris nobilibus, quem prefecimus in qualibet ipsarum in comitem et rectorem, et hoc fecimus et intromisimus pro bono civitatum ipsarum, ne ad desolationem et exterminium devenirent et non alia causa, cum non simus consueti aliena iura surripere vel aliqualiter usurpare. Et quod, ut hec dispositio nostra appareat per effectum, et ut idem dominus rex plene videat affectionem, quam gerimus ad ipsius maiestatem, contenti sumus ob reverentiam ipsius, ex quo dicit in dictis civitatibus ius habere, absque ulla examinatione vel discussione iuridica, revocari missionem nostrorum comitum predictorum, atque de cettero non mittemus eos vel alios ad gubernationem vel regimen civitatum ipsarum, dispositi semper eidem domino regi amicabiliter complacere. Intelligendo semper, quod in omni casu idem dominus rex remittat et nobis dimittat perpetuo et libere omnia iura que haberet vel

diceret seu posset habere in omnibus aliis terris, civitatibus et locis Dalmacie, quas tenemus ad presens ultra dictas quatuor civitates.

C. Et quia si dicte civitates acceperentur ad censum a dicto domino rege, et forte essent necessarie alique expense fiende inter eius proceres, committatur eisdem ambaxatoribus, quod pro effectu dicti negocii possint promittere et expendere usque ad ducatos VI mille vel inde infra sicut eis videbitur, quod facere possint inter proceres regios et aliter, ut fuerit opportunum, dando dictos denarios solummodo completo negocio.

C. Et si dicti nostri ambaxatore non possent complere nostram intencionem secundum ea que dicta sunt et que committantur eisdem, debeant scribere nobis differentias et eorum consilium et trahant et sentiant in quantum poterunt intentionem dicti regis, quam nobis debeant particulariter denotare et nostram expectent intentionem.

Ser Donatus Arimondo vult partem predictam ut continet usque ad primum C. et subsequenter ista duo ultima capitula solum. 22, non 0, non sinceri 0.

Capta: cum pridie captum fuerit in isto consilio de dando domino regi ducatos II mille auri, et pro illis III mille terre Sclavonie, et ducatos VIII mille baronibus, et hec via esset melior pro nobis et agendis nostris, et in hoc bonum sit dare operam, ut intentio nostra ad finem optatum perducatur: vadit pars, quod dicti ambaxatores possint expendere inter barones ducatos XII mille vel minus dictis quantum poterit . . . ut in capitulo huiusmodi superius continetur.

Secr. cons. rog. A. 100, u mletačkom arkivu.

XCIII. God. 1348. 9 ožujka, u Mletcih.

Sa zahvalnošću prima se ponuda poslanika vojvode milanezkoga Mastina glede njihova učešća u dogovaranju mira s ugar.-hrv. kraljem, o čem se mlet. poslanici obaviešćuju i bodre, da svoje putovanje u Napulj pospješe.

1348, die IX martii, capta: cum ambaxatores domini Martini, ut intellexistis, in conclusione sue ambaxate, dixerint, quod si ultra id, quod est eis commissum, videretur nobis, quod aliter facere deberent, in hoc facerent velle nostrum; et conveniens sit pro honore nostro ostendere, habere ad gratum commissionem ambaxatorum ipsorum, et quod plenam fiduciam capiamus de dicto domino Mastino: vadit pars, quod dicatur eis cum illis pulcris verbis, que domino videbuntur, quod licet sapienter et discrete sit eis per ipsum dominum Mastinum, quem intimum et charum nostrum amicum semper reputamus et reputavimus, super huiusmodi negotiis plene commissum, tamen volumus, quod sentiant de nostra intentione, super qua nostram specialem mittimus ambaxatam; et tangatur eis sic superficialiter de verbis contentis in primo capitulo ambaxate nostris ambaxatoribus commisse, cum quibus et aliis verbis, que videbuntur, recomendentur ipsis ambaxatoribus nostra negotia, sicut pro honore dicti domini Mastini et suarum personarum et executione nostre intentionis viderint expedire; subiungendo dictis ambaxatoribus, quod propter specialem fiduciam, quam gerimus de dicto domino Mastino et personis earum, commissimus nostris ambaxatoribus, quod in factis sibi commissis cum eis debeant participare et personas eorum ubique honorare, sicut viderint convenire. Et quia pro meliori

negotiorum nostrorum utile reputetur, quod dicti ambaxatores domini Mastini vadant separati a nostris, cum illis pulcris et decentibus verbis, que videbuntur, inducantur, quod per se vadant, et separatim a nostris ambaxatoribus predictis.

Capta: nostris itaque ambaxatoribus committatur, quod accelerent iter suum versus Neapolim, non expectando propterea in aliqua parte ambaxatores domini Mastini; et quod, postquam erunt in Neapolim simul cum ambaxatoribus domini Mastini videbunt maneries et familiaritates, que ostendentur et tenebuntur tam per dominum regem quam suos erga dictos ambaxatores; et si per ea, que viderint, sperarent, quod executio sibi commisorum per interpositionem ipsorum ambaxatorum melius obtinere posset quam aliter, relinquatur in discretione dictorum nostrorum ambaxatorum vel maioris partis in aperiendo se ipsis, et in faciendo, quod se interponant in toto vel parte negotiorum sibi commissorum, sicut eis pro honore nostro et suo et bono negotiorum nostrorum melius apparebit, quorum personas continue tractare et honorare debeant, sicut viderint expedire.

Secr. cons. rogat. A. 100, u arkivu mletačkom.

CXIV. God. 1348. 10 ožujka, u Mletcih.

Dalje o naputku za poslanike odpremljene ugar.-hrv. kralju.

1348, die X martii, capta: et si per dominum regem diceretur seu recordaretur aliquid de novitatibus Jadre, respondeant, quod nulla unquam pro parte nostra fuit data nec daretur causa scandali vel erroris inter suam maiestatem et nos, quia si civitatem predictam, quam iam trecentis annis et ultra possedimus, recuperare voluimus, et a sua indebita rebellione revocare ipsius summa providentia, hoc sibi ad gravitatem reputare non poterat nec potest, sicut nec fecerunt predecessores sui, et dominus genitor suus, dum fuisset de hoc specialiter requisitus, qui in casu rebellionis, qui pluries contigit, se de ipsa nullatenus intromittere voluerunt, ymo permiserunt nos facere facta nostra, perseverantes nobiscum in antiqua et speciali dilectione predicta. Sumus etiam certi, quod nisi fuisset sinistra et non vera informatio Jadratinorum, aures sue celsitudinis in facto predicto minime inclinasset, cum honores sue corone semper dilexerimus et diligere intendimus toto corde. Omnes de parte.

Capta: si vero dominus rex peteret transitum a nobis cum galeis et navigiis nostris pro transeundo in Sclavoniam causa eundi in Hungariam ipsum vel de suis, respondeatur, quod alias in simili casu complacuimus predecessoribus suis et etiam patri et matri eius; et sic ob amorem predictum parati sumus et erimus complacere sue maiestati. Et similiter si peteret transitum pro uxore et pro aliis de suis de Hungaria in Apuleam, respondeant, quod pro reverentia sue celsitudinis sumus et erimus ad complacendum ei similiter preparati. Omnes de parte.

Capta: preterea, si cum dei auxilio compositio fiet, et dominus rex pro honore sui diceret, quod postquam presentia nostra non est ibi, intendit factum firmare similiter per sindicos eius, nostri ambaxatores de hoc etiam sint contenti, dummodo huiusmodi sindici mandatum habeant et libertatem ad plenum. Insuper, si in contractu seu scripturis fiendis de predictis dominus rex poneret in suo titulo Dalmatiam et Croatiam, noster

similiter titulus totus ponatur; si vero illud taceret, sicut fecit in litteris alias nobis missis, non nominando Dalmatiam et Croatiam, nostri etiam taceant, dicendo solum: dum Venetiarum etc.

Capta: completis autem et firmatis negociis nostris debeant nostri ambaxatores sicut et quando eis videbitur, procurare et facere posse suum, quod terre et loca, quas et que tenent comes Maladinus et fratres, remaneant ipsis comitibus per illum modum, qui dictis ambaxatoribus videbitur et facere poterunt.

Capta: auditis et intellectis litteris, quas nobis concessit dominux rex Hungarie, affidando ambaxatores nostros ad ipsum ituros, que sunt satis ad plenum; auditisque verbis notarii consulis nostri Neapolis, habitoque respectu, quod ambaxatores domini Mastini iam sunt ad iter, consulunt sapientes, quod in nomine domini ambaxatores nostri recedant in bona gratia de Venetiis, et prosequantur iter suum die iovis proximo per diem cum ligna, cum quibus ituri sunt, venerint et bene parata erunt in termino memorato; et quam velocius fieri potest scribatur consuli nostro Neapolis nova, que intelleximus de comite palatino, qui videtur esse in partibus Trani cum magna gentium comitiva, propter quam videtur, quod caminum de Trano Neapolim minime sit securum; et ideo, cum deliberavimus mittere nostros ambaxatores, qui recedent in brevi, et quod faciant viam Trani, mandamus ei, quatenus in casu, quo dictum caminum non esset securum pro ambaxatoribus nostris, procuret per illum cautum modum, qui sibi videbitur, et cum hiis, que videbuntur eidem, de faciendo, quod nostri ambaxatores possint secure ire Neapolim, solicitando hoc quam plus poterit, ne ambaxatores nostri, cum erunt in Trano, ullam propterea induciam reciperent, vel aliquam tarditatem. Omnes de parte.

Secr. cons. rogat. lib. A. 101, u arkivu mletačkom.

XCV. God. 1348. 12 ožujka, u Mletcih.

Neka se sastavi punomoćje za poslanike izabrane, da podju k ugar.-hrv. kralju.

1348. die XII marcii, capta: quod fiat sindicatus in personam nobilium virorum ser Marci Justiniano, ser Andree Mauroceno et ser Nicolai Gradonico, ambaxatorum nostrorum ad dominum regem Hungarie in omni forma neccessaria, et tantum ad plenum, quantum plus esse potest. Et omnes notarii curie sint rogati facere instrumentum.

Dominus cancellarius ser Nicolinus, ser Marcus Vulpe, ser Raphainus, ser Nicoletus de Alexio.

Secr. cons rogat. A. 101, u mletačkom arkivu.

XCVI. God. 1348. 12 ožujka, u Mletcih.

Punomoćje za poslanike odredjene, da mir ugovaraju s ugar.-hrv. kraljem.

In Christi nomine amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo trecentesimo quadragesimo octavo, indictione prima, die duodecimo mensis martii, in ducali palatio Venetiarum, in sola, in qua consueverunt infrascripta consilia congregari, presentibus sapiente viro domino Nicolao Pistorino, ducatus Veneciarum cancellario, providisque viris ser Nicolino de Fraganesco, Johanne Vido, Marco Vacumdeo, dicti ducatus Venetiarum scribis, et aliis.

Illustris et magnificus dominus dominus Andreas Dandulo dei gratia Venetiarum dux etc. de voluntate et consensu suorum consiliorum minoris, rogatorum et de quadraginta ad infrascripta ad sonum campane et vocem preconiam more solito congregatorum, in quibus interfuerunt plus quam duo partes dictorum consiliariorum, et cum eis et homines dictorum consiliorum de auctoritate et consensu dicti domini ducis, et cum eo, unanimiter et concorditer nemine discrepante, suis nominibus et pro se ipsis et eorum successoribus ac nomine et vice communis Veneciarum fecerunt, constituerunt et ordinaverunt nobiles viros dominos Marcum Justiniano, Andream Mauroceno et Nicolaum Gradonico, honorabiles cives Veneciarum, absentes tamquam presentes, suos et dicti communis sindicos, procuratores, actores et nuncios speciales, et quemlibet eorum in solidum, ita quod non sit potior conditio occupantis, sed quod unus eorum inceperit, alter mediare possit, prosequi et finire; specialiter ad eundem ad serenissimum principem dominum Lodoycum dei gratia illustrem Hungarie, Jerusalem et Sicilie regem, et ad convenendum cum ipso domino rege seu deputandis ab eo, et ad tractandum, faciendum, complendum et firmandum legittime pacem, pacta, compositiones, declarationes, conventiones, concordiam, et transactionem pro ipso domino duce et communi Veneciarum et eorum successoribus perpetuo et pro suis complicibus, subditis, adherentibus, sequacibus et amicis de omnibus et singulis litibus, querellis, petitionibus, controversiis, questionibus, discordiis et differentiis, damnis et offensionibus quibuscumque hinc inde illatis et faetis, realibus et personalibus et mistis, ubicumque, quomodocumque, qualitercumque per quoscumque illata et facta extiterint, et quocumque tempore; et ad faciendum in et pro predictis et quolibet predictorum omnem promissionem, remissionem, finem, quitationem et liberationem, que eis vel eorum alteri videbuntur; et ad obligandum ipsum dominum ducem et commune Veneciarum et suos successores et eorum bona pro adimplendis et servandis omnibus et singulis, que dicti sindici vel alter eorum promiserint et fecerint in et de predictis et quolibet predictorum cum omnibus et singulis solemnitatibus, stipulationibus, obligationibus, renunciationibus, iuramentis, penarum adiectionibus et aliis clausulis quibuscumque consuetis vel opportunis, et ad recipiendum a dicto domino rege seu constitutis vel constituendis ab eo pro ipso domino rege et successoribus suis in perpetuum nomine transactionis vel quocumque alio nomine datas traditiones, cessiones, concessiones, promissiones, fines, quitationes, liberationes, remissiones et obligationes quascumque super omnibus et singulis antedictis et connexis et dependentibus ab eisdem et quolibet eorumdem, cum omnibus et singulis solemnitatibus, stipulationibus, obligationibus, renunciationibus, iuramentis, penarum adiectionibus, promissionibus et aliis clausulis quibuscumque consuetis vel opportunis; et ad compromittendum et compromissum faciendum semel et pluries de et super predictis omnibus et ipsorum quolibet et singulis eorumdem et dependentibus et conexis ab eisdem et eorum quolibet cum ipso domino rege seu deputandis ab eo pro se et successoribus suis in perpetuum, et ad eligendum unum et plures arbitros et arbitratores, comissarios et amicabiles compositores prout eis et eorum cuilibet videbitur et placebit cum quibuscumque conditionibus, pactis, formis et modis, iuramentis, penarum adiectionibus, promissionibus, obligationibus, renunciationibus, satis-

dationibus, stipulationibus, solempnitatibus et clausulis quibuscumque consuetis vel opportunis, et ad emologandum et de emologatione promittendum et faciendum cuiuslibet sententie, laudi, arbitrii, arbitramenti et amicabilis compositionis, que per dictos arbitros, arbitratores, comissarios vel amicabiles compositores concorditer lata vel latum fuerit; et generaliter ad predicta et omnia alia et singula tractandum, firmandum, faciendum, promittendum et complendum, que eis vel eorum alteri pro bono pacis et concordie convenientia, utilia seu necessaria videbuntur, etiam si talia forent, que mandatum exigerent speciale; dantes et concedentes prefatis dominus dux et consilia supradicta eisdem suis sindicis et procuratoribus et cuilibet eorum plenam, liberam et generalem amministrationem et mandatum tractandi, firmandi, faciendi, promittendi et complendi omnia et singula supradicta et conexa et dependentia ab eisdem, et in eorum animas iurandi de observando et attendendo omnia et singula, que ipsi vel alter eorum fecerit in predictis et quolibet predictorum, et que idem dominus dux et commune Veneciarum totum facere possent, si personaliter interessent; promittentes ipse dominus dux et consilia supradicta pro se et successoribus suis modis, formis et nominibus supradictis michi notario infrascripto tamquam publice persone stipulanti et recipienti nomine et vice dicti domini regis et suorum successorum, et omnium et singulorum, quorum interest vel interesse posset, perpetuo firma, rata et grata habere et tenere, et inviolabiliter observare omnia et singula, que iidem sindici vel eorum alter in predictis et eorum singulis tractaverint, firmaverint, compleverint, aut duxerint facienda, et in nullo contrafacere vel venire de iure vel de facto, aliqua ratione vel causa, sub obligatione bonorum omnium communis Veneciarum presencium et futurorum. In cuius rei fidem et evidentiam pleniorem prefatus dominus dux mandavit presens instrumentum publicum fieri per me notarium infrascriptum, et eius bulla pendenti plumbea communiri.

L. S. Ego Stephanus de Franchino, publicus imperiali auctoritate notarius et ducatus Venetiarum scriba, predictis interfui, eaque de mandato . . . illustris domini ducis atque rogatus scripsi, et in hanc publicam formam redigi, signoque meo solito et noto nomine roboravi.

Izvornik na pergameni u mletačkom arkivu.

XCVII. God. 1348. 13 ožujka, u Mletcih.

Zapovied poslanikom, da se preko noći odpute. Odredjeno, da mogu u svrhu mira obećati ugarskim velikašem do 20,000 dukata.

1348. die XIII martii, capta: quod ambaxatores nostri, ituri ad dominum regem Hungarie, recedant hac nocte, ut captum est, et prosequantur iter suum sub pena librarum CC pro quolibet.

Capta: cum optemus, ut que habemus facere cum domino rege, felicem sortiantur effectum, et propterea oportunum sit, ut ambaxatores nostri habeant barrones, qui sunt de consilio regis, sibi propicios, favorabiles et benignos, tam pro habendo introitum ad dictum regem, quam pro disponendo animos suos ad bonum nostrum . . . possint inter barrones per partes alias captas expendere et donare de bonis nostri communis usque ad valorem ducatorum XX mille, remanendo in sua discretione providendi de

eis illi vel illis, qui videbuntur eisdem in una vice et pluribus, sicut pro bono agendorum nostrorum sibi videbitur. Omnes de parte.

Secr. cons. rogat. lib. A. 101, u arkivu mletačkom.

XCVIII. God. 1348. 13 ožujka, u Mletcih.

Nalaže se nadstojnikom u Zadru, da iz grada uklone do 100 pogibeljnijih Zadrana, i da grad utvrde.

1348. die 13 marcii, capta: cum, ut scitis, miserimus pridie Jadram illos quatuor nobiles cum peditibus centum, et deinde miserimus banderias peditum octo, tamen pro nobis faciat omnem suspicionem et dubitacionem amovere: vadit pars, quod scribatur et mandetur comiti et capitaneo Jadre ac ser Paulo Lauredano provisori et ambaxatori nostro, ut insimul conveniant, et per maiorem ipsorum partem eligant centum de hominibus Jadre inter nobiles et populares, de illis videlicet, qui sibi videbuntur magis apti ad arma, et quorum absencia statum nostrum ibidem reddat magis tutum, qui centum per eos, ut dictum est, electi de Jadra liceucientur, et non possint stare in Jadra, nec in tota staria, sed ire possint Arbum, per insulas et commune Venetiarum sicut voluerint; verum eligant ante dicti comes, consiliarii et ser Paulus quinque de dictis centum, qui sibi magis suspecti apparebunt, quos quinque huc mittant ad suplendum numerum illorum, qui hic continue stare debent; et hiis factis et predictis licenciatis de Jadra, dictus ser Paulus Venetias revertatur.

Capta: insuper scribatur dictis comiti et capitaneo ac consiliariis Jadre, quod interim donec providebimus de catena vel alio remedio opportuno secundum nova, que emergent de rege Hungarie, debeant fortificare terram a parte muri diruinati de masseriis et aliis, sicut eis videbitur, incipiendo laborerium predictum postquam dicti centum fuerint de Jadra licenciati, non desistendo propterea a solicitudine laboreriorum nostrorum et cura pervigili civitatis.

Secr. cons. rogat. A. 102, u mletačkom arkivu.

XCIX. God. 1348. 13 ožujka, u Mletcih.

Propratnica mletačkim poslanikom, koji putuju u javnom poslu k ugar.-hrv. kralju.

Andreas Dandulo dei gratia Veneciarum, Dalmacie atque Chroacie dux, dominus quarte partis et dimidie totius imperii Romanie, universis et singulis, ad quos presentes advenerint, salutem et sincere dilectionis affectum. Cum viros nobiles Marcum Justiniano, Andream Mauroceno militem et Nicolaum Gradonico, honorabiles cives nostros exibitores presentium, in nostros ambaxatores mittamus ad regiam maiestatem, nobilitatem vestram affectuose rogamus, quatenus habentes eos eundo, stando et redeundo, nostro intuitu, favorabiliter commendatos, his, que vobis oretenus dicerent parte nostra velitis fidem credulam adhibere. Datum in nostro ducali palatio die terciodecimo marcii prime indictionis (1348).

Izvornik na pergameni u arkivu mletačkom.

C. God. 1348. 13 ožujka, u Mletcih.

Odgovara se na njeke molbe i izjave šibeničkih poslanika.

1348. die 13 marcii. Examinata cum omni diligentia ambasiata comitis et communis Sibenici et super contentis in ea, et habita deliberatione plenaria, consulunt sapientes:

Capta: et primo ad primum capitulum, per quod petunt, ut provideamur de conservatione et statu suo secundum quod conveniens videretur, respondeatur ambaxatoribus ante dictis, quod semper habuimus et reputavimus eos pro (amicis); et propterea continuo optavimus et optamus statum et conservationem eorum, et eo ferventius eos diligeremus, quo eos semper magis invenimus prompte dispositos ad nostra beneplacita quelibet et honores; et propterea eos credimus non latere, quod, sicut manifestum est omnibus, ad dominum regem Hungarie mittimus nostros ambaxatores solempnes, et speramus in gratia divina, quod ea, que habemus facere cum domino rege, feliciter disponentur in illum modum, qui erit . . . ducalis dominii et status et conservatio sua et suorum fidelium quorumcumque. Preterea, sicut ambaxatores ipsi potuerunt sentire, armamus ad custodiam culphi octo galeas, que et alie armate nostre in omni casu neccessario essent ad custodiam et salvamentum ipsorum et aliorum nostrorum fidelium notorium. Omnes de parte.

Capta: ad secundum capitulum, in quo effectualiter continetur, quod sunt in aconcio cum comite Johanne olim Neliptii de damnis per ipsum comitem Johannem Sibenicensibus illatis, respondeatur, quod cum optemus omne comodum et bonum ipsorum tamquam fidelium dilectorum, placet nobis multum de acontio supradicto.

Capta: ad tercium capitulum, per quod conqueruntur de damnis, que cotidie recipiunt a gentibus comitis Maladini etc. respondeatur, quod nobis displicet et non modicum infesta existit quelibet novitas, que eis infertur; et propterea per nostras speciales litteras scribemus antedicto comiti Maladino, et procurabimus remocionem dictarum molestiarum. Et sic scribatur comiti antedicto in forma, que videbitur dominacioni, inducendo ipsum, ut cum nostris fidelibus antedictis pertranseat in benivolentia et amore, cum sumus dispositi ad omnem eis conservationem et augmentum, et ad hoc semper dedimus et dabimus omnem operam efficacem.

Capta: ad ultimum capitulum, per quod petunt per nos eis concedi insulam sancti Damiani pro pascuo suorum animalium, consulunt, quod respondeatur, quod ignotum est nobis status et condicio insule antedicte, et propterea scribemus comiti et consiliariis Jadre et ser Paulo Lauredano provisori et ambaxatori nostro, quod examinatis condicionibus insule antedicte, et si abilis est ad ea, pro quibus illam petunt, aut aliqua alia insula eis magis abilior appareret nos currentibus suis litteris informare, qua informatione adveniente providebimus, sicut nobis videbitur convenire, non disperando dictos de Sibenico de hoc, sed pocius dando eis bonam spem, quod nostre intencionis penitus existit, eis de dicta insula vel alia providere.

Secr. cons. rogat. A. 102, u mletačkom arkivu.

CI. God. 1348. 20 ožujka, u Mletcih.

Riešeno, da se digne u Dalmaciji do 500 mornara za galije; i da se pozove Kresi Jurin bjegunac Zadranin, neka se za 15 dana u Mletke povrati.

✓ 1348. die 20 marcii, capta: quod possit mitti Jadram et ad alias terras nostras Sclavonie pro soldizando homines V centum pro galeis nostris culphy, sicut videbitur domino, consiliariis et capitibus de XL, vel maiori parti ipsorum.

Capta: quod Cressi de Georgio de Jadre, confinatus hic Venetiis cum aliis, qui aufugit sine licencia et contra nostra mandata, debeat proclamari in scalis Rivoalti, ut in 15 dies debeat comparere ad excusandum se, alioquin, ipso termino elapso, procedatur contra ipsum et eius bona, sua absentia non obstante.

Misti XXIV. 68, u mletačkom arkivu.

CII. God. 1348. 20 ožujka, u Mletcih.

Naloženo knezu šibeničkomu, da njeko riešenje izvrši; a nadstojnikom u Zadru, da cielu vojničku četu, koja je onamo odpremljena, odprave u Mletke, ako nije za sigurnost grada potrebita.

1348. die XX marcii, prime indictionis, capta: quod littere alias misse Sibinichum pro sorore Barthi de Slorato, replicentur in forma solita comiti et iudicibus Sibinici, auctoritate huius consilii, addendo, quod comes et iudices Sibinichi servent et faciant, sicut in dictis litteris continetur, non obstante aliqua sententia seu terminatione, que facta foret per aliquem precessorum suorum seu per curiam Sibinici.

Capta: quod scribatur comiti et consiliariis Jadre, quod illos quatuor nostros nobiles, quod pridie misimus Jadram, et illos pedites centum, qui iverunt cum eis, si illi Jadrenses, quos eis scripsimus, quod deberent mittere extra Jadram, recesserunt de Jadra, remittere debeant Venecias, si alie novitates ibi postmodum non supervenerunt, et si eis videtur, quod redere possint Venecias sine periculo terre Jadre.

Misti XXIV 68, u arkivu mletačkom.

CIII. God. 1348. 23 ožujka, u Mletcih.

Izkazuje se javna zahvalnost Franju de Ordelaphis gospodaru Forlia zato, što se pred ugar.-hrv. kraljem u Napulju za mletačke stvari zauzimao.

1348. die XXIII martii, capta: cum dominus Franciscus de Ordelaphiis, dominus Francolivii, aplicuerit Forlivium, et utile et honestum sit ostendere, ad gratum habere et bonum ea, que idem dominus in nostrum favorem erga dominum regem Hungarie extitit operatus, consulunt, quod ad dominum antedictum transmittatur Nicolinus notarius curie maioris, cui committatur, quod post salutationem sibi factam pro parte nostra, exponat eidem, quod intelleximus et habuimus per litteras nostri consulis Neapolis, quod ipse tractavit et procuravit erga dominum regem Hungarie honorem nostrum, de quo dilectioni sue tanquam amico precipuo et honorabili referimus immensas gratias; et vere nunc ab experto cognoscimus operis per effectum antiquatam benivolentiam et amorem, quem ad nos semper gerere et habere ostendit; et licet essemus cunctis honoribus et beneplacitis suis

dispositi et parati, nunc sumus strictius obligati, et erimus et essemus in quolibet tempore opportuno; rogantes eum, ut nos tanquam veros amicos, secure requirat in commoditatibus suis rationabiliter honestis; et his dictis et expositis, caute procuret Nicolinus iam dictus tam ab ipso domino, quam gentibus suis sentire totum, quicquid habere et trahere peterit, quem facta nostra monent apud dominum regem predictum; et quicquid dicebatur et credebatur de eis; inquirendo etiam de factis campagne et prosecutione ipsius, et ad quem finem proposuerunt intendere, si scire poterit; rescribendo nobis velociter et studiose, quecumque sciverit et habuerit in premissis.

Secr. cons. rog. A. 103, u arkivu mletačkom.

CIV. God. 1348. 24 ožujka, u Mletcih.

Zapovieda se nadstojnikom u Zadru, da mletačke plemiće i vojničku četu natrag u Mletke odprave; a kapetanom brodova, na kojih su otišli poslanici u Apuliju, da na povratku potraže morske gusare uz hrvatsku obalu.

1348. die XXIV martii, capta: quod scribatur comiti et consiliariis Jadre, quod mittant Venetias illos quatuor nobiles, qui pridie Jadram destinati fuerunt, et gentes etiam, que iverunt cum eis; et scribatur dictis nobilibus similiter, quod redeant.

Capta: quod occasione aliquorum barchosiarum de Sclavis, que dicuntur ire in cursum et facere damnum per partes Sclavonie, scribatur nostris capitaneis duorum lignorum, qui portaverunt nostros ambaxatores Tranum, quod in reditu suo vadant Jadram, Pagum, Chersium et Arbum, et loquantur cum comitibus nostris dictarum terrarum de facto dictorum piratarum, et in ipsis partibus Sclavonie et antequam conferant et post, intendant ad omne damnum et persecutionem dictorum cursariorum, temptando de eis in omnibus locis ipsarum partium Sclavonie pro damno et terrore ipsorum; et scribatur nostris comitibus predictis et aliis, sicut videbitur, quod procurent omne damnum et offensionem dictorum cursariorum, et prestent etiam auxilium, consilium et favorem dictis capitaneis nostris, sicut viderint opportunum. Omnes de parte.

Secr. cons. rogat. A. 104, u arkivu mletačkom.

CV. God. 1348. 27 ožujka, u Mletcih.

Dopušća se načelnikom Zadra, da od ono sto gradjana radi veće sigurnosti van grada poslanih, pozovu natrag koliko jim drago; te jim se nalaže, da oružje, Zadranom oteto, u Mletke odprave.

1348. die XXVII marcii, capta: auditis et intellectis ad plenum verbis expositis per ser Paulum Loredano olim provisorem in partibus Sclavonie et . . . . que retulit de facto centum Jadratinorum, qui de Jadra noviter licentiati fuerunt de nostro mandato, consulunt sapientes, quod scribatur nostris comiti et consiliariis Jadre, quod tam per eorum litteras quam per expositionem dicti ser Pauli intelleximus, quod in licentiando illos centum adimpleverunt nostrum mandatum. Videtur tamen, secundum quod refert idem ser Paulus, quod maxima pars dictorum centum . . . . sint in neccessitate maxima constituti adeo, ut sint aliqui artifices in numero supradicto, et plures alii, qui non habent unde vivant extra Jadram nec suas fami-

lias modo aliquo substentare, et quod quidem omnes predicti sunt talis condicionis, quod si (essent) in Jadra, et adhuc de aliis similes eis non esset de existentia sua in Jadra, quantum pro civibus aliquali . . . (Re)fert etiam, quod quando non habuissent dictum nostrum mandatum et deberent licentiasse sibi suspectos, non licentiassent . . . eos . . . nec destinarent ultra XX vel XXV. Occasio vero, qua moti fuimus ad mandandum eis, quod licentiarent predictos, fuit . . . . pro securitate status nostri deinde et pro ineptis verbis, que vulgarizari dicenbantur in Jadra. Et propterea ad presens . . . . habentes nos de industria et eorum prudentia plurimum confidentes, committimus eis, quatenus examinare et considerare debeant (men) tem et condicionem personarum dictorum centum et statum nostrum Jadre; et consideratis omnibus, in discretionis sue libertate remittimus permittendi redire in civitatem illos, qui videbuntur eisdem, vel concedendi eis vel eorum aliquibus, quod possint . . . . starea vel dimittendi secundum primum nostrum mandatum, ipsos omnes vel partem ipsorum, et in ea quantitate et sicut pro honore nostro videbitur convenire, habendo semper respectum ad securitatem et conservationem civitatis nostre predicte. Et rescribant nobis, quidquid fecerint in premissis.

Capta: ad factum armorum Jadratinorum, que petunt destinari Venecias, ut de eis possint consequi aliquam utilitatem etc. videtur, quod scribatur comiti et consiliariis Jadre, quatenus omnia et singula arma, que sunt ibi, accepta Jadratinis de mandato nobilium virorum ser Marci Justiniano et ser Andreasii Mauroceno, tunc capitaneorum nostrorum, debeant Veneciis destinare, mittendo . . . . et modum ydoneum, ita quod non possent pervenire ad manus piratarum, qui dicuntur esse in partibus illis; et scribant . . . particulariter et distincte omnia, que miserint; et quia dicitur, quod multa ex dictis armis defficiunt, mandamus eis (quoad) deffectum dictorum armorum omnem informationem, quam nobis dare poterunt, et omnem scripturam, quam reperirent in facto dictorum armorum, nobis mittere debeant; et si aliquis Jadratinus rehabuit de armis predictis, postquam deposita fuerunt ut supra . . . etiam nobis eos, quos sciunt habere vel habuisse de dictis armis, et ex nunc factum istud sit commissum advocatoribus communis tanquam . . . et habita informacione predicta, plenam habeant libertatem examinandi et inquirendi super facto armorum defficientium, et habentibus . . . . . invenerint vel cognoverint, aliquos habuisse de eis, illam partem, quam habent de aliis suo officio commissis, possendo p . . . . facere cridam vel cridas, mittere litteras in omnem partem, ponere personas ad sacramentum, imponere penam et penas . . . . debet pro esecutione facti. 55.

Vult, quod factum dictorum armorum committatur extraordinariis cum condicione, quod audiant omnes illos, qui dicta arma capitaneis antedictis . . . . et ea ordinate faciant scribi et annotari, prius ipsis petentibus prestito sacramento, et de inde per illos . . . . qui dictis officialibus pro honore nostro et indempnitate dictorum Jadratinorum videbitur, aut per viam testificacionis . . . . sicut eis videbitur, scribent arma cuiuslibet per se et de inde secundum tanxacionem per ipsos . . . condignam. Et habeant libertatem dicti officiales scribendi comiti et consiliariis Jadre et mittandi acep. . . . . . et nichilominus factum ipsum commissum sit advocatoribus ut supra. 5.

Secr. cons. rogat. B. 1, u arkivu mletačkom.

CVI. God. 1348. 29 ožujka, u Mletcih.

Daje se Pažanom brod i nješto oružja pod uvjetom, da sve za njeki rok izplate.

1348. indictione prima, die 29 marcii, capta: quod ad supplicacionem nobis factam per ambaxatorem communitatis Pagi concedatur sibi unum lignum novum de remis 26 (ex) arsenatu nostro cum omnibus suis coredis et furnimentis per extimacionem, medietatem cuius solvere debeant dicti de Pago ad festum sancti Micaelis proximum, et aliam medietatem ad kalendas aprilis tunc sequentis, dando de sic solvendo nostro communi ydoneam plezariam. Et insuper dentur eisdem predicto modo cum condicione solvendi hec arma, imprimis pa (vesios) 25, item lancie 50, item balliste fulcite 20, item coracie 20 cum cervelleriis 20, et adatur in commissione comitum Pagi, quod omni mense personaliter teneantur et debeant ire ad videndum dictum lignum, cohrreda et arma per .... aperiendo mentem, quod taliter conserventur et custodiantur, quod aliqua negliencia vel defectu non devastentur, sed quod conserventur, ut optamus.

Secr. cons. rogat. B. 1. u mletačkom arkivu.

CVII. God. 1348. 29 ožujka, u Mletcih.

Na izjave poslanika trogirskih i spljetskih o pomoru, koj medju njihovimi gradjani biesni, i o haranju Ugra, odgovara se shodno.

1348. die 29 marcii, capta: quod istis ambaxatoribus de Tragurio et Spaleto exponentibus mortalitatem magnam, que cives suos invasit, et incursiones Hungarorum, respondeatur cum verbis abilibus, ut domino, consiliariis, capitibus et sapientibus apparebit.

Secr cons. rog. B. 1, u arkivu mletačkom.

CVIII. God. 1348. 31 ožujka, u Mletcih.

Dujnski knez stavljen na slobodu, pošto se obvezao, da će sve škode mletačkim podložnikom učinjene nadoknaditi.

1348. die ultimo marcii, capta: data sufficienti plezaria per comitem de Doyno de satisfaciendo damna data a quatuor annis citra, que videbuntur domino, consiliariis, capitibus et sapientibus debere satisfieri de iuribus, ac etiam de satisfaciendo damna data ad sanctum Johannem dela Tuba, secundum quod cognosceretur per sapientes iuris, qui videbuntur predictis, et de non faciendi de cetero lesionem, robariam vel damnum nostris fidelibus, nec receptando aliquem in suis locis, qui procurasset vel procuraret facere damnum dictis nostri fidelibus, et reservato iure suo quorumlibet, qui vellent petere contra dictum comitem, et faciendo satisfaccionem expensarum factarum pro retentione dicti comitis tam per nostrum capitaneum Paysanatici quam aliter, sicut predictis videbitur, dictus comes debeat relaxari.

Misti XXIV. 69, u arkivu mletačkom.

CIX. God. 1348. 1 travnja.

Srbski car Stjepan produljuje na osam godina valjanost pogodbe obstojeće medju Mletčani i Kotorani.

Millesimo trecentesimo quadragesimo octavo, die primo aprilis, prime indictionis. Exemplum litterarum domini imperatoris Romanie pro pactis Catari, sigillatum bulla aurea. Stephanus dei gratia Grecorum imperator, amico nostro predilecto domino Andree Dandulo eadem gratia dignissimo duci Venetiarum, Dalmatie atque Chroacie, nec non domino quarte partis, et dimidie tocius imperii Romanie, salutem prosperam et felicem, tanquam fratri preamantissimo. Litteras vestras nobis missas gratuanter recepimus pro confirmatione concordie et pacti, ut prius fuit, inter commune vestrum et commune nostrum, et hominum fidelium nostre maiestatis civitatis Catarensis, pro pactis, ut prius confirmata fuerunt ad biennium, que iam in proximo finem habent. Modo iam fraternitas vestra apud maiestatem nostram petivit et requisivit, quod nostro mandato pactum, et concordiam, ut nobis patet, inter commune vestrum et commune nostrum Catari deberemus prolongare ad octo annos, quod amore vestri et intuitu amicitie animo volenti facere volumus, quod imposterum semper dignitas vestra cognoscat, nos esse vobis amicum specialem. Unde transmittatis virum idoneum vestri communis cum litteris vestris ad fideles nostros Catari, qui cum ipsis catarensibus confirmet pacta et concordia, ut antea fuerunt; quia nos fidelibus nostris catarensibus dictis seriose et districte mandamus, et precipimus, quod facta pacta et concordia usque ad octo annos proxime venturos confirment, ut prius fuit, inter commune vestrum et commune ipsorum Catarensium, quia semper volumus et intendimus adimplere voluntatem vestram quantum magis possumus. Rogamus eciam, ut dignemini precipere vestratibus, ne nostri Caterenses ab eis sine iure aliquod gravamen non habeant.

Commemorialium IV. 119, u mletačkom arkivu.

CX. God. 1348. 6 travnja, u Mletcih.

Dozvoljeno, da državni brodovi prebrode u Dalmaciju njekoje plemiće.

1348. die VI aprilis. Electus sapiens Sclavonie ser Benedictus de Molino.

Capta: quod vir nobilis Marcus Maripetro, ituro consiliario Jadre, portetur cum lignis nostris culphi ad suum regimen cum sua familia et levibus arnesiis, non sinistrando armatam.

Capta: quod vir nobilis Nicoletus Orio ser Phylippi portetur Ragusium cum galeis culphi; et si quo casu ipse galee irent versus partes Apulie, portetur ad partes, ad quas declinarent, non sinistrando in aliquo armatam, et cum levibus arnesiis.

Capta: quod vir nobilis Paulus Quirino filius ser Marci portetur Ragusium cum galeis nostris culphi, cum levibus arnesiis, non sinistrando armatam.

Misti XXIV. str. 70, u mletačkom arkivu.

CXI. God. 1348. 8 travnja, u Mletcih.

Upućuju se nadalje poslanici na ugarskoga kralja kako da se ponašaju u njihovih dogovorih sa kraljem o miru.

1348. indictione prima, die 8 aprilis, capta: quod respondeatur ambaxatoribus nostris, quod per Raphaynum notarium nostrum intelleximus quecumque fecerunt cum domino rege Ungarie et cum tractatoribus suis; de quibus omnibus et modis per eos servatis in factis sibi commissis providentiam et sollicitudinem suam plurimum commendamus. Sed quia optamus per omnem modum, quo fieri potest, pervenire ad pacem, concordium et acconcium cum domino rege prefato: mandamus eis, quod per omnem viam, qua poterunt, studeant accedere ad presenciam regiam, ubicumque erit, et exponant, ut iam exposuerunt, quod affectantibus nobis cum magnitudine sua pertransire in amore pacifico et tranquillo more suorum predecessorum, procul pulsis et remotis quibuscumque valentibus contrarium inducere vel generare, et ob hanc nostram disposicionem bonam fiduciam assumentes, sperabamus maiestatem suam invenire propiciam et benignam ac pronam ad hunc amorem confederandum; sed auditis nuperime postulacionibus regiis, que ab omni equitate semote existunt, non modicum admiramur et nullatenus eas fieri per regiam maiestatem credere poteramus; et quia in tantum sunt inaudite et ab equitate semote, non putamus regiam maiestatem in tam duro aspero proposito suo diucius constare, maxime intuitu disposicionis nostre, quam erga eius coronam gerimus et habemus. Et propterea ad presenciam sue maiestatis vos transmittimus, ut si dignaretur velle animum suum declinare ad ea, que licita sint et honesta, parati sumus pro parte nostra facere, quod honorem regium respiciat et bonum et concordium inter partes valeat inmittere. Cum hiis et aliis verbis, que dictis ambaxatoribus videbuntur pro bono negociorum. Et si ipsi ambaxatores ingressum habere non possent coram regia maiestate, hec eadem verba narent illis, qui ad hoc deputabuntur per dictum regem prefatum. Et hiis dictis et expositis audiant ambaxatores, quid dicet dominus rex, et fortificent et substineant iura nostra in quantum scient et poterunt in facto tituli nostri cum illis rationibus, que videbuntur discrecioni sue, ostendendo occasione cum . . . replicandis, quod civitatem nostram Jadre cum omnibus pertinenciis et insulis suis per spacium annorum CCC et amplius possedimus iuste et legiptime, cum iusto et vero titulo sine contradicione aliquorum suorum predecessorum . . . . et aliis, que dici et ostendi poterunt in facto premisso; et procurent per omnem maneriam qua poterunt removere ipsum dominum regem a tam ampla, disona et generali requisicione sua. Et finaliter si viderent, ipsum dominum regem ab hoc removeri non posse, dicant et exprimant clare, quod non intendimus civitatem nostram Jadre dimittere ullo modo, quia nobis legiptime spectat, et nostra est. 88, de non 7, non sinceri 3.

Capta: et si dominus rex, senciendo hanc nostram firmam intencionem de nollendo dimittere Jadram, condescenderet aut condescendi ostenderet de dimittendo illam nobis in totum, et de aliis civitatibus, scilicet Tragurio, Spalato et Sibenico, perseveraret in postulacione sua, procurent dicti ambaxatores omni modo et forma, quibus poterunt, quod ipsas civitates habere et tenere possimus per modos in sua commissione contentos,

quia tam rationabiles et iusti existunt, quod ipse dominus rex verosimiliter de eorum aliquo contentari deberet. Sed in casu, quo per aliquem modorum ipsorum aconcium cum rege invenire non possent, habeant dicti ambaxatores libertatem possendi expendere inter regem et barones usque ducatos centum millia auri et inde infra, ut melius poterunt, sicut habebant de libris LX milia. Et si per alium modum de solvendo aliquid annuatim viderentur nostram intencionem percipere posse, habeant libertatem dandi annuatim domino regi ducatos V millia et inde infra, ut melius poterunt, sicut habebant libertatem de tria millia cum aliis cautellis in sua commissione contentis. De ista 50, de non 4, non sinceri?

Capta: et si per expositionem predictorum tangerentur ambaxatoribus nostris per dominum regem vel alios deputatos ab eo aliqua verba, declinando et removendo se a sua peticione predicta taliter, quod possent facere aconcium et concordiam cum ipso domino rege per aliquem modorum contentorum in eorum commissione, vel per modum expendendi etiam ultra quam contineatur in sua commissione, secundum ea que protraentur in parte precedenti de C millia ducatorum etc., compleant et faciant in bona gratia secundum formam commissionis sue vel libertatis predicte noviter sibi date. Sed si dominus rex condescenderet ad aliqua particularia, petendo aliquid in speciali extra predicta, per quod viderent posse sequi pacem et concordiam inter regiam maiestatem et nostrum dominium, intelligendo videlicet quod dominus rex esset contentus, quod Jadra cum pertinentiis suis et etiam quelibet insule maritime, quas tenemus ibidem, remanerent in nobis, in hoc casu quecumque habuerint de novo, rescribant nobis cum suo consilio, et nostrum expectent mandatum, providentibus eis in hoc casu ad securitatem personarum suarum, cum terminus litterarum fidancie per totum mensem maii proximum expiret. 76, de non 12, non sinceri 11.

Capta: et si dominus rex in aliquo condescendere vellet, et in sua peticione perseverat vel penitus diceret, quod vellet Jadram vel alias omnes insulas maritimas, quas tenemur, vel ipsarum aliquam, tunc cum verbis decentibus comeatum assumant et dicant, quod ipsi de nostro precepto laboraverunt, ut pacem et concordiam inter partes inducere possent; sed postquam composicio aliqua sequi non poterat, repatriare intendunt, et regia maiestas considerabit honorem suum, et deus pater omnipotens, qui semper tenuit in amore pacifico suos predecessores cum dominio Veneciarum, in hoc disponet et faciet honorem regium ct bonum nostrum; et hiis dictis Venetias revertantur. De sic 74, de non 2, non sinceri 1.

Capta: et primo et principaliter sumpto hoc nostro mandato, sicut discretioni eorum videbitur, et per abiliorem modum, quo poterunt, precipiant consuli nostro Neapolis et omnibus mercatoribus per regnum existentibus, quod cum personis et bonis eorum debeant recedere ex toto regno quam cicius poterunt, ut damnum aliquod pati non possint; et donec ipsi ambaxatores illuc erunt, procurent omnem expedicionem mercatorum et mercacionum iuxta posse, et non recedat propterea consul nisi recesserint mercatores et naves.

Capta: preterea per presentes galeas culphi scribatur consuli nostro Clarencie, quod per ea, que habemus ab ambaxatoribus nostris, quos destinavimus ad dominum regem Hungarie, nondum plene sentire potuimus, quomodo facta nostra procedent cum domino rege prefato; sed per ea, que

sensimus, pocius habituri sumus cum eo discordiam quam concordiam; et propterea mandamus ei, quatenus si sentiret, quod dominus rex esset habiturus contractam vel alia nova, per que esset verisimiliter dubitandum, caute et secrete reddat provisos mercatores nostros, qui sunt in partibus illis, ne possint recipere damuum, et quod commisimus capitaneo nostro culphi, quod eos et bona sua levet pro conducendo ipsos Mothonum et Coronum vel Patras vel ad alium locum securum sicut melius poterit cum minori sinistro armate. Et notificentur premissa etiam consuli nostro Corphu et consuli nostro Durachii, ut in factis suis possint esse provisi.

Capta: quia in casu, quo debeamus esse discordes cum domino rege Hungarie, multum facit pro nobis presentire de intentione et proposito, que habet dominus Papa et curia romana erga ipsum dominum regem, et periculosum sit per litteras significare aliquid in curia super inde, quia littere per Lombardiam aperiuntur ubique, consulunt sapientes, quod mittatur unus notarius curie Avinionem cum litteris credulitatis ad Amadeum, qui est ibi pro nostro communi, et dicat sibi pro parte nostra illa verba, que erunt sibi commissa per dominum, consiliarios, capita et sapientes, vel per maiorem partem ipsorum, pro senciendo a domino Tutelensi et a domino Petragorgensi et aliis, qui viderentur dicto colegio, dispositionem domini pape et cardinalium in facto regis predicti, et cum omni informacione, que habere potuerit in premissis, dictus notarius velociter Venecias revertatur, et in eius reversione erimus hic, et fiet, sicut videbitur.

Capta: quod in bona gratia incipiat laborari et fieri catena, de qua alias scripserunt nobis comes et consiliarii nostri Jadre pro portu nostro Jadre et pro securitate dicte terre: et scribatur eis, quod rescribant et informent nos de longitudine dicte catene et de omni eo, quod vident neccessarium pro faciendo ipsam catenam per modum convenientem, ut informati per eos, sciamus melius, qualiter fieri et laborari debeat dicta catena. De non 8, non sinceri 1, reliqui de parte.

Secr. cons. rogat. lib. B. 3, u arkivu mletačkom.

CXII. God. 1348. 10 travnja, u Mletcih.

Odgovori na molbe podnešene od poslanika srbskoga cara.

1348. die X aprilis, capta: cum nobis debitum sit complacere domino imperatori Raxie et Grecorum, qui in omnibus nobis gratis semper se ostendit favorabilem et promptum, consulunt (sapientes), quod super primo capitulo requisitionis seu ambaxate sue nobis oretenus explicate, per quam petit tres galeas omnibus armis necessariis munitas pro aliquibus sibi incumbentibus possit hinc extrahi facere, respondeatur, quod considerata dilectione hinc inde ingente, que semper gratis et mutuis serviciis propagata existit et propagabitur deo dante, sumus contenti complacere maiestati sue imperiali secundum requisicionem suam, quamvis similem gratiam aliquibus de mundo nunquam consueverimus facere, sed pocius contradicere. 51, de non 11, non sinceri 12.

Capta: ad unum capitulum continens, quod si placeret nobis, libenter interponeret partes suas ad tractandum, quod inter dominum regem Hungarie et nostrum ducale dominium reformetur pax et concordia cum honore nostro, respondeatur, quod toti mundo et sue maiestati potest esse

notoria magna reverentia et amor, quem nostrum dominium gessit erga predecessores domini rogis Hungarie, quos in multis casibus honoravimus et amicabiliter servivimus . . . et est nostri propositi servare et facere cum domino rege presenti; nec perpendere possimus, quod per nos sit . . . encia vel causa iusta turbationis contra nos. Verum de tam benigna et magnifica oblatione, nobis facta pro parte sua per dictum ambaxatorem et etiam per suas litteras nobis missas, volentes pro concordio inter nos et dictum dominum regem Hungarie amicabiliter interponere partes suas, imperiali excellentie merito refferimus gratiarum . . . actiones. Quam oblationem gratissime, ut pro honore suo expedit, acceptantes, sumus contenti, quod se interponat; et si posset procurare et facere, quod dominus rex predictus disponat animum suum ad vivendum et . . . nobiscum in pace et amore, sicut sumus dispositi erga eum, hoc nobis gratum esset multipliciter . . . subiungendo, quod per ambaxatores nostros, destinatos ad dominum regem Hungarie, sensimus, quod ambaxatores sue maiestatis apud dictum regem tetigerunt ei pulcra et graciosa verba in favorem nostrum, de quo sibi regrac amur immense, credentes eum continuo reperire dispositum ad conservationem nostram pariter atque statum.

Secr. cons. rogat. B. 3, u arkivu mletačkom.

CXIII. God. 1348. 13 travnja, u Mletcih.

Nalaže se pomorskomu kapetanu, da ako mu dodje glas, da se republika zaratila sa ugarskim kraljem, nastoji si prisvojiti otok Krf, ili barem njegovu tvrdjavu.

1348. die XIII aprilis, capta: quia multum esset utile factis nostris, in casu quo debeamus esse discordes a domino rege Hungarie, habere in nostra custodia locum et castrum Corphu, dummodo hoc fiat caute et per talem modum, quod non preiudicet factis nostris: vadit pars, quod notificetur per Rafainum ambaxatoribus nostris, quod si viderint, quod simus in discordia cum domino rege predicto, debeant quam citius et quam cautius poterunt cum sua securitate dare inde noticiam comiti nostro Ragusii, et per aliam viam sicut sue discretioni videbitur, capitaneo nostro unionis vel culphi. Et scribatur dicto comiti Ragusii, quod si habuerit ab ambaxatoribus nostris, quos habemus ad regem Hungarie, quod simus in discordia cum eo, statim absque ulla dilacione debeat hec scribere per unum lignum armatum capitaneo unionis vel culphi, qui debent se reperire in partibus Mothoni. Et scribatur dictis capitaneis nostris, quod si senserint per litteras dicti comitis nostri vel per litteras ambaxatorum nostrorum, quod (sit discor)dia cum domino rege predicto, dent operam et procurent suo posse per illam viam et modum, qui videbuntur eis pro honore nostro et bono negocii ac securitate sua, quod insula et castrum de Corphu se submittat nostro dominio, faciendo et procurando ipsi caute, ut possint habere et consequi nostram intentionem cum honore nostro et salvamento suo, ut dictum est, et possit dictus capitaneus vel capitanei, qui ibit vel ibunt pro isto negocio, expendere et dare sicut putabit vel putabunt ipsi utile pro consecutione facti. Et si non posset vel possent habere locum et insulam libere, sint contenti accipere castrum in nostra custodia, salvis iuribus quorumcumque. Et si ante quam capitaneus noster culphi deberet exequi hanc nostram in-

tentionem secundum ea, que superius sunt expressa, tangerentur ei aliqua verba per illos de Corphu in dicto facto, comittatur ei quod dicat et respondeat verba amoris et benivolencie, hortando eos ad conservacionem suam in quantum poterit. Et informentur capitanei nostri de statu domini Ludovici et domine regine Johanne, quem habent in curia romana, ut (et de) hiis, que haberent dicere et respondere pro bono facti. Omnia vero, que in premissis fecerint, habuerint et senscerint (debent) velociter intimare. 66,

Secr. cons. rog. B. 4, u mletačkom arkivu.

CXIV. God. 1348. 26 travnja, u Mletcih.

Upućuje se poslanik u Rimu, neka gleda, da spljetskim nadbiskupom postane mletački gradjanin.

1348. die XXVI aprilis, capta: quod scribatur Amadeo notario nostro, qui est in curia, de morte domini archiepiscopi Spalatensis, et quod procuret apud dominum Tutelensem et dominum Gocium cardinales et apud alios, sicut sibi utilius videbitur, quod per dominum papam provideatur de dicto archiepiscopatu alicui veneto nostro, non faciendo in spem mercacionem de aliquo nec aliquem nominando, sed solum in genere hoc dicat et procuret, sicut dictum est; et ostendat et dicat dictus Amadeus, quod cum dicta civitas sit in partibus Dalmacie, que a longo tempore citra fuit et est sub dominio nostro, hoc esset valde utile et fructuosum omnibus agendis, que quomodocunque occurrere possent in partibus Sclavonie.

Misti, XXIV. 70, u arkivu mletačkom.

CXV. God. 1348. 29 travnja, u Mletcih.

Odobrava se sve, što su zadarski načelnici učinili u poslu onih sto iz Zadra van poslanih, te jim se naláže, da njeke zgrade podignu za to veću obranu grada.

1348. die 29 aprilis, capta: quod rescribatur comiti et consiliariis Jadre, quod plures litteras suas recepimus hiis diebus, continentes omnia, que fecerant, tam de C ultro confinatis, quorum partem permiserant repatriare, quam de facto armorum Jadratinorum etc., de quibus omnibus providentiam suam merito commendamus. Verum quia optamus, quod castrum nostrum Jadre compleatur in totum, decrevimus sibi mittere personam instructam pro foveis faciendis, ut petunt, et mittimus eis unum maranum . . dum coctorum pro salizata cisterne; mandantes eis, ut incipiant in dicto castro fieri facere cum quam minoribus expensis poterunt de lapidibus de inde duas habiles domos pro castellanis duobus in dicto castro mansuris et domos pro stipendiariis L ad minus; non desistentibus propterea ipsis comite et consiliariis a construcione fovearum et prosecutione aliorum laboreriorum castri predicti, ad vigilem custodiam eius die noctuque habendam, ipsos sollicitamus pro posse.

Secr. cons. rogat. lib. B. 4, u arkivu mletačkom.

CXVI. God. 1348. 29 travnja, u Mletcih.

Dubrovčanom kužnom bolesti oslabljen, očituje se sažalenje i oružjem se oskrbljuju. Zadrani, koji su iz Mletaka, gdje su uzatočeni bili, pobjegli, kao prognani proglašeni.

1348. die penultimo aprilis, capta: quod scribatur nostro comiti et communi Ragusii cum pulcris verbis, condolendo de pestifero casu mortalitatis, propter quam de personis multum diminuti dicuntur. Et nichilominus ad eorum supplicationem concedatur eis, quod idem comes noster, iudices et consilium Ragusii per maiorem partem eorum in facto condemnatorum tempore precessorum ipsius comitis in pecunia vel ex contumacia, vel aliter, dummodo predicte condemnationes vel contumacie vel earum aliqua non sint corporales, nec importent nec importare possint penam sanguinis, possint providere, disponere et facere, sicut eis videbitur pro sua conservatione et bono, tam in mitigando solutionem ipsarum condemnationum per terminos, quam in remittendo eas in toto et parte, ut melius putaverint facere pro suo statu, non obstante commissione comitis supradicti. Et durent hec usque ad sex menses proxime secuturos. Et si consilium etc. Et etiam scribatur nostro capitaneo culfi, quod habeat recommandatum statum et conservationem civitatis Ragusii in eo quod poterit cum securitate armatarum et navigiorum nostrorum.

Capta: quod concedatur communi Ragusii, quod possit extrahere de Venetiis et conduci facere Ragusium libere pro sua securitate et deffensione ballistas centum et capsas centum de veretonis. Et si omnia dicta arma non possent invenire, dentur eis id, quod deficeret, de nostro arsenatu pro iusta extimatione, solvendo extimacionem predictam. Et etiam possint libere de hinc extrahere et conduci facere Ragusii curatias LXXXXI, quas cambiaverint hic cum totidem de suis coratiis veteribus, conductis de Ragurio Venetias.

Capta: cum infrascripti Jadratini, qui erant hic, et morari debebant ad mandata et obedientiam nostram, recesserint de Venetiis absque consciam nostram, fractis mandatis, que observare debebant, et citati, se non presentaverunt coram nobis infra terminum eis datum, sed potius permanserint obstinati in nequitia sua: vadit pars, quod ipsi et quilibet eorum clamentur in banno de Venetiis et districtu, et de omnibus terris et locis dominio nostro subiectis, et bona eorum et cuiuslibet eorum confiscentur in nostro communi Veneciarum. Et scribatur nostro comiti et consiliariis Jadre et comiti Pagi et ubicumque sciretur, quod haberent de suo, quod ipsa bona intromitti et conservari faciant nomine nostri communis. Et committatur et mandetur omnibus rectoribus nostris, quod si predicti vel eorum aliquis reperiri posset, in forcio suo ipsos faciant detineri, et ad nos mittant sub fida custodia, de quibus tunc fiat, sicut videbitur huic consilio. Nomina vero predictorum sunt hec: Nicola de Zadulinis, Cressius de Zorzi, Raddi de Varicassus, Maurus de Grisogono.

Misti XXIV. 73, u mletačkom arkivu.

CXVII. God. 1348. 4 svibnja, u Mletcih.

Neprima se ponuda padovanskih gospodara o posredovanju mira s ugar.-hrv. kraljem po gospodaru Karlu (kašnje njemač. caru).

1348. indictione prima, die quarto madii, capta: examinata ambaxatore dominorum Padue nobis exposita etc. Ad id autem quod dicunt, quod si vellemus notum facerent domino Karulo de interpositione pacis tractande inter dominum regem Hungarie et nos etc., respondeatur, quod non ambigimus facta nostra cordibus suis insita esse, sed quia, ut sciunt, nostros ambaxatores habemus ad dominum regem prefatum, nec sciamus, quid cum eodem finaliter egerunt, non videmus, quod neccessarium sit ad presens se laborare pro predictis nec dominum Karolum antedictum. Ultimo autem gratificentur dictis dominis de novis nobis significatis. De non 1, non sinceri 0, alii de parte.

Secr. cons. rog. lib. B. 5, u mletačkom arkivu.

CXVIII. God. 1348. 8 svibnja, u Mletcih.

Na viest o smrti kneza Mladina i brata mu upućuju se načelnici zadarski, da pruže pomoć njegovim gradovom, ako ju uzpitaju, samo da nedodju u kraljevsku vlast. Šalje se nješto vojske u Šibenik kužnom bolesti opustošen.

1348. die 8 maii, capta: quod respondeatur comiti et consiliariis Jadre, quod, intellectis litteris suis continentibus mortem comitis Maladini et fratris, et quomodo miserunt socium ipsius comitis Scardonam pro confortacione locorum ipsorum, providenciam suam merito commendamus. Et propterea cernentes multum fructuosum esse factis nostris, si loca ipsa taliter conserventur, quod ad Hungarorum manus vel aliorum nequeant pervenire, mandamus eis, qratenus in casu quo gentes locorum dicti condam comitis Maladini contentarentur velle subsidium nostrum, aut peterent illud pro conservacione sua, eis subveniant de stipendiariis nostris Jadre in ea quantitate, que videbitur, habito semper respectu ad conservacionem Jadre. Et in hoc aponant curam vigilem, scilicet, quod ipsa loca ad manus Hungarorum non perveniant.

Cum comes Sybenici nobis sepe scripserit debilem condicionem et statum Sybenici propter mortalitatem, que fuit in partibus illis, per quam ipsa civitas remansit gentibus totaliter desolata, et quod inimici cotidie currant ad portas, propter quod dicta civitas manet non sine periculo manifesto tam a parte terre quam a parte maris, a qua in totum ipsa civitas non est fortis: vadit pars, quod quam cicius esse potest mittantur Sybenicum banderie due peditum. 32, 30, de non 36, 38, non sinceri 14, 14.

Secr. cons. rog. B. 6, u mletačkom arkivu.

CXIX. God. 1348. 10 svibnja, u Mletcih.

Odobrava se pomoć pružena od kneza zadarskoga i trogirskoga gradovom pok. kneza Mladina; dapače se nalaže i drugim dalmatinskim gradovom, da jim ju neuzkrate; a knezu Pavlu velika se obećanja čine.

1348. die decimo maii, capta: quod scribatur comiti Jadre, recommendando providenciam suam, quam habuit in mittendo duas banderias ad

loca condam comitis Maladini; et scribatur eciam comiti Tragurii, recommendando eum de omnibus, que egit et fecit in factis predictis; et scribatur et mandetur comitibus terrarum nostrarum Sclavonie, scilicet Tragurii, Spalati et Sybenici, quod quia dubitamus, quod forsam ille due banderie misse per comitem Jadre non erunt sufficientes ad custodiam locorum ipsorum, si viderent opus esse de gentibus suis, provideant et mittant in ea quantitate, que neccessaria videbitur eisdem, sic, quod custodia dictorum locorum sit plene secura, nec de eis possit aliqualiter dubitari, quas gentes suas ad dictam custodiam tenere debeant et habere, donec illuc transmittemus gentes nostras. Et scribatur comiti Tragurii antedicto, quod det operam de loquendo cum comite Paulo antedicto, dicendo sibi de bona nostra intencione. quam habemus erga ipsum et conservacionem locorum predictorum, et de provisione per nos sibi taliter facienda, quod plene et merito ex inde contentus redderetur; cum hiis et aliis, que videbuntur sibi pro bono factorum. Et ex nunc sit captum, quod venientibus banderiis quatuor de riperia Brixiensi, quas expectamus, dominacio illos transmittat ad loca predicta, faciendo famam, quod solum pro conservacione comitis Pauli transmittuntur et non alia occaxione. De non 10, non sinceri 0, alii de parte.

Secr. cons. rog. B. 6, u arkivu mletačkom.

CXX. God. 1348. 10 svibnja, u Mletcih.

Odredbe u poslu uprave dobara biskupije hvarske i izbora biskupa.

1348. die decimo maii, capta: quod ad removendum omne scandalum et errorem, qui potest occurrere occasione electionis facte in divisione de episcopatu Farre, scribatur nostro potestati Farre et Braze, quod supersedeat de omni precepto, condemnatione vel processu, quod fecisset ista occasione in personam alicuius, et quod, ne bona episcopatus lapidantur, faciat cum voluntate capituli, quod communiter convocari faciet, conservari bona ipsa, faciendo fieri yconomos et conservatores, ut est in talibus consuetum, et inhibeat, quod aliquis laycus non se impediat de dicta electione, nec faveat alicui partium, ponendo penas et precepta fieri faciendo, ut sibi videbitur pro bono facti; et scribatur dicto potestati et nostris comitibus Tragurii et Spalati, quod nobis debeant particulariter denotare, quomodo processit et fuit factum dicte electiones, nos informando distincte de divisione, que videtur fuisse in dicta electione, et de causa dicte divisionis, et de preceptis, condemnationibus vel processibus ob id secutis vel factis, et de toto facti, ut habita eorum responsione et informatione, possit provideri et ordinari ac fieri in predictis, quod videbitur expedire pro honore nostro, conservatione et bono terrarum et subditorum nostrorum.

Misti XXIV. 74, u mletačkom arkivu.

CXXI. God. 1348. 12 svibnja, u Mletcih.

Njeki zadarski bjegunci prognani.

1348. die XII madii, capta: quod infrascripti Jadrenses, qui hic morari debebant ad precepta et mandata nostra, et reccesserunt, fractis confinibus, clamentur publice in scalis Rivoalti, ut infra octo dies coram ad-

vocatoribus communis debeant comparere ad se excusandum; alioquin ipso termino elapso, procedetur contra ipsos, eorum absencia non obstante.

Andreas Pauli de Zorzi, Cresius de Cedulinis, Daniel de Varicassiis, dominus Franciscus Pauli de Georgio miles, Fredericus Lompredri, Jacobus Michaelis de Varicassis, Nicolaus Micha de Botono.

Misti knj. XXIV. 75, u arkivu mletačkom.

CXXII. God. 1348. 16 svibnja, u Mletcih.

Radi smrti kneza šibeničkoga odredjuje se što treba za upravu i obranu istoga grada.

1348. die XVI maii, capta: quod scribatur communi et hominibus Sibenici, condolendo de morte sui comitis, et hortando eos ad fidelitatem et bonum cum illis verbis, que convenientia videbuntur. Et volumus, quod Gibertus Dandulo, condam filius dicti comitis, debeat ibi esse et regere loco patris, donec noster comes novus illuc applicuerit, quod erit in brevi domino concedente; et quod dicto Giberto pro dicto tempore debeant fideliter hobedire. Et scribatur comiti et consiliariis nostris Jadre, quod duas de illis banderiis peditum, quas misit Clisiam et Scardonam, faciat ire Sibenicum in earum redditu, et morari in Sibenico pro securitate terre, donec noster comes novus applicuerit Sibenicum, quo applicante Sibenicum ordinet, quod dicte due banderie revertantur Jadram. Si vero dicte banderie iam redivissent Jadram, ipsi comes et consiliarii mittant duas banderias peditum Sibenicum, et ordinent, quod stent et morentur, sicut super de aliis continetur. Et scribatur illis de Sibenico de missione dicte gentis pro maiori confortacione etc., intelligendo, quod dictus Gibertus, de quanto steterit in dicto regimine loco patris, habeat et habere debeat illud salarium, quod eius pater habuisset, si viveret.

Secr. cons. rogat. lib. B. 7, u arkivu mletačkom.

CXXIII. God. 1348. 16 svibnja, u Mletcih.

Ugovaranje sa knezom Pavlom, koj je kanio Mletčanom ustupiti mjesta brata svog pokojnoga Mladina.

1348. die XVI maii, capta: cum comes Paulus notum fecerit dominationi, quod eius castra et loca dare nobis intendit iuxta preceptum fratris sui comitis Maladini. et propterea pridie scriptum fuerit comiti Tragurii, quod cum comite Paulo loqui deberet, dicens sibi nostram bonam intentionem, quam habere intendimus erga ipsum, et utile sit habere suam intentionem: vadit pars, quod scribatur comiti Tragurii, quod si traxerit ab eo comite Paulo intentionem suam, videlicet quod vellet de provisione annuatim in vita sua, nobis debeat suis litteris denotare. Alioquin si non fecisset, debeat nunc cum eo existere et trahere ab eo omne, quod potest, super facto provisionis predicte, et suam finalem intentionem super predictis quam cito nobis debeat denotare.

Secr. cons. rogat. B. 7, u arkivu mletačkom.

CXXIV. God. 1348. 22 svibnja, u Mletcih.

Nastojeć ban hrvatski imati u svoje ruke gradove pok. kneza Mladina, zapovieda se knezovom Trogira i Spljeta, da podju ka knezu Pavlu, i da ga naklone predati ona mjesta republici, kako mu je i naredio sam pok. Mladin.

1348. die XXII maii, capta: cum habeamus per litteras nostrorum comitum Jadre et Tragurii, quod banus Sclavonie et alii Ungari faciunt posse suum omnibus modis, quibus possunt, habendi castra, que fuerunt condam comitis Maladini, promittendo comiti Paulo, fratri comitis Maladini predicti, multa et magna, ac etiam minando ei de veniendo cum magno exercitu ad offensionem et damnum dictorum castrorum, si ipsa castra non dabit regi Ungarie, et pro statu nostro in partibus Sclavonie penitus requiratur habere ipsa castra in nostro dominio et potestate, que vere dici possunt claves terrarum nostrarum Sclavonie, cum omni solicitudine, qua fieri potest, cum omnis dilacio in hoc facto sit penitus resecanda, habito respectu ad magnam securitatem et comodum, quam tam statui nostro in dictis partibus Sclavonie, quam terris nostris prestat, et ad magnum incomodum, si, quod absit, ipsa castra devenirent ad manus Ungarorum, in quod terre nostre incurrerent, cum in dicto casu in totum essent desolate et destructe: vadit pars, quod pro velociori expeditione negocii supradicti scribatur comitibus nostris Tragurii et Spalati, quod optantes pro securitate nostra et bono terrarum nostrarum habere in nostra potestate et dominio castra, que fuerunt comitis Maladini, mandamus eis, quatenus omni mora postposita, esse et conferre debeant cum comite Paulo, fratre condam comitis Maladini et procurare, ut dictus comes Paulus nobis dicere fecit per suum ambaxatorem, et ut condam comes Maladinus frater eius sibi iniunsit, habendi in nostro dominio dicta castra, et confidentes de sua sapiencia et probitate in sua libertate relinquimus possendi promittere annuatim pro nostro communi dicto comiti Paulo tempore vite sue usque ad libras duo milia parvorum venetorum vel inde infra, ut melius et minus fieri per eos poterit, dante nobis dicto comite Paulo dicta castra libere cum omnibus suis pertinenciis, fructibus et proventibus ipsorum castrorum, remanentibus victualibus et aliis furnimentis, que essent in castris pro munitione eorum dicto comiti Paulo vel eorum extimacioni. Et facto et firmato concordio cum dicto comite Paulo, debeant dicti nostri comites ponere in rochis et fortiliciis dictorum castrorum de gente nostra per illum modum et in illa quantitate, qui et que sibi videbitur pro securitate nostra in dictis castris, faciendo et ostendendo, quod gentes nostre, que erunt in dictis rochis et fortiliciis, custodiant ipsa castra sub vexillo et nomine dicti comitis Pauli, ut facta, que nunc habemus facere cum rege Ungarie, in aliquo propter hoc sinistrum et deffectum portare non possint.

Secr. cons rogat. B. 8, u mletačkom arkivu.

CXXV. God. 1348. 29 svibnja, u Mletcih.

Dalji naputak za poslanike odpremljene k ugar.-hrv. kralju, tada u Napulju, u poslu svote novaca, koju su kralju ponuditi imali za mir.

1348. die 29 maii, capta: quia facit pro nobis secundum tempora, que occurrunt, facere facta nostra: vadit pars, quod mandetur nostris am-

baxatoribus, qui sunt Neapoli per manus duplicatas, per primos nostros nuncios, qui videantur domino, consiliariis, capitibus et sapientibus, quod circa tractatum concordii cum domino rege Ungarie, quantum in facto dandi sibi pecuniam annuatim sequantur formam sue commissionis, et ut factum possit recipere finem per dictum modum dandi pecuniam annuatim, faciant, ut eis commisimus, et de providencia sua speramus. Si vero per dictum modum res non posset efectum recipere, et propterea venissent seu iam venissent, dummodo nichil promisissent vel firmassent super puncto sue commissionis continente de dando statim quantitatem pecuniarum specificatam in dicta sua commissione, mandetur eis, quod super dicto puncto non procedant ad firmandum seu promittendum aliquid absque nostro speciali mandato, sed trahant et senciant, quicquid facere poterunt, et nobis rescribant et suum consilium et nostrum expectent mandatum, nichil firmando nec promittando super dicto ultimo puncto statim dandi quantitatem pecunie specificatam, ut dictum est, abque nostro mandato, non derrogando propter premissa alicui libertati possendi redire Venecias sibi date per litteras sibi missas per Rafaynum, et secundum formam litterarum ipsarum. Verum di dictus rex recusaret elongari eis terminum fidancie, et ob hoc videretur eis mora sua periculosa, mandatur eis, quod in deffectionem dicte securitatis, que non elongaretur eis, relinquimus in eorum arbitrio standi et veniendi, sicut eis videbitur, et informentur dicti nuncii ituri de omnibus novis, que habemus, ut illa distincte dicant ambaxatoribus nostris, ut plene sciant motivos et causas, que nos inducunt ad scribendum eis predicta. Et pro maiori expedicione dictorum mittendorum possint mitti lignum et barche riperie Marchie, sicut neccessarium erit.

Secr. cons. rogat. B. 8, u arkivu mletačkom.

CXXVI. God. 1348. 4 lipnja, u Mletcih.

Nalaže se poslanikom, koji su već bili kod ugarskoga kralja, da se s ugarskimi poslanici sastanu, i da o tom dogovoru svoje izviešće vieću podnesu.

1348. die quarto iunii, capta: quod pro bono facti et pro velociori expedictione committatur nostris ambaxiatoribus, qui fuerunt ad regem Ungarie, et sunt informati ad plenum de nostra intencione, quod sint et conveniant cum ambaxatoribus domini regis Ungarie, et ab eis trahant totam intencionem dicti domini regis in factis, que facere habemus cum eo, dicendo et fortificando rationes nostras iuxta partes captas in isto consilio; et cum toto eo, quod habuerint, et trahere poterint ab eis, venietur ad istud consilium, et fiet, sicut videbitur; et si omnes tres interesse non possent, alii duo exequi debeant predicta; et incipiant dicti ambaxatores nostri esse cum eis cras in mane et successive, sicut fuerit expediens; et possint dicti ambaxatores nostri et quilibet eorum ponere partem in isto consilio super dictis factis. De non 3, non sinceri 1.

Capta: quod pro honore nostro istis ambaxatoribus domini regis Ungarie, quousque erunt hic, fiant eis expense per nostrum commune, sicut videbitur domino, consiliariis et capitibus. De non 7, non sinceri 1.

Secr. cons. rogat. B. 9, u mletačkom arkivu.

CXXVII. God. 1348. 6 lipnja, u Mletcih.

Ovlašćuju se isti poslanici, da prekinu dogovore s ugarskimi poslanici, ako bi ovi u svojih nepravednih zahtjevih dalje uztrajali. Daje se nalog pomorskim načelnikom, da zaprieče prolaz iz Napulja u Hrvatsku, i sve, što bi mogli, uzapte, a gradskim knezovom u Dalmaciji, da ako nebi mogli odplatom nakloniti Pavla kneza bribirskoga, da jim izruči Kliš i Skradin, neka to i ma kojim načinom izposluju.

1348, die VI iunii, capta: quod nostri ambaxatores adhuc statim vadant ad ambaxatores domini regis Ungarie, et trahant ab eis per illum aptum modum, qui eis videbitur, de qua quantitate pecunie contentarentur pro aliis civitatibus nostris, et si eorum responsio videretur domino, consiliariis et sapientibus et ambaxatoribus, qui reperirentur, seu eorum maiori parti inconveniens et iniusta, et quod non faceret pro nobis, possint licenciare eos cum illis verbis, que eis videbuntur, et eis possit concedi lignum nostrum riperie pro conductu eorum Segnam vel alio, sicut voluerint.

Capta: cum comes Paulus sit in debilitate persone, ut manifeste apparet, per quod sit credendum, quod paucum durabit: vadit pars, quod sicut comites nostri pro sua commissione poterant promittere libras duo millia parvorum in anno, sic possint promittere usque ad mille ducatorum et inde infra in anno, sicut videbitur dictis comitibus; et possint ecciam illis, qui dictis comitibus viderentur favorabiles pro acquisitione dictorum castrorum promittere usque ad mille ducatos semel tantum, prius habitis castris et fortiliciis per modum illum, qui videbitur magis aptum dictis comitibus, ultra mobilia castrorum, ut alias dictum est. Non 2, non sinceri 0, omnes alii de parte.

Capta: quod respondeatur ambaxatoribus domini regis Hungarie, qualiter semper affectavimus habere amorem et bonam concordiam cum ipso domino rege, et sic consideramus nunc; sed per ea, que petunt et dicunt, que penitus sunt contra omnem equitatem, cum per ea pax et bonum concordium sequi non posset, ire et stare suum sit ad eorum beneplacitum. Verum si per ipsos tangeretur, de mittendo nostrum notarium secum, dicatur, quod super inde providebimus, sicut nobis videbitur convenire; et si dicti ambaxatores tangerent de faciendo treuguam a quatuor annis infra, vel dicerent alia, que nullo modo facerent pro nobis, respondeatur circa predicta, sicut videbitur domino, consiliariis, capitibus, sapientibus et ambaxatoribus, qui reperirentur, seu eorum maiori parti. Omnes alii de parte, de non 6, non sinceri 0.

Capta: quia facit pro nobis providere factis nostris, ex quo tractatus concordii cum domino rege Ungarie, de quibus poterat sperari non habent effectum: vadit pars, quod in nomine domini procuretur solicite, quod una de duabus nostris galeis, que nunc armantur, hic expediatur quam cicius esse potest, pro cuius velociori expedicione capitaneus noster vadat ad sanctam Elenam cras, nec inde recedat absque nostra licencia capitaneo, comitis, patrono et naugleriis et aliis in talibus ordinata, donec fuerit expedita, et recedat idem capitaneus de Veneciis cum dicta galea, et vadat ad partes Sclavonie; et si non posset hic se furnire ad plenum, se furniat undecumque melius poterit. Post cuius recessus sollicitetur expedictio alte-

rius galee, que mittatur ad capitaneum antedictum, et committatur dicto capitaneo, quod cum dicta et cum ligno nostro riperie, quod debeat remanere cum eo, attendat ad custodiendum, ne gentes et bona regis Ungarie vel suorum transeant de Sclavonia in Apuliam vel de Apulea in Sclavoniam, intromittendo personas et bona, que inveniret, et ad nostram presenciam destinando. Et ut hec intencio nostra non possit deffectum recipere, scribatur nostro comiti Arbi, quod armet ad expensas nostri communis suam galeam vel lignum pro uno mense, accipiendo de suis hominibus, Pagi et Chersi, sicut melius poterit, quod mittat nostro capitaneo supradicto. Et scribatur etiam ser Justiniano Justiniano, capitaneo unionis, quod unam de galeis culfi mittat ad partes Apulie ad levandum mercatores et bona nostrorum, que nundum recesissent de partibus Apulie, si voluerint inde recedere, et reliquas galeas mittat ad capitaneum suum in partibus Sclavonie, cum quibus idem capitaneus culfi, cum ad eum aplicuerint, attendat solicite simul et divisim et ubi et sicut sibi melius videbitur ad complendum nostram intentionem predictam contra personas et bona gentis predicti regis Ungarie; et dicto ser Justiniano scribatur, quod cum sua armata unionis stet ad caput Milei et ab inde citra, sicut sibi videbitur pro securitate navigiorum nostrorum. Et propterea mittatur ad dictum ser Justiniano una barca armata cum illa velocitate, que poterit fieri, et ad cautellam scribatur supracomitibus culfi de dicto facto, ut observent et adimpleant premissa, si iam recessissent a dicto ser Justiniano. Et per terram per unum cursorem vel plures, sicut videbitur, scribatur nostro viceconsuli Apulie et Neapolis, quod mercatores nostros informet de istis factis, et quod omnes inde reccedant, si volunt, cum eorum bonis, si nundum reccessissent, quam cicius esse potest. Et mandetur etiam nostris potestatibus Tarvisii, Coneglani et aliis rectoribus Trivisane, Ystrie et Sclavonie, quod gentes regis Ungarie, quas habere possent in suo forcio, equos, arma et bona intromittant, et ad nostram presenciam mittant, informando eos de treugna, que finita est inter nos et dominum regem, et rogetur dominus Padue, quod non permittat gentes Ungarie predictas eundo vel reddeundo transire per suas terras vel passus, et intromittat personas, equos et arma illorum, qui inde transirent. Et scribatur etiam hec nostris mercatoribus apud Segnam, informando eos in factis suis, et quod in eis provideant reccedendo inde, si voluerint, sicut pro bono ipsorum eis videbitur; et notificatur hec terris Marchie et Romandiole, ut cum eorum lignis non portent, reducant vel conducant gentes predictas, ne possint recipere lesionem a nostris armatis. De non 2, non sinceri 1, alii de parte.

Capta: quia facit pro nobis habere in forcio nostro castra Clisii et Scardone, scribatur nostris comitibus Spalati et Clisii, quod in casu, quo non possent cum comite Paulo nostram intencionem complere in facto dictorum castrorum, et ipsi possent per aliam viam habere dicta castra, volumus, procurant habere cum quibuscumque poterunt, defficiente tractatu dicti comitis Pauli, et non possente secundum nostram intencionem effectum recipere, ut dictum est; et volumus, quod in dicto casu possint promittere et dare illis, qui darent eis nostro nomine dicta castra, complecto negocio, ducatos auri tria millia (pro habendo) pro Scardona, et ducatos IV millia pro Clisio, informando dictos comites, quod si unus eorum haberet aliquem tractatum in hoc, statim hoc notificet alteri, ne tractando divisim,

unus tractatus non posset alium impedire; et procedant de communi voluntate ambarum ad complementum, agendo in istis factis.

Secr. cons. rog. B. 10, u arkivu mletačkom.

CXXVIII. God. 1348. 12 lipnja, u Mletcih.

Zaključeno, da galija, odredjena za Dalmaciju, čim prije odjedri.

1348. die XII iunii, capta: quod galea, que ire debet ad partes Sclavonie, expediatur quam cicius fieri potest, et vadat capitaneus, si poterit, cum ea; et si ire non posset, quod dominus, consiliarii, capita et sapientes, qui poterunt haberi, possint providere intus vel extra sicut videbitur de persona, que vadat cum dicta galea pro capitaneo cum illa provisione, que videbitur predictis vel eorum maiori parti; et postmodum capitaneus noster, quamcicius poterit, vadat eum alia galea ad dictas partes.

Capta: quod pro expensis neccessariis in Jadra mittantur Jadram ducati duo millia.

Electi sapientes Sclavonie loco duorum deficiencium: ser Nicolaus Gradonico condam domini ducis, ser Michaletus Faletro.

Secr. cons. rog. B. 10, u mlet. arkivu.

CXXIX. God. 1348. 30 lipnja, u Mletcih.

Obaviešćuje se knez ninski, da će pomoć na skoro dobiti, da hvaća samo prave ugarske podanike, da pusti kneza Ratka posedarskoga na slobodu, a da Hrvatom je dopušćeno radi trgovanja polaziti primorske gradovc kako prije, ako se nisu kao neprijatelji izkazali.

1348. die ultimo iunii, capta: quod respondeatur comiti nostro None ad litteras nobis missas, recommendando providenciam suam, quod de desolatione civitatis predicte propter casum mortalitatis dolemus multipliciter, ut debemus; et volentes providere super ipsius civitatis conservatione, fecimus et facimus dehinc soldizari gentes mittendas Jadram et Nonam, per quas speramus, quod status noster in ipsis terris securus per dei gratiam satis erit. Et nichilominus ordinavimus, quod galee culfi, que debent esse in partibus Sclavonie, visitent sepissime terras nostras et potissime terram None, impendendo omne auxilium et consilium opportunum ad conservationem ipsius, ita quod speramus pro predicta et attenta etiam providencia sua, quod ipsa terra et honor noster poterit in casu quolibet conservari.

Ad factum comitis Ratcho de Possedaria, quem dicit habere captivum, respondeatur, quod cum intencio nostra fuerit et sit, quod solum hii, qui puri et manifesti sunt homines regis Hungarie intromittantur, etiam quia per ea, que videntur, dictus comes Ratcho non est vir multe prosperitatis, sumus contenti, quod relaxetur cum eius familia, et simile dicimus de Sclavis, quod habemus, quod possint uti et mercari in terris nostris, sicut antea faciebant, dummodo non commiserint contra nostrum honorem. Verum in omni casu reducimus ei ad memoriam, licet expediens non credamus, quod de civitate None continue habeat et haberi faciat diligentem custodiam atque curam. Et hoc de Sclavis declaretur etiam aliis nostris rectoribus Sclavonie.

Secr. cons. rogat. lib. B. 11, u arkivu mletačkom.

CXXX. God. 1348. 3 srpnja, u Mletcih.

Izabran odbor s nalogom, da razvidi sve što se tiče razpre s ugar.-hrv. kraljem, i svoje mnienje pismeno predloži.

1348. die tercio iulii, capta: quod consilium rogatorum vocetur facto consilio post nonam sub pena solidorum XX pro factis Sclavonie, et legetur consilium, nec possint aliqui de presentibus excusare nisi pro manifesto defectu persone.

Capta: quod eligantur quinque sapientes per quatuor manus electionum in isto consilio pro factis regis Hungarie, et super omnibus, que spectarent seu spectare possent ad statum nostrum occasione dicti regis tam in Sclavonia, quam in omnibus aliis partibus atque locis, et tam per mare quam per terram, qui examinent et dent nobis suum consilium in scriptis, cum quo erimus hic, et fiet, sicut videbitur, et quilibet possit ponere partem; et teneantur convenire et esse simul quotiens eis commissum erit per dominium sub pena grossorum sex pro quolibet et qualibet vice, qua non convenirent. Et non possint exire de terra sub illa pena, ad quam subiacerent, si refutarent; et si aliquis, qui eligeretur, esset ad presens extra, teneatur venire infra terciam diem, postquam notificatum fuerit ad domum eius. Et habeant terminum per totum presentem mensem. Et possint accipi de omni loco, et quotiens voluerint, consilium detur eis, et clametur omni vice sub pena solidorum X.

Electi sapientes: ser Nicolaus Volpe, ser Pangracius Justiniano, ser Stefanus Belegno, ser Johannes Sanuto.

Capta: quod isti quatuor sapientes electi pro factis regis Hungarie examinent et provideant super factis sibi commissis, donec quintus eligetur.

Secr. cons. rog. B. 11, u arkivu mletačkom.

CXXXI. God. 1348. 9 srpnja, u Budimu.

Ljudevit I kralj ugarsko-hrvatski imenuje svoje poslanike, da s Mletčani sklope mir ili primirje.

Exemplum litterarum domini regis Hungarie de libertate tradita suis ambaxatoribus ad faciendam pacem seu treuguas, quarum tenor per omnia talis est. Ludovicus dei gracia Hungarie, Jerusalem et Sicilie rex, ducatus Appulee, principatus Capue, Dalmacie, Chroacie, Rame, Servie, Galicie, Lodomerie, Bulgarie, Cumanieque rex, princeps Salernitanus et honoris montis sancti Angeli dominus. Universis presentes litteras inspecturis tam presentibus quam futuris salutem in omnium redemptorem. Confisi de fide, prudencia, sapiencia et legalitate ac industria Nicolay ellecti confirmati ecclesie Nitrensis secretissimi consiliarii nostri ac magistri Johannis filii Alexandri comitis Chongradiensis et castellani Zegediensis similiter consiliarii nostri et aule nostre regie millitis, ipsos facimus, constituimus et legitime ordinamus nostros nostrique consilii ac curie nostre regie solempnes et veros ambaxatores, procuratores, actores et nuncios speciales seu quocumque alio modo nominari possint melius, ut ipsi ambaxatores nostri et corpus consilii nostri nomine se conferant ad presenciam incliti domini Andree Dandulo ducis et communis Venetorum, dantes et concedentes eis plenam licenciam et liberam potestatem nos cum eis in omnem eventum concordandi

unionem et ligam ac veram amiciciam faciendi et promittendi, rancores, discordias et sediciones, si que per tempora quocumque fuerint, perpetuo sopiendi, remittendi et concordandi, et ipsas ad veram, claram et continuam concordiam reducendi et confirmandi, et super civitatibus, castris et insulis ac terris aliis et eorum iuribus pura gladii potestate et mero ac mixto imperio transigendi, cautellas, rescripta, instrumenta et privilegia alia ex inde conficiendi et habendi, pacem faciendi, in animam nostram iurandi, de omnibus principatuum tractandi, cum veris regalibus promissionibus, obligationibus et solempnitatibus omnia supradicta et quecumque nomine nostro et consilii nostri tractaverint roborandi, suprema cum prestacione in animam nostram iuramenti per eos faciendi, securitam dandi, paciscendi, treuguasque et omnia alia et singula faciendi, que quilibet veri et legitimi ac solempnes ambaxatores regales, actores et nuncii speciales facere possent, et nos personaliter, si regalis excellentia ibidem cum toto nostro consilio adesset. Promittentes nos ratum habere et firmum totum et quicquid per dictos ambaxatores nostros solempnes tractatum, concordatum, pacificatum, transactum et procuratum fuerit sive gestum in premissis et quolibet premissorum. In quorum omnium et singulorum testimonium presentes litteras confici fecimus et sigilli nostri autentici appensione muniri. Datum Bude, die tercio post octavas beatorum Petri et Pauli, anno domini millesimo trecentesimo quadragesimo octavo.

Pactorum V. 88. Commemorialium IV. 122, u mlet. arkivu.

CXXXII. God. 1348. 10 srpnja, u Mletcih.

Šalje se nješto vojske u Nin, te se istoj občini dozvoljuje, da si novih stanovnika pribavi. Neprima se. da se tvrdjava sv. Mihovila sruši.

1348. die X iulii, capta: cum civitas nostra None propter mortalitatem sit de civibus nimis exuta, et tres banderie peditum deputatorum ad custodiam ibi remanserint solum in XXXV, et dicta terra sine custodia non bene maneat: vadit pars, quod una ex banderiis peditum, qui sunt in Jadra, vadat Nonam. Et insuper scribatur comiti None, quod debeat accipere ad stipendium de fidelibus nostris Arbi et Pagi, et tot, quod computatis stipendiariis, qui sunt in Nona, et dicta banderia illic mictenda, sint ad custodia None tres banderie, dando dictis Arbensibus et Pagensibus libras V in mense vel VI pro quolibet, quam minus poterit, faciendo eis pagam pro duobus mensibus. 26.

Capta: ad factum cride facte per illos de Nona de dando certum terminum illis, qui vellent venire habitatum in Nona, respondeatur eis, quod si vident hoc eis utiliter respondere, sumus contenti, quod in hoc faciant, sicut sibi videbitur melius, et ante omnia comes examinet et ponat mentem, quod tales homines veniant ad habitandum, qui sint sine aliqua suspicione. Omnes.

Quia de castro sancti Michaelis non habetur nec sperari potest aliud, quam expensas, que sunt possetenus evitande: vadit pars, quod omnis fortilicia et reductum dicti loci dirruatur in totum, et cisterna, putei, et alia loca omnia, unde ibi habebatur aqua, taliter destruantur, quod reparari non possint; et talis ordo adhibeatur in lapidibus et aliis rebus, quod de

ipsis rehedifficari non possit, et aliquis non possit ibi habitare ullo modo vel ingenio. 23, 22, 21.

Cum castrum sancti Michaelis pro presenti tempore conservari possit cum minoribus expensis, donec aliud, secundum condicionem temporis, poterit provideri: vadit pars, quod sicut ibi sunt XXX stipendiarii cum duobus capitibus, ita sint solum XVI computato uno capite, qui sint de quam melioribus et magis fidelibus videbuntur comiti et capitaneo Jadre. 23, 3, 22, non sinceri 3, 8, 11; de non 5.

Secr. cons. rogatorum lib. B. 12, u arkivu mletačkom.

CXXXIII. God. 1348. 10 srpnja, u Mletcih.

Po poslaniku u Rimu izkazuje se papi zahvalnost na ponude učinjene republici u poslu ugar.-hrv. kralja, kojih već treba nije, pošto su se stvari za sv. stolicu na čast okrenule.

1348. die X iulii, capta: respondeatur domino pape per Amadeum, quod intellectis cum omni devotione et reverentia hiis, que sua sanctitas dignata extitit aperire nobis per Amadeum notarium nostrum super negociis regis Hungarie, refferrimus sue clementie gratias copiosas et humiles actiones, cognoscentes esse signum paterne affectionis pandere nobis sua et sancte matris ecclesie secreta. Et licet nostra voluntas et devotio semper magna fuerit, sit, et esse intendat ad quecumque respicientia honorem sue sanctitatis et matris ecclesie, tamen per dei gratiam condiciones negotiorum regni ita cessasse videntur, et res sic conversa est in honorem ecclesie, quod non expedit super intimatis aliam responsionem pro modo prebere, nisi quod supplicamus, quatenus eius clementia nos et comunitatem nostram tanquam devotissimos filios sue sanctitatis habere dignetur apud suam gratiam favorabiliter commendatos. Non sinceri 1, de non 0, alii de parte.

Misti XXIV. 81, i Secr. cons. rog. B. 12, u mletačkom arkivu.

CXXXIV. God. 1348. 10 srpnja, u Mletcih.

Izabran odbor, da prosudi stvari tičuće se Hvara, Krete, Korona i Motona, i o njih svoje mnienje pismeno podnese.

1348. die X iulii, capta: cum inter aliquos cives et clericos de Farra et Braza sunt orte alique differentie occasione episcopatus Lesne, etiam eum potestate suo, quas expedit examinari, et sint etiam in curia plures littere de Creta et Corono et Mothono, que etiam egerent examinatione: vadit pars quod eligantur tres sapientes per electionem in isto consilio, qui examinent dictas (differentias) predictorum de Lesna et omnes scripturas facientes ad factum, et audiant partes, et similiter examinent litteras predictas de Creta et Coroni et Mothoni et omnes scripturas facientes ad predicta, et super hiis omnibus dent nobis consilium eorum in scriptis, cum quo erimus hic, et fiet, sicut videbitur; et quilibet possit ponere partem, et habeant terminum per totum presentem mensem iulii, et vocetur consilium omni vice sub pena solidorum X. Et teneantur dicti sapientes convenire pro factis predictis quandocumque et quociescumque sibi imponetur per dominium sub pena solidorum X pro quolibet et qualibet vice.

Electi sapientes secundum formam dicte partis: ser Tomas Gradonico, ser Benedictus Cornario, ser Marinus Gradonico ser Johannis.

Capta: quod dominus, consiliarii et capita habeant libertatem eligendi predictos duos sapientes super facto Farre et Braze.

Ego Johannes Misolano Rubeus m. m. subscripsi. Ego Nicolaus Delfino m. m. ss. Ego Franciscbus Gradonigo m. m. ss.

Misti XXIV. 82, u arkivu mletačkom.

CXXXV. God. 1348. 12 srpnja, u Mletcih.

Zapovieda se knezu i kapetanu zadarskomu, da što prije moguće zadarsku tvrdjavu dokonča.

1348. die XII iulii, capta: quod de presenti mittatur una barcha Jadram cum litteris nostris nostro comiti et capitaneo Jadre, cui scribatur, quod cum nostra intencio sit, ut castrum Jadre cum omni velocitate compleatur in eo quod restat, mandamus ei, quatenus de presenti per presentem barcham nobis scribat, ad quale punctum est, et quicquid restat ad complendum, et quod si caret magistris pro complendo id, quod restat, faciat et procuret ipsos habere toto suo posse ad sufficienciam de omni parte Sclavonie, unde et sicut melius poterit, cum de ipsis ad presens male subvenire possemus; scribendo nobis, quot ad presens habet et quot invenerit; etiam scribendo nobis, si invenire non posset, quot essent neccessarii ad hoc, ut secundum quod per nos fieri poterit, provideri possit de ipsis de omni parte, sicut melius inveniri poterunt, cum expense, quas suppertamus in factis Jadre, infinite sint.

Misti XXIV 83, u mletačkom arkivu.

CXXXVI. God. 1348. 15 srpnja, u Mletcih.

Upućuje se knez trevizki, da ona dva Ugrina od njega uhvaćena na slobodu pusti.

1348. die XV iulii, capta: cum potestas Tarvisii nobis scripserit, quod sequendo nostrum mandatum alias sibi traditum, retineri fecit duos Hungaros transeuntes per civitatem Tervisii pro veniendo, ut dicunt, Venecias ad faciendum certam solutionem de quatuor centum et L ducatos cum dimidio procuratori domini cardinalis Ebredunensis pro parte domini Dominici Varadiensis de Hungaria: vadit pars, quod habita consideratione in omnem partem, et etiam attenta causa, pro qua veniunt Venecias, dicti Hungari cum rebus suis libere relaxentur; et scribatur potestati Tervisii, quod eis dicat, quod possint venire Venecias, et stare et redire sine impedimento. Et insuper si casus accideret, quod detinerentur aliqui Hungari huius condicionis, et qui forent sine suspicione, dominus, consiliarii, capita, et sapientes per maiorem partem eorum habeant libertatem faciendi illos libere relaxare.

Secr. cons. rog. B. 13, u arkivu mletačkom.

CXXXVII. God. 1348. 19 srpnja, u Mletcih.

Odgovara se banu hrvatskomu, da je slobodno poslanikom njegova kralja doći u Mletke; a vrh. kapetanu u Istri nalaže se, neka jednu galiju k pomorskomu kapetanu uputi; te se ovomu daje zapovied, da se primorskim gradovom ukaže.

1348. die XIX iulii, capta: quod respondeatur bano Sclavonie cum pulcris et curialibus verbis, quod nobis placet et sumus contenti, quod nuncii solemnes domini regis Hungarie possint ad nos accedere et stare et redire libere et secure cum familia et rebus eorum per totum mensem octubris proximum, et mictantur ei lictere aperte securitatis, per quas ipsi venire possint, ut est dictum.

Capta: quod rescribatur ser Marco Superancio capitaneo pasynatici, quod non habendo aliam novitatem, quam nobis scripsit, mictat unam de duobus galeis, que sunt in Istria, ser Marco Contareno capitaneo culphi, cui scribatur, quod cum suis galeis vadat et se hostendat per terras et loca nostra Sclavonie a Spalato citra, sicut pro securitate ipsorum locorum nostrorum viderit expedire; capitaneo autem pasynatici scribatur, quod faciat, quod galea, que remanebit in Istria, sepius vadat et se hostendat in Istria, sicut pro securitate et ortatione nostrorum locorum et fidelium de inde viderit expedire.

Secr. cons. rog. B. 13, u mletačkom arkivu.

CXXXVIII. God. 1348. 21 srpnja, u Mletcih.

Dopušćeno jednomu Zadraninu u Mletke prognanu, da se smije naseliti u Romaniju, a drugomu, da prodje u Padovu, ali pod njekimi uvjeti.

1348. indictione prima die XXI iulii, capta: quod Saladinus de Saladinis de Jadra, qui est unus ex L confinatis hic, possit ire ad partes Romanie ibi ad confinia, stando a Chorono supra et servando illa confinia et illum modum in presentando se, quando et sicut et quibus sibi imponetur per dominium, cum de hoc instantissime nos rogavit dominus archiepiscopus Cretensis avunculus eius, et fuit capta per VI consiliarios, III capita de XL et tres partes consilii rogatorum, congregatis LXXX.

Capta: quod Barthe de Slorandis de Jadra, qui similiter est unus ex L confinatis hic, possit ire et stare ad nostra mandata Padue, servando confinia ibi, et modum presentandi se sicut et quibus ordinabitur per dominium. Et fuit capta sicut predicta.

Misti XXIV. 85, u mletačkom arkivu.

CXXXIX. God. 1348. 24 srpnja, u Mletcih.

O njekih Hvaranih kaznjenih radi uvrieda svomu načelniku nanešenih.

1348. die XXIV iulii, capta: cum quibuslibet civibus dominationis et maxime illis, qui per ipsam sunt supra talia constituti, incumbat et spectet vigilare circa ea, que dominationis honorem et subditorum suorum statum pacificum et quietem respiciant et accrescant, et per consequens removere, quod possit generare contrarium. Et inter aliquos cives et clericos Fare et Brace sint orte alique questiones et scandala occasione epi-

scopatus Lesne et etiam cum eorum potestate ser Sclavo Bollani, quas expedit reformari, propterea visis et cum omni diligentia examinatis eorum allegationibus, testificationibus, processibus et scripturis utriusque partis, et per scripturas predictas diligenter inspectas habeatur et cognoscatur, quod principium huius et deffectus fuerit causa potestatis predicti, per quem est primo processum contra ser Nicola de Comolze, ser Vitale Bogdani et ser Luchsam Sclavogosti cives Fare et Braze in libris quingentis pro quolibet et per decem annos fore confinatos extra districtum Fare et Braze etc. prout in ipso processu lacius continetur, et hoc fecerit predictus potestas, quia predicti se intromiserunt contra quamdam partem ei atributam per iudices et consilium, per quam nullus mundanus se intromittere debebat in pena librarum V centum pro quolibet, ut est dictum, et etiam, quia verba multa incerpatoria, iniuriosa et inhonesta de domino potestate dixerunt, versus ipsum insultus aliquos facientes, ut in testificationibus suis plenius est probatum; sed habito respectu, quod predicti et infrascriptus archidyaconus non meruerint tantam penam, et considerantes, quod procurabant de electione episcopatus predicti pro dompno Helia, qui, ut est manifestum, fuit et est dominationis karus, consulunt et volunt concorditer sapientes, ut eorum pena non transeat totaliter impunita, et quod causam habeant sub iugo rendi etiam timoris dominii, quod predictus ser Nicola primo caput predictorum promptior in istis quam alii solvat libras XXV et banniatur per totum tempus regiminis potestatis presentis ser Sclavi Bollani, et alii duo solvant libras X pro quolibet et banniantur per totum tempus similiter regiminis potestatis predicti extra districtum Fare et Braze. Vero cum archidyaconus predictus per ipsum dominum potestatem fuerit similiter condempnatus in libris C propter aliqua verba iniuriosa et inhonesta per eum dicta domino potestati, et fore bannitus per totum tempus episcopi futuri, ac etiam quia multos actus malos versus dictum potestatem fecit, ut in processu domini potestatis continetur, super quo quidem processu et omnibus suis processibus tertes ydonei fuerunt producti, volunt sapientes concorditer, quod ut equalitas inter omnes debita observetur, et ad presens sit tempus, quo retinendi sint cives in statu pacifico et tranquillo, quod predictus archidyaconus per quamdam libertatem, quam atribuit domino potestati, qua se sponte obligavit in suis bonis paternis et maternis, solvat libras X parvorum, et similiter banniatur per totum tempus regiminis potestatis extra Fare et Braze districtum. Omnes fuerunt de parte, de non VIII, non sinceri O.

Misti XXIV 90, u arkivu mletačkom.

CXL. God. 1348. 28 srpnja, u Mletcih.

Piše se pomorskomu kapetanu, da pošalje jednu galiju u Siciliju, neka uzme njeke novce, zatim da se uputi sa galijami u Dalmaciju.

1348. die XXVIII iulii, capta: cum per gratiam dei contracta Sclavonie sit satis in statu quieto per ea, que habentur, et sicut potest esse notum in partibus Sicilie sit bona quantitas pecunie et haveris nostri communis, quod hucusque non potuit mitti cum securitate opportuna: vadit pars, consideratis predictis ad hoc quod dictum nostrum havere secure conducatur Venecias et pro securitate navigiorum nostrorum ac fama nostra,

quod ordinetur, quod galea, que est in partibus Istrie, quamcicius esse potest vadat ad capitaneum culfi ad partes Sclavonie; et mandetur dicto capitaneo, quod per aconcium vel proiectis texeris inter duos supra comitos nostros, mittat unum ex eis ad partes Sicilie cum duabus de galeis subtilioribus culfi, armando et furniendo ipsas ad plenum, si non essent bene furnite, de gentibus aliarum galearum vel de gentibus Sclavonie, ad accipiendum et levandum dictam pecuniam, cum qua pecunia et galeis redeat dictus supracomitus quam cicius esse potest ad partes Sclavonie, notificando statim dominio de adventu suo; et committatur ser Marco Contareno, qui hucusque gessit vicem capitanei culfi, quod redat ad regimen suum Chersi, et alter supracomitus cum galeis restantibus faciat capitanariam, et stet ad custodiam ordinatam in partibus Sclavonie, visitando ipsas partes et terras nostras a Spalleto et inde citra, et discurrendo quandoque cum dictis galeis vel parte earum usque Polam, sicut pro honore et conservatione terrarum nostrarum viderit expedire. In reditu vero alterius supracomiti, faciant ipsi ambo capitanariam ad zornatam; et si ser Petrus Michael voluerit venire super dictis galeis, levetur et conducatur ad partes Sclavonie, non facientibus dictis galeis ibi propterea moram ullam. Et scribatur capitaneo culfi, quod habeat et haberi faciat in stricta credentia de itinere, quod sunt facture dicte galee in Siciliam.

Misti, XXIV. 89, u arkivu mletačkom.

CXLI. God. 1348. 31 srpnja, u Mletcih.

Raznim odborom odgadja se rok njihova poslovanja.

1348. die ultimo iulii, capta: quod terminus sapientum, qui sunt super provisionibus civitatis, et etiam sapientum, qui sunt pro factis regis Hungarie et nec non sapientes, qui sunt pro factis Lesne et litterarum Romanie, et generaliter terminus omnium sapientum, qui expiraret, elongetur per totum mensem augusti proximum in eodem statu.

Misti XXIV. 89, u mletačkom arkivu.

CXLII. God. 1348. 1 kolovoza, u Mletcih.

Zaključeno, da se za sada sklopi primirje s ugar.-hrv. kraljem, od kraljevih poslanika ponudjeno, te da se ono protegne i na kliškoga kneza Pavla.

1348. die primo augusti, capta: quod ambaxatores domini regis Hungarie fuerint hodie coram dominio, et prius aliqua raciocinata hinc inde, finaliter dicant, de faciendo treuguas inter dominum regem et nos usque ad quinquenium, quia interim concedente domino poterit perpetua pax tractari: vadit pars, ut in hiis factis procedi possit et fieri id, quod sit honor noster et conservatio status nostri, quod committatur sapientibus ad hec deputatis, quod esse debeant cum prefatis ambaxatoribus, inducendo eos per convenientia verba, quod treugue fiant ad quammaius tempus fieri poterit a quinque annis super; et si a dicto tempore supra contentabuntur, tunc dominus, consiliarii, capita et sapientes per maiorem partem eorum habeant libertatem firmandi dictas treuguas a dicto supra quamplus poterunt, remanentibus partibus in statu presenti, et tenentibus quiete et sine molestia ea, que presentialiter tenent; includendo in eis omnes terras et loca ac fideles et subditos nostros et comitem Paulum de Clissia cum locis,

que tenet; et predicta fiant per quam securiorem modum fieri poterunt, cum cautellis opportunis de consilio sapientum; intelligendo, quod in scripturis fiendis de predictis observetur id, quod alias captum fuit, videlicet, quod si dominus rex poneret in suo titulo Dalmaciam et Croaciam, noster similiter titulus totus ponatur; si vero illud taceret, non nominando Dalmaciam et Croaciam, nos etiam taceamus, dicendo solum dux Veneciarum etc. Et si factum, cum dei gracia complebitur, cum persona domini regis non sit hic, nos etiam pro honore nostro firmare debeamus factum per syndicos nostros. Et si tractari poterit de faciendo, quod dominus rex personaliter infra certum tempus firmet predicta per sacramentum, nos etiam similiter facere debeamus; si vero hoc esse non possit, et ambaxatores sui dictum sacramentum facere voluerint, nos etiam iuremus per sindicos nostros, ita quod equalitas observetur. De non 1, non sinceri 2, de parte 74.

Secr. cons. rogat. B. 13, u arkivu mletačkom.

CXLIII. God. 1348. 3 kolovoza, u Mletcih.

Dozvoljava se, da poslje sklopljena primirja kraljevi brodovi slobodno prodju iz Napulja u Hrvatsku ili obratno.

1348. die III augusti, capta: si ambaxatores domini regis dicerent, si in casu, quo ipse vel gens sua transire vellet in Apuleam per mare vel per terram, utrum prestaremus sibi impedimentum vel obstaculum, respondeatur per nostros sapientes, quod postquam erimus in bona pace, secum intendimus illam pro parte nostra inviolabiliter observare, dummodo pro parte sue maiestatis nobis similiter observetur; et super hoc puncto instent et faciant nostri sapientes quantum poterunt, quod dicti ambaxatores de huiusmodi responsione sint contenti. Sed si omnino et finaliter scire vellent clarius intentionem nostram super hoc, tunc respondeant, quod sicut iam diximus, intendimus pro parte nostra habere in casu quolibet cum maiestate sua benivolentiam et amorem, et propterea dicimus, quod postquam erimus in amore et concordia secum, et eius maiestas, sicut et nos facere intendimus, perseverabit in pace predicta, nos non impediemus nos in factis alienis, et ideo transeundo absque lesione nostra poterit, sicut voluerit, facere facta sua.

Secr. cons. rog. B. 13, u arkivu mletačkom.

CXLIV. God. 1348. 3 kolovoza, u Mletcih.

Mletčani imenuju svoje poslanike, da s ugarsko-hrvatskim kraljem Ljudevitom sklope mir ili primirje.

Exemplum quarumdam litterarum domini ducis Veneciarum de libertate tradita tractatoribus et sapientibus suis ad faciendum pacem vel treuguam. Andreas Dandulo dei gracia Veneciarum, Dalmacie atque Chroacie dux, dominus quarte partis et dimidie totius imperii Romanie, universis et singulis, presentes litteras inspecturis, dilectionem sinceram. De prudencia et fide infrascriptorum nostrorum nobilium plenarie confidentes, videlicet Nicolai Volpe, Johannis Sanuto, Pangracii Justiniano, Stefani Bellegno et Raynerii de Musto, honorabilium civium nostrorum, ipsos et eorum quemlibet in solidum opportunis consiliorum nostrorum ad hec specialiter vocatorum constituimus et legitime ordinamus in nostros tractatores, procura-

tores, sindicos seu quocumque alio modo melius nominari possit specialiter et nominantur ad conficiendum cum quibuslibet ambaxatoribus et nunciis serenissimi domini Ludovici dei gracia Hungarie, Jerusalem et Sicilie regis, et cum eis tractandum reconciliationem, pacem et concordiam super omnibus et singulis guerris, litibus, discordiis et differenciis, que hactenus inter predictum dominum regem et subditos suos et nos ac subditos et hobedientes nostros quomodolibet verse forent, dantes eisdem nostris nobilibus et eorum cuilibet plenam licenciam et liberam potestatem concordandi perpetuo vel ad tempus differencias supradictas, et ipsas ad veram, puram et continuam seu temporalem pacem reducendi, in animam nostram iurandi promissiones, instrumenta et scripturas quaslibet opportunas perpetuo faciendi et paciscendi, ac treuguas et omnia et singula faciendi, que quilibet veri tractatores, procuratores et sindici facere possent quomodolibet vel deberent, et que nos met ipsi cum nostris consiliis facere possemus; promittentes firma et rata habere et tenere quecumque per predictos sindicos nostros tractatores seu procuratores seu quemlibet eorum tractata, promissa et firmata fuerint in predictis. In quorum omnium fidem et evidenciam pleniorem presentes litteras fieri iussimus, easque nostri sigilli plumbei munimine roborari. Datum in nostro ducali palacio MCCCXLVIII, indictione prima, die tercio augusti.

Pactorum, V. 88, u mletačkom arkivu.

CXLV. God 1348. 4 kolovoza, u Mletcih.

Ovlašćuje se malo vieće, da odpravi ugarske poslanike, kad nebi ovi pristali, da se u primirje uvrsti i knez Pavao bribirski. Odredjeno pisati u Nim, da knez krbavski Grgur i drugi slobodno pošalju poslanike u Mletke.

1348. die IV augusti, capta: quod committatur sapientibus, quod redeant ad istos ambaxatores, et procurent, instent et dent omnem operam, quod contententur, quod in treuguis ponatur comes Paulus cum locis, que tenet; et si finaliter et omnino hoc obtinere non possent taliter, quod amplius non sperarent posse eos reducere ad intentionem nostram, remaneat in libertate domini, consiliariorum, capitum de XL, sapientium et maioris partis licentiandi eos cum illis verbis convenientibus, que videbuntur, et sic et quando eis videbitur. Verum si ab eis haberetur aliud de novo, veniatur ad istum consilium, et fiet, sicut videbitur melius.

Capta: quod in casu, quo isti ambaxatores recedant sine concordio, dominus, consiliarii, capita et sapientes habeant libertatem per maiorem partem eorum scribendi comitibus nostris Tragurii et Spaleti, qui habuerunt pre manibus ista facta comitis Pauli, quod ipsi cum litteris nostris credulitatis personaliter sint cum comite Paulo, notifficantes ei, in quo puncto remansimus, videlicet de non concordando nos solum occasione dicti comitis, quod totum fecimus solum pro conservatione ipsius et locorum suorum, inducendo eum ad constantiam et devotionem nostri dominii quantum poterunt. Item respondeatur comiti None, recommendando providentiam suam de hiis, que fecit cum comite Gregorio Corbavie et aliis comitibus, et quod notificet eis, quod ipsi possunt ad nos mittere nuncios suos ad plenum, quia parati erimus eos audire et facere ea, que respiciant honorem et conservationem nostram et suam.

Secr. cons. rogat. B. 13, u arkivu mletačkom.

CXLVI. God. 1348. 5 kolovoza, u Mletcih.

Primljeno, da se primirje podpiše, i da se ugarski poslanici sa 200 dukata obdare.

1348. die V augusti, capta: quod in bona gratia factum istud firmari et compleri possit per modum et formam hic lectum cum termino duorum mensium ad firmandum illud per principales personas, et cum illa pena, que videbitur conveniens. Et si ambaxatores vellent, quod alia clausula seu verbum aliter mutaretur seu poneretur in contractu, dominus, consiliarii, capita et sapientes habeant libertatem per maiorem partem eorum mutandi et ponendi, dummodo non mutetur substantia contractus et effectus intentionis nostre, cum consilio sapientum iuris.

Capta: quia utile et bonum est pro factis nostris habere istos ambaxatores benivolos et favorabiles ad honorem nostrum tam pro presenti tempore quam futuro: vadit pars, quod possint donari eis ducenti ducati, videlicet C pro quolibet per illum convenientem, honestum et cautum modum, qui videbitur, et in denariis vel rebus sicut videbitur domino, consiliariis, capitibus et sapientibus. Non sinceri 1, de non 8.

Secr. cons. rogat. lib. B. 13, u arkivu mletačkom.

CXLVII. God. 1348. 5 kolovoza, u Mletcih.

Pogodba primirja na osam godina medju Mletčani i ugarsko-hrvatskim kraljem utanačena.

Exemplum instrumenti confecti de treuguis, compositionibus atque concordiis initis et firmatis inter partes predictas. In Christi nomine amen, anno nativitatis eiusdem millesimo trecentesimo quadragesimo octavo mensis augusti die martis quinto, indictione prima, Veneciis in contrata sancti Marci, in domibus ecclesie sancti Marci habitatis per infrascriptos ambaxatores, presentibus providis viris Rafaino de Caresinis notario infrascripto ellecto et assumpto pro parte infrascripti incliti domini ducis et communis Veneciarum et rogato de infrascriptis una mecum Johanne Chrispiano notario infrascripto ellecto et assumpto in notario pro parte infrascripti serenissimi regis, conficere eiusdem tenoris publicum instrumentum, nec non Lucha de Medio, filio condam ser Nicolai de Medio sancte Marie Formose, Zanino Amizo condam Mathei sancti (Appolinaris), Marco de Bora condam ser Bertucii sancti Johannis novi, Petro Sancto ducatus Veneciarum scriba, Stefano condam Dimitrii, Cosma filio condam Laurencii, ambobus de Hungaria familiares infrascriptorum dominorum ambaxatorum, et aliis testibus ibidem vocatis specialiter et rogatis. Ad laudem, gloriam et honorem eterne trinitatis ac beate Marie virginis et tocius curie cellestis. Cum procurante ynimico humani generis discordie, controversie, lites et litigia diversimode orta fuerint inter serenissimum dominum Ludovicum dei gratia Hungarie, Jerusolem et Sicilie regem et eius subditos, fideles, sequaces et obedientes ex una parte, et illustrem dominum Andream Dandulo eadem gratia Veneciarum ducem etc. ac commune Veneciarum et eius subditos, fideles, sequaces, obedientes ex altera, inter quas partes semper intimus amor et dilectio fuit et viguit ab antiquo. Nunc operante divina gratia, cum res quelibet prompta sit ad naturam primam prestinam et solitam de facili reformari. Reverendus vir dominus Nicolaus ellectus, confirmatus ecclesie ni-

triensis, secretissimus consiliarius prefati domini regis, ac egregius et nobilis vir magister Johannes, filius Alexandri, comes chongradiensis et castellanus Zeguediensis similiter consiliarius eiusdem domini regis et sue aule regie milex, solempnes et veri ambaxatores, procuratores, actores et nuncii speciales prefati domini regis suique consilii ad presenciam prelibati domini ducis et comunis Veneciarum ad infrascripta omnia et singula exercenda, tractanda, et complenda legitime constituti et specialiter destinati, ut constat per antedictas et veras litteras patentes prefati domini regis, sigilli sui autentici appensione munitas, et datas Bude tercio die post octavas beatorum Petri et Pauli anno domini millesimo trecentesimo quadragesimo octavo, nomine et vice ipsius domini regis suique consilii, ac omnium et singulorum suorum subditorum et fidelium et omnium et singulorum, qui quoquo modo fuissent vel essent obedientes, sequaces vel favorabiles domino regi prefato ex una parte, et egregii et sapientis viri domini Nicolaus Volpe, Stefanus Bellegno et Raynerius de Musto honorabiles cives Veneciarum, tractatores, procuratores et sindici predictorum domini ducis et communis Veneciarum, ut aparet per veras et autenticas litteras eiusdem domini ducis, bulla eius plumbea pendenti munitas, datas die III mensis presentis augusti millesimo trecentesimo quadragesimo octavo, nomine et vice eorumdem domini ducis et communis Veneciarum, et pro omnibus et singulis civibus, subditis, fidelibus, devotis ac omnibus singulis, qui quoquo modo fuissent vel essent obedientes, sequaces vel familiares eidem domino duci et communi Veneciarum ex altera. Predicti procuratores et sindici et quilibet eorum procuratoriis et sindicariis nominibus antedictis sponte ex certa scientia et non per errorem, omni modo, iure et forma, quibus melius et efficacius potuerit, fecerunt, inierunt, statuerunt et firmaverunt firmas, veras et puras treuguas et concordiam inter predictum dominum regem ac eius consilium, barones, subditos, fideles et obedientes predictos, et dominum ducem et commune Veneciarum subditos, fideles, devotos, et obedientes ipsius, de omnibus et singulis guerris, discordiis, discensionibus, rancoribus, litibus, controversiis, questionibus et querelis, que actenus fuerunt vel ad presens sunt seu esse possent causa vel occasione quacumque inter partes predictas vel earum subditos, fideles et obedientes predictos. Que quidem tregue integraliter, firmiter, inviolabiliter et inconcusse ac continue perseverare et durare debeant et observari usque ad octo annos proxime sequentes: promittentes dicte partes et quelibet earum sibi vicissim nominibus antedictis ac pro se ipsis et omnibus et singulis suprascriptis ipsas treuguas et concordiam inviolabiliter, pure, veraciter attendere et observare, et attendi et observari facere, et contra ipsas nullo modo facere vel venire. Item voluerunt et contente fuerunt et promiserunt dicte partes et quelibet earum dictis nominibus sibi vicissim per solempnem stipulacionem et per totum tempus dictarum treuguarum videlicet octo annorum dicte partes vel aliqua earum non facient vel inferrent, nec fieri seu inferri facient vel consentient per aliquos suos vel alios sub ipsarum nomine vel colore modo aliquo vel ingenio aliquam guerram, iniuriam, molestiam, gravitatem et damnum personaliter vel realiter sibi vel hominibus, civitatibus, castris, villis et locis, quas et que predicte partes et quelibet earum, et subditi et fideles, devoti et hobedientes earum et cuiuslibet earum tenent et possident. Item quod quelibet parcium predic-

tarum ac earum subditi et fideles et quicumque alii suprascripti possint et valeant transire, stare et redire per terram vel per aquam securi et sine impedimento, gravitate vel obstaculo, dummodo transeant sine gravitate et damno parcium predictarum, et cuiuslibet earum et ipsarum omnium subditorum, fidelium devotorum et obediencium predictorum. Item quod comes Cliscie, Scardone et Dalmisii cum suis et cum bonis et locis, que tenet seu possidet, sit et esse debeat in treuguis supradictis, et predicta omnia et singula promiserunt attendere et inviolabiliter observare et non contrafacere vel venire, aliqua racione vel causa, de iure vel de facto sub pena centum marcarum stipulatarum promissa tociens committenda, quociens fuerit contrafactum, et solupta vel non solupta predicta omnia et singula firma perdurent et inviolabiliter observentur, obligante una parte alteri nominibus antedictis sibi vicissim per solempnem stipulacionem omnia bona dictarum partium et cuiuslibet earum mobilia et imobilia, presentia et futura. Item quod serenissimus dominus rex promittat et iuret, et promittat et iurare faciat viginti de maioribus baronibus et consiliariis suis, predicta omnia et singula inviolabiliter observare et facere observari. Et eodem modo quod inclitus dominus dux promittat et iuret et promittere et iurare faciat viginti de maioribus baronibus et consiliariis suis, predicta omnia et singula inviolabiliter observare et observari facere. Et de predictis fiant patentes littere hinc et inde munite sigillis et bullis autenticis et veris partis cuiuslibet predictarum hinc ad festum beati Francisci confessoris proxime venturi, quod est die IV octubris proxime subsequentis. Item ex nunc dicti sindici et procuratores nominibus supradictis ex auctoritate eis in hoc competenti inter se comuniter et concorditer firmaverunt, statuerunt et ordinaverunt, quod tregue predicte in suprascripta forma ex nunc sint et inviolabiliter observenture per dictas partes usque ad terminum supradictum festi beati Francisci proxime usque ad quem ordinatum est, predicta fieri et compleri per principales personas et partes predictas, ut superius est expressum. Et si iuramenta et promissiones predicta non fierent per dictas principales personas ad terminum supradictum, in dicto casu omnia et singula suprascripta habeantur pro non factis, et non sint alicuius efficacie vel vigoris. De premissis autem omnibus et singulis facta sunt eiusdem tenoris duo publica instrumenta, unum per me Johannem Chrispianum notarium infrascriptum datum et exhibitum prefato domino duci et communi Venetiarum seu predictis tractatoribus et sindicis dicti domini ducis et communis Veneciarum nominibus antedictis, et alterum per Raphaynum de Caresinis notarium datum et exhibitum prefatis dominis ambaxatoribus recipientibus nomine prelibati domini regis.

L. S. Ego Johannes Christianus de Tomasinis imperiali auctoritate notarius publicus et asumptus ad predicta pro parte dictorum ambaxatorum domini regis, omnibus suprascriptis presens fui, et ea rogatus scribere scripsi, et meo signo consueto signavi.

Pactorum V. 88. Commemorialium IV. 122, u mletačkom arkivu.

CXLVIII. God. 1348. 8 kolovoza, u Mletcih.

Mletčani ovlašćuju svoga bilježnika, da primi od ugar.-hrv. kralja pogodbe s njim skoro utanačene, te i kraljevu prisegu, da će se jih strogo držati.

Exemplum sindicatus facti per dominum ducem et commune Veneciarum Nicolao de Lambertis misso ad dominum regem Hungarie, virtute cuius sindicatus idem Nicoletus apportavit litteras suprascriptas sigillatas sigillo domini regis predicti. Nos Andreas Dandulo dei gracia Veneciarum, Dalmacie atque Chroacie dux, dominus quarte partis et dimidie tocius imperii Romanie. Noverint universi presentes litteras inspecturi, quod nos cum nostrorum consiliorum solempnitatibus opportunis constituimus et specialiter ordinamus in nostrum nuncium et sindicum specialem providum virum Nicoletum de Lambertis, aule nostre notarium, ad comparendum coram serenissimo domino Ludovico dei gracia Hungarie, Jerusalem et Sicilie rege et eius curia, et recipiendum nomine nostro et nostri communis quaslibet stipulaciones, promissiones, obligaciones factas vel fiendas nobis pro parte dicti domini regis et eius curie super quibuslibet discordiis, guerris, controversiis et differenciis, que hactenus inter suam mayestatem eiusque subditos nos et nostros subditos et devotos obedientes quomodolibet verse forent seu etiam verterentur; et ad recipiendum ac fieri et prestari videndum quelibet sacramenta facta vel facienda per regalem excellentiam antedictam seu eius nuncium super inde; promittentes firmum habere quicquid per dictum nostrum nuncium factum fuerit in predictis. Datum in nostro ducali palacio millesimo trecentesimo quadragesimo octavo, indictione prima, die octavo mensis augusti.

Pactorum, V. 91, Commemorialium IV. 124,u mletačkom arkivu.

CXLIX. God. 1348. kolovoza, u Mletcih.

Mletčani potvrdjuju primirje 5 kolovoza i. g. s ugar.-hrv. kraljem utanačeno.

Forma litterarum datarum eidem domino fratri Thome ambaxatori et procuratori eiusdem incliti domini regis ex parte domini ducis et communis Veneciarum. Andreas Dandulo dei gracia Veneciarum, Dalmacie atque Chroacie dux, dominus quarte partis et dimidie totius imperii Romanie, universis et singulis presentes et futuros has nostras patentes litteras inspecturis. Volumus non latere, quod cum hostis antiquus humani generis inimicus assidue bonum pacis et amoris, concordie et dilectionis inter humanum genus vexare connetur, et in hiis altissimus cunctorum bonorum exibitor fidelium suorum occulos in lucem dirigens, eos in viam pacis et tranquilitatis inducit confirmatque in dilectionem et concordiam mentes suas. Sane cum post guerras et discordias, lites et controversias dudum versatas inter serenissimum et excellentissimum dominum Ludovicum dei gratia Hungarie, Jerusalem et Sicilie, ducatus Appulee, principatus Capue, Rame, Servie, Galicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque regem, principem Salernitanum et honoris montis sancti Angeli dominum ex una parte, et nostram serenitatem nostramque communitatem ex altera intervenerint concordie, compositiones et treugue, inite, tractate, facte et firmate per solempnes ambaxatores et nuncios eiusdem serenissimi domini regis ac per sindicos, procuratores et nuncios nostros nostreque communitatis predicte in civitate

Veneciarum, ipsarum compositionum, concordiarum et treguarum formam et tenorem in presentibus nostris litteris fecimus annotari secundum quod in publico instrumento ex parte eiusdem serenissimi domini regis de hiis treuguis et concordiis serenitati nostre confecto per Johannem Chrispianum de Tommasinis publicum imperiali auctoritate notarium vidimus contineri, cuius instrumenti tenor per omnia talis est. *(Hic inseritur instrumentum treguarum confectum die 5 augusti 1348, et cum ipso hoc documentum terminat).*

Pactorum V. 92, u mletačkom arkivu.

CL. God. 1348. 12 kolovoza, u Mletcih.

Glede šteta od Šibeničana knezu Pavlu nanešenih.

1348. die XII augusti, capta: quod scribatur comiti Sibenici de isto damno, quod scribit nobit comes Paulus Scardone sibi factum fore per Sibenicenses, et quod examinet querelam eius, et si invenerit, quod ita fuerit, sicut dictus comes Paulus scribit, faciat sibi fieri restitutionem condignam, relaxando homines suos, quos haberet detentos, procedendo contra culpabiles, et eos puniendo, sicut iustum |fuerit et pro honore nostro viderit convenire. Si vero factum aliter se haberet, rescribat nobis omnem informationem et claritatem, quam habere poterit in predictis. Et notificetur eidem comiti Paulo de ista provisione, quam fecimus in hoc facto. Non sinceri 0, de non 0, alii de parte.

Secr. cons. rog. B. 13, u mletačkom arkivu.

CLI. God. 1348. 12 kolovoza, u Mletcih.

O njekoj raspri obstojećoj medju hvarskim i trogirskim načelnikom u poslu izbora hvarskoga biskupa.

1348. die XII augusti. Quod scribatur ser Sclavo Bollani querella nobilis viri Marci Ruzini comitis Tragurii, de qua plurimum miramur, si ita est, quomodo de processu per ipsum in Tragurinos comisso extra suum regimen non poterat nec debebat procedere; et propterea eidem mandamus, quatenus nobis distincte et particulariter rescribat quam titius potest, qualiter negotium illud processit, et rationes, que ipsum moverunt ad tale processum; super sedendo et non procedendo ad aliam novitatem in predictis, donec sibi aliud dederimus in mandatis. De partibus 64, de non 0, non sinceri 0.

Et scribatur ser Marco Ruzino illud, quod per nos est provisum, et quod ista causa nullam faciat novitatem, sed supersedeat, donec a nobis aliud habuerit in mandatis. Capta.

Ad removendum omne scandalum et furorem inter dominum Marcum Ruzino comitem Tragurii et inter ser Sclavum Bollani potestatem nostrum Fare et Braze pro facto electionis episcopatus Fare, consulunt sapientes, quod deponantur, cassentur et anullentur omnes et singuli processus facti per ipsum potestatem contra cives aliquos Tragurii nominatos in littera ipsius ser Marci Ruzino; et similiter removeantur omnes processus facti per ipsum comitem Tragurii, si quos forte fecisset; et hoc, cum totius negotii veritatem lucide videant et cognoscant.

Misti XXIV. 93, u mletačkom arkivu.

CLII. God. 1348. 8 rujna, u Budimu.

Ljudevit ugarsko-hrvatski kralj kune se Mletčanom, da će primirje, s njimi 5 kolovoza sklopljeno, sveto uzdržati.

Juramentum domini regis Hungarie. Nos Lodovicus dei gracia Hungarie, Jerusalem et Sycilie, ducatus Apulie, principatus Capue, nec non Dalmacie, Croacie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex, princeps Salernitanus et honoris montis sancti Angeli dominus, universis et singulis presentes et futuros has nostras patentes litteras inspecturos volumus non latere, quod cum hostis antiquus humani generis inimicus assidue bonum pacis et amoris, concordie et dilectionis inter humanum genus unionem vexare conetur, et in hiis altissimus cunctorum bonorum exhibitorum fidelium suorum occulos in lucem dirrigens, eos in viam pacis et tranquilitatis induit confirmatque in dilectionem et concordiam mentes suas. Sanne cum post guerras et discordias, lites et controversias dudum versatas inter excelsam nostram serenitatem ex una parte et inclitum ducem Venetorum Andream Dandulo et communitatem eorumdem ex altera, intervenerint concordie, compositiones et treugue inite, tractate, facte et firmate per nostros solempnes ambaxatores et nuncios ac per sindicos, procuratores et nuncios eiusdem incliti ducis et communitatis predicte in civitate Veneciarum, ipsarum compositionum, concordiarum et treuguarum tenorem et formam in presentibus nostris litteris fecimus annotari, secundum quod in publico instrumento ex parte eiusdem incliti ducis et communitatis predicte de hiis treuguis et concordiis serenitati nostre confecto per Raphaynum de Caresinis publicum imperiali auctoritate notarium et eiusdem ducatus scribam vidimus contineri, cuius instrumenti tenor per omnia talis est: *(hic inseritur instrumentum treguarum de die 5 augusti 1348)* .... De premissis autem omnibus et singulis facta sunt eisdem tenoris duo publica instrumenta, unum per me Raphaynum notarium infrascriptum datum et exhibitum prefatis dominis ambaxatoribus recipientibus nomine prelibati domini regis, alterum per Johannem Chrispianum notarium datum et exhibitum predictis dominis tractatoribus et sindicis domini ducis et communis Veneciarum, et recipientibus nominibus antedictis. Nos Lodovicus premissa dei gracia rex prescriptis una cum viginti baronibus infrascriptis de dignioribus et magnis prepositis regni nostri negociis, iuravimus corporaliter tactis sacris scripturis, et iure iurando firmavimus et promisimus Nicoleto de Lambertis sindico et procuratori et nuncio eiusdem incliti ducis et communitatis predicte ad hoc sindicatum ab eis et plenum mandatum habenti ac proinde misso ad presenciam nostre serenitatis, easdem compositiones, treuguas et concordias firmas, ratas et gratas habere et tenere ac haberi facere et teneri per cunctos et universos nostros subditos et fideles ac omnes, qui quoquo modo fuissent et essent favorabiles, obedientes vel sequaces nostre clemencie, ac eisdem treuguis, compositionibus et concordiis non contrafacere vel venire, nec contrafieri vel veniri facere per dictos vel aliquem predictorum et infrascriptorum nobis fidelium eciam aliqua racione vel causa directa vel indirecta, aut dolo vel fraude, pocius eas inviolabiliter, veraciter et pure observare promittimus et attendere inconcusse, ac attendi et observari facere usque ad tempus octo annorum, sicut per eosdem sindicos, ambaxatores et nuncios et procuratores partium predicta-

rum tractate, composite, promisse et ratifficate fuerunt, ac secundum formam et continenciam predicti instrumenti ex inde confecti, de quo supra fecimus mentionem. Nomina autem baronum et procerum regni nostri, de quibus supra faciunt presentes nostre littere mentionem, sunt hec, videlicet: dominus Nicolaus palatinus regni Hungarie predicti et iudex Cumanorum, dominus Stephanus voyvoda Transilvanus et comes de Zomiel (Zonuk), dominus Olivierius magister tavarnicorum nostrorum regalium, item dominus Johannes ecclesie Vesprimiensis et dominus Nicolaus ecclesie Nitriensis electi confirmati, dominus Tatamerius prepositus ecclesie Albensis aulle nostre vicecancellarius, Paulus magister tavarnicorum regalium, dominus Nicolaus Triurus magister pincernarum nostrorum comes Barciensis, dominus Yvvalba magister dapiferorum, dominus Dyonisius magister agasonum nostrorum, dominus Thomas condam voyvoda nunc comes de Craseuo et de Kenuoe, dominus Nicolaus Stephani condam bannus Sclavonie, dominus Andreas filius Loche comes Siculorum et de Brasouo, dominus Thomas Petri comes Lyptouiensis, dominus Cyko comes Borsodiensis, dominus Petrus Pharus comes de Wyuar, dominus Ladislavus dictus Ses magister dapiferorum domine regine, dominus Stephanus prepositus Budensis, dominus Johannes comes Sumu(et)ensis, Chongradiensis ac dominus Heustachius dispensator noster. In quorum omnium firmitatem, fidem et evidenciam pleniorem has nostras patentes litteras fieri mandavimus, et sigilli nostri autentici appensione muniri. Datum et actum in civitate nostra Budensi octavo die mensis septembris anno domini millesimo trecentesimo quadragesimo octavo suprascripto.

Pactorum V. 90, u arkivu mletačkom.

CLIII. God. 1348. 9 rujna, u Mletcih.

Njeki Zadrani, izbjegnuvši iz Mletaka, meću se u državni progon.

1348 die IX septembris, capta: cum infrascripti Jadratini, qui erant hic ad mandata nostra, de Veneciis absque nostra conscientia reccenserint et auffugerint, et citati ad terminum datum sibi comparere neglexerint: vadit pars, ut in hoc fiat, quod exigitur pro honore nostro, quod ipsi et quilibet eorum clamentur in banno de Veneciis et districtu, et de omnibus terris, et locis dominio nostro subiectis, et bona eorum et cuiuslibet eorum confiscentur in nostrum commune Veneciarum. Et scribatur comiti et consiliariis Jadre, et comiti Pagi et ubicumque sciretur, quod haberent de suo, quod ipsa bona intromitti et conservari faciant nomine nostri communis. Et committatur et mandetur omnibus nostris rectoribus, quod si predicti vel eorum aliquis reperiri posset in forcio suo, ipsos faciant detineri, et ad nos mittant sub fida custodia, de quibus tunc fiat, sicut videbitur isti consilio. Nomina vero ipsorum Jadrensium sunt hec: Andreas Pauli de Zorni, Cressius de Zadolinis, Daniel de Varicassis, dominus Franciscus Pauli de Georgio miles, Fredericus de Lompre, Jacobus Michaelis de Varicassis, Nicolaus Miche de Botono.

Misti XXIV. 96, u arkivu mletačkom.

CLIV. God. 1348. 13 rujna, u Budimu.

Ljudevit I kralj ugarsko-hrvatski odredjuje svoje poslanike s naputkom, da prodju u Mletke i primu prisegu dužda i dvadeset odličnijih plemića na pogodbu primirja od 5 kolovoza i. g.

Exemplum sindicatus facti per dominum regem Hungarie domino fratri Thome, ellecto Milchoviensi, misso ad dominum ducem et commune Veneciarum, virtute cuius sindicatus idem frater Thomas apportavit et habuit litteras infrascriptas ex parte domini ducis et communis Veneciarum. Nos Ludovicus dei gracia Hungarie, Jerusalem et Sicilie rex, ducatus Appulee, principatus Capue, Dalmacie, Croacie, Rame, Servie, Galicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex, princeps Salernitanus, honoris montis sancti Angeli dominus. Memorie commendantes tenore presencium significamus quibus expedit universis, quod recipiendum iuramentum, quod inclitus princeps dominus Andreas Dandolo dux nomine suo proprio personaliter et nomine tocius communis Veneciarum cum viginti senatoribus et senioribus seu principalibus super observandis ordinamentis, treuguis, pactis et dispositionibus inter nos et eosdem ducem et commune Veneciarum ac nostros et ipsorum sequaces, fideles et devotos per venerabilem in Christo patrem dominum Nicolaum ecclesie Nitriensis ellectum, confirmatum et dominum Johannem Alexandri comitem Chongradiensem et Sumunensem nostros procuratores et sindicos speciales apud eosdem ducem et commune Veneciarum factis et publicis instrumentis ac tandem nostris litteris exinde confectis, stabilitis et firmatis, facere debent sicut et nos similiter cum viginti proceribus nostris baronibus super observacione earumdem usque ad tempus octo annorum, sicut per eosdem sindicos, ambaxatores et procuratores nostros tractate, promisse et ratificate fuerunt, ac secundum continenciam et formam predicti instrumenti nostri exinde confecti corporaliter iuravimus, venerabilem in Christo patrem dominum fratrem Thomam ellectum Milchoviensem ellectum (dilectum) nostrum et fidelem in Veneciis ad eosdem et in medio eorumdem duximus transmittendum; constituentes ipsum et preficientes nostrum procuratorem in premissis ambaxatorem ac sindicum specialem legitimum atque verum; ratum, gratum et firmum presentibus nos habituros promittentes, quicquid per eumdem dominum fratrem Thomam ellectum procuratorem, ambaxatorem et sindicum specialem iu premissis iuramenti exactione et acceptacione per eumdem dominum ducem Venetorum et suos viginti seniores principaliores exibendi ac litterarum seu publicorum instrumentorum ex inde super iuramento quo supra exacto confectione, nec non nomina coniuratorum senatorum et seniorum ac principaliorum, sicut in nostris litteris ex parte nostri datis continetur conscriptione, actum fuerit atque ordinatum in persona nostre maiestatis. Datum Bude feria sexta proxima post festum nativitatis Virginis gloriose, anno domini millesimo trecentesimo quadragesimo octavo.

Pactorum, V. 91, u mletačkom arkivu.

CLV. God. 1348. 14 rujna, u Mletcih.

Ovlašćuje se knez zadarski, da po svojoj volji iz Zadra odpravi nadbiskupova namjestnika i druge, koji bi mu se sumnjivi činili.

1348. die XIV septembris, capta: quod respondeatur comiti Jadre super facto vicarii archiepiscopi Jadre, de quo scribit, quod cum habet suspectum, quod similiter nos habemus suspectionem de eo; et ideo ei mandamus, quod statim faciat dictum vicarium et quoslibet alios, qui viderentur ei suspecti, exire de civitate Jadra, possendo, si quos de civibus habet suspectos, mittere ipsos Venecias vel alio, ut ei videbitur secundum condiciones personarum.

Secr. cons. rogat. B. 16, u mletačkom arkivu.

CLVI. God. 1348. 24 rujna, u Mletcih.

Riešeno, da se obavieste načelnici primorskih gradova u Dalmaciji o tom, da će doći u jadransko more pet galija kralja ugar.-hrv. Ljudevita, i kako da se s njimi ponašaju.

1348. die XXIV septembris. Quod notifficetur nostris rectoribus Sclavonie usque Ragusium de adventu istarum quinque galearum domini Lodoici (regis Apulee) in culfum nostrum, et quod de suis locis et terris habeant diligentem custodiam et curam, et reddant previsa omnia navigia nostra et sua de ipsis, ut possint sibi diligenter precavere. Et scribatur dictis rectoribus, quod cum dictis galeis et hominibus earum transeant cum verbis amicabilibus et decentibus, sicut pro honore nostro viderint convenire, ita tamen, quod in aliquo actu favoris vel contrarii non possit dici partialitatem aliquam nos tenere. 22.

Capta: quod per unam barcham velociter notifficetur comiti nostro Ragusii et aliis nostris rectoribus Sclavonie de illis quinque galeis domini Ludovici, que venire dicuntur ad has partes, scribendo eis, quod si ad loca sua venirent, tractent eas amicabiliter, sicut convenire videbunt honori et bono nostro, habendo principalem respectum et bonam provisionem ad custodiam et conservationem terrarum, locorum nostrorum et navigiorum nostrorum; reddendo de hoc previsa navigia nostra, que transirent per suas partes. 43, de non 4, non sinceri 12.

Secr. cons. rogat. lib. B. 21, u arkivu mletačkom.

CLVII. God. 1348. 28 rujna, u Mletcih.

Odredjuje se, neka se pred ugar.-hrv. poslanikom duždi 24 prva dostojanstvenika zaprisežu, da će pogodbu primirja sveto izpuniti.

1348. die vigesimo octavo septembris, capta: cum in treuguis et concordio tractato inter dominum regem Ungarie seu eius ambaxatores et nos inter alia caveatur, quod ipse dominus rex cum viginti de maioribus suis ipsas treuguas et concordiam retificabit, et approbabit, et personaliter cum dictis viginti baronibus iurabit corporaliter ipsas treuguas servare; et quia dictus dux e contrario cum viginti de nobilibus Veneciarum debeat similiter ipsas retificare et iurare; et sicut audistis, ipse dominus rex Ungarie cum viginti baronibus suis iuraverit et prestiterit sacramentum debitum ex

parte sua: vadit pars, quod dominus dux et consiliarii, capita de XL, advocatores communis, procuratores ecclesie sancti Marci et sapientes pro factis regis Hungarie debeant in presencia ambaxatorum dicti domini regis huc missorum propterea facere similiter sacramentum pro parte nostra, de quo sacramento fiant dictis ambaxatoribus littere nostre patentes in simili forma suarum. Et quia videtur deficere unus ad numerum de viginti, suppleatur de aliis procuratoribus super commissariis, qui sunt in terra per texeras.

Secr. cons. rog. lib. B. 22, u arkivu mletačkom.

CLVIII. God. 1348. 30 rujna, u Mletcih.

Neprima se, da se tvrdjava sv. Mihovila na otoku prama Zadru sasvim sruši, nego se umalja vojnička snaga u dalmatinskih gradovih, kojim se stavlja do znanja utanačeno primirje.

1348. die ultimo septembris. Cum per dei gratiam facta nostra Sclavonie sint pro essendo in bono et securo statu, maxime pro treuguis nuper factis inter dominum regem Hungarie et nos, et per nobis faciat diminuere expensas in quantum fieri potest: vadit pars, quod castrum sancti Michaelis, quod nobis non inducit aliud quam expensas, et omnis fortilicia dicti castri, et etiam ecclesia et campanile et omne aliud edificium, quod est ibi, diruinetur in totum, destruendo cisternas et alia loca, unde habebatur aqua, sic quod amplius ibi non possit fieri fortalicia. Verum fratres dicti monasterii sancti Michaelis possint habere de lapidibus et lignamen dictorum hedifficiorum pro faciendo sibi ecclesiam et habitationem ad planum, ubi videbitur comiti et consiliariis Jadre. 40, 4; de non 24, 26; non sinceri 21, 24.

Capta: quod de tribus banderiis peditum, que sunt in Nona, remaneat solum una banderia ibi, et alie due banderie et similiter omnes banderie, que sunt in Sibenico, Scardona et Clissia, et in omnibus aliis locis Sclavonie reducantur Jadram, et tam de istis, quam de illis, que sunt in Jadra, comes noster Jadre eligat et faciat CCC bonos pedites, qui stent ad custodiam Jadre, comes noster Jadre eligat et faciat CCC bonos pedites, qui stent ad custodiam Jadre, cassando alios per illum modum, qui ei videbitur melior et tutior, faciendo suas rationes, et eis satisfaciendo de eo, quod servivissent; notificando comiti nostro Jadre et aliis nostris comitibus Sclavonie et comiti Paulo treuguas predictas, et quod, faciendo illas in locis suis publice proclamari, illas observent et faciant observari. Et cras ante terciam hic in Veneciis proclamentur. De non 3, non sinceri 3.

Secr. cons. rogatorum lib. B. 23, u arkivu mletačkom.

CLIX God. 1348. 30 rujna, u Mletcih.

O plaći kneza zadarskoga.

1348. die ultimo septembris, capta: quod stemus firmi, quod comes Jadre vadat cum salario, familia et equis consuetis. 62.

Cum in civitate Jadre continue requiratur bona et diligens custodia, ita quod detrahere comiti familiam et equos, et specialiter de sociis suis non est utile sed potius posset esse dannosum: vadit pars tam pro hoc,

tum etiam, ut possint sustineri onera expensis regiminis, quod non detrahatur comiti aliquid, sed fiat cum familia et conditionibus solitis; sed addantur libre X grossorum in anno, ita quod habeat libras XC grossorum in anno, sicut habebat LXXX. 15.

Cum salarium comitis Jadre, quod est libras LXXX grossorum in anno, non respondeat ad expensas, et bonum sit transire sine additione salarii, si per aliam viam provideri potest: vadit pars, quod ubi comes Jadre tenetur habere tres socios, sic solum teneat duos; et ubi tenebatur habere XII domicellos, sic tenere debeat solum VIII; et ubi tenebatur habere VIII equos, sic teneat solum sex; intelligendo, quod isti duo equi, qui deducuntur, sint unus de equis a libris C et unus de roncinis. 10, non sinceri 3.

Secr. cons. rogat. lib. B. 24, u arkivu mletačkom.

CLX. God. 1348. 2 listopada, u Mletcih.

Proglas o utanačenom primirju.

1348. II indictione, mensis octobris die secundo. Universis et singulis notum sit, quod ad laudem, reverentiam et honorem domini nostri Jesu Christi et genitricis sue Virginis gloriose ac beati Marci apostoli et evangeliste protectoris nostri inter serenissimum Ludovicum dei gratia Hungarie regem pro se et suis subditis et omnibus, qui quo modo fuisset vel essent obedientes, sequaces vel favorabiles ipsius regis et ducale dominium pro omnibus et singulis civibus, subditis, fidelibus, devotis, obedientibus, sequacibus vel favorabilibus suis firmate sunt et solemniter iurate ex utraque parte tregue vere et pure et concordium usque octo annos proxime futuros, in quibus quidem treguis per utranque partium est promissum, quod per totum tempus dictorum octo annorum aliqua partium non facient vel inferrent nec inferi per aliquos suos vel alios sub ipsorum nomine vel colore facient vel consentient modo aliquo vel ingenio aliquam guerram, iniuriam, molestiam, gravamina, rem et damnum personaliter vel realiter sibi vel hominibus, civitatibus, castris, villis, locis, quas et que predicte partes et quelibet earum et subditi et fideles et quicunque vel suprascripti possint et valeant ire, transire, stare, redire per terram, per aquam, secure et sine impedimento, gravitate vel obstaculo, dummodo transeant sine damno et lesione partium predictarum, et cuiuslibet earum et ipsorum fidelium, subditorum, devotorum et obedientium predictorum; item quod comes Paulus Cliscie, Scardone et Dalmisie cum suis et cum bonis et locis, que tenet seu possidet, sit et esse debeat in treuguis predictis. Quare dominus dux mandat et precipit, ut ipse tregue per omnes et singulos cives, subditos et fedeles devotos, obedientes, sequaces ac favorabiles suos debeant secundum earum continentiam integraliter obeservare. Publicata fuit in scalis Rivoalti per preconem supra consalum.

Estratti dai notatorii del Collegio, list 20, u arkivu mletačkom.

CLXI. God. 1348. 6 listopada, u Mletcih.

Novci, izvadjeni iz prodaje dobara pok. Mihovila Fanfonje i sina mu Ivana, položeni kod prokuratura sv. Marka.

Exemplum cuiusdam memorialis facti dominis Marco Lauredano et Johanni Delphino procuratoribus ecclesie sancti Marci de ducatis quingentos

unum depositis apud eos. Nos Andreas Dandulo dei gratia Veneciarum, Dalmacie atque Chroacie dux etc. Deponimus apud vos nobiles viros dominos Marcum Lauredano et Johannem Delphyno, procuratores nostros ecclesie sancti Marci ducatos quingentos unum, quos comes noster Jadre nobis misit, habitos de quibusdam possessionibus et bonis condam Michaelis de Fanfogna et successive Johannis de Fanfogna eius filii, pro quibusdam sententiis nobis presentatis. Quam quidem pecuniam conservare, et de ipsa dare et facere debeatis, sicut nos vel successores nostri vobis duxerimus ordinandum. Datum in nostro ducali palacio die VI octubris, secunde indictionis, MCCCXLVIII.

Commemorialium IV. 126, u mletačkom arkivu.

CLXII. God. 1348. 18 listopada, u Mletcih.

Na molbu bosanskoga bana republika preporučuje papi fratra Peregrina za bosanskoga biskupa.

1348. die XVIII octubris, capta: cum dominus banus Bossine rogaverit nos per litteras suas instanter, quod recommendemus pro episcopatu Bosne fratrem Peregrinum, ordinis minorum, vicarii generalis ministri in Bossina, domino pape et nostris nunciis in curia romana, et nos simus multum obligati dicto domino bano et etiam fratri Peregrino: vadit pars, quod in favorem dicti fratris Peregrini pro ipso episcopatu possint scribi et mitti littere domino pape et nostris nunciis et aliis, sicut et in illa forma, que videbitur dominio; cum quibus litteris nostris mittantur etiam sue.

Misti XXIV 100, u arkivu mletačkom.

CLXIII. God. 1348. 25 listopada, u Mletcih.

Papi se piše, neka imenuje Iliju kanonika trogirskoga trogirskim biskupom.

1348. die XXV octubris, capta: quod considerata laudabili et bona dispositione, quam honestus vir dampnus Helyas canonicus Tragurinus gessit et gerit ad honores nostri dominii, possint in eius favorem scribi littere nostre domino pape, cardinalibus et nunciis nostris existentibus in curia, et aliis, quibus videbitur, pro episcopatu Traguriensi, qui vacare dicitur, in illa forma, que domino et consiliariis videbitur.

Misti, XXIV. 101, u arkivu mletačkom.

CLXIV. God. 1348. 29 listopada, u Avinjonu.

Poslije smrti Martina Matija, naddjakon rabski, imenovan za osorskoga biskupa.

Exemplum litterarum papalium pro episcopo Auserensi. Millesimo trecentesimo quadragesimo octavo prime indictionis. Clemens episcopus, servus servorum dei, dilecto filio nobili viro Andree Dandulo duci Veneciarum castellane diecesis salutem et apostolicam beneditionem. Ad fovendum in caritatis visceribus ecclesiarum prelatos, et presertim eos, qui pontificali preminent dignitate eo fiducialibus te nostris precibus invitamus, quo in operum executione bonorum tue nobilitatis affectum extimamus magis promptum et facilem invenire, maxime cum apud deum, cuius prelati huiusmodi sunt ministri, eterne retributionis precium et apud homines laudis

preconium tibi exinde merito aquiratur. Dudum siquidem, videlicet idem (idibus) februarii, pontificatus nostri anno secundo, ex certis racionabilibus causis provisiones omnium ecclesiarum cathedralium in patriarchatu Gradensi consistencium tunc vacancium, et que in antea usque ad biennium ex tunc computandum vacare contingeret, ordinationi et dispositioni nostre hac sedis apostolice reservandas, decernentes ex tunc iritum et inane, si secus superius per quosquonque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingerit attemptari; et de inde cum finis dicti biennii tunc instaret, nos similibus causis moti pariter et inducti reservationem et decretum usque ad duos annos a fine dicti biennii computandos, modo et forma expresis superius, extendenda duximus et eciam proroganda.

Postmodum vero ecclesia Auserensis, que in patriarchatu predicto constitit, per obitum bone memorie Martini episcopi Auserensis, qui tempore prorogationis et extensionis predictarum extra romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ac ad provisionem celerem et felicem dicte ecclesie, de qua nullus preter nos ea vice disponere poterat, reservatione et de cetero, extensione et prorogatione obsistentibus supradictis, solicitis studiis intendentes, et cupientes talem eidem ecclesie preesse pastorem, qui sciret, velet et posset ipsam in suis iuribus conservare ac eciam adaugere, post deliberationem, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad dilectum filium Matheum electum Auserensis archidiaconum Arbensem in sacerdocio constitutum, de litterarum sciencia, vite mundicia, honestate morum, aliisque virtutum meritis nobis et eisdem vestris fratribus et fidedignorum testimoniis commendatum, et que eciam dilecti filii capitulum eiusdem ecclesie per suas patentes litteras commendaverint, direximus oculos nostre mentis; quibus omnibus antedicta meditatione discussis, et de persona ipsius Mathei nobis et fratribus predictis ob huiusmodi suorum exigentiam meritorum accepta eidem Auserensi ecclesie duximus providendum, ipsumque illi prefecimus in episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius eidem Matheo electo tam in spiritualibus quam in temperalibus plenarie ammittendo, firma spe fiduciaque conceptis, quod eidem Matheo electo gracia asistente divina eadem ecclesia sub ipsius felici regimine utiliter et prospere dirigetur, grataque honoris et comodi suscipiet incrementa. Quo circa nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatenus eumdem electum una cum ecclesia suo commissa regimini in ducatu tuo Veneciarum constituta, habens pro nostra et apostolice sedis reverencia propensius commendatos, eidem electo tu reddas in tuo favore munificum et in certis oportunitatibus graciosum, ita quod ipse tuo fultu auxilio in commissa sibi cura partoralis officii possit deo propicio prosperari, ac tibi exinde perennis in te premium et a nobis condigna veniat actio gratiarum. Datum Avnioni, IV kalendas novembris, pontificatus nosti anno sexto.

Commemorialium IV. 118, u mletačkom arkivu.

CLXV. God. 1348. 4 studenoga, u Mletcih.

Dozvoljeno njekojim plemićem službujućim u Zadru, da jih državni brodovi prebrode.

1348. die IV novembris, capta: quod vir nobilis ser Petrus Caravello, iturus consiliarius Jadre, cum familia et levibus arnesiis suis conducatur Jadram cum galea conductura illuc comitem, et ser Franciscus Bembo, qui est consiliarius Jadre, cum familia et levibus arnesiis suis reducatur Venecias cum eadem galea reductura comitem, qui est ibi.

Misti knj. XXIV. 102, u arkivu mletačkom.

CLXVI. God. 1348. 15 studenoga, u Mletcih.

Daje se srbskomu kralju još jedan četvrti brod pod istimi uvjeti; nego se odbija njegova molba, da ga oruža u Mletcih, i da njeki Dubrovčanin bude imenovan mletačkim gradjaninom.

1348. die XV novembris, capta: quod complacetur domino regi Raxie de una quarta galea seu ligno furnito, sicut concessum fuit ei de aliis tribus galeis, et cum illis conditionibus omnibus. Ad factum vero possendi ipsas galeas hic armare, et ad id, quod petit, quemdam Raguseum effici nostrum civem, respondeatur ambaxatori suo cum pulcris verbis, excusando nos ab hiis duobus capitulis, sicut melius dominio apparebit.

Misti XXIV. 103, u mletačkom arkivu.

CLXVII. God. 1348. 1 prosinca, u Mletcih.

Mletčani uvjeravaju ugar.-hrv, kralja, da će se strogo držati pogodbe primirja.

1348. die primo decembris, capta: quod respondeatur domino regi Hungarie in hac forma. Ad contenta litterarum regie maiestatis, quas cum devota affectione suscepimus, effectualiter et veraciter respondemus, quod nostri moris est, et sic facere semper proponimus in futurum, inita pacta servare. Gentes siquidam vestre quecumque transire, stare et redire per quaslibet terras et districtus nostros libere valuerunt et valent absque impedimento aliquo nostro vel gentis nostre, a quibus pocius amicabiliter recepti et tractati sunt, et omni tempore tractarentur cum expedicionibus et favoribus opportunis, et ita expresse cunctis rectoribus et fidelibus nostris dedimus in mandatis. Mare etiam cunctis nationibus cupimus esse securum, per quod gens vestre regie celsitudinis sine impedimento nostro vel gentis nostre libere navigare potuit atque potest. Verum in factis alienis nunquam nos, nisi in sedandis discordiis impedivimus, nec ad id pacti series nos astringit, sed reddit notabiliter absolutos, quod quantum in nobis fuerit, inviolabiliter observavimus, nec intendimus ab eius federe aliqualiter deviare tum ratione fidei tum contemplacione regie maiestatis, affectantes hinc inde iuxta laudabilia nostrorum predecessorum vestigia nutriri favente domino amoris et benivolentie incrementum. 55, de non 1, non sinceri 3.

Secr. cons. rogat. B. 35, u arkivu mletačkom.

CLXVIII. God 1348. 17 prosinca, u Budimu.

Ljudevit I ugarsko-hrvatski kralj javlja duždu mletačkomu, da su mu, kao što je pitao, došli njegovi poslanici, da s njimi nije mu moguće bilo mira ugovoriti, ali da će uviete primirja sveto izpuniti.

Exemplum litterarum domini regis Hungarie missarum domino duci Veneciarum pro confirmacione treuguarum, quas litteras portaverunt secum ambaxatores nostri missi ad ipsum dominum regem in eorum reversione. Serenitatis vestre amicicie constat evidenter, quod nos vobis nunciavimus per litteras nostras, ut solempnes ambasiatores vestros ad habendum colloquium una nobiscum de pace perpetua, que pendentibus treuguis inter nos stabiliri posset et firmari, ad nos transmitteretis, quos vestra celsitudo ad nostram destinavit maiestatem. Nosque de intentione vestra, ut predicta pax perputua inter nos posset stabiliri, eosdem ambasiatores nostros plenarie habuimus informatos, que videlicet pax perpetua adhuc minime inter nos potuit ordinari. Et licet, ut premittitur, predicta pax perpetua nunc inter nos nequiverit ordinari, tamen treuguas inter nos ordinatas usque tempus deputatum volumus observare. Nam si predicta pax perpetua inter nos fieri et ordinari potuisset, nos libenti animo voluissemus. Datum Bude decimo septimo die mensis decembris. Lodovicus Hungarie, Jerusalem et Sicilie rex.

Pactorum, V. 94, u mletačkom arkivu.

CLXIX. God. 1349. 3 siečnja, u Mletcih.

Kralju srbskomu se izkazuje radost na njegovo uspješno napredovanje, te mu se preporučuju podložnici u Feteleju; a knezu zadarskomu se nalaže, neka u zahtievih kneza Grgura Korbavskoga po pravu sudi.

Capta: quod scribatur domino regi Raxie, congaudendo de prosperitatibus suis, et recommendando ei locum et fideles nostros castri Phetelei et alia loca nostra et fideles cum verbis, que convenientia videbuntur.

Capta: quod scribatur comiti Jadre, quod comiti Gregorio Corbavie vel procuratoribus suis faciat et fieri faciat iuris et iusticie complementum, ut possidere possit domos et alias possessiones, sibi de iure spectantes et pertinentes in civitate Jadre et districtu, sicut etiam consulunt sapientes Sclavonie.

Misti XXIV. 110, u arkivu mletačkom.

CLXX. God. 1349. 17 siečnja, u Mletcih.

O razpri medju Rabljani i Pažani radi sela Novalje.

1348. die XVII ianuarii, capta: cum inter commune et homines Arbenses ex una parte et commune et homines Pagi ex altera iam diu fuerit diffecencia et controversia occaxione cuiusdam ville vocate Novalia, site ab uno capite insule Pagi, et nunc de novo videatur, quod dicte partes actualiter se offenderunt et dampnificaverunt occaxione predicta in tantum, quod homicidia et offensiones intervenerunt; et nostra intersit omne scandalum inter subditos amovere: vadit pars, quod scribatur comiti et communi Pagi et comiti et communi Arbi, quod ab omni novitate debeant

abstinere, et restituant, si quid hic inde indebite foret ablatum, et quod cum intentionis nostre sit, quod hii, qui fuerunt in culpa excessuum, puniantur, quod inponatur debitus finis differentiis predictis, debeat utraque dictarum partium ad nos infra unum mensem a presentatione presentium mittere nuncios vel nuncium sufficientem cum sindicatu ad plenum informatum integraliter super predictis et super omnibus differentiis, que forent inter ipsas partes, ut per nos provideri et fieri possit, quod melius apparebit.

Misti XXIV. 112, u mletačkom arkivu.

CLXXI. God. 1349. 26 siečnja, u Mletcih.

Piše se banu bosanskomu i knezu Ivanu cetinjskomu o kradjah, koje čine njihovi podložnici stanovnikom Trogira, Spljeta i Šibenika, te se ovi gradovi bodre, da se medju sobom sdruže, da lašnje lupeže ukrote.

1348. die XXVI ianuarii, indictione secunda, capta: quia providendum est etiam pro honore nostro ad evitationem derobationum, quas comes noster Tragurii scribit fore factas et continue fieri fidelibus nostris Tragurii a gente domini bani Bossine et comitis Juanni condam comitis Neliptii: vadit pars, quod scribatur prefato domino bano super hoc cum illis convenientibus verbis, que videbuntur pro bono facti; scribendo etiam eidem comiti Ivano, aggravando nos de huiusmodi excessibus, et dicendo, quod nisi debita satisfactio fieret, et huiusmodi derobationes non cessarent, providebimus indemnitati nostrorum fidelium in bonis suis, que in hoc casu, sicur scit, sunt specialiter obligata.

Et insuper scribatur comitibus Spaleti, Sibenici et Tragurii de hiis derobationibus, que cotidie comittuntur, et quod intelleximus, quod derobatores se quandoque reducunt cum rebus derobatis, et utuntur de una civitate ad aliam, quod inhonestum reputamus et grave, cum omnes nostre civitates et subditi intelligi debeant unum corpus, et maxime ut pacifice vivant, et derobationes cessent. Et ideo cum alias facta fuerit quedam unio inter dictas civitates pro conservatione earum, ortamur eos et sibi mandamus, quod dictam unionem debeant observare taliter, quod huiusmodi derobationes cessent. Et si forte in totum observari non possent, aut non sufficerent, specialiter pro evitatione predictorum, debeant omnes tres comites simul convenire et examinare modum, qui eis videretur utilis pro cessatione et remotione derobationum et statu tranquillo nostrorum fidelium, et nobis rescribant, ut per nos fieri possit et ordinari id, quod conveniens et utile fuerit pro honore nostro et bono eorum.

Misti XXIV 114, u mletačkom arkivu.

CLXXII. God. 1349. 29 siečnja, u Mletcih.

Dopušćeno Nikoli Galetu Zadraninu iz Mletaka proći u Senj, da njeke novce, što mu je ondješnji pok. knez Dujam dugovao, utjera.

1348. die XXIX ianuarii, capta: cum Nicolaus Gallelus civis Jadre, qui ad mandata nostra hic stat, exponit, quod cum in immensa et incredibili neccessitate stet hic, et aliquam quantitatem pecunie, quam debebat recipere a condam comite Doymo, nunquam habere potuit, missis pluries pro ipsa pecunia exigenda filio et uxore sua, et nisi personaliter vadat Se-

gnam, sit perditurus totam dictam pecuniam, de qua sperat substentare se et suos, petens, quod ire possit ad exigendum dictam pecuniam, dimittendo hic filium loco sui: vadit pars, quod dictus Nicolaus possit ire, habendo terminum reddeundi duorum mensium, non possendo ire nec transire territoria et districtus comitum Vegle, et dimittendo filium suum usque ad redditum eius, qui se presentet advocatoribus communis diebus et oris omnibus consuetis, et servet omnia mandata nostra.

Misti XXIV. 116, u mletačkom arkivu.

CLXXIII. God. 1349. 9 veljače, u Mletcih.

Šalje se nješto vojske i novca u Zadar za ondješnje potriebe.

1348. die IX februarii, secunde indictionis, capta: quod secundum requisitionem comitis Jadre soldizentur de hinc due banderie bonorum peditum pro mittendo Jadram cum soldo, quod habent alii stipendiarii pedites Jadre; et scribatur comiti, quod habitis ipsis duabus banderiis, reformet et furniat banderias pedestres deputatas ad standum in Jadra de sufficientibus hominibus, et casset insufficientes ita, quod non excedatur numerus peditum ordinatorum.

Capta: quia quantitas II mille ducatorum, que per partem captam pridie hic poterunt mitti Jadram, non est sufficiens, sicut dicit ser Thomas Viadro olim comes ibi, qui dicit, quod plures page debent fieri et expense pro laboreriis castrorum, pro quibus non sufficerent pautiores IV mille ducati: vadit pars, quod possint mitti Jadram usque IV mille ducati pro predictis expensis, sicut erat captum de II mille.

Mesti XXIV. 117, u mletačkom arkivu.

CLXXIV. God. 1349. 13 veljače, u Napulju.

Kraljica apuljska obavieščuje duždа mletačkoga, da šalje njekoliko brodova u jadransko more na obranu svojih podložnika proti ugarskomu kralju.

MCCCXLIX mensis marcii, secunde indictionis. Memoriale factum tempore serenissimi domini nostri domini Andree Dandulo incliti Veneciarum ducis 1349, mense marcii. — Exemplum litterarum missarum domino duci ex parte dominorum regis et regine Apulie.

Magnifice vir et amici carissimi. Non insistimus verbis, quia satis amicitie vestre et in remotioribus partibus constat experimentaliter esse notum, qualiter illustris rex Hungarie se fecit publicum hostem nostrum, regnumque nostrum invasit, et ad iteratam invasionem per gentes suas et alios apparatus bellicos nisus est et nititur toto posse contra reverentiam et obedientiam sancte matris ecclesie reverende domine matris nostre, sub cuius virtute dextere nos prosequimus causam nostram. Quin igitur ad tollendum perverse sue machinationis fomentum, quod est hucusque visus intendere signatas per mare certas galeas tam de gentibus regni nostri pro maiori parte, quam de gentibus Monachi, quam eciam aliis devotis nostris armatis providimus secundum deliberacionem nostri consilii versus illas partes maritimas quamcicius profecturas contra ipsum hostem nostrum et gentes suas et litis sue corsortes atque participes, complices et fauctores et ad nostram et nostrorum subditorum complacentiam nullius, quod alte-

rius iniuriam vel offensam s . . illarum capitaneo sub gravibus penis realibus et personalibus expresse duximus iniungendum. Amiciciam vestram affectuose precamur, quatenus capitaneus et navigantes in galeis eisdem velitis amore nostri commendatos suscipere, et in locis et partibus vestri dominii mandare per vestros fideles et subditos amicabiliter pertractari ac de victualibus et necessariis aliis, que requisiverint, subveniri, videlicet ut maior vobis et vestris de galeis ipsis suppetat certitudo, contentamur et volumus stari debere ista vice processui vestro, habendo in casu forsitam, quo aliquas vel aliquam ex dictis galeis contra vos et vostros ex inopinato contingerit actentare, quod nullo modo credimus locum habere, cum de hoc specialiter supra habeant cum omni diligencie actencione cavere ipsi, et de affectatione pro honore nostro et complacent a quoque vestra concessuri, si placet, eidem capitaneo securitatis vestre litteras oportunas . . . nobis inde rescripturi. Datum Neapoli sub anulis nostris secretis die XIII februarii, secunde indictionis.

Commemorialium IV. 136, u mlet. arkivu.

CLXXV. God. 1349. 17 veljače, u Mletcih.

Odobrava se izbor Marka Justiniana za rabskoga kneza.

1348, die XVII februarii. Consilium vocatum fuit pro arengo fiendo ad confirmationem nobilis viri domini Marci Justiniano comitis Arbensis, in quo quidem arengo approbatus et laudatus fuit ipse dominus Marcus, et ei datum vexillum per illustrem et magnificum dominum dominum Andream Dandulo inclitum ducem Venetiarum; post que dictus dominus Marcus misit domino duci unum sciphum argenteum deauratum cum pede cum cooperto honorabile multum.

Maggior consiglio. Spiritus, str. 160.

CLXXVI. God. 1349. 26 veljače, u Mletcih.

O trgu, koj se je imao u Zadru načiniti rušenjem njekojih kuća.

1348. die XXVI mensis februarii, capta: cum alias foret captum per istud consilium et mandatum comiti et consiliariis Jadre, quod pro facienda platea neccessaria castro nostro accipientur de domibus specialium personarum circa castrum, et diruerentur et satisfacentur per extimacionem illis, quorum erant; et comes et consiliarii Jadre, qui fuerunt et sunt, dicant, quod bonum esset pro avantagio et sparagno communis et de domibus et aliis possessionibus rebellium, que confiscate sunt in commune, fieret permutatio et cambium pro domibus predictis nobis neccessariis: vadit pars, quod scribatur comiti et consiliariis Jadre, quod sumus contenti et placet nobis, quod de dictis possessionibus rebellium permutentur et dentur per communem extimationem pro domibus predictis nobis neccessariis, si hii, quorum erunt domus, erunt contenti, et si non contentarentur, volumus, quod eis satisfiat secundum quod extimate fuerint. Verum cum intelleximus, quod due domus, ubi stant consiliarii, sunt valde utiles et accomode, quia sunt prope palacium, volumus ante omnia, quod debeant, si possunt, operari et inducere illos, quorum sunt, ad recipiendum de dictis possessionibus rebellium in cambium pro eis per communem extinationem fiendam hinc

inde; et facto hoc, si fieri poterit, vel in casu, quo fieri non posset, sumus contenti, quod faciant permutacionem, que dicta est, pro domibus nobis neccessariis circa castrum, cum eis, qui permutare voluerint, et aliis nolentibus, satisfaciant in pecunia, ut est dictum. Preterea ordinetur, quod quamcicius esse potest, mittantur persone instructe pro ordinandis et faciendis foveis circa castrum, sicut petunt comes et consiliarii nostri Jadre.

Misti XXIV. str. 124, u mletačkom arkivu.

CLXXVII. God. 1349. 26 veljače, u Mletcih.

Radi nestašice vina u Mletcih dopušća se, da se uvede iz Šibenika i dalnjih mjesta bez daće.

1348. indictione secunda, die XXVI februarii, capta: quod propter penuriam vini, quam patimur, quo ad presens ordinetur, quod vinum de Sibenicho et inde ultra intra culphum, intelligendo de Corfuy et a Corfu citra, et vinum de capite Otranti et inde per riperiam, et usque Neapolim, et de Neapoli et de Scicilia et monte Angeli ultra usque ad predictos confines, quod ab hodie in antea recedet de ipsis partibus et adducetur Venecias, sit franchum a dacio ducati, et istud duret usque ad s. Michaelem proxime venturum; et officiales nostri dacii vini aponant mentem et curam, ne fraus alique committatur in dannum communis. Et cridetur hec pars in scalis Rivoalti, ut omnibus plenarie nota sit; et si consilium etc. Die 4 marcii missa officialibus dacii vini

Maius consilium. Spiritus 161, u mletačkom arkivu.

CLXXVIII. God. 1349. 12 ožujka, u Mletcih.

Na molbu bana bosanskoga umoljen papa, neka podieli kninsku biskupiju Dujmu iz Spljeta, kninskomu naddjakonu.

1349. die XII marcii, capta: quod in favorem domini Doymi de Spalato, archidiaconi tiniensis, quem dominus banus Bossine nobis per suas litteras efficaciter commendavit, possint scribi littere recommendationis domino pape et cardinalibus pro episcopatu tiniensi, ad quem ellectus est, in illa forma, que videbitur.

Misti XXV. 2, u arkivu mletačkom.

CLXXIX. God. 1349. 19 ožujka, u Mletcih.

Izabran odbor, da rieši razmirice obstojeće medju njekimi dalmatinskimi gradovi, i njeke stvari tičuće se Krka.

Die XIX marcii 1349, capta: quod super ambaxata Ragusii, et super querelis aliquibus, questionibus et differentiis, que vertuntur inter commune et homines Arbi ex una parte et commune et homines Pagi ex altera, et etiam super querellis, quas faciant illi de Cherso de Arbensibus, pro quibus quodlibet dictorum communium misit huc suos ambaxatores et sindicos, et super aliquibus negociis pertinentibus ad insulam Vegle, elligantur tres sapientes per ellectionem in isto consilio, qui examinent et audiant partes, inter quas sunt dicte differencie, et iura earum, possendo habere consilium cum illis, quod videbuntur, et dent nobis suum consilium in scriptis, cum quo erimus hic, et fiet, sicut videbitur. Et quilibet possit ponere partem. Et habeant terminum per totum mensem presentem; et nichilominus si

antea voluerint consilium, detur eis. Et vocetur consilium, quandocumque petierint, sub pena solidorum X.

Electi sapientes: ser Johannes Mauroceno, ser Hermolaus Venerius filius ser Nicolai, ser Nicolaus Contareno sancti Bassi, ser Franciscus Mauroceno filius ser Johannis, ser Zaninus Georgio condam ser Johannis.

Misti XXV. 3, u mletačkom arkivu.

CLXXX. God. 1349. 20 ožujka, u Mletcih.

Dopušća se, da državni brodovi odvedu Martola Gjorgjića Dubrovčanina u Dubrovnik.

1349. die XX marcii, capta: quod Martolo de Zorzi de Ragusio nostro fideli possit ire cum galeis nostris culfi cum uno famulo suo et levibus arnesiis usque Ragusium.

Misti XXV. 4, u mletačkom arkivu.

CLXXXI. God. 1349. 29 ožujka, u Mletcih.

Izručuju se odboru za pomorsku sigurnost listovi poslani iz Ugarske, da o njih svoje mnienje pismeno podnesu.

1349. die XXIX marcii, capta: quod iste littere, que venerunt de Hungaria, ostendantur sapientibus deputatis super securitate navigandi, videlicet utrique manui, qui examinent, et dent nobis super eis suum consilium in scriptis, cum quo erimus hic, et fiet, sicut videbitur.

Misti XXV. 6, u mletačkom arkivu.

CLXXXII. God. 1349. 31 ožujka, u Mletcih.

Šalje se svetčani poslanik srbskomu caru s nalogom, neka navede cara, da nadoknadi štete Dubrovčanom učinjene, i da jim stare povlastice učuva.

Die ultimo marcii 1349. Sapientes: ser Johannes Georgio, ser Nicolaus Contareno, ser Francischimus Mauroceno, capta: quod in nomine dei pro satisfaccione et emenda damnorum, que nostri fideles et subditi de Ragusio receperunt et indesinenter recipiunt in regno Raxie, de quibus coram nostro dominio graviter conqueruntur, supplicantes, ut pro eorum restitucione et refformatione novitatum et molestiarum, que eis cotidie irrogantur, dignaremur nostros solempnes ambaxatores ad dominum imperatorem Raxie destinare, mittatur unus ambaxator solempnis ad eundem dominum imperatorem, cui commitatur, quod post salutacionem decentem, ei ex parte nostra prepoxitam, exponat et dicat, quod nos, qui dudum inspeximus sincere dilectionis integritatem, opera clare fidei et magne, quod devocionis et benivolencie firmamentum, quibus predecessores eius incliti reges Raxie et predecessores nostri duces illustres et communitas intervenientibus laudabilibus hinc inde caritatis operibus viguerunt. Que quidem mentibus nostris insita, nos nostraque tota communitas conservare proposuimus cum sua excellentissima maiestate et servare, quantum in nobis est, in futurum proponimus. Audivimus dudum et incessanter audimus graves querelas et lacrimabiles nostrorum subditorum de Raguxio et fidelium dilectissimorum, dicencium, in imperio suo per officiales sue sancte corone non una sed di-

versis gravitatibus et molestiis tractari, et propterea se ad dampna gravia et iacturas intolerabiles esse prolapsos, damna quoque dampnis, novitates novitatibus, et gravitates gravitatibus continuate et indesinenter augeri. Que quidem novitates, gravitates et dampna, eis importabilia, ipsos astringunt de regno recedere, et in ipso more solito non merchari. Pro tanto igitur nos, qui in animo semper habemus sinceritatem et fidem, bonumque pacis et cocordie cum sua sacra maiestate nostre mentis affectibus conservare, providimus eundem ambaxatorem nostrum ad suam serenitatem clarissimam destinare, quam volumus ex parte nostra instanter orare, ut pro honore sue serenissime maiestatis ad iusticie et nostre consideracionis intuitu, qui semper et omni tempore reddimur ad eius beneplacita et grata dispositi leta mente, dignetur et velit ordinare efiicaciter, et cum effectu mandare, quod ipsis nostris fidelibus de Raguxio, quorum commoda et augmentum tamquam bonum proprium reputamus, et continue procuramus de hiis, que ab eis indebite sunt ablata, ac de dampnis singulis, gravitatibus et molestiis, eis per officiales regis irrogatis, fiat satisfacio debita et condigna taliter, quod habeant merito contentari, et eis causa querele amplius non supersit. Mandet quoque et sua clara serenitas, et ordinet cum effectu, quod ipsi Raguxei privilegiis et promissionibus gaudeant ac immunitatibus et benefficiis in regno suo, quibus a longis retro temporibus sunt gavisi, ita ut restitutis et satisfactis dampnis quibuslibet, et ammotis gravitatibus et molestiis insolitis quibuscunque ipsi Raguxini in regno suo conversari possint et mercari sicut consueverant ante has novitates et dampna, hoc cum sue maiestatis honorem et decus respiciet, et fructus et utilitas inde parabitur toti regno; nos quamque licet promptos dudum in singulis eius beneplacitis reperire potuerit, inveniet ad eadem singulis temporibus promptiores. Et cum hiis et aliis verbis, que videbuntur domino; consiliariis et capitibus, procuret penes ipsum dominum imperatorem hanc nostram intencionem et voluntatem habere et obtinere.

Capta: verum cum comes et commune Ragusii intendant mitere suos ambaxatores simul cum nostro, et munera ipsi imperatori, sicut eorum ambaxatores affirmant, dictus ambaxator noster eundo, prius vadat Raguxium, ubi, postquam eis dederit noticiam vie sue, audiat querelas eorum et dampna, que passi sunt in imperio predicto, in quibus ipsi petunt satisfactionem, informando se de hiis, que neccessaria pro eius ambaxata fuerint, ut sciat, quid habeat facere, quidquam petat; et postea prosequatur celeriter iter suam; et si dominus imperator predictus satisfecerit Raguxeis, aut concordia intervenerit, de qua Raguxei contententur, Venecias revertatur; si autem intencionem nostram et ipsorum Raguxinorum, quas super diximus, ab eodem domino rege habere non poterit vel complere, et essent alique differentie inter ipsum dominum imperatorem et illos de Raguxio, scribat ipsas nobis, et quicquid fecerit et habuerit, et super ipsis suum consilium, et expectet nostrum mandatum.

Capta: preterea audiat ambaxator predictus querelas nostrorum civium dampnificatorum, de quibns petat satisfactionem et emendam ab eodem domino imperatore in ea forma, sicut et quando videbitur domino, consiliariis et capitibus.

Capta: habere debet dictus ambaxator libras trecentas pro tribus mensibus; et si ultra duos menses steterit, habeat libras quinquaginta in

mense. Et habeat quatuor famulos, de quibus unus sit expensator, et unum notarium et unum coquum. Et possit expendere solidos duos grossorum in die in expensis sui oris et familie, et nabulum vero habeat a communi.

Capta: et pro hiis, cum necessarium sit, quod dictus ambaxator celeriter vadat, et expediat viam suam, recedat ambaxator predictus ad beneplacitum dominacionis.

Capta: et super istis negociis possint scribi (littere) Nicolao de Buchia in ea forma, que videbitur domino, consiliariis et capitibus; cum habeamus per relationem ambaxatorum de Raguxio, qui sunt hic, quod ipse Nicola de Buchia est auctor et causa horum dampnorum et novitatum. Insuper cum dicant ambaxatores predicti, quod Maroe de Gozzi de Ragusio, qui est gener eiusdem Nichole de Buchia, et Nicola de Lucari de Ragusio habent societatem cum eodem Nicola de Buchia, qui etiam sunt, ut dicunt, causa istorum dampnorum et novitatum, scribatur comiti Raguxii, quod veniente ambaxatore nostro Raguxium, conveniant insimul, et vocatis ad se predictis duobus civibus Raguxeis, redarguant eos cum illis verbis et ea forma, quam pro bono negociorum cognoverint expedire.

Misti, XXV 7, u mletačkom arkivu.

CLXXXIII. God. 1348. 4 travnja, u Mletcih.

Odgovara se ugar.-hrv. kralju, da će mu poslanike odpremiti u svrhu, da se primirje preokrene u stalni mir.

1349. die IV aprilis. Quod ad litteras domini regis Hungarie, Jerhusalem et Sicilie respondeatur in hac forma:

Dominus, consiliarii, capita de XL, ser Justinianus Justiniano, ser Nicolaus Volpe, ser Marcus Ruzini, ser Thomas Viadro, sapientes. Capta: serenitatis vestre litteras recepimus continentes, quod treugua octo annorum ob hoc inter vestram serenitatem et nos extiterat ordinata et firmata, ut in ipso tempore dicte treugue pax perpetua possit firmari et ordinari, et quod instanti tempore nostros ambaxatores mittere poteramus ad vestram presenciam, et vestra serenitas ad nos poterat destinare etc., prout in ipsis litteris distinctius continetur. Quibus plenius intellectis et visis, per presentes ducimus respondendum, quod illud idem propositum, quod habet de pace perpetua confirmanda inter partes, nos etiam habuimus et habemus, sicut deus plene novit, qui semper dispositi fuimus et sumus pro nostra parte, ut durante dicta treugua fieret perpetua et pura pax, per quam amor et benevolentia mutua possit in futurum recipere continuum incrementum. † Et ut hoc, quod supradicitur, pareat per effectum, nisi forte casus mortalitatis, que esse dicitur in partibus Ungarie, per quem cives nostri timerent venire ad illas partes, quia de anno preterito substinuerunt casum similem mortalitatis, solempnes ambaxatores nostros presentialiter mitteremus; sed habito, quod cessaverit, illos ad excellentie vestre culmem transmittemus. Verum si interim in hoc temporis intervallo aliquis modus vel aliud quodlibet videretur esse fiendum serenitati vestre, potest, quicquid placet, declarare, cum semper disponamus ad vestrum quodque spectans ad conservationem pacis perpetue et mutui amoris continuum incrementum. 51.

versis gravitatibus et molestiis tractari, et propterea se ad dampna gravia et iacturas intolerabiles esse prolapsos, damna quoque dampnis, novitates novitatibus, et gravitates gravitatibus continuate et indesinenter augeri. Que quidem novitates, gravitates et dampna, eis importabilia, ipsos astringunt de regno recedere, et in ipso more solito non merchari. Pro tanto igitur nos, qui in animo semper habemus sinceritatem et fidem, bonumque pacis et cocordie cum sua sacra maiestate nostre mentis affectibus conservare, providimus eundem ambaxatorem nostrum ad suam serenitatem clarissimam destinare, quam volumus ex parte nostra instanter orare, ut pro honore sue serenissime maiestatis ad iusticie et nostre consideracionis intuitu, qui semper et omni tempore reddimur ad eius beneplacita et grata dispositi leta mente, dignetur et velit ordinare efiicaciter, et cum effectu mandare, quod ipsis nostris fidelibus de Raguxio, quorum commoda et augmentum tamquam bonum proprium reputamus, et continue procuramus de hiis, que ab eis indebite sunt ablata, ac de dampnis singulis, gravitatibus et molestiis, eis per officiales regis irrogatis, fiat satisfacio debita et condigna taliter, quod habeant merito contentari, et eis causa querele amplius non supersit. Mandet quoque et sua clara serenitas, et ordinet cum effectu, quod ipsi Raguxei privilegiis et promissionibus gaudeant ac immunitatibus et benefficiis in regno suo, quibus a longis retro temporibus sunt gavisi, ita ut restitutis et satisfactis dampnis quibuslibet, et ammotis gravitatibus et molestiis insolitis quibuscunque ipsi Raguxini in regno suo conversari possint et mercari sicut consueverant ante has novitates et dampna, hoc cum sue maiestatis honorem et decus respiciet, et fructus et utilitas inde parabitur toti regno; nos quamque licet promptos dudum in singulis eius beneplacitis reperire potuerit, inveniet ad eadem singulis temporibus promptiores. Et cum hiis et aliis verbis, que videbuntur domino; consiliariis et capitibus, procuret penes ipsum dominum imperatorem hanc nostram intencionem et voluntatem habere et obtinere.

Capta: verum cum comes et commune Ragusii intendant mitere suos ambaxatores simul cum nostro, et munera ipsi imperatori, sicut eorum ambaxatores affirmant, dictus ambaxator noster eundo, prius vadat Raguxium, ubi, postquam eis dederit noticiam vie sue, audiat querelas eorum et dampna, que passi sunt in imperio predicto, in quibus ipsi petunt satisfactionem, informando se de hiis, que neccessaria pro eius ambaxata fuerint, ut sciat, quid habeat facere, quidquam petat; et postea prosequatur celeriter iter suam; et si dominus imperator predictus satisfecerit Raguxeis, aut concordia intervenerit, de qua Raguxei contententur, Venecias revertatur; si autem intencionem nostram et ipsorum Raguxinorum, quas super diximus, ab eodem domino rege habere non poterit vel complere, et essent alique differentie inter ipsum dominum imperatorem et illos de Raguxio, scribat ipsas nobis, et quicquid fecerit et habuerit, et super ipsis suum consilium, et expectet nostrum mandatum.

Capta: preterea audiat ambaxator predictus querelas nostrorum civium dampnificatorum, de quibns petat satisfactionem et emendam ab eodem domino imperatore in ea forma, sicut et quando videbitur domino, consiliariis et capitibus.

Capta: habere debet dictus ambaxator libras trecentas pro tribus mensibus; et si ultra duos menses steterit, habeat libras quinquaginta in

mense. Et habeat quatuor famulos, de quibus unus sit expensator, et unum notarium et unum coquum. Et possit expendere solidos duos grossorum in die in expensis sui oris et familie, et nabulum vero habeat a communi.

Capta: et pro hiis, cum necessarium sit, quod dictus ambaxator celeriter vadat, et expediat viam suam, recedat ambaxator predictus ad beneplacitum dominacionis.

Capta: et super istis negociis possint scribi (littere) Nicolao de Buchia in ea forma, que videbitur domino, consiliariis et capitibus; cum habeamus per relationem ambaxatorum de Raguxio, qui sunt hic, quod ipse Nicola de Buchia est auctor et causa horum dampnorum et novitatum. Insuper cum dicant ambaxatores predicti, quod Maroe de Gozzi de Ragusio, qui est gener eiusdem Nichole de Buchia, et Nicola de Lucari de Ragusio habent societatem cum eodem Nicola de Buchia, qui etiam sunt, ut dicunt, causa istorum dampnorum et novitatum, scribatur comiti Raguxii, quod veniente ambaxatore nostro Raguxium, conveniant insimul, et vocatis ad se predictis duobus civibus Raguxeis, redarguant eos cum illis verbis et ea forma, quam pro bono negociorum cognoverint expedire.

Misti, XXV 7, u mletačkom arkivu.

CLXXXIII. God. 1348. 4 travnja, u Mletcih.

Odgovara se ugar.-hrv. kralju, da će mu poslanike odpremiti u svrhu, da se primirje preokrene u stalni mir.

1349. die IV aprilis. Quod ad litteras domini regis Hungarie, Jerhusalem et Sicilie respondeatur in hac forma:

Dominus, consiliarii, capita de XL, ser Justinianus Justiniano, ser Nicolaus Volpe, ser Marcus Ruzini, ser Thomas Viadro, sapientes. Capta: serenitatis vestre litteras recepimus continentes, quod treugua octo annorum ob hoc inter vestram serenitatem et nos extiterat ordinata et firmata, ut in ipso tempore dicte treugue pax perpetua possit firmari et ordinari, et quod instanti tempore nostros ambaxatores mittere poteramus ad vestram presenciam, et vestra serenitas ad nos poterat destinare etc., prout in ipsis litteris distinctius continetur. Quibus plenius intellectis et visis, per presentes ducimus respondendum, quod illud idem propositum, quod habet de pace perpetua confirmanda inter partes, nos etiam habuimus et habemus, sicut deus plene novit, qui semper dispositi fuimus et sumus pro nostra parte, ut durante dicta treugua fieret perpetua et pura pax, per quam amor et benevolentia mutua possit in futurum recipere continuum incrementum. † Et ut hoc, quod supradicitur, pareat per effectum, nisi forte casus mortalitatis, que esse dicitur in partibus Ungarie, per quem cives nostri timerent venire ad illas partes, quia de anno preterito substinuerunt casum similem mortalitatis, solempnes ambaxatores nostros presentialiter mitteremus; sed habito, quod cessaverit, illos ad excellentie vestre culmem transmittemus. Verum si interim in hoc temporis intervallo aliquis modus vel aliud quodlibet videretur esse fiendum serenitati vestre, potest, quicquid placet, declarare, cum somper disponamus ad vestrum quodque spectans ad conservationem pacis perpetue et mutui amoris continuum incrementum. 51.

Ser Marcus Faletro sapiens vult partem supradictam usque †, cum hac additione: et propterea affectantes puro corde, ut antiquatus amor et benivolentia specialis inter illustres predecessores vestros et nostrum dominium, favente domino, conservetur in bonum, et in melius peracrescat inter partes, declaramus, quod si serenitati vestre placeret ad presentiam nostram suos ambaxatores destinare, illos, gratanti animo amicabiliter recipientes, intelligeremus pro suo onore; et si placeret, quod nostros mitteremus, in hoc essemus et sumus parati, sicut duximus rescribendum, dispositi ad unum quodque spectans ad amoris et benivolentie bonum finem; super quibus suam expectabimus responsivam, et in hoc dignetur scribere velle suum. 4.

Ser Petrus Gradonico, ser Stefanus Belegno. Intellectis litteris missis ducali dominio per dominum regem Hungarie, continentibus inter cetera, quod nunc tempus instat hinc inde ambaxatam pro pace firmanda perpetue delegari, et quia in ipsis litteris regalibus quodam confuse legitur, utrum ipsa ambaxata hinc debeat destinari vel deinc, tamen quia secundum continenciam litterarum ipsius bani Sclavonie ad ipsam ambaxatam primo hinc destinandam promovimur, et eciam habito respectu ad suam excellentiam et pro favoribus nostrorum negociorum et bono ipsius concordii, sit dignius et decencius, ipsam ambaxatam hinc destinare, consulunt, quod in bona gratia respondeatur ipsi regi, quod litteras maiestatis sue nuper recepimus, que nostris sensibus grate plurimum advenerunt, ad quarum significata respondemus, quod recensentes in animo longevim dilectionis et amicicie puritatem, que viguit actenus inter progenitores suos et nostros precessores, et viget nunc, et vigebit in posterum inter suam maiestatem et nostrum dominium velud mutue ab ipsis precessoribus propagantam ad ipsas treuguas ad hoc se promovimus confirmandas, ut quasi preambulum ad pacem veram per partem alterutram posset facilius declinari. Et propterea cognoscentes in eisdem suis litteris contenta procedere a vero stipite caritatis, ad ipsam pacem firmandam perpetuo anxius revocamur, volentes maiestati sue esse notorium, quod nostre intencionis est ad suam excellentiam ambaxatam nostram solepnem quantocius delegare, tractare hinc inde, que incumbere noverit maiestatis sue incremento, honori nostro et bono, cum hiis et aliis verbis decentibus et modestis, que videbuntur domino, consiliariis et capitibus superinde, et postea super modum ambaxate providebitur, sicut fuerit opportunum.

Et scribatur domino bano Sclavonie in illa forma, que videbitur, regratiando ei de sua interpositione benivola, quam asserit se facturum, et quod nostram ambaxatam mittere intendimus ad ipsum dominum regem, que cum ipso bano primo debeat se conferre, ut se cum ipso informet circa modum ipsius pacis prosecutivum etc. cum hiis et aliis verbis neccessariis superinde.

Et similiter scribatur illis de Bebis suam sollicitudinem commendando, et quod circa contingencia sint solliciti nobis scribere seriose. 2.

Ser Johannes Sanuto: cum consulere super his litteris regis Hungaric sit dubium et obscurum, habito respectu in omnem partem, consulit, quod scribatur regi Hungarie in forma interscripta:

Serrenitatis vestre litteras nuper recepimus letamenter, quarum sententia diligencius preconcepta, presentibus respondemus, quod ad memoriam

revocantes sinceritatem et dilectionem mutuam inter progenitores vestros et predecessores nostros et nos vigentem, ad ipsas treuguas per dictum temporis spacium in maiestatis vestre litteris declaratam se firmavimus altrinsecus copulandas, ut ad pacem firmandam propterea additus et methodus posset facilius reperiri, sicut in eisdem nostris scriptionibus continetur. Et licet ad eundem propositum nostra intentio vigilaret, et nobis precordium remaneret, ut pacis et concordii zelatores: tamen quia intelleximus, in partibus vestre maiestati subdictis mortalitatis epidemia inmaniter desevire, tempus habile et precisum super h..iusmodi negociis reformandis non videtur esse ad ambaxatam aliquam destinandam, sed, deo duce, in cuius misericordia est sperandum, ipsa mortalitate cessata, decentius et comodius poterit in hoc provideri, prout honori sue excellencie et nostro incumberit et conservationi pacis mutue; cum hiis et aliis verbis, super hiis opportunis. 7, non 0, non sinceri 3.

Misti XXV 9, u mletačkom arkivu.

CLXXXIV. God. 1349. 6 travnja, u Mletcih.

Primećuje se poslaniku idućemu k srbskomu kralju, da traži nakloniti kralja na mir sa istočnim carem i sa bosanskim banom, te da može toga radi proći u Carigrad.

Die VI aprilis 1349. indictione secunda, capta: quod pro dei reverentia et honore nostro ac pro omni bona causa committatur ambaxatori ituro ad dominum regem Servie, quod, tacto primo et principaliter eidem regi negocio Raguseorum et nostrorum Venetorum, pro quibus specialiter destinatur, debeat cum verbis condecentibus movere verba eidem regi Servie de tractando concordio inter ipsum et dominos imperatores Constantinopolis. Et si ipse rex videbitur attendere ad ipsum concordium, et dicto ambaxatori videbitur, notificet hoc ambaxatori nostro Constantinopolitano, scribendo ei, quod persentiat voluntatem ipsius domini imperatoris Constantinopolis in facto dicti concordii, trahendo ab ipso imperatore quicquid in hoc poterit, et velociter rescribendo dicto ambassatori, misso ad regem Servie. Et si ipsi ambaxatori nostro misso in Serviam secundum ea, que habebit tam a rege Servie quam ab ambaxatore Constantinopolitano, videbitur de eundo usque Constantinopolim ad dominos imperatores pro ipsa causa concordii, vadat in bona gratia, et in hoc faciat, quicquid boni poterit. Et ad cautelam dentur sibi hinc littere credulitatis pro faciendo ambaxiatam ipsis dominis imperatoribus. Preterea comittatur eidem ambaxatori, quod non impediendo propterea predicta duo negocia, videlicet Raguseorum et Venetorum nostrorum et imperatorum Constantinopolis, sed ipsa primo et principaliter procurando, si sibi videbitur posse tentare concordiam inter dominum regem Servie et dominum banum Bosine, debeat dare omnem operam, quam poterit, pro bono ipsius concordii, sicut et quando sibi videbitur, possendo etiam ire ad ipsum dominum banum, et sibi ambaxiatam pro parte nostra facere occasione predicta, non impediendo prima duo negocia, ut est dictum. Et dentur etiam pro isto respectu sibi littere credulitatis ad predictum dominum banum. De non 3, non sinceri 5.

Capta: et quia labor additur prefato ambassatori, et conveniens sit, ut etiam premium augeatur, vadat pars: quod si dictus ambassator non

ibit in Constantinopolim, habeat libras CCC in tres menses et inde in antea libras L in mense, sicut pridie captum fuit. Si vero ibit in Constantinopolim, habere debeat libras V centum in IV menses et inde in antea libras L in mense. De non 3, non sinceri 3.

Misti XXV. 10, u arkivu mletačkom.

CLXXXV. God. 1349. 6 travnja, u Mletcih.

Milost podieljena jednomu prognaniku Zadraninu u Mletcih.

1349. die VI aprilis, capta: quod Saladinus de Saladino de Jadra, qui hic manet in confinibus ad nostra mandata, et propter desolationem agendorum suorum ipse non habet unde vivere et subvenire patri suo seni et impotenti, habere debeat de gratia speciali intuytu pietatis, et quia videtur dispositus ad fidelitatem et bonum, duas postas equestres in Tarvisio in banderia Italicorum, non augendo numerum soldatorum de inde, et ex nunc pro forniendo ipsas portas possit ire Tarvisium. Et in consilium etc.

Et est capta per VI consiliarios, III capita et tres partes rogatorum, et XL congregatis LXXX et supra.

De parte 60, 68; de non 8, 14, non sinceri 9, 6.

Misti XXV. 10, u mletačkom arkivu.

CLXXXVI. God. 1349. 6 travnja, u Mletcih.

Nalaže se kapetanu u jadranskom moru, da prebrodi ženu kneza Pavla kliškoga Katarinu, rodjenu Dandulo, iz Zadru u Trogir.

1349. die VI aprilis, capta: quod ad instantes preces comitis Pauli, fratris condam comitis Mladeni, mandetur capitaneo nostro culfi, quod nòbilem dominam Catarinam Dandulo condam ser Johannis, uxorem dicti comitis Pauli, que ire debet cum galeis Romanie usque Jadram, si dictus capitaneus culfi repererit se citra Tragurium, levare debeat dictam dominam super una ex galeis nostris, et ipsam cum familia et eius arnesis levibus conduci facere Tragurium, non sinistrando tamen negocia nec armatam nostram.

Misti XXV 10, u arkivu mletačkom.

CLXXXVII. God. 1349. 18 travnja, u Mletcih.

Neka odbor, sastavljen od njegdašnjih knezova u Dalmaciji, podnese svoje mnienje o sazezu, koj su htjeli sklopiti medju sobom isti gradovi, o poslanstvu kneza Pavla i listu bosanskoga bana.

1349. die XVIII aprilis, capta: cum sint hic ambaxiatores Sybenici, Tragurii et Spaleti, missi pro facto tractandi unionem inter dictas terras, que, ut dicitur, esset utilis multum, et pro aliis factis communium suorum: vadit pars, quod committatur intrascriptis nobilibus, qui alias fuerunt rectores in terris predictis, et habent plenam informationem de statu ipsarum, quod audire debeant ea, que dicti ambaxatores dicere volunt, et super eis examinare et dare nobis suum consilium in scriptis, cum quo venietur huc, et fiet, sicut videbitur, et quilibet possit ponere partem, et similiter cum libertate predicta dent nobis suum consilium super ambaxatam co-

mitis Pauli, quam audire debeant, et super aliquibus litteris missis per banum Bossine pro territoriis, que dicit habere sub aliquibus ex terris nostris.

Nobiles autem suprascripti, quibus predicta commissa sunt, sunt hii: ser Johannes Gradonico, ser Marcus Cornario, ser Marcus Ruzini.

Misti knj. XXV. 13, u arkivu mletačkom.

CLXXXVIII. God. 1349. 27 travnja, u Mletcih.

Dva Zadranina, buduć iz Mletaka pobjegla, bačena su u progon, a njihova imanja zaplienjena.

1349. die XXVII aprilis, capta: cum infrascripti duo Jadratini de numero L confinatorum olim per nostrum comitem Jadre de nostro mandato, confinia fregerint, nec steterint ad mandata, et citati ad terminum, comparere noluerunt: vadit pars, quod ipsi et eorum quilibet clamentur in banno de Venetiis et districtu et de omnibus locis et terris subiectis dominio, et bona eorum in nostrum commune debeant confiscari. Et scribatur comiti et consiliariis Jadre et comiti Pagi, et ubicumque sciretur esse de bonis eorum, quod ipsa intromittant et conservent nomine nostri communis; et committatur et mandetur nostris rectoribus, quod predictos et eorum quemlibet, si in eorum forcio reperierint, faciant detineri, et ad nos mittant sub fida custodia, de quibus tunc fiet, sicut videbitur isti consilio.

Cerne de Carbono, Lompre filius Pauli de Vite.

Capta: quia contra aliquos Jadrenses, qui fregerunt confinia, processum fuit per istud consilium die XII maii in MCCCXLVIII, inter quos debebat esse quidam Crescius de Zevalellis, et per errorem scriptum fuit Cresius de Zadolinis, vadit pars, quod corigatur dictus error, et dicatur Cresius de Zevalellis, sicut debet dici.

Mesti XXV. 15, u mletačkom arkivu.

CLXXXIX. God. 1349. 30 travnja, u Mletcih.

Predlaže se Trogiru, Šibeniku i Spljetu, te i knezu Pavlu kliškomu, da sastave složno i ukupno za svoju obranu domobranstvo. Nalaže se knezu šibeničkomu i zadarskomu, da podložnikom bosanskoga bana Stjepana pravicu diele. Piše se kralju ugarskomu sbog šteta, koje njegovi podložnici čine Zadru i Šibeniku. Kancelar šibenički pomilovan.

1349. die ultimo aprilis, capta: cum pro ambaxata Tragurii et Sibenici et per litteras comitis Sibenici sit facta aliqua mentio ducali dominio do paysanatico fiendo in partibus Sclavonie, cum illud paysanaticum videatur utile fieri in partibus ipsius: vadit pars, quod scribantur littere comitibus et communitatibus Tragurii, Sibenici et Spalati in hac forma:

Cum non dubitemus, quod vestre fidelitati extitit manifestum, quod cotidie vigilamus ad statum et conservationem vestram aliorumque nostrorum fidelium, qui sunt in partibus Sclavonie, et quia cotidie patiamini sinistra et dampna et alia incommoda a convicinis vestris, qui sunt in partibus prelibatis, nec inveniamus ad reparationem predictorum utilem satis unionem, quam invicem, ut scitis, habetis, consideravimus et consideramus, quod pro statu vestro bonum esset, quod in partibus predictis fietur aliquod paysanaticum, ad quod conferrens quelibet vestrarum civitatum iuxta con-

gruum scilicet possibilitatem vestram, et si quid defuerit, nos, qui semper vos et alios nostros fideles adiuvare non cessamus, suppleremus ad plenum. Et propterea licet ambaxatores Sibinici et Tragurii circa predicta aliquid super inde nobis ex parte predictarum civitatum oretenus exposuerint, per presentes vobis scribimus, quod quando dicta nostra provisio vobis utilis videretur, quod bonum esset, quod istis vestris ambaxatoribus vos mitteretis sindicatum ad plenum, nichilominus eos informantes super inde de intencione vestra, ut deo previo valeamus in predictis procedere, sicut nostro honori et utilitati vestre videbimus convenire; cognoscentes, quod cum comes Paulus per suos nuncios nobis exponi fecerit, quod si dictum paysinaticum per nos ordinaretur, volebat libenter poni in ipso et ad ipsum conferre de gente sua, quod similiter sibi scribimus, quod mittere debeat nuncium vel nuncios suos cum sindicatu ad plenum.

Et capto de scribendo predictis comitibus et communitatibus, ut est dictum, videtur fore utilis ad supersedendum pro modo de unione, quam petunt invicem ipsi ambaxatores, donec venerint responsiones eorum.

Capta: scribatur etiam comiti Paulo Cliscie et Scardone, quod mittat suum ambaxatorem ad nos cum sindicatu ad plenum, sicut erit expediens.

Capta: preterea per litteras, quas dominus banus Bossine direxit ducali dominio, scribatur comiti et iudicibus Sibenici et comiti nostro Jadre, quod illis, quos ipse dominus banus nominat in litteris suis, faciat iuris et iusticie expeditum et debitum complementum, ne dictus banus et ipsi petentes habeant ius querelle. Verum si videretur eis, comitibus non posse procedere in ipso negocio iuxte secundum intencionem eorum, qui petunt, scribant nobis seriem facti et suum apparere.

Capta: et quum petitur per ambaxatores locorum ipsorum, quod pro damno et rubariis, que sibi facte sunt et cotidie fiunt per subditos domini regis et eius Hungaros et domini bani Stefani Bosne, scribantur predictis dominis littere, bano Nicolao Sclavonie et bano Bosne: vadit pars, quod ipsis dominis scribatur in forma, que erit neccessaria pro bono eorum.

Capta: preterea cum comes Sibenici scripserit et expositum fuerit ducali dominio per ambaxatorem et sindicum suum, Angelum canzellarium Sibenici condidisse instrumenta falsa, sicut in isto consilio lectum est, consulunt, quod consideratis tempus, quo ipsa instrumenta facta fuerunt, et causa, que coegit Angelum antedictum, inspicientes litteras ipsius Angeli, et confessionem, quam statim fecit, et excusationem, que infra videtur; videntes insuper, quod fidelitatem magnam habuit erga nostrum dominium, sicut manifeste cognoscitur, et legalitatem et bonum portamentum eius, de quo rectores, qui fuerunt per tempora, perhibent testimonium satis clarum, scribatur comiti et communi Sibenici, quod omnes processus factos contra ipsum Angelum occasione ipsorum intrumentorum ex toto debeant cancellari, et quod ipsum Angelum ea de causa in aliquo amplius de cetero non molestent. Et cum ipsa instrumenta dicantur esse in manibus comitis nostri Jadre, scribatur et mandetur eidem, quod ipsa instrumenta destruere debeat, delere, et anichilare, et unum aliud instrumentum simili modo per ipsum Angelum faciendum super commune Sibenici sicut ipse Angelus fatetur, studeat habere illud, et deleat et anichilet, ut est dictum. Et sic scribatur etiam comiti, consilio et communi Sibenici. De parte 89, de non 3, non sinceri 13.

Misti XXV. 16, u mletačkom arkivu.

CXC. God. 1349. 8 svibnja, u Šibeniku.

Šibeničani odpravljaju svoga poslanika u Mletke, neka se sa Spljećani i Trogirani a s odobrenjem mletačke vlade sporazumi, kako da složno svoje kotare od dušmanskih napadanja obrane.

Sindicatus Sibenicensium. In Christi nomine amen. Anno incarnationis eiusdem millesimo trecentesimo quadragesimo nono, indictione secunda, die octavo mensis maii; regnante domino Lodovico serenissimo rege Hungarie, tempore etiam domini Andree Dandulo incliti ducis Venetiarum et venerabilis patris domini fratris Bonifacii dei gratia Sibenicensis episcopi ac domini Hermolai Gradonico egregii comitis dicte civitatis Sibenicensis, et suorum iudicum Bogdani condam Gregorii Stricicg, Helie condam Radovani et Nadeslun condam Georgii Crusuegnac. Congregato consilio quindecim sapientum civitatis Sibenici in logia communis prefate civitatis pro infrascripta causa specialiter convocato, in quo interfuit predictus dominus comes cum iudicibus et sua curia ac maior pars consiliariorum dicti consilii sapientum habentes plenam auctoritatem et liberam potestatem a maiori et generali consilio dicte civitatis super omnibus et singulis negotiis dicti communis, omnes et singuli de dicto consilio per me notarium et cancelarium infrascriptum singulariter et oretenus requisiti, ipsorum nemine discrepante fecerunt, constituerunt et ordinaverunt nobilem et sapientem virum Georgium condam Cipriani Gradich nunc Veneciis existente absente tamquam presente suum et dicti communis Sibenicensis ac totius universitatis eius et omnium et singularum personarum communis predicti syndicum, procuratorem, actorem, negotiorum suorum gestorem ac nuncium specialem specialiter ad se representandum nomine dicti communis ac totius universitatis eius et singularium personarum ipsius excelentie ac serenitati nostri ducalis dominii Veneciarum et omnibus officialibus eius presentibus et futuris ubicumque, quomodocumque et quocienscunque fuerit opportunum et ad offerendum nomine sepedicti communis tractandum, ordinandum, firmandum et complendum quicquid nostro prefato ducali dominio videbitur et placebit super facto unionis istarum trium civitatum, scilicet Sibenici, Tragurii et Spaleti et omnium aliarum civitatum, castrorum et locorum cum quibuscumque dominis et personis, sicut et prout ipsi nostro dominio videbitur et placebit, et super facto calvacate statuende et paginatici fiendi in partibus istis sicut, quomodo et ubi ac quando pro tempore ac perpetuo duraturum prefacto nostro dominio videbitur expedire, ac omnibus officialibus eius, quocunque nomine censeantur per ipsum nostrum antedictum dominium super predictis deputatis et ordinatis presentibus et futuris, et ad obligandum homines et bona dicti communis Sibenici occasionibus supradictis cum omnibus solepnitatibus, ordinamentis, penis, modis et formis, quibus prefatum nostrum ducale dominium duxerit ordinandum, et ad presentandum super omnibus et singulis supradictis sacramentum in animam dicti communis ac omnium et singularum personarum de servando et adimplendo omnia et singula, que in predictis et circa predicta ac ab eis dependentia et connexa prelibatum nostrum dominium duxerit statuendum, dantes et concedentes dicto eorum syndico et procuratori in omnibus et singulis supra dictis et ab eisdem dependentibus et connexis plenum, liberum et generale mandatum cum plena, libera et generali ad-

Ser Marcus Faletro sapiens vult partem supradictam usque †, cum hac additione: et propterea affectantes puro corde, ut antiquatus amor et benivolentia specialis inter illustres predecessores vestros et nostrum dominium, favente domino, conservetur in bonum, et in melius peracrescat inter partes, declaramus, quod si serenitati vestre placeret ad presentiam nostram suos ambaxatores destinare, illos, gratanti animo amicabiliter recipientes, intelligeremus pro suo onore; et si placeret, quod nostros mitteremus, in hoc essemus et sumus parati, sicut duximus rescribendum, dispositi ad unum quodque spectans ad amoris et benivolentie bonum finem; super quibus suam expectabimus responsivam, et in hoc dignetur scribere velle suum. 4.

Ser Petrus Gradonico, ser Stefanus Belegno. Intellectis litteris missis ducali dominio per dominum regem Hungarie, continentibus inter cetera, quod nunc tempus instat hinc inde ambaxatam pro pace firmanda perpetue delegari, et quia in ipsis litteris regalibus quodam confuse legitur, utrum ipsa ambaxata hinc debeat destinari vel deinc, tamen quia secundum continenciam litterarum ipsius bani Sclavonie ad ipsam ambaxatam primo hinc destinandam promovimur, et eciam habito respectu ad suam excellentiam et pro favoribus nostrorum negociorum et bono ipsius concordii, sit dignius et decencius, ipsam ambaxatam hinc destinare, consulunt, quod in bona gratia respondeatur ipsi regi, quod litteras maiestatis sue nuper recepimus, que nostris sensibus grate plurimum advenerunt, ad quarum significata respondemus, quod recensentes in animo longevim dilectionis et amicicie puritatem, que viguit actenus inter progenitores suos et nostros precessores, et viget nunc, et vigebit in posterum inter suam maiestatem et nostrum dominium velud mutue ab ipsis precessoribus propagantam ad ipsas treuguas ad hoc se promovimus confirmandas, ut quasi preambulum ad pacem veram per partem alterutram posset facilius declinari. Et propterea cognoscentes in eisdem suis litteris contenta procedere a vero stipite caritatis, ad ipsam pacem firmandam perpetuo anxius revocamur, volentes maiestati sue esse notorium, quod nostre intencionis est ad suam excellentiam ambaxatam nostram solepnem quantocius delegare, tractare hinc inde, que incumbere noverit maiestatis sue incremento, honori nostro et bono, cum hiis et aliis verbis decentibus et modestis, que videbuntur domino, consiliariis et capitibus superinde, et postea super modum ambaxate providebitur, sicut fuerit opportunum.

Et scribatur domino bano Sclavonie in illa forma, que videbitur, regratiando ei de sua interpositione benivola, quam asserit se facturum, et quod nostram ambaxatam mittere intendimus ad ipsum dominum regem, que cum ipso bano primo debeat se conferre, ut se cum ipso informet circa modum ipsius pacis prosecutivum etc. cum hiis et aliis verbis neccessariis superinde.

Et similiter scribatur illis de Bebis suam sollicitudinem commendando, et quod circa contingencia sint solliciti nobis scribere seriose. 2.

Ser Johannes Sanuto: cum consulere super his litteris regis Hungaric sit dubium et obscurum, habito respectu in omnem partem, consulit, quod scribatur regi Hungarie in forma interscripta:

Serrenitatis vestre litteras nuper recepimus letamenter, quarum sententia diligencius preconcepta, presentibus respondemus, quod ad memoriam

revocantes sinceritatem et dilectionem mutuam inter progenitores vestros et predecessores nostros et nos vigentem, ad ipsas treuguas per dictum temporis spacium in maiestatis vestre litteris declaratam se firmavimus altrinsecus copulandas, ut ad pacem firmandam propterea additus et methodus posset facilius reperiri, sicut in eisdem nostris scriptionibus continetur. Et licet ad eundem propositum nostra intentio vigilaret, et nobis precordium remaneret, ut pacis et concordii zelatores: tamen quia intelleximus, in partibus vestre maiestati subdictis mortalitatis epidemia inmaniter desevire, tempus habile et precisum super h..iusmodi negociis reformandis non videtur esse ad ambaxatam aliquam destinandam, sed, deo duce, in cuius misericordia est sperandum, ipsa mortalitate cessata, decentius et comodius poterit in hoc provideri, prout honori sue excellencie et nostro incumberit et conservationi pacis mutue; cum hiis et aliis verbis, super hiis opportunis. 7, non 0, non sinceri 3.

Misti XXV 9, u mletačkom arkivu.

CLXXXIV. God. 1349. 6 travnja, u Mletcih.

Primećuje se poslaniku idućemu k srbskomu kralju, da traži nakloniti kralja na mir sa istočnim carem i sa bosanskim banom, te da može toga radi proći u Carigrad.

Die VI aprilis 1349. indictione secunda, capta: quod pro dei reverentia et honore nostro ac pro omni bona causa committatur ambaxatori ituro ad dominum regem Servie, quod, tacto primo et principaliter eidem regi negocio Raguseorum et nostrorum Venetorum, pro quibus specialiter destinatur, debeat cum verbis condecentibus movere verba eidem regi Servie de tractando concordio inter ipsum et dominos imperatores Constantinopolis. Et si ipse rex videbitur attendere ad ipsum concordium, et dicto ambaxatori videbitur, notificet hoc ambaxatori nostro Constantinopolitano, scribendo ei, quod persentiat voluntatem ipsius domini imperatoris Constantinopolis in facto dicti concordii, trahendo ab ipso imperatore quicquid in hoc poterit, et velociter rescribendo dicto ambassatori, misso ad regem Servie. Et si ipsi ambaxatori nostro misso in Serviam secundum ea, que habebit tam a rege Servie quam ab ambaxatore Constantinopolitano, videbitur de eundo usque Constantinopolim ad dominos imperatores pro ipsa causa concordii, vadat in bona gratia, et in hoc faciat, quicquid boni poterit. Et ad cautelam dentur sibi hinc littere credulitatis pro faciendo ambaxiatam ipsis dominis imperatoribus. Preterea comittatur eidem ambaxatori, quod non impediendo propterea predicta duo negocia, videlicet Raguseorum et Venetorum nostrorum et imperatorum Constantinopolis, sed ipsa primo et principaliter procurando, si sibi videbitur posse tentare concordiam inter dominum regem Servie et dominum banum Bosine, debeat dare omnem operam, quam poterit, pro bono ipsius concordii, sicut et quando sibi videbitur, possendo etiam ire ad ipsum dominum banum, et sibi ambaxiatam pro parte nostra facere occasione predicta, non impediendo prima duo negocia, ut est dictum. Et dentur etiam pro isto respectu sibi littere credulitatis ad predictum dominum banum. De non 3, non sinceri 5.

Capta: et quia labor additur prefato ambassatori, et conveniens sit, ut etiam premium augeatur, vadat pars: quod si dictus ambassator non

ibit in Constantinopolim, habeat libras CCC in tres menses et inde in antea libras L in mense, sicut pridie captum fuit. Si vero ibit in Constantinopolim, habere debeat libras V centum in IV menses et inde in antea libras L in mense. De non 3, non sinceri 3.

Misti XXV. 10, u arkivu mletačkom.

CLXXXV. God. 1349. 6 travnja, u Mletcih.

Milost podieljena jednomu prognaniku Zadraninu u Mletcih.

1349. die VI aprilis, capta: quod Saladinus de Saladino de Jadra, qui hic manet in confinibus ad nostra mandata, et propter desolationem agendorum suorum ipse non habet unde vivere et subvenire patri suo seni et impotenti, habere debeat de gratia speciali intuytu pietatis, et quia videtur dispositus ad fidelitatem et bonum, duas postas equestres in Tarvisio in banderia Italicorum, non augendo numerum soldatorum de inde, et ex nunc pro forniendo ipsas portas possit ire Tarvisium. Et in consilium etc.

Et est capta per VI consiliarios, III capita et tres partes rogatorum, et XL congregatis LXXX et supra.

De parte 60, 68; de non 8, 14, non sinceri 9, 6.

Misti XXV. 10, u mletačkom arkivu.

CLXXXVI. God. 1349. 6 travnja, u Mletcih.

Nalaže se kapetanu u jadranskom moru, da prebrodi ženu kneza Pavla kliškoga Katarinu, rodjenu Dandulo, iz Zadru u Trogir.

1349. die VI aprilis, capta: quod ad instantes preces comitis Pauli, fratris condam comitis Mladeni, mandetur capitaneo nostro culfi, quod nobilem dominam Catarinam Dandulo condam ser Johannis, uxorem dicti comitis Pauli, que ire debet cum galeis Romanie usque Jadram, si dictus capitaneus culfi repererit se citra Tragurium, levare debeat dictam dominam super una ex galeis nostris, et ipsam cum familia et eius arnesis levibus conduci facere Tragurium, non sinistrando tamen negocia nec armatam nostram.

Misti XXV 10, u arkivu mletačkom.

CLXXXVII. God. 1349. 18 travnja, u Mletcih.

Neka odbor, sastavljen od njegdašnjih knezova u Dalmaciji, podnese svoje mnienje o savezu, koj su htjeli sklopiti medju sobom isti gradovi, o poslanstvu kneza Pavla i listu bosanskoga bana.

1349. die XVIII aprilis, capta: cum sint hic ambaxiatores Sybenici, Tragurii et Spaleti, missi pro facto tractandi unionem inter dictas terras, que, ut dicitur, esset utilis multum, et pro aliis factis communium suorum: vadit pars, quod committatur intrascriptis nobilibus, qui alias fuerunt rectores in terris predictis, et habent plenam informationem de statu ipsarum, quod audire debeant ea, que dicti ambaxatores dicere volunt, et super eis examinare et dare nobis suum consilium in scriptis, cum quo venietur huc, et fiet, sicut videbitur, et quilibet possit ponere partem, et similiter cum libertate predicta dent nobis suum consilium super ambaxatam co-

mitis Pauli, quam audire debeant, et super aliquibus litteris missis per banum Bossine pro territoriis, que dicit habere sub aliquibus ex terris nostris.

Nobiles autem suprascripti, quibus predicta commissa sunt, sunt hii: ser Johannes Gradonico, ser Marcus Cornario, ser Marcus Ruzini.

Misti knj. XXV. 13, u arkivu mletačkom.

CLXXXVIII. God. 1349. 27 travnja, u Mletcih.

Dva Zadranina, buduć iz Mletaka pobjegla, bačena su u progon, a njihova imanja zaplienjena.

1349. die XXVII aprilis, capta: cum infrascripti duo Jadratini de numero L confinatorum olim per nostrum comitem Jadre de nostro mandato, confinia fregerint, nec steterint ad mandata, et citati ad terminum, comparere noluerunt: vadit pars, quod ipsi et eorum quilibet clamentur in banno de Venetiis et districtu et de omnibus locis et terris subiectis dominio, et bona eorum in nostrum commune debeant confiscari. Et scribatur comiti et consiliariis Jadre et comiti Pagi, et ubicumque sciretur esse de bonis eorum, quod ipsa intromittant et conservent nomine nostri communis; et committatur et mandetur nostris rectoribus, quod predictos et eorum quemlibet, si in eorum forcio reperierint, faciant detineri, et ad nos mittant sub fida custodia, de quibus tunc fiet, sicut videbitur isti consilio.

Cerne de Carbono, Lompre filius Pauli de Vite.

Capta: quia contra aliquos Jadrenses, qui fregerunt confinia, processum fuit per istud consilium die XII maii in MCCCXLVIII, inter quos debebat esse quidam Crescius de Zevalellis, et per errorem scriptum fuit Cresius de Zadolinis, vadit pars, quod corigatur dictus error, et dicatur Cresius de Zevalellis, sicut debet dici.

Mesti XXV. 15, u mletačkom arkivu.

CLXXXIX. God. 1349. 30 travnja, u Mletcih.

Predlaže se Trogiru, Šibeniku i Spljetu, te i knezu Pavlu kliškomu, da sastave složno i ukupno za svoju obranu domobranstvo. Nalaže se knezu šibeničkomu i zadarskomu, da podložnikom bosanskoga bana Stjepana pravicu diele. Piše se kralju ugarskomu sbog šteta, koje njegovi podložnici čine Zadru i Šibeniku. Kancelar šibenički pomilovan.

1349. die ultimo aprilis, capta: cum pro ambaxata Tragurii et Sibenici et per litteras comitis Sibenici sit facta aliqua mentio ducali dominio do paysanatico fiendo in partibus Sclavonie, cum illud paysanaticum videatur utile fieri in partibus ipsius: vadit pars, quod scribantur littere comitibus et communitatibus Tragurii, Sibenici et Spalati in hac forma:

Cum non dubitemus, quod vestre fidelitati extitit manifestum, quod cotidie vigilamus ad statum et conservationem vestram aliorumque nostrorum fidelium, qui sunt in partibus Sclavonie, et quia cotidie patiamini sinistra et dampna et alia incommoda a convicinis vestris, qui sunt in partibus prelibatis, nec inveniamus ad reparationem predictorum utilem satis unionem, quam invicem, ut scitis, habetis, consideravimus et consideramus, quod pro statu vestro bonum esset, quod in partibus predictis fietur aliquod paysanaticum, ad quod conferrens quelibet vestrarum civitatum iuxta con-

grnum scilicet possibilitatem vestram, et si quid defuerit, nos, qui semper vos et alios nostros fideles adiuvare non cessamus, suppleremus ad plenum. Et propterea licet ambaxatores Sibinici et Tragurii circa predicta aliquid super inde nobis ex parte predictarum civitatum oretenus exposuerint, per presentes vobis scribimus, quod quando dicta nostra provisio vobis utilis videretur, quod bonum esset, quod istis vestris ambaxatoribus vos mitteretis sindicatum ad plenum, nichilominus eos informantes super inde de intencione vestra, ut deo previo valeamus in predictis procedere, sicut nostro honori et utilitati vestre videbimus convenire; cognoscentes, quod cum comes Paulus per suos nuncios nobis exponi fecerit, quod si dictum paysinaticum per nos ordinaretur, volebat libenter poni in ipso et ad ipsum conferre de gente 'sua, quod similiter sibi scribimus, quod mittere debeat nuncium vel nuncios suos cum sindicatu ad pleuum.

Et capto de scribendo predictis comitibus et communitatibus, ut est dictum, videtur fore utilis ad supersedendum pro modo de unione, quam petunt invicem ipsi ambaxatores, donec venerint responsiones eorum.

Capta: scribatur etiam comiti Paulo Cliscie et Scardoue, quod mittat suum ambaxatorem ad nos cum sindicatu ad plenum, sicut erit expediens.

Capta: preterea per litteras, quas dominus banus Bossine direxit ducali dominio, scribatur comiti et iudicibus Sibenici et comiti nostro Jadre, quod illis, quos ipse dominus banus nominat in litteris suis, faciat iuris et iusticie expeditum et debitum complementum, ne dictus banus et ipsi petentes habeant ius querelle. Verum si videretur eis, comitibus non posse procedere in ipso negocio iuxte secundum intencionem eorum, qui petunt, scribant nobis seriem facti et suum apparere.

Capta: et quum petitur per ambaxatores locorum ipsorum, quod pro damno et rubariis, que sibi facte sunt et cotidie fiunt per subditos domini regis et eius Hungaros et domini bani Stefani Bosne, scribantur predictis dominis littere, bano Nicolao Sclavonie et bano Bosne: vadit pars, quod ipsis dominis scribatur in forma, que erit neccessaria pro bono eorum.

Capta: preterea cum comes Sibenici scripserit et expositum fuerit ducali dominio per ambaxatorem et sindicum suum, Angelum canzellarium Sibenici condidisse instrumenta falsa, sicut in isto consilio lectum est, consulunt, quod consideratis tempus, quo ipsa instrumenta facta fuerunt, et causa, que coegit Angelum antedictum, inspicientes litteras ipsius Angeli, et confessionem, quam statim fecit, et excusationem, que infra videtur; videntes insuper, quod fidelitatem magnam habuit erga nostrum dominium, sicut manifeste cognoscitur, et legalitatem et bonum portamentum eius, de quo rectores, qui fuerunt per tempora, perhibent testimonium satis clarum, scribatur comiti et communi Sibenici, quod omnes processus factos contra ipsum Angelum occasione ipsorum intrumentorum ex toto debeant cancellari, et quod ipsum Angelum ea de causa in aliquo amplius de cetero non molestent. Et cum ipsa instrumenta dicantur esse in manibus comitis nostri Jadre, scribatur et mandetur eidem, quod ipsa instrumenta destruere debeat, delere, et anichilare, et unum aliud instrumentum simili modo per ipsum Angelum faciendum super commune Sibenici sicut ipse Angelus fatetur, studeat habere illud, et deleat et anichilet, ut est dictum. Et sic scribatur etiam comiti, consilio et communi Sibenici. De parte 89, de non 3, non sinceri 13.

Misti XXV. 16, u mletačkom arkivu.

CXC. God. 1349. 8 svibnja, u Šibeniku.

Šibeničani odpravljaju svoga poslanika u Mletke, neka se sa Spljećani i Trogirani a s odobrenjem mletačke vlade sporazumi, kako da složno svoje kotare od dušmanskih napadanja obrane.

Sindicatus Sibenicensium. In Christi nomine amen. Anno incarnationis eiusdem millesimo trecentesimo quadragesimo nono, indictione secunda, die octavo mensis maii; regnante domino Lodovico serenissimo rege Hungarie, tempore etiam domini Andree Dandulo incliti ducis Venetiarum et venerabilis patris domini fratris Bonifacii dei gratia Sibenicensis episcopi ac domini Hermolai Gradonico egregii comitis dicte civitatis Sibenicensis, et suorum iudicum Bogdani condam Gregorii Stricicg, Helie condam Radovani et Nadeslun condam Georgii Crusuegnac. Congregato consilio quindecim sapientum civitatis Sibenici in logia communis prefate civitatis pro infrascripta causa specialiter convocato, in quo interfuit predictus dominus comes cum iudicibus et sua curia ac maior pars consiliariorum dicti consilii sapientum habentes plenam auctoritatem et liberam potestatem a maiori et generali consilio dicte civitatis super omnibus et singulis negotiis dicti communis, omnes et singuli de dicto consilio per me notarium et cancelarium infrascriptum singulariter et oretenus requisiti, ipsorum nemine discrepante fecerunt, constituerunt et ordinaverunt nobilem et sapientem virum Georgium condam Cipriani Gradich nunc Veneciis existente absente tamquam presente suum et dicti communis Sibenicensis ac totius universitatis eius et omnium et singularum personarum communis predicti syndicum, procuratorem, actorem, negotiorum suorum gestorem ac nuncium specialem specialiter ad se representandum nomine dicti communis ac totius universitatis eius et singularium personarum ipsius excelentie ac serenitati nostri ducalis dominii Veneciarum et omnibus officialibus eius presentibus et futuris ubicumque, quomodocumque et quocienscunque fuerit opportunum et ad offerendum nomine sepedicti communis tractandum, ordinandum, firmandum et complendum quicquid nostro prefato ducali dominio videbitur et placebit super facto unionis istarum trium civitatum, scilicet Sibenici, Tragurii et Spaleti et omnium aliarum civitatum, castrorum et locorum cum quibuscumque dominis et personis, sicut et prout ipsi nostro dominio videbitur et placebit, et super facto calvacate statuende et paginatici fiendi in partibus istis sicut, quomodo et ubi ac quando pro tempore ac perpetuo duraturum prefacto nostro dominio videbitur expedire, ac omnibus officialibus eius, quocunque nomine censeantur per ipsum nostrum antedictum dominium super predictis deputatis et ordinatis presentibus et futuris, et ad obligandum homines et bona dicti communis Sibenici occasionibus supradictis cum omnibus solepnitatibus, ordinamentis, penis, modis et formis, quibus prefatum nostrum ducale dominium duxerit ordinandum, et ad presentandum super omnibus et singulis supradictis sacramentnm in animam dicti communis ac omnium et singularum personarum de servando et adimplendo omnia et singula, que in predictis et circa predicta ac ab eis dependentia et connexa prelibatum nostrum dominium duxerit statuendum, dantes et concedentes dicto eorum syndico et procuratori in omnibus et singulis supra dictis et ab eisdem dependentibus et connexis plenum, liberum et generale mandatum cum plena, libera et generali ad-

ministratione omnium et singulorum supradictorum negotiorum, quod et quam ipsimet constituentes haberent, si ante prefatum nostrum dominium personaliter interessent; promittentes, se firmum, ratum et gratum perpetuo habituros, quicquid per dictum eorum syndicum et procuratorem dictum, actum, procuratum, firmatum et completum fuerit in omnibus et singulis supradictis sub ypoteca et obligatione omnium bonorum dicti communis Sibenicensis et singularium personarum eius presentium et futurorum, volentesque relevare dictum eorum syndicum et procuratorem ab omni honere satisdandi promiserunt mihi notario infrascripto ut publice persone stipulanti et recipienti pro omnibus et singulis, quorum interest vel interesse possit vel poterit, de iudicio svsti et iudicato solvendo. Actum Sibenici in logia supradicta presentibus Gregorio condam Dragoy Cosme, examinatori, magistro Gullielmo condam Pacii de Mediolano cancelario malefico dicti communis, Matheo condam Niche Pasque de Jadra, et Bartholomeo condam Johannis de Pochaterra, notario dicti domini episcopi, testibus ad hec rogatis et vocatis et aliis. Ego Gregorius, Dragoy Cosme, examinator, manum mitto.

L. S. Et ego Matheus condam Simonis de Perusio, imperiali et communis Sibenicensis auctoritate notarius et cancelarius dicti communis, predictis rogatus interfui, scripsi et publicavi, meoque signo ac nomine roboravi.

Pactorum V. 108, u mletačkom arkivu.

CXCI. God. 1349. 11 svibnja, u Mletcih.

Odredjeno, da se milost, podieljena Saladinu Zadraninu, drugim putem odma izvede.

1349. die XI maii, capta: cum attenta debili et strictissima conditione Saladini de Saladinis de Jadra, captum fuerit per istud consilium de concedendo de speciali gratia eidem, quod haberet duas postas equestres in Tarvisio, et nulle ad presens vacent in banderia Ytalicorum, licet multum expectaverit cum gravibus expensis tam equorum quam aliter: vadit pars, quod ei dentur due poste vacantes ad presens in banderia Theotonicorum, quousque vacaverint in banderia Ytalicorum, et quamcito vacaverint in banderia Ytalicorum, dicte due poste reducantur sub banderia Ytalicorum.

Misti XXV. 17, u mletačkom arkivu.

CXCII God. 1349. 12 svibnja, u Trogiru.

Trogirani odpravljaju svoga poslanika u Mletke, neka bi se sa Spljećani i Šibeničani sporazumio glede obrane njihovih dotičnih kotara od dušmanskih napadanja.

Sindicatus Tragurii. In Christi nomine amen. Anno eiusdem nativitatis millesimo trecentesimo quadragesimo nono, indictione secunda, regnante domino Lodovico serenissimo rege Hungarie, excelso et magnifico domino domino Andree Dandulo dei gratia inclito Veneciarum duce, vacante episcopatu Tragurii per mortem domini Lampredii olim episcopi Tragurii, temporibus quidem egregi et potentis viri domini Marci Celsi honorabilis comitis civitatis Tragurii, suorumque iudicum nobilium virorum Petrarche Stephani, Tompse Donati, Nicole Marini et Danni Johannis Desse, die duodecimo mensis maii, in pleno et generali consilio communis et ci-

vitatis Tragurii sono campane et voce preconis more solito congregato, in palacio dicti communis, non revocando sindicatum alias in personam infrascripti Jadricis Gregorii factum, dominus Marcus Celsi comes predictus de consensu et voluntate omnium et singulorum in ipso consilio existentium, et ipsius consilii universi ac ipsi omnes et singuli in ipso consilio existentes et ipsum consilium universum, qui totum corpus et commune dicte civitatis Tragurii representant, sponte, unanimiter et concorditer et ex certa scientia fecerunt, constituerunt et ordinaverunt eorum et dicti communis, consilii, hominum et singularum personarum dicte civitatis Tragurii omni modo, iure et forma, quibus melius de iure potuerunt, certum, verum et legiptimum ambaxatorem, nuncium et procuratorem et sindicum specialem et quicquid melius esse et valere potest et poterit nobilem virum Jadricem, condam Gregorii Luce, civem Tragurii absentem tamquam presentem specialiter ad eundum et comparendum ante presenciam illustris et magnifici domini domini Andree Dandulo incliti ducis Veneciarum et eius ducalis dominii, et ad offerendum, promittendum et contulendum ad paysanaticum fiendum et ordinandum ad partes Dalmatie seu Sclavonie per eumdem dominum ducem et eius ducale dominium illam quantitatem equitum de denariis dicti communis solvendorum, quam dicto ducali dominio videbitur convenire ad tempus vel in perpetuum, sicut ipsi ducali dominio videbitur convenire, et ad promittendum nomine et vice dicti communis et singularium personarum, quod ipsi equites ad omnem requisitionem, voluntatem et beneplacitum capitanei ducalis dominii, qui preerit dicto paysanatico cum eo guardias facient, equitabunt, erunt, et eum associabunt in quolibet exercitu, correria seu calvacata, quam ipse facere vellet contra quoscumque, et in quocumque loco ei obedient et parebunt in omnibus et ad omnes et quaslibet promissiones, renunciationes et obligationes reales, personales et pecuniales et precales, dicendum, fatiendum et firmandum, que fuerint et expedierint quolibet dicenda, fatienda et firmanda, nec non ad iurandum in animabus ipsorum et dicti consilii et communis de attendendis et observandis omnibus supradictis et cartas et instrumenta quelibet, faciendum pro predictis omnibus et singulis observandum cum qualibet pene interpositione ad plenum cum clausulis neccessariis et opportunis, et ad omnia alia dicenda et facienda, que ipsum consilium totum facere possit, ectiam si talia sint, que mandatum exigerent speciale; dantes et concedentes ipsi syndico plenam, liberam et generalem administracionem et plenum, liberum et generale mandatum ac etiam speciale, ubi speciale requiretur, in premissis et quolibet premissorum, promitentes mihi notario infrascripto tamquam publice persone stipulanti et recipienti nomine et vice omnium et singulorum, quorum interest vel interesse poterit quomodolibet in futurum, se firmum et ratum perpetuo habituros quicquid per dictum syndicum factum fuerit in premissis et circa premissa et quolibet premissorum et non contrafacere vel venire sub obligacione omnium suorum bonorum et dicti communis presentium et futurorum. Actum in palacio communis Tragurii presentibus Josepho Stephani, Nicola Johannis Acelini et Marino Mathei Quarchi testibus rogatis ad infrascripta, et Dessa Damiani examinatore. Ego Dessa Damiani Duxini conscius examinavi.

L. S. Ego Gabriel, condam filius domini Pizachomni de Pizachomnis de Padua, publicus imperiali auctoritate notarius, cancelarius prefati domini

comitis et dicti communis Tragurii iuratus, predictis omnibus presens rogatus publice scripsi.

Pactorum, V. 109, u mletačkom arkivu.

CXCIII. God. 1349. 12 svibnja, u Spljetu.

Spljećani šalju svoje punomoćnike u Mletke s naputkom, da sa trogirskim i šibeničkim a pod ravnanjem mletačke vlade ustanove način složne obrane proti napadanju dušmana.

Sindicatus Spalatinorum. In dei nomine amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo trecentesimo quadragesimo nono, indictione secunda, regnante domino Lodovico serenissimo rege Hungarie ac domino nostro domino Andrea Dandulo dei gratia inclito duce Venetiarum, temporibus venerabilis patris et domini domini fratris Peregrini dei gratia archielecti Spalatensis, egregii et potentis viri domini Petri Memo honorabilis comitis, ac nobilium virorum dominorum Nicole Luccari, ser Tomaxii Alberti et Jancii Leonis, iudicum civitatis Spalati, die duodecimo maii, egregius et potens vir dominus Petrus Memo comes supradictus una cum octo nobilibus et sapientibus ex arbitrio eis concesso per generalem consilium civitatis Spaleti, ut ex dicto eorum arbitrio plene patet per reformacionem ipsius generalis consilii scriptam per Jacobum condam Bartholomei ipsius domini comitis cancelarium sub anno et indictione predictis et die nono presentis mensis maii, a me Johanne notario interscripto visa et lecta; et ipsi nobiles omnes nemine discordante ex auctoritate predicta una cum prefacto domino comite vice et nomine ipsius communis et universitatis prefate civitatis Spaleti fecerunt, constituerunt et ordinaverunt nobiles et discretos viros Franciscum Damiani presentem et recipientem et Laurencium Nicole licet absentem tamquam presens et quenlibet eorum in solidum, ita quod occupantis condicio pocior non existat, sed quod unus eorum inceperit, alter possit prosequi et finire, suos, ymo verius dicti communis et universitatis prefate civitatis Spaleti, veros et legiptimos syndicos, ambaxatores, procuratores, actores, factores, negociatores, gestores et eorum certos nuncios speciales vel in quo alio nomine de iure dici potest melius et censeri specialiter, ad comparendum pro eis et eorum nomine coram excellentissimo domino domino Andrea Dandulo dei gracia dignissimo duce Veneciarum et eius consiliis ad audiendum, videndum, tractandum, componendum, firmandum, perficiendum et recipiendum omnem compositionem omnemque tractatum cum quibuscumque personis, collegiis et universitatibus cuiuscumque civitatis, terre et loci, et omne mandatum super quovis negotio, prout et sicut quomodocumque et qualitercumque ipsi ducali dominio videbitur et placebit, et si necesse fuerit, affirmationem predictorum, bona communis et universitatis civitatis Spaleti obligandum, et etiam si expedierit, omnem contractum cuiuscumque generis et sub quacumque forma fieri faciendum cum rogatione notariorum, penarum adiectione et bonorum ipsius communis obligatione, et generaliter ad omnia et singula faciendum, gerendum, exercendum et operandum cum omnibus aliis capitulis tacitis et expressis, que in predictis et circa predicta et ab eisdem dependentibus et expressis et prorsus extraneis fuerint neccessaria et opportuna, et que quilibet verus et legiptimus syndicus, ambaxator, procurator, actor et factor

et nuncius specialis facere et exercere posset ac si ipsimet personaliter interessent; dantes et concedentes syndicis, ambaxatoribus et procuratoribus eorum prefactis et cuilibet eorum in predictis plenum et universale ac etiam speciale et generale mandatum, cum plena, generali et speciali administracione ac etiam potestate; promittentes se ratum, gratum et firmum habere perpetuo totum et quicquid per dictos eorum syndicos, ambaxatores et procuratores vel eorum alterum factum fuerit in predictis omnibus vel aliquo predictorum, sub ypoteca et obligacione omnium bonorum communis et universitatis civitatis Spaleti presentium et futurorum, volentesque, si neccesse fuerit, sepedictos eorum syndicos et procuratores et quemlibet eorum ab omni satisfactionis honere rellevare, fideiubendo pro eis et eorum quolibet in omnem causam et eventum promiserunt michi Johanni notario infrascripto tamquam publice persone stipulanti et recipienti vice et nomine omnium, quorum interest vel interesse poterit de iudicio sisti et iudicato solvendo sub ypoteca et obligatione predictis. Actum Spaleti in palacio communis, presentibus: Jacobo condam Bartholomei cancellario dicti domini comitis, et Andrea Pervosii, testibus, et aliis, et Duymo Mathei examinatore. Ego Doymus condam Slove examinator de mandato domini comitis conscius examinavi. Ego Johannes condam magistri Zove de Draconibus publicus imperiali auctoritate notarius, et nunc iuris communis Spaleti, predictis omnibus presens fui, eaque rogatus scripsi et publicavi, meoque signo consueto et noto nomine roboravi.

Pactorum V. 107, u arkivu mletačkom.

CXCIV. God. 1349. 19 svibnja, u Mletcih.

Šalje se nješto novca u Zadar. Izabran odbor, da svoje mnienje o štednji novaca u poslovih dalmatinskih pismeno podnese.

1349. die XIX maii, capta: quod possint mitti Jadram pro pagis stipendiorum et expensis omnino neccessariis usque ducatos IV mille de denariis montis secundum usum, cum comes instantissime petat ipsos, et ser Thomas Viadro olim comes dicit, quod sunt neccessarii. 54, de non 8, non sinceri 0.

Capta: quod pro aleviatione infinitarum et importabilium expensarum, quas continue substinet nostrum commune pro factis Sclavonie, et occasione ambaxatarum nostrarum terrarum Sclavonie et comitis Pauli, que sunt hic et receperunt responsionem super factis, que pridie scripta fuerunt eis pro facto paisinatici, eligantur tres sapientes per duas manus electionum in isto consilio, et una tercia fiat per dominum, consiliarios et capita, qui examinent et dent nobis super predictis suum consilium in scriptis, cum quo erimus hic, et fiet, ut videbitur, et quilibet possit ponere partem et habeant terminum per totum mensem presentem, et vocetur consilium omni vice pro predictis sub pena solidorum X, et possint accipi de omni loco, exceptis procuratoribus, patronis, iudicibus palatii et consulibus, non accipiendo plus quam I pro officio.

Electi sapientes ser Nicolaus Pisani, ser Marcus Cornario, ser Phylippus Orio. Electi die XXV iulii: ser Nicolaus Leone, ser Raynerius de Musto.

Misti XXV. 19, u mletačkom arkivu.

CXCV. God. 1349. 6 lipnja, u Mletcih.

Nalaže se, da se iztraga povede proti Pažanom, koji napali bjehu na Rabljane, i podkneza u Novaji smaknuli.

1349. indictione secunda. die VI iunii, capta: quia sicut exposuerunt illi de Arbo cum querela, Pagenses manu armata cum circa LXXX hominibus per terram et mare bisne de nocte descenderunt in quamdam insulam Novaie, in eamdem insultum facientes et depredantes animalia Arbensium ultra libitum existencium in eadem, et vicecomitem dicti loci crudeliter occiderunt, de quibus per sapientes habita diligenti examinacione, videtur eis et sic consulunt, ne tantus error et crimen remaneat impunitum, cum aliqualiter derogaret honori huius dominii, quod scribatur comiti Pagi, quod cum intelleximus, homines Pagi armata manu de nocte hostiliter irruisse in quamdam insulam Novaie subpositam communi Arbi, aufferrentes animalia posita ibidem, et vice comitem occidentes, quod molestum est nobis plurimum et turbabile, eo quod fideles nostri a nostris, qui sub nostra fidelitate dicuntur, sic graviter et enormiter offendantur, cum pocius deberent se una suffragari et deffendere a ceteris non fidelibus nostris, qui presumerent lesionem. Et propterea desiderantes, ne tantum maleficium transeat impunitum, precepimus ei, quatenus examinare debeat, visis litteris nostris, et inquirere diligenter de huiusmodi transgressoribus et fautoribus principalioribus et excessoribus sive inceptoribus excessus huiusmodi, et ipsos cum inquisitionibus superinde neccessariis ad nostram presenciam quamticius sub bona custodia destinare, et postmodum providebitur per ducale dominium de ipsis malefactoribus, sicut honori suo viderit expedire; intelligendo, quod mittat de ipsis malefactoribus usque ad sex ad minus. De parte 74, de non 1, non sinceri 4.

Misti XXV. 23, u arkivu mletačkom.

CXCVI. God. 1349. 7 lipnja, u Požunu.

Odgovor kralja ugarskoga na listove glede odpravljenja poslanika, da mir ugovore.

Littere destinate per dominum regem Hungarie super facto nostrorum ambaxatorum pro perpetua pace firmanda. Litteras vestri principatus nostra celsitudo benigne mittentis contemplatione recepit, quibus visis, elicimus ex contentis in eisdem, quod nisi pestilentia seu mortalitas in regno nostro miserabiliter vigeret, ambaxiatores vestros pro perpetua pace firmanda utique vos promptos destinare offerebatis. Super quo sciat vestra dilectio, quod promissione divina, plaga huiusmodi, que ut plurimum orbem giravit universum, nunc in regno nostro eiusdem clementia disponente cessavit. Ideoque ambaxiatores vestri secure per vos mitti possunt, ut conceptum negotium salutare, ad tractandum et disponendum nos communiter hiis solicitudinibus exuat, terrarumque incole perpetua gaudere possint tranquilitate. Ceterum amiciciam vestram latere nolumus, quod cum domino papa amicabiliter concordare speramus in presenti per legatum fratrem et consanguineum nostrum, ad hoc ad regnum nostrum Hungarie destinatum. Et regnum nostrum Sicilie uti sub potestate nostra habuimus, sic et possidere sine quolibet obstaculo laboramus. Ea propter sicut prius sic et nunc vestre dilectioni supplicamus, ut homines nostros et bona eorundem ac ad

ipsos pertinentes per mare vel terram transeuntes et redeuntes, sub vestra ducali protectione habere vellitis, ac ab aliis, quos sciveritis eosdem molestare attemptantibus, dignemini nostri amoris ob respectum deffensare. Datum Posonii VII die mensis iunii (1349).

Commemorialium IV. 100, u mletačkom arkivu.

CXCVII. God. 1349. 8 lipnja, u Mletcih.

Prima se, da se domobranstvo u Dalmaciji ustroji.

1349. die VIII iunii. Si videtur vobis, quod iste paysanaticus, de quo hic tractatur, fiat in partibus Sclavonie, an non. Et si capietur de faciendo paysanaticum, postea procedatur ad alia secundum quod hic dicta fuerunt.

Capta prima, quod ipse paysanaticus fiat. De parte 43; secunda de non 16; tercia de non sinceris 25.

Misti, XXV. 23, u arkivu mletačkom.

CXCVIII. God. 1349. 11 lipnja, u Mletcih.

Riešeno, da se imenuje načelnik domobranstva u Dalmaciji. Republika pridodaje 25 konja u tu svrhu.

1349. die XI iunii. Sapientes: Cornario, Orio, Pixani. Capta: quod in nomine altissimidei eligatur et fiat unus capitaneus in Sclavonia, qui dicatur capitaneus Dalmatie, qui capitaneus habeat in cura et in protectione gentem, quam sibi committemus regendam, et civitates omnes et loca nostra Dalmacie atque Croatie, et habitationes et cives eorum suorumque locorum, et sit capitaneus generalis super omnes rectores partium ipsarum, sicut est capitaneus paysinatici super omnes rectores partium Istrie, excepto comite Jadre, cui nec gentibus suis aliquid possit precipere, sed in casu necessitatis, dum a dicto comite requireretur, tunc teneatur dictus comes, cum conservatione semper civitatis Jadre, subvenire in ea quantitate, que sibi conveniens videbitur, habendo semper respectum, ut predicitur, ad salutem civitatis eiusdem. Et addatur in commissione rectorum nostrorum ipsarum, quod in casu, quo requirerentur per ipsum capitaneum, tribuant ei de gente sua, sicut ipse capitaneus requiret, et firmetur ipse paysinaticus cum ambaxiatoribus communitatum illarum per formam sindicatus, quos representaverunt. De parte 66, de non 11, non sinceri 3.

Capta: et faciat ad presens ipse capitaneus residentiam in Scardona, et in futuro faciat, ubi dominationi videbitur ordinandum; et propterea scribatur comiti Paulo predicto, et amicabiliter per nostras litteras requiratur, quod castrum et fortiliciam Scardone tribuat et assignet in manibus capitanei nostri nomine nostro pro decemptiori habitatione et honore eiusdem capitanei et securitate gentium nostrarum, remanente eidem comiti dominio castri et gentium suarum. Si vero idem comes id facere recusabit, postmodum venietur ad istud consilium ad providendum de loco habitationis sue, sicut fuerit expediens. De parte 70, de non 6, non sinceri 4.

Capta: ceterum infrascripte communitates nostre, ad idem paisanaticum soldizare, conferre et continue tenere debeant equites quinquaginta in hunc modum, videlicet commune et universitas Sybenici debeat ibidem tenere equites XXIII, commune et uviversitas Tragurii equites XVIII, commune et universitas Spalati equites novem.

Et medietas ipsorum quinquaginta equitum sit de gentibus illarum parcium ad beneplacitum capitanei, et alia medietas sit de forinsecis, de illis videlicet, qui possunt habere soldum in Jadra. De parte 18.

Capta: alia pars fuit, quod dicti equites quinquaginta sint omnes forinseci, de illis videlicet, qui possunt habere soldum in Jadra. De parte 57, de non 3, non sinceri 2.

Capta: item consulunt, quod iungantur predicti quindecim equites, qui restabunt ab illis viginti quinque soldizatis per nostrum commune cum illis quinquaginta positis per communitates prenominatas, et de eis fiant tres banderie, quibus fiant et dentur tres boni et sufficientes conistabiles, et teneantur omnes equites supradicti et equitatores eciam esse sub obediencia capitanei et eius mandatis, et equitare et facere, sicut idem capitaneus eis ingiungere voluerit et mandare, et equitatus eius faciant vardias, sicut faciunt illi Justinopolis potestatis.

Capta: quod eligatur et fiat dictus capitaneus per quatuor manus electionum in maiori consilio pro ista prima vice, procedendo in ipsa electione per ordines terre, et ab inde in antea fiat, sicut dominationi videbitur, et sit ad conditionem duodecim regiminum. De parte 70, de non 6, non sinceri 4.

Capta: habeat quoque dictus capitaneus de salario in anno libras quadraginta grossorum, et sit per duos annos, et habere et tenere debeat secum in ipso regimine, duos socios, quorum cuilibet det libras centum in anno, et unum notarium, cui det libras quinquaginta parvorum in anno, habendo ceteras utilitates sui officii, et unum cochum, et teneatur vestire socios una vice tempore sui regiminis et totam aliam familiam bis super eorum salariis, propterea habeat et teneat secum in ipso regimine pro sua persona destrierum unum precii librarum sex grossorum et inde supra, equos decem, qui sint boni et sufficientes ab armis pro contrata et partibus illis, qui sint precii ducatorum XX pro quolibet et inde supra, et duos roncinos et quatuor famulos a scala; et habeat dictus capitaneus et recipiat a nostro communi soldum decem hominum equitum de hiis, quos soldizabit nostrum commune ad rationum ducatorum quinque pro quolibet in mense, et recipiat soldum eorum de medio anno statim, ut possit de hiis, que erunt necessaria, se furnire, quibus ipse capitaneus dare teneatur de salario grossorum triginta pro quolibet in mense vel inde supra, et habeant ab ipso capitaneo arma et equos sufficientes et bonos, et stent ad eius expensas eiusdem capitanei, et sunt eius equitatores, et servitores, quos accipere debeat ipse capitaneus ad beneplacitum dominationis. Recipat quoque ipse capitaneus de medio anno suum salarium statim, et sit astrictus tenere equos suos in stabulis et non mittere eos ad paschua, qui equi sint omnes de tempore trium annorum et inde supra. De parte 75, de non 2, non sinceri 1.

Capta: et pro securitate illius contrate et parcium predictarum soldizentur per nostrum commune homines equites viginti quinque, qui deputentur ad ipsum paisanaticum, et ibi continue stare debeant ad nostrum servicium et obedientiam capitanei et mandatum, de quibus vigintiquinque equitibus decem stare et esse debeant ad salarium et expensas capitanei, ut superius dictum est, de ceteris vero, qui restant, fiat, ut ordinatur inferius. De parte 73, de non 3, non sinceri 3.

Misti, XXV. 24, u mletačkom arkivu.

CXCIX. God. 1349. 11 lipnja, u Mletcih.

Umaljuje se vojnička snaga u Ninu. Piše se knezu Pavlu kliškomu, neka dozvoli, da se u Skradinu kapetan domobranstva naseli. Odredjeno, koliko da pruže vojnika za to domobranstvo.

1349. indictione II, die XI iunii, capta: cum commune et homines None alias et nunc etiam ad presens imposuerint pro sua tutella ad suas expensas equites viginti, quibus providebant tam de feno quam de blado et aliis neccessariis per communem impositionem tam clericorum quam laycorum, et nunc ad presens propter aliquam ipsarum diminucionem occasione mortalitatis preterite ipsos viginti equites comode tenere non possent, et iustum sit, quod, qui comodum, tutellam et profectum de aliqua re assumunt, etiam aliquod onus senciant de eadem; ideo consulunt sapientes, quod sicut ipsi de Nona tenebant ipsos equites viginti, sic tenere debeant pro pauciori duodecim bonos, per modum et condicionem, quibus tenebant ipsos viginti, qui esse teneantur ad omnem requisitionem et mandatum capitanei supradicti (sc. paisanatici), cum hac condicione, quod quandocumque pro paysanatio equitabunt, habeant pro quolibet ipsorum equitum omni die grossos duos a predicto communi None. Et omnes nostre terre predicte teneantur dare unum pastum pro qualibet eidem capitaneo in anno, exceptando Jadram ab ipso pasto. De parte 73, de non 3, non sinceri 4.

Capta: quod pro requisitione, que est neccessaria fieri comiti Paulo pro castro Scardone, dominus, consiliarii, capita et sapientes possint mittere unum nuncium, qui sibi videbitur, ad eundem comitem Paulum pro inducendo eum ad dandum dictum castrum pro habitatione capitanei nostri cum ea commissione, que eis vel maiori parti videbitur. Et si ambaxatores Spalati, qui sunt hic, dicerent quicquam seu gravarentur pro hiis, que capta sunt in isto consilio, possit dictus noster civis ire usque Spalatum ad dicendum et exponendum, sicut videbitur domino, consiliariis, capitibus et sapientibus.

Misti XXV 25, u mletačkom arkivu.

CC. God. 1349. 13 lipnja, u Mletcih.

Spljet, Šibenik i Trogir nastojanjem Mletčana složno oboružaju četu, da brani njihove kotare od neprestanih dušmanskih napadanja.

Exemplum confeccionis seu contractus paysanatici fiendi in partibus Sclavonie. In nomine dei eterni amen. Anno dominice nativitatis millesimo trecentesimo quadragesimo nono, mensis iunii die XIII, indiccione secunda, Veneciis, in sala maioris consilii, presentibus domino Benentendi notario ducatus Veneciarum et providis viris ser Leonardo de Caronellis de Coneglano, ser Amadeo de Bonguadagnis de Mutina, et ser Petro dale Coste de Tarvisio et aliis testibus ad hec vocatis et rogatis et aliis. Ad laudem et gloriam individue trinitatis. Inter gloriosas rei publice curas et ducalium solicitudinum salutiferos fructus nichil potest resultare prestancius, quam quod de manu eius subditi populi pacis dulcedinem sentiant, et tranquilitatis comoda recognoscant. Tunc enim producuntur labores principis in apertum; tunc regnantis nomen gloriosius predicatur, cum occiosam generalitas se cognoscit, et in pace cunctorum crescit leticia singulorum. Assi-

duis igitur meditacionibus revolvens in animo serenissimus et illustris dominus dominus Andreas Dandulo, dei gratia Veneciarum, Dalmatie atque Chroacie dux, dominus quarte partis et dimidie tocius imperii Romanie, qualiter civitatibus et subditis suis provincie Dalmacie continuis incursibus et depredationibus miserabiliter oppressis, consuli et provideri posset remediis opportunis, accersitis ad se ambaxatoribus et syndicis terrarum ipsarum et fidelium suorum, diuque cum eis examinatione prehabita, finaliter pro comodo, salute et evidenti utilitate ac conservatione personarum et bonorum terrarum ipsarum, de voluntate suorum consiliorum et beneplacito et consensu ambaxatorum et sindicorum premissorum statuit et decrevit fieri debere paysanaticum in partibus Dalmatie, cui paysanatico prefici et mitti debet per ducale dominium capitaneus, qui sit capitaneus generalis super rectores predictarum terrarum dicte provincie Dalmacie. Qui capitaneus providere et intendere habeat ad securitatem et pacificum statum ac conservationem terrarum ac locorum ducali dominio subiectorum. In quo quidem paysanatico commune et homines Spaleti conferre debeant et tenere omnibus suis expensis equites novem, commune et homines Tragurii equites XVIII. Qui omnes equites sint forenses, de illis videlicet, qui possint accipi secundum ordines Veneciarum ad stipendium Jadre. Et sint ad omne mandatum et dispositionem dicti capitanei ad equitandum una cum aliis gentibus deputandis dicto capitaneo per ducale dominium et faciendum quecumque per ipsum capitaneum fuerint ordinata. Et insuper terre predicte ad omnem requisitionem ipsius capitanei, quociens casus opportunitatis occurreret, dare et consignare debeant de hominibus suarum terrarum in ea quantitate, quam duxerit requirendam. Et quociens ipse capitaneus casu aliquo declinaret ad aliquam ipsarum terrarum, habere debeat commitacionem decentem et sufficientem pro se et familia sua a terre, in quam iverit. Et quod unaqueque ipsarum terrarum omni anno dare debeat unum pastum dicto capitaneo et societati sue ad expensas communis terre, in quo fuerit, sicut hoc omnia latius et districtius continentur in partibus captis superinde in consilio rogatorum. Quare nobiles et sapientes viri Franciscus Dimitrii et Laurentius Nicole, sindici et ambaxatores comitis, communis et hominum Spaleti, sicut apparet publico instrumento scripto manu Johannis condam magistri Zove de Anchona in millesimo trecentesimo quadragesimo nono die XII maii; nec non nobilis vir Andreas condam Gregorii Luci civis Tragurii, sindicus, ambaxator comitis, communis et hominum Tragurii, sicut apparet publico instrumento scripto manu Gabrielis condam Pizechonis notarii in MCCCXLIX, indictione secunda, die XII maii; ac nobilis vir Georgius condam Cipriani Jadrich de Sibenico, ambaxator et sindicus comitis, communis et hominum Sibenici, sicut apparet publico instrumento scripto manu Mathei condam Simonis de Perusio notarii in MCCCXLIX. die secundo maii, habentes ex forma syndicatuum premissorum a me notario infrascripto visorum distinctius et lectorum ad premissa et infrascripta plenum et sufficiens mandatum; cognoscentes et apertius comprehendentes predicta disposita et ordinata facere ad conservationem et augmentum eorum et statum pacificum et tranquillum terrarum ipsarum, benignitati ducali, que sic pie et salubriter super ipsorum calamitate providerat, reverentissimas gratias exolventes, sponte et ex certa scientia approbaverunt, ratificaverunt, emologaverunt ordinacionem predictam et omnia et

singula, que continentur in ea, promittentes unusquisque eorum sindicariis nominibus supradictis pro terra, communi et hominibus, quorum sunt sindici, stipulantibus et recipientibus vice et nomine dicti domini ducis et communis Veneciarum, dare, conferre et servare sicut superius est distinctum. Et premissa omnia et singula firma et rata habere in perpetuum vel ad tempus, sicut dominio placuerit ordinare. Juraverunt ad sancta dei evangelia in animabus illorum, quorum sunt syndici, et in nullo contrafieri vel venire de iure vel de facto, sub pena librarum mille in singulis capitulis, que pena tociens exigatur et exigi possit cum effectu, quociens fuerit contrafactum, obligantes ad hec bona omnia comunium et specialium personarum communium predictorum. Et quia de unione, que omnino noscitur necessaria inter terras predictas, nichil firmatum est, et capitaneus paysanatici iturus debet habere plenum arbitrium providendi tam de unione quam de aliis necessariis et utilibus ad conservationem dictarum terrarum et securitatem contracte, promiserunt sindici antedicti nominibus quibus supra, omnia et singula providenda et ordinanda, certa hec per ipsum capitaneum attendere et inviolabiliter observare sub pena predicta.

Pactorum V. 109, u arkivu mletačkom.

CCI. God. 1349. 18 lipnja, u Mletcih.

Zovu se u Mletke zastupnici otoka Raba, Paga, Krka, Cresa i Osora, da pod ravnanjem vlade svoje razmirice izravnaju.

1349. die XVIII iunii, capta: cum multe et infinite querelle coram dominatione assidue deponantur de furtis, robariis, homicidiis, aliisque maleficiis et excessibus enormibus, que pertractantur per nostros fideles et subditos, videlicet de Arbo, Pago, Vegla, Cherso et Ausero, et faciant pro honore nostro pro predictorum reformatione remediabiliter providere: vadit pars, quod scribatur et mandetur comitibus, iudicibus, consilio et communi predictarum terrarum, quod unum sindicum vel plures opportuna plena potestate suffultos infra unum mensem a litterarum presentatione nostrarum computandum debeant ad nostram presenciam Veneciis destinare, et quod, si qua pacta adinvicem vel conventiones seu compositiones hactenus et temporibus retroactis haberent, per eumdem sindicum debeant etiam Venetiis destinare, ut cuiuslibet terrarum predictarum sindicis ad nos venientibus predicta possint sic debite et effectualiter regulari, reformari et corrigi, quod derobationes, homicidia, furta et alia huiusmodi enormia cessent et desistant omnino. Omnes fuerunt de parte.

Misti XXV. 26, u arkivu mletačkom.

CCII. God. 1349. 20 lipnja, u Mletcih.

Neka se srbskomu kralju izruče galije, ako jih umah izplati, te mu se dopušća, da nješto oružja iz Mletaka izvede.

1349. die XX iunii, capta: quod respondeatur ambassatoribus domini regis Raxie, quod corpora galearum, alias oblatarum ei cum furnimentis, sumus contenti eidem facere amicabiliter exhiberi pro speciali amore, quem ad suam maiestatem gerimus, sed de facto termini solutionis earum, quem petit, offerens dare pignora, propter conditionem nostri communis id facere non possemus, cum peccunia ipsarum galearum omnino nobis neccessaria

sit; nam, complacentibus nobis ei de huiusmodi galeis, opportet, quod de aliis construi faciamus, cum hiis et aliis verbis excusando nos ab hac requisitione, et similiter excusando nos a petitione hominum, quos petunt, pro dictis galeis, quos sibi concedere non possumus propter evidentem neccessitatem nostram. De armis vero, que petunt posse extrahere, complaceatur eis, solvendo dacium.

Arma sunt ista: clipei more Sclavorum IV centum, lorice C, et paria manicharum de malia C.

Misti, XXV. 27, u mletačkom arkivu.

CCIII. God 1349. 25 lipnja, u Mletcih.

Javlja se kralju ugarskomu, da će mu odpremiti poslanike, kako je njegda želio, pošto je pošast u Ugarskoj prestala.

1349. die XXV iunii. Visis et cum omni diligencia examinatis litteris mencionem agentibus de novis et condicionibus nuper emergentibus in partibus Apulee, et super ipsis habitis deliberacione, consilio et respectu, videtur sapientibus, quod super hiis sit neccessario providendum in hunc modum, videlicet quod scribatur domino regi Hungarie in forma inferius annotata.

Capta: alias serenitatis vestre litteras recepimus continentes, quod treugua octo annorum ob hoc inter vestram serenitatem et nos ordinata extiterat et firmata, ut in ipso tempore ipsius treugue pax perpetua posset firmari et ordinari hinc inde, et quod pro tunc instanti tempore ad presenciam vestre excellencie nostros ambaxatores mittere poteramus, et eadem vestra excellencia ad nos etiam poterat destinare etc, prout in ipsis litteris plenius et distinctius continebatur. Ad quarum significationem per nostras responsivas litteras recolimus rescripsisse, quod illud iddem propositum, quod habet vestra serenitas de pace perpetua confirmanda inter partes, nos etiam, prout novit altissimus, habebamus, qui semper dispositi fuimus et sumus pro parte nostra, ut durante dicta treugua fieret perpetua et pura pax, per quam amor et benivolentia mutua possit in futurum recipere continuum incrementum. Et ut predictum nostrum bonum propositum et nostra pura et mera intencio per effectum operis apparere plenius potuisset, nisi fuisset casus mortalitatis, que dicebatur vigere in partibus Hungarie, per quem cives nostri timuissent venire ad illas partes, quia de anno preterito casum sive pestem similem passi erant, solempnes ambaxatores nostros tunc misissemus, sed quam cito haberemus, quod cesasset, illos ad excellencie vestre culmen transmitteremus, subiungendo etiam, quod si in hoc temporis intervalo aliquis modus vel aliud quodque esse fiendum videretur vestre serenitati predicte, quicquid eidem placebat, poterat declarare, quia disponebamur ad quodque spectans ad conservacionem pacis perpetue et mutui amoris continuum incrementum. Cum igitur nesciamus pro certo, utrum vestra serenitas dictas nostras litteras receperit sive non, et intellexerimus, quod divina potencia suum iudicium mitigaverit in partibus predictis Hungarie, vestre maiestati facimus manifestum, quod occasione tractandi omne bonum pacis et amoris ac benivolencie perpetue firmitatis sumus parati mittere ad vestram presenciam nostros ambaxatores honorabiles, dummodo placeat vestre serenitati prefate nobis suis responsivis litteris declarare de loco et tempore, in quo et ad quem sint accessuri nostri ambaxatores pre-

dicti, quibus litteris declaracionis habitis et reeeptis, nostros ambaxatores prefatos solicite studebimus destinare. Non sinceri 1, de non 1, de parte 86.

Nota: quod die suprascripta, capta parte suprascripta, facte fuerunt littere predicto domino regi et misse per proprium cursorem, et postea replicate et misse fuerunt per quendam alium cursorem die XXVI iunii, indictione II.

Misti XXV. 29, u arkivu mletačkom.

CCIV. God. 1349. 25 lipnja, u Mletcih.

Izplaćen Marko Contareno za njegovo službovanje kao kapetan galija u jadranskom moru.

1349. die XXV iunii, capta: cum nobilis vir Marcus Contareno, olim comes Chersi et Auseri, existens ad ipsum regimen de anno elapso mensis iunii receperit mandatum a nobis et ab isto consilio, quod facere deberet capitaneriam galearum culphi, quia bene provideretur de ipso de quanto staret in ipso servicio, quo mandato recepto, statim tamen absque periculo et gravitate sue persone ascendit super galeas nostras culfi, et fecit capitaneriam diebus XXXVI omnibus suis expensis, tenendo tres famulos de illis, quos habebat in comitatu, et unum socium, et faciendo expensas comito et patronis et aliis secundum consuetudinem capitanerie: vadit pars, quod pro toto tempore, quo servivit, dentur sibi ducati L.

Misti XXV 28, u mletačkom arkivu.

CCV. God. 1349. 2 srpnja, u Mletcih.

Dopušća se jednomu Zadraninu u Mletcih prognanu, da prodje na zadarske otoke.

1349. die secundo iulii, capta: quod sumpta compassione status et paupertatis ac debilis condictionis Criscii olim Damiani de Begna dicti Pignati de Jadra, qui usque nunc stetit Veneciis ad nostra confinia et mandata, eidem de gratia concedatur, videlicet, quod sicut et esse debeat unus de illis vel in numero illorum, qui sunt confinati permanere extra Jadram, videlicet ad insulas, cum condictione aliorum confinatorum, et quod non possit se apropinquare Jadram per septem miliaria, neque ire Nonam neque Segnam, prout consulunt nostri advocatores communis.

Misti XXV. 30, u mletačkom arkivu.

CCVI. God. 1349. 2 srpnja, u Mletcih.

Zahvaljuje se republika ugarskomu kralju na viesti, da je sklopio primirje sa Ivanom, napuljskom kraljicom, i da mu se brat Stjepan ženi sa Ivaninom sestrom; da će mu po njegovoj želji odpraviti poslanike, da ugovore mir medju kraljem i republikom; a da o tvrdjavi, koju kane podignuti knez Pavao kliški i dalmatinski gradovi proti smislu primirja, nezna ništa, te da će se tomu protiviti.

1349. indictione secunda, die secundo iulii. Examinatis litteris domini regis Hungarie nuper missis ducali dominio, et super contentis in eis habitis deliberacione et coloquio diligenter, consulunt sapientes, quod ad ipsas respondeatur per formam et ordinem infrascriptum.

Et primo ad primas litteras suas respondeatur:

Capta: quomodo litteras serenitatis sue recepimus, in quibus sue excellencie nobis placuit intimare, treuguas et concordias tractatas et procuratas per sanctissimum dominum nostrum papam, et innitas inter suam regiam maiestatem et suos, et illustrem dominam Johannam et suos a nativitate domini proxima usque ad unum annum, nec non matrimonium contractum inter magnificum virum dominum ducem Stephanum honorabilem fratrem suum et dominam Mariam sororem domine Johanne predicte, de quarum missione sue maiestati grates agimus copiosas, et quod de predictis treuguis et concordia plurimum congaudemus, et sic letaremur de quocumque honore, exaltacione et successu prospero sue maiestatis predicte, et potissime de hoc letamur, considerantes et cernentes, quantum boni comodi et status pacifici in hoc tempore tractari et operari poterit inter partes predictas, et per consequens quanta consolacio reddetur quibuslibet christianis, propter quod regraciamur altissimo deo nostro, a quo factum est istud, supplicando eidem, quod in hoc suum auxilium interponat, et quod suam maiestatem predictam semper prosperare faciat iuxta votum; cum hiis et aliis verbis amoris et benivolencie, que conveniencia videbuntur. Non sinceri 1, de non 0, omnes alii de parte,

Secundo respondeatur ad secundas litteras dicti domini regis in hac forma.

Capta: vestre excellencie litteras recepimus continentes, qualiter litteras nostras alias vestre serenitati missas ad responsionem quarumdam aliarum vestrarum alias nobis missarum, eadem serenitas vestra receperat, in quarum serie notabatur, quod disponente divina clemencia cessavit in partibus regni vestri plaga pestifere mortalitatis, et quod ob hoc ambaxatores nostri seccure per nos ad vestram excellenciam poterant destinari ad tractandum et disponendum etc. Ad quas presentibus respondemus, quod gratias humiles et devotas refferrimus altissimo creatori, qui dignatus est vobis et universis fidelibus restituere gratiam sanitatis. Sed noverit vestra excellencia, quod per diversas litteras nostras datas in nostro ducali palatio sub die XXVI et XXVII mensis iunii nuper elapsi vestre maiestati fecimus manifestum, quod postquam intellexeramus, quod altissimus deus in regno vestro contulerat remedium sanitatis, eramus dispositi et parati ad presenciam vestre serenitatis mittere nostros ambaxatores solempnes occasione tractandi omne bonum pacis ac amoris et benivolencie perpetue firmitatem hinc inde, dummodo placeret vestre serenitati predicte nobis suis responsivis litteris declarare de tempore et loco, in quo et ad quem essent accesuri nostri ambaxatores predicti, sed quia dubitamus, quod predicte littere nostre nondum culmini vestre excellencie minime fuerint presentate, iterato vestre maiestati predicte curavimus facere manifestum, quod omnino sumus dispositi et parati mittere nostros honorabiles ambaxatores, quos illico eligere decrevimus, et eos ad recessum parari facere, quam cicius fieri poterit, ad presenciam vestre excellencie antedicte occasione pacis perpetue confirmande inter partes, ut superius dictum est. Ad punctum vero in suis litteris predictis nuper receptis, ubi requirit nos, quod gentes suas et eorum bona tam per mare quam per terram transeuntes et redeuntes in nostra protectione habere vellimus et eos defensare ab omnibus, quos sciremus eos velle molestare, respondeatur, prout alias responsum extitit, cum verbis

generalibus, videlicet quommodo alias sue serenitati per nostras litteras recolimus denotasse, quod gentes sue transire, stare et redire per districtus nostros libere valuerunt et valent absque aliquo impedimento nostro vel gentis nostre, a quibus pocius amicabiliter recepti et tractati sunt et omni tempore tractarentur cum expedicione et favoribus opportunis; et ita expresse cunctis rectoribus et fidelibus nostris dedimus in mandatis; mare vero cunctis nationibus cupimus esse securum, per quod gens sue regie celsitudinis sine impedimento nostro vel gentis nostre libere navigare potuit atque potest, in quo quidem bono proposito et velle perseveravimus et sic in ipso perseverare intendimus tempore profuturo. Omnes de parte. Cum hiis et aliis verbis, quibus videbitur expedire.

Capta: et captis predictis partibus de scribendo domino regi predicto in formis superius annotatis, postea successive et subsequenter procedatur in facto electionis ambaxatorum et in forma sive commissione ambaxiatoribus fienda, prout melius videbitur convenire.

Capta: quod respondeatur domino Nicolao bano Sclavonie ad litteras suas, videlicet significando eidem de missione nostrarum supradictarum litterarum, quas mittimus domino regi predicto.

Capta: quod pro honore dominii provideatur honorifice nuncio domini regis Hungarie, qui portavit nobis litteras ipsius domini regis, prout videbitur domino, consiliariis et capitibus de XL.

Capta: item respondeatur ad alias litteras domini regis in hac forma, videlicet:

Per litteras vestre maiestatis, nobis nuperime destinatas, vestra serenitas denotavit, quod comes Paulus, frater comitis Mladini, inclusus in composicione treuguarum factarum et ordinatarum inter excellenciam vestram et nos, una cum comitibus Sclavonie, videlicet Tragurii, Spaleti et Sybenici, quoddam castrum sive fortilicium contra formam predictarum treuguarum hedificare proponit etc., prout in ipsis litteris excellencie vestre continebatur. Ad quas presentibus respondemus, quod novit altissimus deus noster, quod de hoc ullam unquam habuimus noticiam neque aliquid sensimus de predictis, propter quod plurimum admiramur, et pro certo putamus, ipsum et communitates predictas talia non audere preter nostri conscienciam et mandatum, qui nullo modo pateremur, quod ex parte nostra aliquid fieret contra formam predictarum treuguarum, quynnimo affectavimus et affectamus, quod inviolabiliter observentur. Sed super hoc faciemus diligentem inquisicionem, et si hoc invenerimus fore factum, providebimus sicut pro honore vestre excellencie et nostro videbimus convenire, cum simus avidi parte nostra dictas treuguas effectualiter observare pro pace opportuna et vera concordia confirmanda, ut superius dictum est. Cum hiis et aliis verbis, quibus videbitur expedire. Omnes de parte.

Misti XXV. 31, u mletačkom arkivu.

CCVII. God. 1349. 5 srpnja, u Mletcih.

Novci potrebiti za poslaničtvo odlazeće u Ugarsku neka se uzmu iz zajamnice.

1349. die V iulii, capta: quod denarii pro expensis ambaxiatorum mittendis ad dominum regem Hungarie accipiantur de monte, de quo acci-

piuntur denarii pro expensis factorum Sclavonie. Non sinceri 2, de non 7. de parte 68.

Misti XXV. 31, u mletačkom arkivu.

CCVIII. God. 1349. 5 srpnja, u Mletcih.

Naputak za poslanike iduće k ugar.-hrv. kralju.

1349. die V iulii, capta: quod in nomine domini Jesu Christi committatur nostris ambaxatoribus ituris ad dominum regem Hungarie, quod in bona gratia vadant ad presenciam sue excellencie, et eidem salutacionem honorabilem et decentem faciant, prout convenire videbunt pro honore et reverencia sue maiestatis et nostro, qua salutacione cum omni honore et reverencia et modo decenti facta, exponant, quod pro eo, quod sue maiestati placuit nos per sua litteras requirere de nostra ambaxata mittenda pro pace perpetua et concordia tractanda et confirmanda inter suam serenitatem et nos, nos desiderantes et qui desideramus illud iddem, videlicet quod pax perpetua et concordia firmaretur inter partes, et vivere semper cum sua regia maiestate in statu pacifico et quieto, prout semper viximus cum illustribus principibus dominis . . . predecessoribus suis, et maxime cum bone memorie domino patre suo, deliberavimus iuxta requisicionem suarum predictarum litterarum complacere sue regie maiestati, prout semper dispositi fuimus complacere, videlicet in mittendo ipsos in nostros ambaxatores ad presenciam sue maiestatis predicte, ut tractatus pacis, concordie et amoris perpetui ordinari valeant et firmari, et quod ad beneplacitum et velle sue excellencie antedicte se offerrant paratos esse ad tractatus cum sua maiestate; cum hiis et aliis verbis, que circa hoc eis convenientia apparebunt; quibus dictis, ulterius non procedant, sed audiant responsionem domini regis predicti, quam circa hoc eis duxerit faciendum, sive quam fieri faciet, ad quam postea respondeant prout eorum prudencie pro honore nostro et bono agendorum videbitur expedire.

Capta: si autem dominus rex diceret, quod quatuor civitates Dalmacie, quas tenemus, scilicet Spalatum, Tragurium, Sibenicum et Nona, sunt sue, dicant ambaxatores nostri, quod iam multo tempore elapso invenimus ipsas in maxima desolacione et pessimo statu propter continuas incursiones et derobaciones, que sibi fiebant a Sclavis et aliis, et sic ipse de plena libertate et voluntate se sponte nostro dominio submiserunt. Nos etiam attendentes, quod antiquissimo tempore predecessores nostri dominium et titulum habuerunt in illis, possedimus eas pacifice et quiete, ipsasque conservavimus et conservamus cum magnis expensis in protectione nostra cum magno bono et augmento status earum, et predecessores sui et bone memorie condam dominus genitor suus nunquam de eis nobis aliquid dixerunt, sed semper nobiscum amicabiliter vixerunt; unde rogamus, ut sue maiestati placeat more suorum progenitorum pertransire. Non sinceri 0, de non 1, alii de parte.

Capta: si autem dominus rex perseveraret in dicendo, quod ius habet in civitatibus Dalmacie, quas tenemus, et quod contentatur de stando cognicioni et iudicio aliquorum ex principibus mundi, dicant ambaxatores, quod nos optamus procedere cum sua maiestate per illum abiliorem et expediciorem modum, qui, vitatis quibuslibet disputacionibus et cavilacionibus,

inducere habeat et conservare amorem pristinum inter partes. Et licet in iure nostro plenissime confidamus, tamen quia deducere iura per aliquem modum cause seu iudicii posset trahere verisimiliter factum in longum et generare confusionem inter partes, que tam benivolum amorem affectant, credimus esse melius et magis consonum utrique parti, ne tantum bonum aliqualiter retardetur, ut statim bona pax et concordia amicabiliter et domestice fiat per modum alicuius bone composicionis et amicabilis tractatus. Et in hoc casu possint ambaxatores componere per modum infrascriptum. Et quia de providentia nostrorum ambaxatorum possumus plenarie confidere, sit in eorum discretione incipiendi ab illo capitulo de infrascriptis, quod eis melius videbitur pro honore nostro et bono facti. Non sinceri 1, de non 1, alii de parte.

Modus autem composicionis est iste.

Capta: remittente domino rege et transferrente in nos statim libere et expedite absque ulla condictione in perpetuum omnia iura, que haberet vel diceret habere in dictis quatuor civitatibus, et generaliter in aliis civitatibus et locis Dalmacie, quas tenemus cum pertinenciis earumdem, possint ambaxatores promittere inter regem et barones ducatos LX millia vel inde infra quam minus poterunt, facientes hoc predicto domino rege pro se et successoribus suis nobis et successoribus nostris per modum transactionis vel omnem alium modum magis tutum, cum cautellis et renunciacionibus opportunis de consilio sapientum, cum sapientes iuris dicant, quod de iure hoc fieri potest cum securitate nostra. Non sinceri 1, de non 7, alii de parte.

Capta: et si dicti nostri ambaxatores obtinere non possent nostram intencionem per aliquem dictorum modorum, et quod rex diceret, quod contentatur pocius de stando cognicioni et iudicio aliquorum ex principalibus mundi, et ultra hoc peteret et requireret aliquid aliud, sive faceret mencionem de aliis terris et locis Sclavonie, quia periculosum esset, ista cito et sine aliquo respectu ad submittendum nos iudicio aliquorum, tunc dicti ambaxatores prudenter et caute, sicut eis videbitur, audiant, quicquid ipsis peteretur, et senciant et trahant quicquid poterunt tam de finali intencione dicti domini regis et suorum, quam de omnibus aliis, que viderentur spectare et pertinere honori nostro et bono negociorum, et quidquid senserint et habuerint, velociter nobis scribant et suum consilium, et nostrum expectent mandatum, ut de hinc postea provideri valeat, sicut videbitur fore opus.

Capta: preterea si cum dei auxilio composicio fiet, procurent nostri ambaxatores possetenus, quod dominus rex personaliter affirmet et iuret predictam composicionem sive tractatus, promittentes, quod nos similiter affirmabimus et iurabimus personaliter, prout fecimus in facto treuguarum; et si dominus rex pro honore sui diceret, quod, postquam presencia nostra non est ibi, intendit factum firmare similiter per sindicos eius, nostri ambaxatores de hoc etiam sint contenti, dummodo huiusmodi sindici mandatum habeant et libertatem ad plenum. Insuper si in contractu seu in scripturis fiendis de predictis dominus rex poneret in suo titulo Dalmaciam et Chroaciam, nostrum similiter titulus totus ponatur; si vero illud taceret sicut facit in litteris nobis missis, non nominando Dalmaciam et Chroaciam, nostri etiam taceant, dicendo solum dux Venetiarum. Non sinceri 1, de non 0, alii de parte.

Capta: cum optemus, ut ea, que habemus facere cum domino rege, felicem sorciantur effectum, et propterea opportunum sit, ut ambaxatores nostri habeant barones, curiones et alios, qui sunt de consilio regis, sibi propicios, favorabiles et benignos tam pro habendo introytu ad dominum regem, quam pro disponendo animos suos ad bonum nostrum, possint ultra id, quod possunt expendere inter barones per partem suprascriptam captam de ducatis LX millia expondere et donare de bonis nostri communis usque ad ducatos V centum vel minus, prout melius poterunt, remanendo in sua discrecione providendi de eis illi vel illis, qui videbuntur eisdem, et in una vice et pluribus, sicut pro bono agendorum nostrorum sibi videbitur. Non sinceri 2, de non 2, aliis de parte.

Capta: et ante complementum alicuius tractatus seu composicionis, ad quem vel ad quam essent perventuri dicti ambaxatores nostri cum domino rege prefato, specialem faciant mencionem de comite Paulo et nepote, ac de terris et locis suis, videlicet quod includantur in tractatibus et composicionibus predictis, et quod non molestentur in aliquo in personis et bonis suis ullo tempore, et quod dominus rex predictus promittat eis perpetuam pacem; si vero predictus dominus rex hoc facere recusaret, ita quod permaneret obstinatum contra ipsos, tunc nostri ambaxatores non procedant ad affirmacionem neque perfecionem alicuius tractatus, sed solicite nobis scribant, quicquid super hoc habuerint ab ipso domino rege predicto, et nostram responsionem expectent. Non sinceri 1, de non 0, alii de parte.

Capta: ceterum quia ista nostra negocia sunt magna et ardua, et sic strictius tangencia statum nostrum, et prout arbitrari potest diversa pertinencia ad casus iuris forte contra nos allegari possent, et bonum atque utile sit taliter providere, quod iura nostra cum honore nostro substineantur et defensentur, propterea videtur sapientibus, fore neccessarium, quod cum ambaxatoribus nostris ituris in bona fortuna ad dominum regem predictum mittatur quidam sapientissimus et sufficientissimus iudex legum, qui eligatur per dominum, consiliarios et capita, cui etiam provideatur pro dicta via sicut videbitur predictis domino, consiliariis et capitibus, qui iudex nullo modo se valeat intromittere vel impedire in aliquibus factis ambaxatorum, nisi solum in tantum, quantum fuerit requisitus et postulatus per ambaxatores nostros predictos, et in illo tantum, in quo fuerit requisitus, consulat prout sibi pro iure et honore nostro videbitur convenire. Non sinceri 1, de non 0, alii de parte.

Capta: insuper committatur nostris ambaxatoribus predictis, quod parte nostra faciant salutacionem honorabilem et decentem ambabus reginis, si erunt ibi, ubi erit presencia domini regis; si vero non essent ibi, remaneat in eorum discrecione et libertate eundi ad ipsas, ubi erunt, vel non, prout videbitur eis pro maiori expedicione et favore nostre intencionis: quibus instanter recommendant negocia ambaxate eo modo et forma, quibus etiam cognoverint expedire. Omnes de parte.

Capta: et fiant littere credulitatis pro dictis ambaxatoribus domino duci Austrie, et quibuslibet aliis dominis et communitatibus, per quorum territoria transitum facient dicti nostri ambaxatores, nec non domino cardinali legato nunc existenti in partibus illis, et sibi imponantur per dominum, consiliarios et capita illa verba, que conveniencia videbuntur, refferenda tam predicto domino duci Austrie, quam quibuslibet aliis princi-

pibus et baronibus, quibus expedire videbunt pro maiori favore et expedicione agendorum nostrorum eisdem commissorum. Omnes de parte.

Forma electionis ambaxatorum:

Quod in nomine domini Jesu Christi et gloriose virginis matris eius ac preciosi evangeliste sui sancti Marci fiant tres ambaxatores solempnes ad dominum regem Hungarie, qui eligantur per quatuor manus electionum in maiori consilio, que electio per quatuor manus fiat cum ordine et auctoritate consiliariorum ad hoc oportuna, approbando eos ad unum ad unum in dicto maiori consilio, et qui habuerint plures ballotas, habendo maiorem partem consilii, sint firmi, et possint accipi de omni loco et officio existente in civitate Rivoalti exceptis procuratoribus, qui habeant de salario libras trecentas pro quolibet in primis tribus mensibus et inde in antea centum quinquaginta in mense pro quolibet, et teneantur respondere infra tres dies postquam erunt electi, et ire ad beneplacitum dominii, et non possint refutare sub pena librarum C pro quolibet, et huic pene subiaceat quilibet, qui exivisset de terra ab octo diebus citra, et alii etiam, qui ante essent extra terram, et sibi notificatum fuerit per nuncium dominii infra dictum terminum; et habeant unum notarium cum famulo, unum interpretem, unum expensatorem, unum marescalchum, unum cochum et subtuscoquum, et quatuor domicelos pro quolibet; et possint expendere per modum, quo expendunt nostri ambaxatores solempnes, qui mittuntur ad creacionem domini pape. Non sinceri 1, de non 0, de parte 26.

Capta: ser Philippus Aurio vult partem suprascriptam in totum, excepto quod vult, quod illi, qui eligentur ambaxatores, non possint refutare sub pena librarum trecentarum. De parte 52.

Misti XXV. str. 32, u mletačkom arkivu.

CCIX. God. 1349. 7 srpnja, u Spljetu.

Spljećani pišu republici, da akoprem su se prvo protivili sdružiti se s ostalimi gradovi primorskimi u Dalmaciji za obću obranu, sada imaju uzroka, da na to pristanu.

Exemplum quarundam litterarum comitis, iudicum et communis Spaleti. Excellentissime domine noster. Ad excellentiam vestram alias Laurencium Nicole et Franciscum Damiani concives nostros Spalatenses in nostros et nostri communis Spaleti syndicos et ambaxatores duximus destinandos super facto, quod fieri petebant Tragurienses et Sibinicenses, et revera prefatis nostris sindicis commisimus, ut dictum paesinaticum non fieret, totaliter impugnarent, cum nobis non videbatur fieri debere, habito respectu ad condictionem nostram et nostri communis; sed ex quo vestre dominationi visum est pro meliori, quod dictum paesinaticum fiat, et provisum et decretum sit per vestram excellenciam, quod in bona gratia sepedictum paesinaticum fiat in partibus Dalmatie, prout in vestris ducalibus litteris, quas alacriter suscepimus, plenius est expressum; nos cum nostra communitate Spaleti mandatum vestrum in predictis brachiis apertis unanimi voluntate plene suscepimus animo iocunditatis, et tanquam vestri fideles veri surgimus prompti et parati in predictis et omnibus aliis quibuscumque, que vestra excellencia duxerit demandandum, integraliter adimplere, ac etiam totis viribus obedire.

Date ibi septimo iulii, secunde indictionis (1349). Petrus Memo comes, iudices, consilium et commune civitatis Spaleti.

Commemorialium IV. 150, u mlet. arkivu.

CCX. God. 1349. 11 srpnja, na Rokusu.

Kralj ugar.-hrv. Ljudevit piše republici mletačkoj, da, pošto je prestala pošast u njegovoj kraljevini, čim se vrati iz Erdelja, javit će joj, gdje će biti, da primi njezine poslanike.

Lodovicus dei gratia Hungarie, Jerusalem et Sicilie rex. Celsitudinis vestre litteras honorifice et benigne receptis et in eisdem contentis ad plenum intellectis, inter cetera comperimus in serie earundem haberi manifeste, quod alias litteras nostras serenitas vestra recepisset, continentes, ut treuga octo annorum ob hoc inter nos et vestram serenitatem ordinata extitisset et firmata, ut ipso tempore ipsius treuge pax perpetua posset firmari et ordinari hinc inde, et quod per tunc instanti tempore ad presentiam nostram vestri ambaxiatores mittere possetis, et etiam nos ad vestram excellentiam possemus destinare. Et nisi epidemia seu mortalitas gentium divina castigatione feriente in partibus regni nostri Hungarie viguisset, qua ratione cives vestri timuissent venire ad istas partes, solempnos ambaxiatores vestros ad nos misissetis. Set quamcito cessaret, eos ad excellentiam nostram occasione tractandi omne bonum pacis et amoris ac benevolentie perpetue firmitatem transmitteretis, dummodo divina patientia suum iudicem mitigasset in partibus regni nostri, et quod per nostras litteras responsivas tempus et locum, in quo et ad quem ambaxatores vestri sint accessuri, vestre declaremus serenitati etc, prout in predictis litteris vestris plenius et distintim continebatur. Ad quarum contenta vestre excellentie taliter duximus respondendum, quod divina dispositione annuente epidemia seu casus mortalitatis in regno nostro cessavit, et per nunc incole eiusdem regni nostri, videlicet Transilvani, nobis humiliter et devote supplicarunt, ut ad eos causa visitationis accedere dignaremur, quibus ipsorum preces, tum propter visitationem predicti regni nostri, in quo a pluribus retractis temporibus non extitimus, tum etiam quibusdam aliis rationabilibus causis intervenientibus in hac parte non potuimus denegare, et in hiis iam aliud facere nequimus ex causis prelibatis. Sed quam primum de ipso regno nostro, ubi respectu premissorum tardam moram facere non intendimus, domino concedente revertemur, vobis per literas nostras tempus et locum, in quo et ad quem ambaxiatores vestri, quos libenti animo et gratanter recipiemus, sint accessuri, et de firmatione predicte pacis una nobiscum tractaturi studebimus declarare, quia libenti animo volumus, ut durante dicta treuga perpetua et pura pax inter nos possit ordinari et stabiliri domino concedente. Datum in P(R)okus loco venationis nostre XI die mensis iulii (1349).

Commemorialium IV. 151, u mletačkom arkivu.

CCXI. God. 1349. 13 srpnja, u Mletcih.

Oprošten Justinian Justiniano od poslaničtva k ugar.-hrv. kralju.

1349. die XIII iulii, capta: quia ser Justinianus Justiniano, electus ambaxator ad dominum regem Hungarie, excusat se propter deffectum per-

sone: vadit pars, si videtur vobis, quod eius excusacio admittenda sit vel non; et si capietur de admittendo eam, iuret ipsam causam et excusacionem esse veram secundum formam consilii. Capta prima, quod sit admittenda, omnes; secunda de non 0, tercia non sinceri 0.

Misti XXV. 35, u mletačkom arkivu.

CCXII. God. 1349. 14 srpnja, u Mletcih.

Prima se, da poslanici iduči izvan državc nemogu biti izabrani za viećnike.

1349. indictione secunda, die 14 iulii, capta: cum dubium fiat, utrum ambaxatores ituri ad dominum regem Hungarie possent eligi consiliarii Veneciarum vel non, et bonum sit pro hoc casu et aliis similibus, qui possent occurrere, habere legem claram et certam super hoc: vadit pars, si videtur vobis, quod dicti ambaxatores et alii ambaxatores, provisores vel tractatores, qui forent electi seu eligerentur pro mittendo extra Venecias, qui haberent salarium et deberent transire confinia, possint eligi consiliarii Veneciarum vel non.

Capta prima, quod non possint eligi, omnes alii; secunda, quod sic possint eligi 112, non sinceri 16.

Maius consilium. Spiritus 167, u mletačkom arkivu.

CCXIII. God. 1349. 16 srpnja, u Mletcih.

Odgovor na poslanstvo bosanskoga bana.

1349. indictione II, die 16 iulii. Responsio ad ambaxatam expositam per ambaxatorem domini bani Bosine ducali dominio pro parte ipsius domini bani.

Capta: intellecta ambaxata nuper ducali dominationi exposita per comitem de Minoy pro parte domini bani Bosine, que in tribus capitulis comprehendi potest, nam in primo continetur requisicio, quam facit, videlicet quod dominacioni placeat interponere se ad tractandum et procurandum, quod amor, benevolencia et concordia vigeant inter dominum imperatorem et regem Servie et ipsum dominum banum. In secundo exponitur, quod si de beneplacito dominacionis procederet, vellet construi facere quendam locum sive fortalicium in quadam contrata, que vocatur Cheml (Chelm) ad marinam, et quod si pro hedificatione aut constructione dicti laborerii sive fortilicii aliqua melestia vel inquietacio sibi fieret a parte maritima tantum, quod dominacioni placeat suum sibi adhibere auxilium et favorem, cum a parte terre satis reddeat se securum. Et in tertio continetur conclusio ambaxate predicte, per quam offert se et loca sua honoribus et beneplacitis dominii quibuscunque etc. Et ipsa diligenter examinata, consulunt sapientes, quod respondeatur ad ipsam in hac forma: et primo ad id, quod prius exponitur, videlicet, quod dominacio se interponat ad tractandum et procurandum, ut amor, benivolencia et concordia vigeant inter dominum regem et imperatorem predictum et ipsum dominum banum etc., quod semper dispositi fuimus et sumus ad omnia respiciencia suum commodum, utile et honorem. Et ut nostram bonam disposicionem comprehendere valeat per effectum, noscat sua magnificencia, quod expresse commisimus ambaxatori nostro, quem pridie misimus ad dominum regem et imperatorem predictum,

quod omnino daret operam cum effectu ad procurandum et tractandum, quod amor, benivolencia et concordia confirmentur inter suam maiestatem et ipsum dominum banum, et sic procurabimus modis omnibus nostro posse tempore sequuturo. Ad secundum vero, in quo exponitur de laborerio construendo, et de requisicione auxilii et favoris sibi exhibendo in casu etc., habito respectu, quod precise non potest dici, quod desistat a constructione predicti laborerii, cum locus, in quo dicit velle construi facere, sit suus, et per consequens ad adhibendum consensum precise, quod fiat, posset in damnum reverti, periculum et jacturam pro statu et conservacione terrarum et locorum nostrorum Sclavonie, et pro nobis faciat in hoc sub silencio preterire, respondeatur, quod pro eo, quod dominus rex et imperator prefatus forte vellet dicere, quod locus, in quo ipse dominus banus vult, quod predictum laborerium construatur, sit suus et sui iuris, et hoc posset impedire effectum tractatus concordie et amoris, quem firmari desiderat et tractari cum domino imperatore prefato, videtur nobis fore melius et magis congruum pro honore eius et commodo, quod super hoc supersedeatur, nec pro modo fiat novitas aliqua superinde, et quod in omnibus possibilibus nobis nos reddimus favorabiles et paratos ad cuncta, que ad suum spectare possint bonum, comodum et honorem. Cuius responsio capituli, habito sapientibus colloquio cum ambaxatore predicti domini bani, videtur ipsi ambassatori esse honesta, racionabilis atque decens. Ad tercium vero, quod est conclusio predicte ambaxate sue, per quam offert se et loca sua cunctis honoribus et beneplacitis dominii, respondeatur cum pulcris verbis, videlicet, quod sic de ipsius magnificencia indubie fidem gessimus et gerimus specialem, et ob hoc predicte sue magnificentie ad graciarum asurgimus actiones, et merito tenemur eiusdem beneplacitis complacere; et cum hiis et aliis verbis, que circa hoc conveniencia videbuntur. Non sinceri 0, de non 1, alii de parte.

Misti XXV. 37, u mletačkom arkivu.

CCXIV. God. 1349. 19 srpnja, u Trogiru.

Knez i občina trogirska zahvaljuju se mletačkoj vladi za dobročinstva, koja jim podieljuje.

Exemplum quarundam litterarum missarum dominio per nobilem virum Marcum Celsi comitem, iudices, consiliarios, consilium et commune civitatis Tragurii. Serenissime domine! Licet alias nostris non existentibus meritis vestra magnificentia sibi nos velud speciales servitores annexerit virtute nostros propagandum honores, consiliis providendo deffectibus, et queque noxia a nobis, tanquam a se ipsa removendo, et nuper nos paterna dulcedine intuendo suis non parcendo sumptibus et laboribus ad nostri tutelam et honorem et conservationem paysanaticum in istis partibus ordinando, ut per eiusdem magnificentie litteras plene percepimus, nos tantorum beneficiorum non immemores, non ingrati vestre ducali excellentie, non quas tenemur, sed quas possumus gratiarum refferimus uberimas actiones, largitorem bonorum omnium precibus instantissimis deprecantes, quatenus vestrum ducale dominium per tempora longiora conservare dignetur. Nos semper habentes in vestrorum mandatorum execucione ferventes et

promptos et benevolos ad omnia, servitores. Ubi data decimo nono iulii, secunde indictionis (1349).

Marcus Celsi de suo mandato comes, iudices, consiliarii, consilium et commune civitatis Tragurii.

Commemorialium IV. 150, u mletačkom arkivu.

CCXV. God. 1349. 20 srpnja, u Šibeniku.

Knez i občina šibenička izkazuju mletačkomu duždu svoju zahvalnost na dobra, koja od njega primaju, te žaleć, što knez Pavaò kliški nehtje odpustiti republici Skradin za stan domobranskoga konjaničtva, predlažu mjesto za to podobno.

Exemplum quorundam litterarum missarum dominio per nobilem virum Hermolaum Gradonico comitem, iudices et consiliarios civitatis Sibenici. Serenissime domine noster. Sicut excellentia vestri dominii scire poterit per Nicolaum notarium vestri palatii isti fideles vestri de Sibenico grates refferunt infinitas vestro benigno dominio de vestra provisione peroptima, quam vestra decrevit potentia super ordinata per vos cavalata super conservatione nostra; et piissime domine ista provisio vere fuit et est nostra salus et vita, quoniam laborabamus in extremis. Nunc vero vestra benigna gratia suffragante redduti esse speramus de morte ad vitam, sicut hic sentire valuimus. Comes Paulus non concessit vestro dominio castrum Scardone pro stando ibi vestra futura cavalata, et etiam burgum, quod vobis totum dare promiserat, dividere nec volebat, nolens dare vestro dominio, nisi solum medietatem, et hec tantum sibi sit, quia suum commodum et utile non cognovit; sed vestro dominio redundat in commodum, et nobis vestris fidelibus multo magis, quum in nullo loco minus apto omnis istis vestris fidelibus stare poterat, quam Scardone; sed ut vestra cavalata reddatur utilior, et commodior omnibus civitatibus istis opportet, ut moretur in loco Strathoc vocato circa confines Tragurii. qui locus est circundatus bene triginta villis solitariis factis propter robarias, que, constructo loco predicto, statim in statum presperum ducerentur. Et pro certo sciat vestra potentia, quod locus iste est ita dispositus, quod nullus derobator posset intrare nec exire de districtu Sibenici et Tragurii, quin opporteat ipsum transire per manus vestrorum in dicto loco morancium, et est ita prope Spalatum, et plusquam Sibenicum. Reducimus ad memoriam vestro dominio, quod istis vestris fidelibus est summe necessarium, quod vester capitaneus cum dicta vestra cavalata veniat quamcitius esse potest, cuius cavalata medietas stare poterit Tragurii et altera Sibenici, donec ordinabitur locus predictus, quum nulla civitatum istarum habilis est ad tenendum totam cavalatam simul; et si vellet omnino dominatio vestra, quod tota cavalata simul staret, est hic iuxta Sibenicum forte per iactum baliste una puncta ex tribus lateribus aqua circumdata, et ex parte austri est staria lata forte passibus triginta, ubi possent stare, donec dominatio vestra aliter provideret. Ubi datum vigesimo iulii, secunde indictionis (1349). Hermolaus Gradonico comes, iudices et consiliarii civitatis Sibenici.

Commemorialium IV. 150, u mletačkom arkivu.

CCXVI. G. 1349. 26 srpnja — 6 listopada 1353, u Mletcih.

Imenovanje njekojih poslanika, knezova i drugih častnika u Dalmaciji.

Consiliarii Jadre.

1349. 26 iulii. Nicolaus Alberto; plezius Rigus de Molino.
1350. 6 augusti. Johannes Superantio; plezius Nicoletus Mengolo.

Camerarii Jadre.

1349. 24 augusti. Andreolus Zanchani.
1349. 27 augusti. Nicoletus Zancharuol s. Joannis novi; plezius Petrus Gritti.
1350. 8 iunii. Laurentius Bragadino; plezius Fantinus Marinoni.
1350. 13 iunii. Jacobellus Bonhomo; plezius Johannes Contareno.

Comes None.

1350. 27 iunii. Marcus Mauroceno sancti Cassiani; plezius Marcus Mauroceno.
1350. 4 iulii. Marcus Calbo; plezius Andreolus Navarerus.

Comes Pagi.

1350. 6 iulii. Jacobus Moro; plezius Marcus Lauredano.
1350. 8 iulii. Bellelus Venerius; plezius Johannes de Mula.

Comes Sybenici.

1350. die penultimo marcii. Qufredus Mauroceno; plezius Donatus Dioni.

Camerarii Pagi.

1349. 1 octobris. Paulus Justinian; plezius Dardi Zustignan.
1349. 6 octobris. Paulus Zorzi; plezius Zorzinus Zorzi.
1349. 11 octobris. Lucas Mocenigo filius ser Johannis; plezius Petrus Mauroceno.
1349. 22 octobris. Zorzius Marmora; plezius Jacobus Delphino.
1350. 13 iulii. Marinus Ferro; plezius Nicoletus Zane.

Comes Kersi et Auseri.

1349. 24 marcii. Francischus Donato; plezius Jacobus Mauro.

Comes Ragusii.

1350. 22 iunii. Ser Marcus Superantio; plezius ser Johannes Dandulo.

Comes Spaleti.

1350. 14 martii. Andreas Contareno; plezius Nicoletus Contareno.
1350. 23 martii. Mapheus Emo; plezius Petrus Dalmario.

Ambaxatores ad d. regem Rasie.

1349. 2 aprilis. Philippus Emo; plezius Zan Marcello.
1349. 7 aprilis. Johannes Gradonico; plezius Marcus Aeldo.
1349. 15 aprilis. Marcus Ruzini; plezius Johannes Babilonio.
1349. 29 aprilis. Mapheus Aymo; plezius Zaninus Emo.
1349. 23 aprilis. Nicolaus Georgio marchio; plezius Andreolus Grimani.

Ambaxatores ad d. regem Ungarie,

1349. 12 iulii. Justinianus Justiniano, Johannes Gradonico, Nicolaus Pixani.
1349. 19 iulii. Johannes Steno.
1349. 13 iulii. Philippus Aurio.

Ambaxatores ad d. regem Raxie et banum Bosne.

1350. 12 iulii. Thomas Gradonico.
Nicolaus Faletro; plezius ser Marcus Marmora.

Potestas Farre et Brace.

1350. 30 ianuarii. Petrus de la Fontana; plezius Nicolaus Vadal.
1350. 10 februarii, Jacobus Dalfino; plezius Petrus Magno.
1350. 13 februarii. Petrus Contarenus; plezius Piranus Contareno.

Comes et capitaneus Jadre.

1350. 7 novembris. Electio specialis. Justinianus Justiniano; plezii Paulus Donato, Marcus Marioni, Francischinus Justiniano.

Consiliarii Jadre.

1351. 22 maii. Marcus Barbaro; plezius Michaletus Balbi.
1351. 29 maii. Petrus Faletro; plezius Thomas Faletro.

Comes Tragurii.

1350. 29 augusti. Marcus Ruzini; plezius Stephanus Truno.

Camerarius Jadre.

1350. 17 octobris. Niger Zanchani; plezius Mapheus Zane.

Comes Chersi et Auseri.

1350. 3 octobris. Johannes Bondemerius; plezius Jacobus de Priolis.
1350. 10 octobris. Petrus Barbadico; plezius Franciscus Karavello.

Ambaxatores ad regem Hungarie, et remanserunt electi per scrutinium in rogatis.

1351. 8 maii. Marcus Cornarius. Marinus Faletro. Nicolaus Leono. Johannes Contareno; plezius Andreolus Duodo.

Potestates Farre et Braze.

1352. 14 februarii, Petrus Polani; plecius Daniel Victurius.
1352. 20 februarii. Andreas Venerius; plecius Rigetus Ferro.
1352. 24 februarii. Johannes Darpino; plecius Petrus Darmario.
1353. 3 marcii. Petrus Fradelo; plecius Jacobellus Barbaro.

Comes et capitaneus Jadre.

1352. 14 octobris. Ser Petrus Zane; plezius Marcus Brizi.

Consiliarii Jadre.

1352. 1 iulii. Comes Venerio; plezius Rigetto Ferro.
1353. 21 augusti. Marcus Truno; plezius Stefanus Truno.
1353. 25 augusti. Costantinus Nani; plezius Nicolaus Nani.
1353. 29 augusti. Andreolus Dandulo; plezius Gabriel Dandulo.

Comes None.

1352. 17 iulii. Hermolaus Dalmario; plezius Johannes Darpin.

Comes Tragurii.

1353. penultimo septembris Petrus Gradonico; plezius Laurencius Zane.

Comes Pagi.

1352. 3 iulii. Franciscus Bono; plezius Zan Venier.

Comes Spaleti.

1351. 4 marcii. Marcus Bembo; plezius Donatus Donato.

Camerarii Jadre.

1351. 23 septembris. Johannes Diedo; plezius Pancratius Venerius.
1352. 18 marcii. Marcus Contareno; plezius Marcus Gradonico.
1252. 21 septembris. Nicoletus Delphino; plezius Nicoletus de Ripa.

Comes Sibenici.

1352. die 11 aprilis. Lodovicus Vitalis; plezius Donatus Honoradi.

*

Comes Chersi et Auseri.

1352. 19 augusti. Johannes Caravello; plezius Philippus Aurio.

Camerarii Pagi.

1351. 21 septembris. Paganinus Manolesso; plezius Marcus Manolesso.
1352. 20 septembris. Zaninus Sagredo; plezius Lufrius Minoto.
1353. 6 octobris. Laurentius Trivisano; plezius Zaninus Civran.

Comes Ragusii.

1352. 22 iulii. Ser Nicolaus Volpe; plezius ser Nicoletus Capello.

Capitaneus generalis in partibus Sclavonie per terram.

1353. 25 iulii. Ser Marinus Grimani; plezius ser Zaninus de Medio.

Capitaneus maris.

1353. 19 maii. Ser Marinus Faletro; plezius Mapheus Contarenus.
1353. 21 iulii. Ser Laurentius Celsi; plezius ser Nicoletus Donado.

Segretario alle voci. Elezioni str. 11, 14, 33, 40, u mletačkom arkivu.

CCXVII. God. 1349. 4 kolovoza, u Mletcih.

Odbor neka predloži svoje mnienje u poslu razmirica obstojećih medju Pagom, Rabom, Osorom, Cresom i Krkom.

1349. die IV augusti, capta: quod declaretur pars alias capta de sapientibus electis pro ambaxata Pagensium et Arbensium et illorum de Cherso pro differentiis existentibus inter eos, ita quod ipsi sapientes examinent etiam et consulant de hiis, que providenda forent super furtis, robariis, homicidiis et aliis excessibus, que hinc inde continue sibi inferunt vicissim nostri fideles de Arbo, Pago, Vegla, Cherso et Ausero, pro quo quilibet dictorum comitum misit per mandatum nostrum syndicos huc, et nobis dent suum consilium in scriptis, cum quo erimus hic, et fiet, sicut videbitur, et quilibet eorum in premissis possit ponere partem, et vocetur consilium ad eorum peticionem sub pena solidorum X. De non 0, non sinceri 0.

Misti XXV. 40, u arkivu mletačkom.

CCXVIII. God. 1349. 17 kolovoza, u Mletcih.

Daje se občini creskoj i osorskoj brod uz naplatu.

1349. die XVII augusti, capta: cum pro parte sindici communis et hominum insule nostre Chersi et Auseri nobis fuerit humiliter supplicatum, quatenus pro utilitatibus dicte insule unum de galedelis nostri communis a XVI vel a XVIII remis pro precio competenti dari facere de speciali gratia dignaremur, de ipso precio solvendo sibi faciendo terminum competentem: capta fuit pars, quod eis detur dictus galedelus, solventibus eis id, quod extimatum fuerit per tercium, videlicet tercium usque ad sex menses, et sic de sex in sex mensibus, donec fuerit solutum, dando ydoneam plezariam de toto.

Misti XXV 42, u arkivu mletačkom.

CCXIX. God. 1349. 20 kolovoz, u Mletcih.

Mnienje odbora o načinu, kako da se sravnaju razmirice obstojeće medju Pagom, Rabom, Osorom, Cresom i Krkom, i kako da se u naprieda preprieče.

1349. indictione secunda, die XX mensis augusti. Cum fidelium et subditorum status pacificus et quietus famam dominancium augeri faciat atque decus, et propterea ducalis dominacionis intersit taliter procurare pro augmentatione eius laudis pariter et honoris, quod sui fideles et subditi vivant adinvicem cum quiete, et super violenciis, iniuriis et offensionibus, que per eos sibi mutuo inferuntur, remediabiliter providere; quia propterea auditis et intellectis lamentacionibus et querellis depositis per fideles nostros de Cherso, Ausero, Arbo, Vegla et Pago, et que assidue deponuntur, videlicet de iniuriis, offensionibus, depredacionibus, furtis et homicidiis, que per predictos inferuntur vicisim, et super ipsis habita deliberacione et consilio diligenti, consulunt sapientes ad perpetuam remocionem et incisionem earum, quod inter communitates predictorum et quanlibet ipsarum ordo sive reformacio infrascripta super premissis per ducalem excellenciam confirmetur, perpetuo duratura, que quidem reformacio bene et utiliter respondit, et domino disponente induat tranquillitatem et statum pacificum inter communitates fidelium predictorum temporibus pro futuris.

Ordo autem sive reformacio talis est.

Capta: inprimis, quod si aliquis alicuius predictarum communitatum sive insularum, videlicet tam Chersi, Auseri, Vegle, Arbi, quam Pagi conquereretur, quod eidem animalia furata fuerint vel alie res per aliquem vel aliquos aliarum terrarum vel insularum predictarum, quod amodo in antea ordo infrascriptus per omnes totaliter observetur, videlicet quod si ille, qui damnificatus fuerit, probaverit per unum bonum testem ydoneum vel per plures suam intencionem, quod ille, contra quem erit testificacio facta, restituere debeat damnum in duplo de eo, quod fuerit probatum, videlicet pro qualibet ove et castrone solvere debeat soldos viginti parvorum, pro qualibet capra seu porco soldos sexdecim parvorum, pro quolibet agno soldos decem et parvulos octo, pro quolibet edo soldos octo parvorum, et etiam quod solvat expensas tassandas per curiam, per quam fiet diffinicio. Et si testis nesciret numerum dicti damni, tunc credatur sacramento patroni dictorum animalium et eius bravario, et etiam teneatur tantundem solvere suo communi, ubi sententia fuerit facta, quamtum solverit illi, qui damnum receperit. Item quod si pars damnificata probare non poterit per unum testem vel plures, ut supra dictum est, et inveniret unum animal vel plura, signata suo signo, vel inveniret unam pelem vel plures suo signo signatas, et diceret, se recepisse maius damnum eo, quod invenerit in manibus eius, quod tunc credatur sacramento patroni dictorum animalium et eius bravario, et de tot animalibus, quot iuraverint ille vel illi, in quorum manibus dicta animalia vel peles invente fuerint, teneantur solvere in duplum patrono, et tantundem solvat in eius commune, intelligendo semper, quod probare debeant dicta animalia vel pelles suas esse. Item quod si ille vel illi, in quorum manibus inventa essent animalia vel pelles predicte, diceret se emisse animalia vel pelles predictas ab uno alio, et sic esse verum probaret, tunc teneatur dare in manibus dominacionis illum, qui venderit ei predicta, et eo dato in manibus dominacionis, ipse, in cuius manibus fuerint primo predicta

inventa, licencietur, et contra alium procedatur. Et si ipse dare non posset in manibus dominacionis, et probaret, quod eidem per ipsum predicta data vel vendita essent, tunc restituere debeat damnificato illud, quod eidem datum vel venditum esset absque aliquo precio, et nichilominus damnificatus possit habere regressum contra malefactorem predictum.

Capta: item, quod cum sentencia lata fuerit contra malefactorem, et talis condempnatus non esset sufficiens ad solvendum suam condempnacionem, tunc teneatur dari bonam plezariam; quam si dare non poterit, tunc ponatur in carceribus communis; et si condempnacio facta ascenderet ad valorem solidorum sexaginta grossorum vel ab inde supra, suspendatur malefactor per gulam taliter, quod moriatur, et a soldis viginti grossorum supra usque ad sexaginta sibi abscidatur conus pedum, et a soldis viginti grossorum infra frustetur et buletur; quam condempnacionem si non solverit in termino octo dierum, postquam sententiatus fuerit, tunc talis malefactor puniatur personaliter secundum sentenciam supradictam.

Capta: item quod si aliquis dictorum malefactorum diceret, se habuisse aliquos socios ad committendum mala predicta, quod tunc ipse teneatur dictos suos socios dare et ponere in manibus dominacionis: et si tales confessi fuerint, verum esse, eos fuisse cum illo, vel si negarent, et ille probaret, quod tunc tales omnes malefactores equalitor totum damnum solvere debeant, ut superius dictum est, vel personaliter puniantur, si solvere non possent. Et si dictus malefactor dictos suos socios in manibus dominacionis non daret vel non probaret, ipsos esse culpabiles, illis continue denegantibus, tum principalis predictus teneatur in totum solvere, aut personaliter condemnetur, ut supra dictum est.

Capta: item quod si aliquis istorum abhinc in antea pro furto in aliqua predictarum insularum fuerit condempnatus, et iterato committeret furtum in aliqua ipsarum, tunc iterato comdempnetur eo modo realiter et personaliter, ut supradictum est, et nichilominus de omnibus supradictis insulis perpetuo sit bannitus tam solvendo condempnacionem, quam si condempnaretur in membro; et si veniret in aliquam dictarum insularum, tunc rector dicte insule cum suis iudicibus teneatur ipsum et ipsos capi facere, faciendo ei vel eis pedem amputari. Et etiam nichilominus perpetuo sit bannitus de ipsis insulis, ut prius; et si aliquis tenuerit aliquem de dictis malefactoribus sic bannitis in domibus vel in stariis suis, tunc talis condempnetur in yperperos duodecim, et uno mense in carceribus detineatur, que yperpera deveniant in commune, ubi dictus malefactor fuerit inventus, et quilibet possit accusare, et habebit medietatem dicte condempnacionis, probando sic verum esse.

Capta: item si aliquis prestaverit aliquam barcham istis malefactoribus, tunc patronus barche predicte teneatur pro uno ex malefactoribus antedictis, et tantum solvat damnificato et suo communi, quantum unus ex hiis malefactoribus.

Capta: item quod aliquis excoriare non possit aliquod animal grossum vel parvum absque capite, auriculis et signis in dictis animalibus factis, et quod aliquis emere non possit aliquas pelles carentes capite, auriculis et signis suis; et si quis contrafecerit predictis, cadat in penam yperperorum duodecim, que deveniant in commune, tam qui excoriaverit quam qui emerit, et quilibet possit accusare et denunciare sue dominacioni, et

habere debeat medietatem dicte condempnacionis, probando sic verum esse; et talis accusans teneatur in credencia.

Capta: item ad obviandum, ut tot mala non fiant, consulunt, quod eligantur triginta sacramentarii pro qualibet dictarum insularum, et si aliquis ipsorum obiret vel aliquo modo deficeret in dicto numero, tunc comes illius insule sive terre, in qua talis sacramentarius defficeret, teneatur notifficare aliis comitibus, ut eligere debeant alium loco eius, ut continue numerus sacramentariorum semper sit integer, qui sacramentarii iurare debeant statim, cum erunt electi, et etiam annuatim circa festum nativitatis domini, quod si scirent vel audirent, quod aliquis vel aliqui se pararent ad eundum ad aliquod furtum vel ad aliquod malum committendum, tunc statim teneantur tales homines suo comiti vel in eius absencia sue curie notificare, ut super hoc provideri facere possit. Et si malum nescirent antequam commissum esset, et postmodum ad noticiam eorum veniret et sciret, quod malum predictum vel alia essent commissa, vel ab aliis audirent, tunc statim quam cicius poterunt, notificare debeant domino comiti vel in eius absencia sue curie; et si dicti sacramentarii probarent, dictos tales esse culpabiles, tunc habere debeant medietatem condempnacionis devenientis in commune, alia vero medietas sit communis, et teneantur in credencia. Et si dicti sacramentarii non notificarent in termino octo dierum, postquam audissent vel vidissent malum factum esse, cadant in penam yperperorum duodecim, et per quinque annos a sacramentarie officio excludantur, que pena pecuniaria deveniat in suum commune, et nichilominus teneantur notificare, quod sciverint vel audiverint de furtis factis, ut dictum est; et quilibet possit dictos sacramentarios accusare, et si probaverit, quod scivissent vel audissent predicta, et non notificassent dominacioni, talis accusans habere debeat medietatem dicte condempnacionis; alia vero medietas vadat in communi, et tenebitur de credencia.

Capta: item quod sacramentarii sub debito sacramenti teneantur, quod si sciverint vel audierint, quod aliquis patronus pastorum seu bravariorum iuraret iniusto, videlicet, quod dixisset, se recepisse maius damnum eo quod recepisset, tunc statim teneantur et debeant eum denunciare suo comiti, et inventa veritate sic esse, teneatur et debeat in duplo restituere de eo, quod male iurasset, et etiam tantumdem solvere debeat in communi. Et si dictus sacramentarius posset probare, sic verum esse, tunc ipse sacramentarius habere debeat medietatem partis devenientis in communi, alia vero medietas sit communis.

Capta: item quod aliquis dictarum insularum vel aliquis alius advocare non possit pro aliquo latrone, ita quod dictus latro nunquam pro suis furtis advocatorem possit habere.

Capta: item quod de damnis, raubariis, furtis, homicidiis, invasionibus hinc retro commissis per aliquem seu aliquos predictarum insularum partibus et cuilibet ipsarum perpetuum silencium imponatur, nec fiat restitucio sive emenda aliqua superinde, salvis tamen et reservatis omnibus intromissionibus factis in hoc per dominum ducem seu advocatores communis Veneciarum.

Capta: item quod si aliqua barcha armabitur vel furnietur per aliquem dictarum insularum pro eundo ad faciendum aliquem insultum vel raubariam sive molestiam contra aliquam predictarum insularum, et hoc legittime probatum fuerit, quod cuilibet existenti in ipsa barcha pena car-

ceris impendatur, prout videbitur rectori loci, ubi predicta committerentur, considerata delicti et propositi qualitate.

Capta: item quod diffiniciones, processus et iudicium predictarum condempnacionum committantur cognoscenda, diffinienda et promulganda comitibus et iudicibus terrarum et locorum, ubi reperiretur reus sive malefactor vel aliquis contrafaciens predictis tam Arbe quam aliorum locorum et insularum, salvis tamen in aliis antiquis consuetudinibus predictarum terrarum et locorum atque insularum, quo in suo robore permaneant firmitatis.

Capta: insuper ponatur in reformacionibus et ordinibus illorum de Pago et Arbo, prout in pactis antiquis eorum seriosius est insertum, quod si aliquod lignum voluerit ire Pagum cum blado, et applicuerit ad aliquem portum Arbi, quod si patronus et nauclerius illius ligni iuraverint ad sancta dei evangelia, quod dictum bladum sit Pagensium vel emptum nomine ipsorum, quod comes et commune Arbi non possint ipsum retinere, ymo ipsum permittant ire libere Pagum. Et etiam si aliquod lignum forensium voluerit ire Pagum cum blado forinsecorum, et aplicuerit aliquem portum Arbi, comes et commune Arbi debeant et possint medietatem ipsus bladi permittere ire Pagum, et aliam medietatem ipsius bladi faciant discaricari in Arbo; et e converso comes et homines Pagi teneantur simili modo premissa omnia observare hominibus Arbi.

Capta: item quod si aliquis predictarum terrarum vel insularum commiserit aliquod homicidium in aliqua predictarum insularum, personaliter puniatur taliter, quod moriatur, et non in pecunia condemnetur, prout iura precipiunt et svadent.

Capta: item addatur in ordinibus et reformacionibus illorum de Cherso, Ausero et Vegla, quod si aliquis ipsorum locorum et castrorum, spectancium dictis insulis, contrafecerit predictis constitucionibus et ordinibus, seu commiserit aliquid contra predicta, et de hoc iusticia, satisfactio seu debita punicio non fuerit subsequuta per illos, ad quos spectabit fiendum, quod tunc illis, contra quos factum fuerit contra premissa vel aliquod premissorum, possint habere recursum ad comitem Kersi et Auseri tamquam ad iudicem appelacionum, qui comes possit in iudicio procedere contra illum seu illos, qui non observaverint predicta, prout sibi melius et iustius apparebit.

Capta: item pro maiori observancia omnium predictorum statuatur, quod communia et universitates dictarum terrarum et insularum teneantur et debeant predicta omnia et singula observare et facere observari, sicut per singulum superius est notatum, perpetuo duratura, ut supra dictum est; et si qua partium contrafaceret, incidat in pena librarum mille parvorum solvenda parti vel partibus observantibus, cui vel quibus non observarentur predicta, que tociens possit peti et exigi cum effectu a parte contrafaciente, quociens fuerit contrafactum, et de ipsa pena medietas deveniat in commune Veneciarum, quam exigere teneantur advocatores communis Veneciarum, sicut tenentur exigere alias penas, et alia medietas deveniat parti, cui contrafieret, qua semel vel pluries soluta vel non, nichilominus omnia predicta et singula in suo plenissimo robore maneant firmitatis, et per partes debeant inviolabiliter observari. Et de predictis omnibus fiant partibus et cuilibet ipsarum publica privilegia bulle ducalis munimine roborata, cum clausulis et addicionibus consuetis. Que quidem reformaciones

et ordinaciones predicte semel ad minus in anno in tempore magis congruo, prout videbitur, rectori predictarum insularum et locorum, in qualibet dictarum insularum, terrarum et locorum et in unoquoque castro ipsarum in concione publica debeant publicari.

Nota, quod predicte omnes partes et omnia suprascripta capitula iverunt circum simul et semel, et fuerunt non sinceri 3, de non 0, alii de partibus; de quibus partibus, reformacionibus et correctionibus facta fuerunt publica privilegia predictis communitatibus, que sunt anotata in commemoriali novo incepto de MCCCXLVIIII ad cartam 21.

Misti XXV. 47, u arkivu mletačkom.

CCXX. God. 1349. 20 kolovoza, u Mletcih.

Zakon, po kom se smjeralo zapriečiti dalnje razmirice medju Pagom, Rabom, Osorom, Cresom i Krkom.

Exemplum privilegiorum factorum sindicis et procuratoribus communitatum Arbi, Chersi, Ausseri, Vegle et Paghi pro quiete et refformatione status ipsarum communitatum. Andreas Dandulo dei gratia Venetiarum, Dalmatie atque Croatie dux, dominus quarte partis et dimidie totius imperii Romanie, nobili et sapienti viro Francisco Donato de suo mandato comiti Chersi et Ausseri, ac prudentibus viris . . . iudicibus, consilio, communi et universitati dicte insule Chersi et Ausseri fidelibus dilectis salutem et dilectionis affectum. Venientes de nostro mandato ad nostram presentiam viros providos et circumspectos Dragognam quondam Petri Balbi de Cherso, Sinach de Aussero, sindicos et procuratores vestros pro sua parte, Matheum de Gauzina, Christofanum Zambonini comerzarium Arbi, sindicos et procuratores communis, hominum et universitatis Arbi pro sua parte, Maurum condam iudicis Cosme, Nicolaum dictum Redum, Dominicum de Sumbena et Joannem dictum Chinzanium, sindicos et procuratores comitis, communis, hominum et universitatis Vegle et insularum suarum pro sua parte, et Meduanum Plafligiz sindicum et procuratorem comitis, hominum et universitatis terre nostre Pagi etiam pro sua parte, prout de ipsorum omnium sindicatibus nobis plene constitit, solita benignitate suscepimus, audivimus et intelleximus, cupientes autem inter vos cunctos fideles nostros et quemlibet vestrum quietem et pacem omnimodam mediante iustitia seminare, et intendentes, quod, ut pro futuris temporibus vos cuncti fideles nostri superius nominati et quilibet vestrum desinatis invicem ab omnibus damnis, iniuriis, depredationibus, furtis, homicidiis et offensis, et in dilectione mutua permaneatis, et ut status vester salubriter refformetur, per nos et nostrum consilium et capita de quadraginta ac tres nobiles sapientes nostros, auctoritate nostrorum consiliorum minoris, rogatorum et quadraginta terminavimus et providimus remediis opportunis super predictis secundum refformationes et ordines infrascriptos, precipientes et districte mandantes per nos, et nostra consilia supradicta, quattenus ipsas nostras refformationes, terminationes, provisiones et ordines, sicut infra seriosius explicatur, fideliter et reverenter suscipere, adimplere et observare modis omnibus debeatis, et sic suscipi et adimpleri ac observari volumus et mandamus per ceteros nostros fideles castrorum Besche, Muscle, Dobregni et Verbenich, ita quod de prompta et fideli nostrorum mandatorum observantia

vestra fidelitas valeat merito commendari, et amplius nostram gratiam promeveri.

Primo namque ordinamus et precipimus, quod si aliquis alicuius predictorum communitatum sive insularum, videlicet tam Chersi, Auseri, Vegle, Arbi, quam Paghi conquereretur, quod eidem animalia furata fuerint vel alie res per aliquem vel aliquos aliarum terrarum vel insularum predictarum, quod amodo in antea ordo infrascriptus per omnes totaliter observetur, videlicet, quod si ille, qui damnificatus fuerit, probaverit per unum bonum testem idoneum vel per plures suam intentionem, quod ille, contra quem erit testificatio facta, restituere debeat damnum in duplo de eo, quod fuerit probatum, videlicet pro quolibet ore et castrone debeat soldos viginti parvorum, pro qualibet capra seu yrco soldos sexdecim parvorum, pro quolibet agno soldos decem et parvulos octo, pro quolibet edo soldos octo parvorum, et etiam quod solvat expenses taxandas per curiam, per quam diffinitio fiet. Et si testis nesciret numerum dicti damni, tunc credatur sacramento patroni dictorum animalium et eius bravario, et etiam teneatur tantundem solvere suo communi, ubi sententia fuerit facta, quantum solverit illi, qui damnum receperit. Item si pars damnificata probare non peterit per unum testem vel plures, ut supra dictum est, et inveniret unum animal vel plura signata suo signo, vel inveniret unam pellem vel plures suo signo signatas et diceret, se recepisse maius damnum eo, quod invenerit in manibus eius, quod tunc credatur sacramento patroni dictorum animalium et eius bravario, et de tot animalibus, quot iuraverint ille vel illi, in quorum manibus dicta animalia vel pelles invente fuerint, teneantur solvere in dupplum patrono, et tantundem solvet in eius commune. Intelligendo semper, quod probare debeat dicta animalia vel pelles suas esse. Item, quod si ille vel illi, in quorum manibus inventa essent animalia vel pelles predicte, diceret, se emisse animalia vel pelles predictas ab uno alio, et sic esse verum probaret, tunc teneatur dare in manibus dominationis illum, qui vendiderit ei predicta, et eo dato in manibus dominationis, ipse, in cuius manibus fuerint primo predicta inventa, licentietur, et contra alium procedatur, et si ipsum dare non posset in manibus dominationis, et probaret, quod eidem per ipsum dicta data vel vendita essent, tunc restituere debeat damnificato illud, quod eidem datum vel venditum esset absque aliquo pretio, et nihilominus damnificatus possit habere regressum contra malefactorem predictum. Item quod cum sententia lata fuerit contra malefactorem, et talis condempnatus non esset sufficiens ad solvendum suam condempnationem, tunc teneatur dare bonam plezariam, quam si dare non poterit, tunc ponatur in carceribus communis; et si condempnatio facta ascenderet ad valorem soldorum grossorum vel ab inde supra, suspendatur malefactor per gullam taliter, quod moriatur, et a soldis viginti grossorum supra usque ad sexaginta sibi abscidatur unus pedum, et a soldis viginti grossorum infra frustetur et bulletur; quam condempnationem si non solverit in termino octo dierum postquam sententiatus fuerit, tunc talis malefactor puniatur personaliter secundum sententiam supradictam. Item si aliquis malefactorum dictorum diceret, se habuisse aliquos socios ponere et dare in manibus dominationis, et si tales confessi fuerint, verum esse se fuisse cum illo, vel si negarent, et ille probaret, quod tunc tales omnes malefactores equaliter totum damnum solvere debeant, vel personaliter pu-

niantur, si solvere non possent, ut superius dictum est. Et si dictus malefactor dictos suos socios in manibus dominationis non daret, vel non probaret, ipsos esse culpabiles, illis continue denegantibus, tunc principalis predictus teneatur in totum solvere, aut personaliter condemnetur, ut supra dictum est. Item, quod si aliquis istorum ab hinc in antea pro furto in aliqua predictarum insularum fuerit condempnatus, et iterato committeret furtum in aliqua ipsarum, tunc iterato condemnetur eo modo realiter et personaliter, ut supra dictum est, et nihilominus de omnibus supradictis insulis perpetuo sit banitus tam solvendo condempnationem, quam si condempnetur in membro. Et si venerit in aliquam dictarum insularum, tunc rectores dicte insule cum suis iudicibus teneantur ipsum et ipsos capifacere, faciendo ei vel eis pedem amputari, et etiam nihilominus perpetuo sit bannitus de ipsis insulis, ut prius; et si aliquis tenuerit aliquem de dictis malefactoribus sic bannitis in domibus vel in stariis suis, tunc talis condempnetur in ypperpera duodecim, et uno mense in carceribus detineatur, que ypperpera deveniant in communi, ubi dictus malefactor fuerit inventus, et quilibet possit accusare, et habebit medietatem dicte condempnationis, probando sic verum esse. Item si aliquis prestaverit aliquam barcam istis malefactoribus, tunc patronus barche predicte teneatur pro uno ex malefactoribus antedictis, et tantum solvat damnificato et suo communi, quantum unus ex hiis malefactoribus. Item quod aliquis excoriare non possit aliquod animale grossum vel parvum absque capite, auriculis et signis in dictis animalibus factis, et quod aliquis emere non possit aliquas pelles carentes capite, auriculis et signis suis: et si quis contrafecerit predictis, cadat in penam ypperperorum duodecim, que deveniant in commune, tam qui excoriaverit, quam qui emerit, et quilibet possit accusare et denuntiare sue dominationi, et habere debeat medietatem dicte condempnationis, probando, sic verum esse, et talis accusans teneatur de credentia. Item ad obviandum, ut tot mala non fiant, ordinetur, quod eligantur triginta sacramentarii pro qualibet dictarum insularum. Et si aliquis dictorum sacramentariorum obiret vel aliquo modo defficeret in dicto numero, tunc comes illius insule sive terre, in qua talis sacramentarius defficeret, teneatur notificare aliis comitibus, ut elligere debeant alium loco eius, ut continuo numerus sacramentariorum semper sit integer. Qui sacramentarii iurare debeant statim, cum fuerint ellecti, et etiam annuatim circa festum nativitatis domini, quod si scirent vel audirent, quod aliquis vel aliqui sic parerent ad eundem ad aliquod furtum vel ad aliquod malum committendum, tunc statim teneantur tales homines suo comiti vel in eius absentia sue curie notificare, ut super hoc provideri facere possit; et si malum nescirent, antequam commissum esset, et postmodum ad notitiam eorum veniret, et scirent, quod malum predictum vel alia essent commissa, vel ab aliis audirent, tunc statim, quam citius poterunt, notificare debeant comiti vel in eius absentiam sue curie. Et si dicti sacramentarii probarent, dictos tales esse culpabiles, tunc habere debeant medietatem condempnationis devenientis in communi, alia vero medietas sit communis, et teneantur in credentia. Et si dicti sacramentarii non notificarent in termino octo dierum, postquam audissent vel vidissent, malum factum esse, cadant in pennam ypperperorum duodecim, et per quinque annos a sacramentarie officio excludantur. Que pena pecuniaria deveniat in suum commune, et nihilominus teneantur notificare, quod sci-

verint vel audiverint de furtis factis, ut dictum est, et quilibet possit dictos sacramentarios accusare; et si probaverit, quod scivissent vel audissent predicta, et non notificassent dominationi, talis accusans habere debeat medietatem dicte condempnationis, alia vero medietas vadat in communi, et tenebitur de credentia. Item quod sacramentarii sub debito sacramenti teneantur, quod si sciverint vel audierint, quod aliquis patronum pastorum seu bravariorum iuraret iniuste, videlicet quod dixisset, se recipisse maius damnum, eo quod recepisset, tunc statim teneantur eum denuntiare suo comiti, et inventa veritate sic esse, teneantur et debeant in dupplo restituere de eo, quod male iurassent, et etiam tantundem solvere debeantur communi. Et si predictus sacramentarius posset probare, sic verum esse, tunc ipse sacramentarius habere debeat medietatem partis devenientis in communi, alio vero medietas sit communis. Item quod aliquis dictarum insularum vel aliquis alius advocare non possit pro aliquo latrone, ita quod dictus latro nunquam pro suis furtis possit advocatum habere. Item quod de damnis, robariis, furtis, homicidiis, invasionibus hic retro commissis per aliquem seu aliquos predictorum insularum partibus, et cuilibet ipsarum perpetuum silentium imponatur, nec fiat restitutio sive emenda aliqua superinde, salvis tamen et reservatis omnibus intromissionibus factis in hoc per dominum ducem seu per advocatores communis Venetiarum. Item quod si aliqua barcha armabitur vel furnietur per aliquem dictarum insularum pro eundo ad faciendum aliquem insultum vel rubariam sive molestiam contra aliquam predictarum insularum, et hoc legitime probatum fuerit, quod cuilibet existenti in ipsa barcha pena carceris impendatur, prout videbitur rectori loci, ubi predicta committerentur, considerata delicti et propositi qualitate. Item quod diffinitio, processus et iudicium predictarum condempnationum committantur cognoscendi, diffiniendi et promulgendi comitibus et iudicibus terrarum et locorum tam Arbi, quam aliorum locorum et insularum, ubi reperiretur reus sive malefactor vel aliquis contrafaciens predictis, salvis tamen in aliis antiquis consuetudinibus predictarum terrarum et locorum atque insularum, que in suo robore remaneant firmitatis. Insuper ponatur in ordinibus et refformationibus illorum de Pago et Arbo, prout in pactis antiquis eorum seriosius est insertum, quod si aliquod lignum voluerit ire Pagum cum blado, et applicuerit ad aliquem portum Arbi, quod si patronus et nauclerius illius ligni iuraverint ad sancta dei evangelia, quod dictum bladum sit Pagensium vel emptum nomine ipsorum, quod comes et commune Arbi non possint ipsum retinere, immo ipsum permittant ire libere Pagum: et etiam si aliquod lignum forensium voluerit ire Pagum cum blado forensicorum, et applicuerit aliquem portum Arbi, comes et commune Arbi debeant et possint medietatem ipsius bladi permittere ire Pagum, et aliam medietatem ipsius bladi faciant dishonerari in Arbo, et e converso comes et homines Paghi teneantur simili modo premissa omnia observare hominibus Arbi. Item quod si aliquis predictarum terrarum vel insularum commiserit aliquod homicidium in aliqua predictarum insularum, personaliter peniatur taliter, quod moriatur, et non in pecunia condemnetur, prout iura precipiunt et suadent. Item addatur in ordinibus et refformationibus illorum de Cherso et Aussero et Vegla, quod si aliquis ipsorum locorum et castrorum spectantium dictis insulis contrafecerit predictis consuetudinibus et ordinibus, seu commiserit aliquid contra

predicta, et de hoc iustitia, satisfactio seu debita punitio non fuerit subsequuta per illos, ad quos spectabit fiendum, quod tunc illi, contra quos factum fuerit contra premissa vel aliquod premissorum, possint habere recursum ad comitem nostrum Chersi et Auseri, tanquam ad iudicem appelationum, qui comes possit in iudicio procedere contra illum seu illos, qui non observaverint predicta, prout sibi melius et iustius apparebit. Item pro maiori observantia omnium predictorum statuatur, quod communia et universitates dictarum terrarum et insularum teneantur et debeant predicta omnia et singula observare et facere observari, sicut per singulum superius est notatum, perpetuo duratura, ut superius dictum est; et si qua partium contrafaceret, incidat in penam librarum mille parvorum, solvendam parti vel partibus observantibus, cui vel quibus non observarentur predicta, que totiens possit peti et exigi cum effectu a parte contrafaciente, quotiens fuerit contrafactum, et de ipsa pena medietas deveniat in commune Venetiarum, quam exigere teneantur advocatores cummunis Venetiarum, sicut teneatur exigere alias penas, et alia medietas deveniat parti, cui contra fieret, qua semel vel plures soluta vel non, nihilominus omnia predicta et singula in suo plenissimo robore maneant firmitatis, et per partes debeant inviolabiliter observari; quas vero refformationes et ordines suprascriptos predicti sindici et procuratores vestri laudaverunt et ratificaverunt, ac eas devote ac cum omni reverentia susceperunt, et vigore libertatis, quam per sindicatus eorum habebant a vobis, promiserunt inviolabiliter observare nominibus, quibus supra. Ceterum quia vestram et predictorum fidelium nostrorum quietem et statum prosperum inter alios nostros subditos et fideles desiderantes appetimus omnibus et singulis vestrum, cuiuscumque status et condictionis existant, per nos et dicta nostra consilia districte precipimus et mandamus, ut, sicut desideratis nostram obtinere gratiam et favorem, studeatis pro viribus hec nostra mandata, refformationes et ordines suprascriptos, quos et quas volumus et mandamus omni anno semel ad minus in tempore magis congruo, prout rectoris cuiuslibet terrarum vel insularum predictarum in unaquaque sive uno quoque castro ipsarum in concione publica publicare, adimplere et observare fideliter et adimpleri et observari facere per omnia castra et loca vestra et totius insule Chersi et Auseri, et cum Veglensibus et omnibus aliis fidelibus nostris supradictis in pace persistere, et pura fide sincerisque animis in dilectione et charitate mutua, odiis et iniuriis quibuscumque cessantibus, cum eis invicem vos tractare, nam sicut ad quietem et conservationem vestram nostrum potestis sperare auxilium et favorem, sic firmiter teneatis, quod contra perturbatores quietis predicte et nostrorum mandatorum transgressores executio iustitie nostre consurgeret sine mora, et talem penam et correctionem de trangressoribus et perturbatoribus ipsis assumeretur, quod eorum pena transiret ceteris ad terrorem et exemplum pro presenti tempore et futuris, nec terrarum nobis subditarum et fidelium nostrum quietem, quam nostram reputamus, valeant perturbare. Et simile privilegium huiusmodi refformationum et ordinationum nostrarum fieri iussimus unicuique partium predictarum bulla nostra plumbea communitum.

Datum in nostro ducali Palatio anno incarnationis dominice millesimo tercentesimo quadragesimo nono, mensis augusti die vigesimo, indictione secunda. Nota, quod sub die predicta, videlicet vigesimo augusti de millesimo

suprascripto, factum fuit simile privilegium in publica forma: sindicis et procuratoribus communitatis Arbi, item sindicis et procuratoribus communitatis Vegle, item sindico et procuratori communitatis Paghi, mutatis mutandis.
Commemorialium IV. 156, u mletačkom arkivu.

CCXXI. God. 1349. 25 kolovoza, u Mletcih.

Pozvan knez krčki Bartuo u Mletke, da položi prisegu vjernosti glede imanja, koje mu u dio palo po smrti brata Dujma, te osjeguran, da mu se nije čega u Mletcih bojati.

1349. die XXV augusti, capta: cum comes Doymus de Vegla, sicut est notorium, requisitus pluries, nunquam venire curaverit ad faciendum sacramentum fidelitatis pro parte comitatus, quam tenebat, et mortuo eo comes Bartholus frater eius pluries obtulerit venire, sicut debet, ad faciendum sacramentum pro dicta parte etiam fratris sui, que per concessionem devenire debet in ipsum, set propter aliqua, de quibus videbatur fuisse per tempora diffamatus apud nostrum dominium, dubitet venire Venecias, et propterea petat humiliter litteras securitatis, et dominacio perquiri fecerit, nec inveniatur usque nunc aliquid contra eum: vadit pars, cum sit honor noster, quod veniat ad faciendum iuramentum premissum, et fiant ei littere securitatis, per quas possit tute venire, stare et redire pro isto sacramento fiendo, non intelligendo, quod ista securitas se extendat ad aliquod debitum specialium personarum; et cum ista condictione, quod si aliquid inveniretur ullo tempore contra eum, non intelligatur ei per hanc securitatem esse remissum, nisi quantum fuerit in hac via, set post eius reditum possit fieri, quod videbitur pro nostro honore.
Misti XXV. str. 48, u mletačkom arkivu.

CCXXII. God. 1349. 25 kolovoza, u Mletcih.

Dopušća se prognaniku Filipu de Begna Zadraninu, da prodje u zadarske otoke, ali da nesmije poći u Zadar, Senj ili Nin.

1349. die XXV augusti, capta: quod concedatur Philippo de Begna civi Jadre, quod possit ire ad insulam, in qua sunt possessiones sue pro colligendo fructus et seminari faciendo pro anno futuro, cum, sicut dicit, non habeat fidedignam personam, cui possit committere dicta facta, ita tamen, quod non possit ullo modo ire Segnam vel Nonam, seu appropinquare se civitati Jadre cum condictionibus aliorum, qui sunt confinati ad insulas, habendo terminum redeundi per sex menses.
Misti, XXV. 50, u arkivu mletačkom.

CCXXIII. God. 1349. 27 kolovoza, u Mletcih.

Produljen rok glede slobodnoga uvažanja vina u Mletke.

1349. indictione II, die 27 augusti, capta: quod pro bono et comodo totius terre ordo alias datus et captus de absolvendo vinum, quod de infrascriptis partibus conducitur Venecias, a dacio ducati, qui ordo complebat ad sanctum Michaelem proximum, confirmetur, ut iacet, usque ad sanctum Michaelem anni futuri in hac forma, quod vinum de Sibinico, et de Sibinico ultra intra culphum, intelligendo de Corfu, et a Corfu citra, et vi-

num de capite Oltranti et inde per riperiam et usque Neapolim, et de Neapoli et de Sicilia, et a monte Angeli ultra usque ad predictos confinos, quod amodo in antea recedet de ipsis partibus, et adducetur Venecias, sit franchum a dacio ducati, intelligendo tamen, quod si de huiusmodi vino conduceretur vel extraheretur cum licentia dominii extra Venecias, subiacere debeat dacio ducati. Et officium dacii vini apponat curam et mentem, ne fraus aliqua committatur in dannum communis. Et hec cridentur publice. Et si consilium etc.

Maius consilium. Spiritus 168, u mletačkom arkivu.

CCXXIV. God. 1349. 31 kolovoza, u Mletcih.

Odgovara se ugar. kralju, da prijaznost, koju su mu izkazali za njegova prolazenja kroz mletačke zemlje, uzmu kao znak njihova štovanja prama njemu, a da će mu poslanike odpremiti, čim jim označi mjesto, gdje će jih primiti.

1349. die ultimo mensis augusti, secunde indictionis. Quod ad litteras domini regis Hungarie, quas nunc reccepimus, respondeatur in hac forma. Capta.

Regie maiestatis litteras solito affectu mentis inspeximus, quarum series regale propositum de transeundo in regnum Sicilie nunciavit, ad earum quidem significata vidimus rescribendum, quod id precipuum gratumque valde sentimus, quia regalis serenitas tunc, cum transitum fecit per tenutas et dominia nostra, honorem et reverentiam reccepit, qui decebant regiam maiestatem, nam id cordi principaliter situm habuimus, in singulis locis nostris et alibi maiestatem regiam honore semper et reverencia collere. Optamus quoque, ut conceptus maiestatis regie et via, quam paratis, in proximo in regnum Sicilie successus felices inveniant, et finem beatum acquirant. Ceterum ambaxatores nostros, visitaturos maiestatem regiam ex insinuatione precedencium litterarum nostrarum sensisse potuit regia serenitas esse paratos, quos tunc ad presenciam regiam venire mandabimus, cum locum determinatum et tempus aptum regia maiestas per missos vel litteras indicabit. De parte alii omnes, de non 2, non sinceri 3.

Misti, XXV. 50, u mletačkom arkivu.

CCXXV. God. 1349. 10 rujna, u Mletcih.

Odpremaju se poslanici u Zagreb, da se tu sa ugar.-hrv. kraljem sastanu.

1349. die decimo septembris, indictione tercia. Capta: quod ad litteras domini regis Hungarie respondeatur in hac forma:

Excellentissime rex et princeps illustris. Litteras maiestatis vestre, datas in Temesvar quarto die mensis augusti preteriti, grata mente suscepimus die nono mensis instantis, quibus vidimus respondendum, quod ambaxatores nostros solempnes dudum ellegimus, eosque semper paratos habuimus visitaturos regiam maiestatem, sicut ex insinuationibus precedentium litterarum nostrarum potuit regia serenitas agnovisse. Et propterea sentiat regia maiestas, quod solicitamus ipsos nostros ambaxatores, quod ad presenciam vestram accedant, qui ad locum Zagrabie, quem littere vestre scribebant, quam tocius sunt venturi.

Capta: et quia facit pro favore nostro et honore domini regis, quod ipsi ambaxatores sint, quamtocius fieri potest, ad locum Zagrabie, cum ipse sit ad ipsum locum, ut scribit, in brevi venturus, sollicitetur expedicio eiusdem ambaxate, et quamtocicius fieri poterit, ipsi recedant; et detur ipsis ambaxatoribus lignum nostrum riperie Istrie, quod conducat eos Chersum vel Arbum, in altero istorum duorum locorum, quo voluerint, et cum fuerint ibi, dimittant lignum ad custodium suam venire, et postmodum provideant de eundo Segniam sicut eis videbitur. Et inde solicitent de eundo ad presenciam regiam ad complendum ea, que sibi commissa sunt. De parte omnes, de non 0, non sinceri 0.

Capta: quod concedatur nobili viro ser Johanni Gradonico, ituro de nostro mandato ambaxatori ad dominum regem Hungarie, quod possit in dicta ambaxata pro eius consolatione ducere secum Thomam eius filium.

Misti XXV. 52, u mletačkom arkivu.

CCXXVI. God. 1349. 10 rujna, u Mletcih.

Nalaže se krčkomu knezu, da prodje u Krk, i poglavice ondje sbivšega izgreda dade uhvatiti i da jih u Mletke odpravi.

1349. die X septembris, capta: cum comes noster Chersi per suas litteras scripserit nobis, quod illi de Vegla contra nostrum honorem pridie currentes ad arma, furiose et malo modo congregacionem et comilitatem fecerunt contra vicecomitem Vegle, et scripserit etiam de aliquibus robariis de novo factis per illos de Vegla super insula Chersi, que non sunt sub silencio transeunde pro conservacione honoris nostri et bono exemplo aliorum nostrorum fidelium: vadit pars, quod committatur comiti nostro predicto Chersi et Auseri, quod personaliter vadat Veglam, et diligenter inquirat de facto et de omnibus culpabilibus, procurando, quod de principalibus et auctoribus temeritatis ipsius fiat iusticia et punicio debita secundum quod honori nostro viderit convenire, et quod fiat restitucio de ablatis; si vero reperiret excessum fuisse nimis gravem, et quod deinde non posset fieri talis iusticia, qualis honori nostro competeret, tunc procuret quod magis principales excessus detineantur, et mittat sub fida custodia ad nostram presenciam, rescribendo nobis, quecumque invenerit, ut possit per nos fieri, quod sit iustum. Et scribantur littere comitibus, iudicibus, consilio et communi Vegle, quod dicto nostro comiti credere debent in omnibus, que sibi dixerit parte nostra, et quod ea studeant executioni effectualiter demandare.

Misti XXV. 52, u mletačkom arkivu.

CCXXVII. God. 1349. 13 rujna, u Mletcih.

Odgovara se poslaniku kod srbskoga kralja, da nastoji izposlovati zadovoljštinu za Dubrovčane i druge mletačke podložnike, a zatim da se u Mletke povrati.

1349. die XIII septembris, capta: quod rescribatur ser Nicolao Georgio ambassatori ad dominum regem Raxie, quod recèpimus litteras suas, quas plene intelleximus, et ad eas, suam providenciam commendantes, rescribimus, quod commissio sua satis continet ad plenum intencionem nostram, que est, quod si obtinuerit a domino rege tale quid super facto Ragusii, quod ipsi Ragusi haberent contentari, et similiter super facto Ve-

netorum nostrorum, quod Venetias revertatur; sin autem, rescribat; ita quod non expedit ei dare arbitrium, quod petit, cum in discrecione sua remaneat videre, si de eo, quod obtineri poterit ab ipso rege, Ragusei et Veneti habebunt, consideratis omnibus, contentari vel non; et nichilominus nos scribimus, et sic scribatur comiti et iudicibus Ragusii, quod si forte hoc non fecissent, provideant de dando tam largum mandatum et arbitrium suis ambaxatoribus, tam in composicione damnorum, que peteruntur, quam in faciendo iustas et racionabiles requisiciones, quod pro parte eorum non remaneat, quin facta recipiant bonum finem, cum in dampnis datis nos et omnes gentes mundi transeant largo modo, contentantes de omni parte satisfactionis, potissime cum talibus principibus et baronibus, ut est rex Raxie. Et propterea mandetur dicto ambassatori, quod sollicite procuret expedire sibi commissa secundum intentionem nostram, ut ipsis expeditis Venetias celeriter valeat remeare.

Misti XXV. 52, u mletačkom arkivu.

CCXXVIII. God. 1349. 19 rujna, u Mletcih.

Upućuju se poslanici, da, ako jih kralj zamoli, neka ga prate u Apulju, od govore, da to nesmiedu učiniti bez dozvole svoje vlade. Nalaže se poslanikom, neka se stave na put.

1349. die XIX septembris, capta: quod committatur ambaxatoribus nostris ituris ad regem Hungarie, quod si rex, postquam erunt ad èum, vellet transirè in Apuleam, et requireret eos, quod secum transirent, respondeant ei, quod super hoc tanquam re inopinata, et de qua nulla provisio fuit habita, non habuerunt mandatum aliquod a nobis, et quod non transirent nec recederent de contracta, ubi sunt, sine nostro speciali mandato. Et in isto casu rescribant nobis, et expectent nostrum mandatum.

Capta: cum faciat pro nobis pro omni respectu, quod ambaxatores nostri ituri ad dominum regem Hungarie recedant quam cicius esse potest: vadit pars, quod statuatur eis terminus, quod omni occasione remota teneantur recessisse de Venetiis prosequuturi directo viagium suum die iovis per diem sub penis, sub quibus refutare non possent, cum ipsi obtulerint se ire paratos ad terminum stabilitum.

Capta: quod committatur ambaxatoribus nostris predictis, quod si non reperirent regem magis infra, vadant usque Budam vel circa illas partes pro exequendo sibi commissa; et si regem invenerint citra Budam et aliquo casu moveret se de inde, possint sequi et sequantur eum per partes regni Hungarie, sicut viderint convenire pro honore nostro et bono negociorum nostrorum. 40, de non 5, non sinceri 16.

Mesti XXV. 55, u mletačkom arkivu.

CCXXIX. God. 1349. 24 rujna, u Mletcih.

Odgodjen rok poslanikom za odlazak. Upućuju se, neka izposluju oslobodjenje Franja Justiniana. Izručuje jim se opunomoćje.

1349. die XXIV septembris, capta: quod ambaxatoribus nostris ituris ad dominum regem Hungarie elongetur terminus recedendi, qui erat hodie, usque ad diem dominicum proximum per totum diem, ita quod, omni occa-

siosse remota, teneantur die lune proximo ante terciam de Veneciis reccesine, et directe ire ad viam suam sub penis ordinatis per aliam partem.

Capta: quod committatur ambaxatoribus nostris ituris ad ipsum dominum regem, quod non impediendo propterea facta principalia ambaxiate, quando eis videbitur melius, debeant recommendare dicto domino regi liberationem nobilis viri ser Francischini Justiniano filii ser Marci, et circa eam procurare id boni, quod poterunt cum honore nostro et sine preiudicio vel sinistro negociorum nostrorum, ut dictum est.

Facti fuerunt syndici nobiles viri ser Johannes Gradonico, Nicolaus Pisani, et Phylippus Aurio ambaxiatores ad prefatum dominum regem, ad tractandum quemlibet conventiones et pacta cum domino rege Hungarie seu deputandis ab eo, et promittendum et obligandum nos et nostrum commune, cum clausulis et condicionibus opportunis etc.

Rogati fuerunt quilibet infrascriptorum dictos syndicatus facere in forma opportuna, et esse testes in illis: vicecancellarius, Nicolaus de Lambertis, Nicolaus del Camino, Bartholomeus de Montagna, Andreas de Cremena, Thomadellus Bonincontri et Raphaynus de Caresinis.

Misti XXV. 55, u arkivu mletačkom.

CCXXX. God. 1349. 24 rujna, u Mletcih.

Punomoćje podieljeno poslanikom odlazećim k ugarskomu kralju.

In christi nomine amen. Pateat omnibus evidenter, quod illustris et magnificus dominus dominus Andres Dandulo dei gratia Venetiarum, Dalmatie atque Chroatie dux, dominus quarte partis et dimidie totius imperii Romanie, de voluntate et consensu suorum consiliorum minoris, rogatorum et de quadraginta, ad infrascripta ad sonum campane et vocem preconis more solito solemniter congregatorum, in quibus interfuerunt plus quam due partes dictorum consiliorum, et cum eis et homines dictorum consiliorum de authoritate et consensu dicti domini ducis, et cum eo unanimiter et concorditer, nemine discrepante, suis nominibus et pro se ipsis et eorum successoribus, ac nomine et vice communis Venetiarum fecerunt, constituerunt et ordinaverunt nobiles viros dominos Joannem Gradonico, Nicolaum Pisani et Philippum Aurio, honorabiles cives Venetiarum absentes tanquam presentes, suos et dicti communis sindicos, procuratores, actores et nuncios speciales, et quemlibet eorum in solidum, ita quod non sit potior conditio occupantis, sed quod unus eorum inceperit, alter mediare possit, prosequi et finire, specialiter ad eundum ad serenissimum principem dominum Ludovicum dei gratia illustrem Hungarie, Hierusalem et Sicilie regem, et ad conveniendum cum ipso domino rege seu deputandis ab eo, et ad tractandum, faciendum, complendum et firmandum pacem, pacta, compositiones, declarationes, conventiones, concordiam et transactionem pro ipso domino duce et commune Venetiarum et eorum successoribus perpetuo et pro suis complicibus, subditis, adherentibus, sequacibus et amicis cum ipso domino rege pro se et eius successoribus perpetuo et eius complicibus, subditis, adherentibus etc. de omnibus et singulis litibus, querelis, petitionibus, controversiis, questionibus, discordiis, differentiis, damnis et offensionibus quibuscumque hinc inde illatis et factis, realibus et personalibus et mixtis ubicunque, quomodocunque, qualitercumque et per quoscunque illata et

facta extiterint, et quocunque tempore; et ad faciendum in et pro predictis et quolibet predictorum omnem promissionem, remissionem, finem et liberationem, que eis vel eorum alteri videbuntur; et ad obligandum ipsum dominum ducem et commune Venetiarum ac suos successores et eorum bona pro adimplendis et servandis omnibus et singulis, que dicti sindici vel eorum alter promiserint et fecerint de predictis et quolibet eorumdem cum omnibus et singulis solemnitatibus, stipulationibus, obligationibus, renunciis, iuramentis, penarum adiectionibus et aliis clausulis quibuscumque consuetis vel opportunis; et ad recipiendum a dicto domino rege seu constitutis vel constituendis ab eo pro ipso domino rege et successoribus suis in perpetuum nomine transactionis vel quocunque alio nomine datas, traditiones, cessiones, concessiones, promissiones, fines, quietationes, liberationes, remissiones et obligationes quascunque super omnibus et singulis solemnitatibus, stipulationibus, obligationibus, renunciis, iuramentis, penarum adiectionibus, promissionibus et aliis clausulis quibuscunque consuetis vel opportunis; et ad compromittendum et conpromissum faciendum semel et pluries de et super predictis omnibus et singulis ipsorum et dependentibus et connexis ab eisdem et eorum quolibet cum ipso domino rege seu deputandis ab eo pro se et successoribus suis in perpetuum; et ad eligendum unum vel plures arbitros et arbitratores, commissos vel amicabiles compositores, prout eis et eorum cuilibet videbitur et placebit cum quibuscunque conditionibus, pactis et formis et modis, iuramentis, penarum adiectionibus etc., et ad emologandum et emologationem promittendum et faciendum cuiuslibet sentendie laudi, arbitrii, arbitramenti, amicabilis compositionis, que per dictos arbitros et amicabiles compositores concorditer lata vel latum fuerit, et generaliter ad predicta et omnia alia et singula tractandum, firmandum, faciendum, promittendum et complendum, que eis vel eorum alteri pro bono pacis et concordie convenientia, utilia seu necessaria videbuntur, etiam si talia forent, que mandatum exigerent speciale. Dantes et concedentes prefatus dominus dux et consilia supradicta eisdem suis sindicis et procuratoribus, et cuilibet eorum, plenam, liberam et generalem administrationem et mandatum tractandi, faciendi, firmandi, promittendi et complendi omnia et singula supradicta et connexa ac dependentia ab eisdem, et in eorum animas iurandi de observando et attendendo omnia et singula, que ipsi vel alter eorum fecerint in predictis et quolibet predictorum, et que idem dominus dux et commune Venetiarum totum facere possent, si personaliter interessent. Promittentes ipse dominus dux et consilia supradicta pro se et successoribus suis modis, formis et nominibus supradictis michi notario infrascripto tanquam publice persone stipulanti et recipienti nomine et vice dicti domini (sic) regis et suorum successorum, et omnium et singulorum, quorum interest vel interesse posset, perpetuo firma, rata et grata habere et tenere, et inviolabiliter observare omnia et singula, que iidem sindici vel eorum alter in predictis et eorum singulis tractaverint, firmaverint, promiserint, compleverint, aut duxerint facienda, et in nullo contrafacere vel venire de iure vel de facto, aliqua ratione vel causa, sub obligatione bonorum omnium communis Venetiarum presentium et futurorum. In cuius rei fidem et evidentiam pleniorem prefatus dominus dux mandavit presens instrumentum publicum fieri per me notarium infrascriptum, et eius pendenti bulla plumbea communiri.

*

Actum in ducali palacio communis Veneciarum, anno a nativitate domini millesimo trecentesimo quadragesimo nono, die vigesimoquarto mensis septembris, secunde indictionis, presentibus providis et discretis viris ser Benentendi de Ravagnanis ducatus Veneciarum vicecancellario, Raphaino de Caresinis, Nicholeto del Chamino notario dicti ducatus, et aliis ibi presensentibus ad hoc testibus vocatis specialiter et rogatis.

L. S. Ego Bonifacius de Mutina imperiali authoritate notarius publicus, et ducatus Venetiarum scriba, predictis interfui, et ea de mandato incliti domini ducis scripsi.

Nota, quod ipsa die factus fuit similiter sindicatus, et in personis predictorum nobilium per totum eiusdem continentie, cuius est predictus sindicatus, preter quam in titulo, in quo dictum fuit: Andreas Dandulo dei gratia dux Venetiarum etc.

Sindicatus I. 57, u arkivu mletačkom.

CCXXXI. God. 1349. 10 listopada, u Mletcih.

Uslied glasa, da pošast bjesni u Ugarskoj, neprima se predlog, neka se piše poslanikom, da jim se daje sloboda, proći napred ili sustati.

1349. die X octubris. Cum habeantur nova satis certa, quod mortalitas maxima et orrenda est in partibus Hungarie, quod si ita est, non esset bonum exponere tanto periculo personas nostrorum ambaxatorum: vadit pars, quod statim scribatur eis, quod si habuerint verum esse de epydimia supradicta, in dicto casu relinquamus in libertate sua eundi et non eundi ad dominum regem, sicut eis vel maiori parti eorum videbitur. Et si terminaverint de non eundo, velociter nobis rescribant, nostrum expectando mandatum. Et nichilominus notificent domino regi per verba convenientia causam, quare non vadunt ad presens ad suam maiestatem. 29, de non 40, non sinceri 2.

Misti XXV. 57, u arkivu mletačkom.

CCXXXII. God. 1349. 19 listopada, u Mletcih.

Primljeno, da se ono šest Pažana utamničenih stavi na muke, neka tako očituju uzročnike izgreda učinjena proti Rabljanom.

1349. die XIX octubris, capta: quia nostra interest pro conservatione honoris et fame nostre super excessu commisso per Pagenses contra illos de Arbo facere, quod iusticia exigit: vadit pars, ut haberi possit plenior informatio de hiis, qui fuerunt culpabiles in delicto, quod fiat colegium secundum usum, quod per maiorem partem habeat libertatem examinandi et tormentandi illos sex Pagenses carceratos hic pro scienda veritate ab eis de hiis, qui principaliores et magis culpabiles fuerunt tam in congregatione quam in homicidio perpetrato; et cum eo, quod habuerint, venietur huc, et fiet, sicut videbitur. 41, non 30, non sinceri 6.

Misti XXV 58, u mletačkom arkivu.

CCXXXIII. God. 1349. 26 listopada, u Mletcih.

Neprima se, da se povisi čast njekojih gradskih načelnika.

1549. die XXVI octubris. Cum per dei gratiam multa regimina procedant a nostro dominio, in quibus sunt quam plurima non minus honora-

bilia aliquibus ex his, que nominantur in XII regiminibus: vadit pars, quod Sybinicum, Tragurium et Spalatum, nec non Coneglanum et Seravallum sint de cetero et habeantur ad eamdem condicionem tam de possendo eligi ad illa regimina, quam in omnibus aliis, ad quam sunt alia XII regimina. Et si consilium etc. 11, de non 39, non sinceri 1.

Misti XXV 60, u mletačkom arkivu.

CCXXXIV. God. 1349. 2 studenoga, u Mletcih.

Dopušća se njekomu prognaniku iz Zadra, da smije u zadarskih otocih stanovati.

1349. die secundo novembris, indictione tercia, capta: cum Nicola condam Cresii de Bitthcor civis Jadre, qui est de confinatis Venetiis, et ipsa confinia obedienter servavit, sit ad tam extremam condicionem et paupertatem, quod vivere non potest, concedatur ei de singulari gratia, sicut petit, et sicut aliis factum est, quod sit de confinatis insularum Jadre, ita quod ad ipsas insulas ire et stare possit, sed non possit ire Nonam vel Segniam, nec appropinquare Jadram per quinque milliara.

Misti XXV. 62, u mletačkom arkivu.

CCXXXV. God. 1349. 9 studenoga, u Mletcih.

Odgovor poslanikom putujućim k ugar.-hrv. kralju, što da rade, ako je kralj, kako se glasa, bolestan. Odobrava se postupak zadarskih načelnika u poslu opatije rogovske, te se ova stvar preporučuje knezu Grguru.

1349. die 9 novembris, capta: quod respondeatur ambaxatoribus ad regem Ungarie in hac forma. Receptis litteris vestris et earum intellecto tenore de modo, quem tenuistis, et provisio per vos facta, vestram fidelitatem et solicitudinem commendamus, ed ideo ad contenta litterarum vestrarum taliter respondemus, videlicet, quod reverso nuncio, quem misistis, si habuerit, quod rex sit in partibus et in tali statu et convalescencia de persona, quod ad ipsam cum securitate ire possitis, iter vestrum prosequi debeatis, et perficere mandatum nostrum. Si vero haberetis, quod rex aliter staret graviter, vel esset migratus, debeatis vos plenarie informare de condiccionibus regni, et de hiis, qui remanserunt ad gubernacionem regni, et omnibus aliis circa ista, et solicite rescribentes nobis, expectare debeatis nostrum mandatum. Non sinceri 0, de non 1, alii de parte.

Super facto Rogove consulunt concorditer dicti sapientes, quod scribatur comiti et consiliariis Jadre, quod responsio per eos facta comiti Ostrovice nobis placet et eorum providenciam commendamus, ac etiam de modo, quem tenuerunt cum abbate de Rogova. Et quia scribunt nobis per alias suas litteras datas XXIX octubris, quod habent per hunc, quem miserunt, quod comes Nicolaus Ostrovice non est in partibus, quia ivit versus partes Ungarie, sicut scribunt, ideo quod ipsi nullam debeant facere novitatem, donec ipse comes redierit, debeant tantum, quantum honeste possunt et cum nostro honore iura de Rogova conservare, non impediendo se de factis, que spectarent inter abbates ad faciendum aliquam novitatem, sed permittant inter se illos discutere iura sua. Non 1, de non 0, omnes de parte.

Super facto litterarum comitis Gregorii consulunt dicti sapientes, quod respondeatur dicto comiti Gregorio ad contenta suarum litterarum, regra-

ciando de bona voluntate et dispositione, quam scribit dominacioni ducali, et quod nullo modo vellemus, quod in aliquo amiteret de iure suo, recomendando sibi iura de Rogova per hec et alia pulcra verba, sicut videbitur domino, consiliariis, capitibus et sapientibus melius convenire. Et super facto sui tituli, de quo conqueritur, similiter respondeatur, qualiter de nostro scitu non processit, sed forte ex deffectu scriptoris, quia in aliquo non vellemes diminutionem sui honoris, sed pocius incrementum, et de cetero taliter ordinabimus, quod sibi scribetur secundum eius laudabilem titulum, et quanto melius videbimur convenire. Non sinceri 1, de non 0, alii de parte.

Misti, XXV 64, u mletačkom arkivu.

CCXXXVI. God. 1349. 19 studenoga, u Mletcih.

Naredba na kneza pažkoga u poslu izgreda počinjena od Pažana proti Rabljanom.

1349. die XIX novembris, capta: quod isti sex Pagenses relaxentur, et dicatur eis, quod se presentent comiti Pagi, cui remittantur scripture, que sunt hic; et scribatur comiti Pagi, quod habuimus et habemus grave de robaria et excessu olim commisso per ipsos et alios Pagenses contra Arbenses; et quia fama et honor noster exigit omnino, quod de culpabilibus fiat iusticia debita, mandamus ei, quatenus diligenter inquirens tam de istis, quam de aliis culpabilibus dicti excessus, faciat iusticiam, sicut ei iustum videbitur secundum formam statutorum seu consuetudinum, que tempore commissi excessus servabantur, faciendo sic, quod de iusticia facta per eum habeamus contentari, et suam fidelitatem commendari possimus; rescribendo nobis, quidquid fecerit super inde. 66.

Quod statim procedatur in facto istorum VI de Pago, qui sunt hic, cum ipsi confiteantur fuisse ad depredationem, et nichilominus scribatur comiti Pagi, quod debeat inquirere et examinare, qui fuerint culpabiles homicidii vicecomitis Novalıe, et illum vel illos, (quos) reperiet culpabiles, punire debeat secundum formam sue comissionis; et quod debuit examinare et inquirere illos, qui fuerant culpabiles depredationis predicte, et illos punire prout de iure videbitur, non intelligendo, quod occasione predictorum possit procedere contra aliquem de illis, qui hic sunt.

Quia honor et fama nostra requirit, ut de isto excessu commisso per Pagenses contra illos de Arbo; postquam factum intromissum est per dominium, fiat iusticia debita, que possit esse contentatio nostrorum fidelium offensorum et bonum exemplum aliis, et per ea, que habetur hic, isti sex Pagenses, missi Venetiis, fuerint ad rubariam, tamen videtur, quod factum processerit potius ab aliis, qui principaliter fuerunt auctores: vadit pars, quod pro modo supersedeatur de procedendo contra istos, et mandetur comiti Pagi, quod illum Zupane, qui nominatur fuisse auctor in facto, mittat Venetias, et usque quattuor alios, quos repererit fuisse principaliores vel illos, quos invenerit esse magis principales, si forte forent pauciores quatuor, sub bona custodia, quibus venientibus, examinabitur plenius negocium, et fiet, sicut videbitur. 3, de non 7, non sinceri 3.

Misti, XXV. 66, u mletačkom arkivu.

CCXXXVII. God. 1349. 17 studenoga, u Budimu.

Ljudevit ugar.-hrv. kralj piše republici, da se nije mogao s njezinimi poslanici sporazumjeti o konačnom miru.

Exemplum litterarum missarum domino duci ex parte domini regis Hungarie, Jerusalem et Sicilie, quas litteras aportaverunt secum ambaxatores nostri in redditu suo. Subscriptio vero ipsarum litterarum exterius sic continebat. Illustrissimo principi domino Andree Dandulo dei gratia duci Venetorum, amico suo honorando. Tenor vero litterarum talis est: Serenitatis vestre amicicie constat evidenter, quod nos vobis nunciavimus per litteras nostras, ut solempnes ambaxiatores vestros ad habendum colloquium una nobiscum de pace perpetua, que, pendentibus treuguis, inter nos stabiliri posset et firmari, ad nos transmitteretis. Quos vestra celsitudo ad nostram destinavit maiestatem. Nosque de intentione vestra, ut predicta pax perpetua inter nos posset stabiliri, eosdem ambasiatores vestros plenarie habuimus informatum, que videlicet pax perpetua adhuc minime inter nos potuit ordinari. Et licet, ut premititur, predicta pax perpetua nunc inter nos nequierit ordinari, tamen treuguas inter nos ordinatas usque tempus deputatum volumus observari. Nam si predicta pax perpetua inter nos fieri et ordinari potuisset, nos libenti animo voluissemus. Datum Bude decimo septimo die mensis decembris (1349). Lodovicus Hungarie, Jerusalem et Sicilie rex.

Commemorialium IV. 166, u mlet. arkivu.

CCXXXVIII. God. 1349. 27 prosinca, u Mletcih.

Zahvaljuje se poklisaru papinskomu radi viesti, da se ugar. kralj sprema na pomirenje sa materom crkvom, i što je papi javio, da je u Mletcih obilno počašćen.

1349. die XXVII decembris, capta: quod scribatur domino legato in hac forma: Reverendissime pater. Et nobis et toti mundo admodum desiderabile fore debuerit, et consolabile vehementius existet, quod illustris dominus rex Hungarie cum honore sancte matris ecclesie reconciliari disponatur cum ea, et in eius redire gratiam, sicut vestre littere continebant; de quo inter alios fideles ecclesie nos et nostra communitas inefabile gaudium et leticiam sentiemus, cognoscentes proinde honorem prius ecclesie augeri et christianis tranquilitatis beneficium preparari. Paternitati ergo vestre regraciantes immense pro hiis, que benigne nobis est significare dignata, supplicamus altissimo, ut ipsius regis vota dirrigere et inspirare dignetur ad ea, que pacem orbis respiciant, et ecclesie sancte dei honorem pariter et augmentum. Ceterum reverendissime pater, non obmittimus vobis refferre gratiarum uberimas actiones in eo, quod nuper a procuratore nostro in romana curia habuimus, quod dominus noster papa eidem dixerat, se a nobis litteras recepisse, per quas nos et communitatem nostram amplissime commendastis pro honoribus, quos a nobis asseritis recepisse; et cum id non meritis nostris sed a sola vestre benignitatis affluentia provenisse noscamus, licet anima prompti essemus ad quelibet vobis grata, tantum nos amplius obligastis ad quelibet vestri beneplacita et honores, quibus nos toto mentis affectu offerimus nunc et semper.

Misti knj. XXV. 68, u arkivu mletačkom.

CCXXXIX. God. 1350. 4 siečnja, u Mletcih.

Otmičari Franja Justiniana oprošćeni, ako ga na slobodu puste. Njekomu prognaniku iz Zadra dozvoljeno, da se u zadarskih otocih nastani.

1349. die IV ianuarii, capta: cum vir nobilis Marcus Justiniano comes Arbensis fecerit nobis exponi, quod est in concordio cum illis, qui habent captum suum filium Franceschinum, et quod contentantur eum relaxare, dummodo fiat eis remissio, et promittatur, quod occasione dicte ceptionis a nobis seu nostri causa non recipient gravitatem ullo tempore vel offensam: vadit pars, considerato, quod liberatio dicti nobilis aliter haberi non potest, quod predictis ac consortibus et subditis suis possint fieri littere opportune securitatis et remissionis solum de captione premissa. 59, non 21. non sinceri 3.

Capta: quod Johanni Tomasii Petrize de Jadra, qui iam menses XXXII et ultra stetit Venetiis in numero illorum quinquaginta, qui huc missi fuerunt, fiat gratia, cum sit in extrema neccessitate et miseria constitutus, quod possit ire ad insulas Jadre, et ibi stare ad confinia cum condicionibus aliorum, qui sunt ibidem confinati; et est capta per sex consiliarios, tria capita de XL et tres partes consilii rogatorum.

Misti XXV. 72, u arkivu mletačkom.

CCXL. God. 1350. 8 ožujka, u Mletcih.

Dozvoljeno njekomu Zadraninu, da kao dvornik prati poslanike odlazeće u Rim.

1350. die VIII marcii, capta: quod Barti de Sloranto de Jadra, qui ab inicio usque modo patienter et cum omni hobedientia servavit confinia, et est in paupertate maxima constitutus, possit ire pro familiari cum ambaxatoribus nostris ituris ad dominum Papam.

Misti XXVI. 4, u mletačkom arkivu.

CCXLI. God. 1350. 8 ožujka, u Mletcih.

Odlučeno, da se tvrdjava sv. Mihovila na zadarskih otocih razori.

1350. die VIII marcii. Sapientes Sclavonie. Capta: cum omnibus modis et viis, quibus comode fieri potest, sit procurandum de aleviando expensas magnas, quas substinet nostrum commune pro civitate nostra Jadre, et castrum sancti Michaelis nullam utilitatem, securitatem vel profectum tribuat civitati predicte, sed potius oppositum et magnas expensas, consulunt sapientes, habito consilio cum magistris expertis in talibus, qui dicunt, quod ex facili et cum paucis expensis fieri poterit, quod castrum sancti Michaelis cum cisternis et aliis fortiliciis in ipso existentibus destruantur atque vastentur, quantum fieri poterit, et ecclesia sancti Michaelis cum quampaucis expensis fieri poterit reducatur ad planum per illum modum et viam, qui domino, consiliariis, capitibus et sapientibus apparebunt. 46, de non 22, non sinceri 16. Nono marcii scriptum comiti et consiliariis Jadre.

Misti XXVI. 5, u mletačkom arkivu.

CCXLII. God. 1350. 8 ožujka, u Mletcih.

Piše se kralju ugarskomu radi škoda, koje njegovi podložnici nanose stanovnikom primorskih gradova.

1350. indictione III, die 8 marcii, capta: quia per quamplures litteras comitum nostrorum Sibinici, Jadre et None habuimus, quod Hungari derobant et molestant fideles nostros Sclavonie contra formam treuguarum habitarum cum domino rege Hungarie, et pro honore nostro facit procurare indempnitatem ipsorum nostrorum fidelium, consulunt sapientes, quod scribatur ipsi domino regi, domine regine matri sue ac domino duci Stefano de predacionibus et molestiis, que fiunt per castellanum et gentes suas Tinini et Ostrovicie fidelibus nostris Sclavonie contra formam treuguarum, requirendo tam satisfactionem dictorum damnorum, quam quod cessent in posterum a novitatibus ipsis; et interea scribatur comiti Sibenici, quod scribat castelanis predictis et aliis, qui faciunt novitates easdem, qualiter sumus in treugua cum ipso domino rege, et procurando, quod ei satisfiat de damnis per ipsos illatis, et quod se abstineat in futurum, alioquin exponat ipse comes, quod super hoc scriberemus litteras nostras querimoniales domino regi predicto cum aliis verbis, que domino, consiliariis et capitibus videbuntur. De non 1, non sinceri 1.

M*isti XXVI. 5, u arkivu mletačkom.*

CCXLIII. God. 1350. 14 ožujka, u Mletcih.

Kralju srbskomu, neka naloži, da se nadoknade štete podložnikom mletačkim učinjene; pomorskomu pako kapetanu, da proganja i ulovi gusarske brodove iz Soluna, i da zahtjeva od solunskoga kneza Petra naknadu za škode.

1350. die XIV marcii, capta: ad factum damnorum illatorum per illos de Compagna et Albanenses nostris fidelibus Phetelei, rescribatur eis *(sc. baiulo et consiliariis Nigropontis)*, quod gravamur et turbamus de damnis premissis, et placeat nobis provisio, quam fecerunt in mittendo ad illos de Compagna et ad illum Prealipo pro satisfactione et emenda dictorum damnorum, et quod pro parte nostra scribimus, et sic fiat, litteras nostras domino -- — regi Rasie pro satisfactione dictorum damnorum, et ut illum Prealipo subditum suum corrigat et admoneat taliter, quod in posterum non presumat damnificare nostrates vel adherere damnificantibus eos, in ea forma, quam pro honore et bono facti cognoverimus expedire. Omnes de parte.

Capta: ad id vero, quod scribunt de don Petro domino Solone, qui indebite tenet carceratum Christoforum de Medio civem nostrum, et tenet ligna et navigia in cursum, respondeatur, quod habentes grave, quod per ipsum factum est et fit, commisimus et sic committatur, capitaneo nostro culfi, quod sicut et quando sibi abilius videbitur cum securitate navigiorum nostrorum et custodie sibi commisse, debeat ire et procurare de persequendo et habendo dicta navigia et ligna et personas, que piraticam exercent, et de ipsis facere secundum continentiam commissionis sue; et quod det operam de loquendo dicto don Petro vel mittendo nuncium aliquem ad eum pro parte nostra, et procurando libertatem dicti nostri civis et emendam ac satisfactionem damnorum et offensarum, que per ipsum fuissent nostris

fidelibus irrogata, et quod a similibus se abstineat decetero, procurando istam nostram intencionem cum illis verbis et modis, que videbuntur ei pro honore nostro, offerrendo dicto don Petro, quod, si quid ab aliquibus nostris fidelibus habere debuerit, fiet ei iusticie complementum; et quidquid habuerit, rescribat nostris baiulo et consiliariis Nigropontis.

Misti, XXVI. 6, u mletačkom arkivu.

CCXLIV. God. 1350. 13 ožujka, u Mletcih.

Dviema Zadranima dozvoljeno, da se na zadarskih otocih nasele.

1250. die XIII marcii, capta: quod Damianus de Cipriano de Jadra, qui a principio usque modo stetit et servavit confinia nostra in Veneciis, nec habet unde vivere possit, possit ire et stare in insulis cum conditionibus aliorum confinatorum in insulis.

Capta: quod similiter concedatur Francisco de Zadulinis, qui continue servavit confinia, et ad strictam condicionem pervenit, quod ire et stare possit in insulis cum condicionibus aliorum confinatorum ibidem.

Misti, XXVI. 6, u arkivu mletačkom.

CCXLV. God. 1350. 23 ožujka, u Mletcih.

Obavieščuje se bolonjski stožernik o njekih vieštih došavših iz Ugarske. Dozvoljeno Porečanom, da si nabave vina iz okolice od Kopra do Trsta. Uzkraćuje se ugar. kralju galija za prevoz njegove čete, a obećava mu se, da će njegovi brodovi biti dobro primljeni u mlet. luke.

1350. indictione III, die XXIII marcii, capta: quod ista nova, que habemus de partibus Hungarie, notificentur domino cardinali Bolonensi per illum modum, qui videbitur domino, consiliariis, capitibus et sapientibus, vel maiori parti.

Capta: quia civitas nostra Parentii anno preterito fuit multum penuriosa vino propter frequentem cursum peregrinorum, Hungarorum, Theutonicorum et Sclavorum, qui pro maiori parte declinant illuc pro transeundo in Marchiam, vinum non reperitur in terra premissa in magnum sinistrum nostrorum fidelium dicte terre et itinerantium illac: vadit pars, quod pro honore nostro et pro comodo predictorum concedatur potestati, communi et hominibus dicte terre, quod in subventionem dicte sue neccessitatis possint de partibus Justinopolis et ad inde supra versus Tergestum extrahere amphoras L ribolei etc.

Capta: quod respondeatur domino regi Hungarie ad litteras suas in forma subsequenti. Serenitatis vestre novissime litteras (recepimus), inter cetera continentes, quatenus una galea pro stipendio in portu Senye, in qua gens vestra per mare securum transitum facere possit, transmittere velemus, dilectionis solite affectu recepimus, super quibus celsitudini vestre duximus respondendum, quod nos ob magnam et singularem affectionem, quam ad excellenciam vestram et vestros gerimus et habemus votis et beneplacitis regiis, velut honorabilis et precipui amici nostri in casu quolibet complaceremus libenter, sed sic celsitudinem vestram scire presupponimus hoc absque aliorum evidenti iniuria vel offensa fieri et sequi non posset, et nostri ob nostras et terre nostre condiciones non interest per observanciam

in casibus huiusmodi per mundum in nobis experimentaliter comprobatam, aliqua operari, que in aliorum preiudicium valeant quomodolibet redundare, verum inter discordes pacem et concordiam procurare possetenus et nutrire; et propterea vestra serenitas in hac parte potest et debet nos habere merito excusatos. Super negocio autem commissionis fiendo in nostris dominiis, quod gens vestra et pertinentes ad vos, super mare transeuntes ad portus nostros ubicumque voluerint, cum securitate descendere valeant, rescribimus, quod affectantes inter celsitudinem vestram regiam et nos et utriusque fideles et subditos servare omnem benivolenciam caritatis semper cordi gessimus et gerimus, subditos vestros per nostros tractari amicabiliter et fraterne, et sic nostri rectores et fideles habent a nobis specialiter in mandatis, et nunc ad maiorem cautelam iuxta serenitatis vestre requisitione eisdem expresse iniunximus et mandavimus, ut gentes vestras et navigia ad partes nostras declinantes, prout in treuguis hinc inde firmatis et iuratis cavetur, ad quarum observanciam totis affectibus intendimus, habere debeant benivole et efficaciter commendatos, et quod a quibuscumque noxiis preserventur, sperantes et tenentes indubie, quod erga nos et nostros ex parte maiestatis vestre simile fieri et servari debeatur versa vice, quam quum aliud invenimus in subditis prefate regie maiestatis, qui treuguas ipsas infrigitis, nostros fideles et subditos partium Sclavonie offendere et depredari non cessent, sicut vestre excellencie particulariter nostras litteras recolimus pridie denotasse, de quibus a maiestate vestra in proximo speramus votivum et effectivum obtinere responsum.

Misti XXVI. 9, u arkivu mletačkom.

CCXLVI. God. 1350. 1 travnja, u Mletcih.

Dopušća se dviema prognanicima zadarskim, da se na zadarske otoke presele.

1350. die primo aprilis, capta: quod Vivaldus de Nassi de Jadra, confinatus in Venetiis, qui ipsa confinia cum omni reverentia et hobedientia observavit, sed non habet amplius, unde vivat, nec habet propinquum, qui faciat facta sua, possit ire ad insulas et stare ad condicionem aliorum confinatorum ibidem.

Capta: quod Barthe Mauri de Grisogono, civis Jadre, confinatus in Veneciis, qui ipsa confinia cum omni reverentia observavit, nec habet personam, que faciat facta sua, que sunt in magna desolatione, possit ire ad insulas, et stare ad condicionem aliorum confinatorum ibidem.

Misti XXVI. str. 10, u mletačkom arkivu.

CCXLVII. God. 1350. 10 travnja, u Napulu.

Napuljski kralj zahvaljuje se republici, što je ugar. kralju galiju uzkratila, i moli ju, da prijateljski postupa sa galijami, koje on šalje u jadransko more.

Exemplum litterarum missarum Dominio ducali pro parte domini Ludovici Jerusalem et Sicilie regis, datarum Neapoli. Eminens vir et amice carissime. Innotuit nobis, regem Ungarie mutasse more suo fidem promissam domino cardinali de Bononia apostolice sedis legato super negotiis huius regni, et in deceptione sancte matris ecclesie ac domini nostri summi pontificis nequiter gloriari. Sed habemus amicitie vestre gratias immensas,

quod galearum petitum per eum vobis navigium in offensam nostram et regni solitis modis vestre prudentie recusastis, quamquam victualia per vestros subditos sibi exhibenda concesseritis, que non poterant ei commode denegari. Scitote igitur, nos gravantes in corde gerere tantam sinceritatem amicitie vestre, cupientes, nos posse in vestris honorem et complacentiam condignam gratitudinem compensare. Et quia amiratus regni se festinanter accingit navigaturus ad culphum cum tribus galeis de Provintia, et duabus de regno, ac aliis duabus de Monaco contra hostes nostros ad nostra servicia prosequenda, amicitiam vestram eadem affectuose precamur, ut dictas duas galeas de Monaco, quam diu in societate ipsius amirati nostri dicta nostra servicia prosecventur sine vestrorum subditorum iniuria vel offensa tollerare nostri consideratione vellitis, et mandare, quod in terris vestris et a subditis amabiliter pertractentur, et de refriscamento aliisque eis necessariis vellint fraternaliter subvenire. Nam ipse galee, et quecumque alie nostre essent, parate forent et prompte ad omnem vestram complacentiam et vestrorum, sicut eis signanter et expresse duximus iniungendum. Data Neapoli sub anullo nostro secreto, die X aprilis, tercie indictionis. (1350).

Commemorialium IV. 173, u mletačkom arkivu.

CCXLVIII. God. 1350. 11 travnja, u Mletcih.

Odgovara se na njeka pitanja podnešena od šibeničkih poslanika.

1350. die XI aprilis, capta: quod respondeatur ambaxatoribus Sibenici super primo capitulo, in quo supplicant dominationi, quod dignetur eis subvenire de remedio oportuno tam super damnis datis eisdem per Hungaros, quam que in posterum inferri possent etc., quod iam miximus plures litteras domino regi Hungarie, rogantes eumdem, ut placeret iuxta continencia treuguarum taliter ordinare, quod de damnis datis nostris fidelibus Dalmacie fiat restitutio rationabilis et emenda, et suos taliter regolare, quod predicta facere imposterum nullatenus audeant vel presumant; et quod adhuc responsionem aliquam non habuimus, sed speramus in brevi habere eam nostro conforme proposito; et cum aliis verbis, quibus videbitur. Et quia per litteras comitis Sibenici habetur, quod homines comitis Gregorii fuerunt culpabiles predarum ipsarum, scribatur domino comiti pro emenda et satisfactione eorum in ea forma, que videbitur convenire.

Capta: item quod super secundo capitulo, in quo supplicatur, quod possint salvare animalia sua in insula sancti Damiani districtus Jadrensis, respondeatur eis, quod scribemus nostras litteras, et sic scribatur comiti et consiliariis Jadre, quod inquirere debeant de inveniendo eis aliquam insulam communis vel specialium personarum cum voluntate tamen ipsorum in districtu Jadre cum quam minori damno et sinistro fieri poterit, in qua possint comode salvare et conservare sua animalia prefacta, solventes pro insula predicta sicut dicto comiti et consiliis videbitur esse iustum.

Capta: item quod super tercio capitulo, in quo supplicant, quod mandetur comitibus et rectoribus nostris Dalmacie presentibus et futuris, quod depredaciones factas in aliqua ipsarum terrarum seu loc s earum alie non audeant emere sub pena perdendi totum id, quod taliter foret emptum, quod restituatur damnificatis cum integritate, ymo illas sequestrare debeant iuxta posse donec ad noticiam pervenerit comitis seu civitatis damnificate.

Respondeatur, quod in hoc iuxta supplicationes suas faciemus. Et sic fiat, ut est dictum.

Capta: quod respondeatur ambaxatori Tragurii super primo capitulo, in quo supplicat dominationi, quod dignetur eis subvenire de remedio oportuno tam super (damnis) datis eisdem per Hungaros, quam que imposterum inferri possent etc., quod iam miximus plures litteras domino regi Hungarie, rogantes eumdem, ut placeret iuxta continenciam treuguarum taliter ordinare, quod de damnis datis nostris fidelibus Dalmacie fiat restitucio rationabilis et emenda, et suos taliter regulare, quod predicta facere nullatenus audeant vel presumant, et quod adhuc responsionem áliquam non habuimus, sed speramus in brevi habere eam nostro conforme proposito; et cum aliis verbis, quibus videbitur. Et quia per litteras comitis Sibenici habetur, quod homines comitis Gregorii fuerunt culpabiles predarum ipsarum, scribatur domino comiti pro emenda et satisfactione earum in ea forma, que videbitur convenire.

Capta: quia, sicut nobis exposuit ambaxator predictus, comes Johannes condam comitis Nelipcii, existens Tragurii, restituere promisit quedam damna data dictis de Tragurio per gentes suas, que capiunt ad summam librarum II mille IV centum XX, et nichil hucusque curavit facere de predictis, quod scribatur dicto comiti Johanni, quod placeat eidem satisfacere infra duos menses a presentatione litterarum nostrarum nostris fidelibus damnapassis, sicut videbitur domino, consiliariis et sapientibus; quod si faciet, bene quidem, sed si predicta facere recusaret, amodo capiatur, quod mandetur comiti Tragurii iamdicto, quod elapso termino, satisfaciat de bonis dicti comitis Johannis sitis in Tragurio et districtu nostris fidelibus antedictis usque ad summam pecunie superius memorate. Et predicta notificentur ambaxatori predicto.

Capta: item quod super tercio capitulo, in quo supplicatur, quod locus ordinis fratruum minorum de Tragurio, qui propter situm suum, quum est extra et prope civitatem, posset esse nimium periculosus ipsi civitati propter hostium insultum, si, quod deus avertat, ad eorum manus perveniret, fabricetur inter menia civitatis predicte, summo pontefice id de gratia concedente, non obstante constitutione de numero canarum, qui esse debet inter monasterium ordinum mendicancium, cum tota civitas non sit longitudinis et latitudinis ad dictum canarum numerum peraplendum; respondeatur, quod mittemus litteras ambaxatoribus nostris ad curiam presentialiter euntibus, quod procurent de obtinendo gratiam superius memoratam, expeditis primo aliis negociis sibi commissis, ita tamen, quod expense, que fierent tam pro obtinendo gratiam in curia, quam pro transferendo locum ipsum intra civitatem, fiant per commune Tragurii.

Misti XXVI. 14, u mletačkom arkivu.

CCXLIX. God. 1350. 11 travnja, u Mletcih.

Upućuje se knez šibenički kako da se vlada u njekoj parnici.

1350. die XI aprilis, capta: quod rescribatur comiti Sibenici in hac forma. Comparuit coram nobis Volzina de Slorado de Jadra procuratore et procuratorio nomine domine Marie sororis sue, uxoris condam Georgii Scipsit de Sibenico, nobis presentans quasdam vestras litteras, actiones, testi-

ficaciones et scripturas, in quibus continebatur de questione iamdiu ventilata in curia Sibenici inter dictam dominam Mariam seu eius procuratores ex una parte et heredes dicti condam Georgii seu eorum tutores ex altera, et quod per maiorem partem vestrorum iudicum, vobis existente in opinione, quod dicta domina Maria habere deberet de bonis dicti condam viri sui libras MV centum vigore instrumentorum etc. terminatum fuit, quod partes ad nostram presentiam pervenirent. Et propterea vobis presentialiter respondemus, quod quidam magister Angelus ad nos etiam venit producens quoddam instrumentum continens, qualiter Scipsa filius condam Georgii supradicti nomine suo et Stephani fratris eius aliquod legittimum mandatum non habens a Stephano antedicto constituit suum procuratorem predictum Angelum, quod autenticum non habuimus occasione prefacta. Quare cupientes, ut iusticia cuilibet tribuatur, prudencie vestre scribimus, fidelitati vestre mandantes per nos et nostra consilia minus, rogatorum et de XL, quatenus, receptis presentibus, debeatis dici facere heredibus dicti condam Georgii, vel eos citari facere ad domum, sicut vobis melius videbitur, ac in locis Sibenici solitis publice facere proclamari, quod quicumque habentes seu credentes habere ius in hereditate dicti condam Georgii, aut alii, quibus quoquomodo tangeret factum, debeant intra dies VIII coram vobis omnimode comparere, et si comparuerit aliquis vel aliqui valentes de iure in iudicio respondere, eum terminum assignetis, quod infra dies XXII debeant coram nobis se vel procuratores suos legittimos cum suis iuribus presentasse, recepturi iusticie complementum. Quo termino elapso, procedemus in questione prefacta, eorum contumacia non obstante, sicut iusticia svadebit; rescribentes nobis de receptione presentis, ac quicquid in predictis duxeritis faciendum. Datum XII aprilis.

Misti XXVI. 15, u mletačkom arkivu.

CCL. God. 1350. 13 travnja, u Mletcih.

Pitanja podnešena od poslanika srbskoga mlet. republici.

Millesimo trecentesimo quinquagesimo, die decimo tercio aprilis, indictione tercia. Infrascripta est ambaxiata ducali dominio exposita per nobilem virum dominum Michaelem de Buchia ambaxatorem serenissimi domini imperatoris Raxie et Romanie, dispoti Larte et Blachie comiti.

1. In primis salutatione premissa, quod placeat, quando esse possit, domino duci velle personaliter interesse ad colloquium cum ipso domino imperatore in partibus Ragusii et a Ragusio citra in Narenta pro aliquibus magnis et arduis pertractandis.

2. Item petit dominus imperator, quod placeat ducali dominationi ipsum dominum imperatorem et eius filium serenissimum dominum regem Vros et dominam imperatricem cum eorum heredibus facere et creare cives venetos, ac si forent oriundi de civitate Venetiarum.

3. Item quod prefati habeantur et sint liberi, securi et franchi in civitate Venetiarum, et quod non possit peti aut dari ipsi vel aliquis ipsorum alicui persone de mundo, vel computari aut traddi pro civitate, castro seu castris, seu locis, auro, vel thesauris de mundo alicui persone, et quod possint emere possessiones in civitate Venetiarum et alibi cazalia et villas

in locis et terris communis Venetiarum, et ea revendere ad suum beneplacitum quandocunque, ut faciunt oriundi Venetiis.

4. Item si contingerit, quod ipse dominus imperator vel eius filius dominus rex aut domina imperatrix venirent habitatum Venetiis, quod tunc placeat ducali dominationi eis vel alicui eorum in signum amoris et honorificentie facere et dare aliquam provisionem seu regaliam, sicut pro honore imperialis culminis et celsitudinis ducalis videbitur convenire.

5. Item si casu contingeret, quod ducali dominio foret opus in partibus Sclavonie vel in illis partibus pro exercitu faciendo habere gentes: dominus imperator vult et offert se daturum de sua gente equites et pedites ad requisitionem ducalis dominationis, et eas mittere usquequo poterunt secure attingere, et per mare dare similiter gentes, dante sibi ducali dominatione ad predicta navigia opportuna et pro eundo et redeundo. Et e converso, si domino imperatori foret opus pro exercitu vel guerra, quam faceret in suis partibus, quod ducalis dominatio sibi teneatur dare gentes et navigia per mare.

6. Item cum dominus imperator per gratiam dei acquisiverit et obligaverit decem partes Romanie imperii Costantinopolitani preter civitatem Costantinopolis, quam expugnare et subiugare nequit, quod placeat ducali dominationi prebere sibi auxilium per mare gentis et gallearum. Et si tantum continget, faciente domino, quod dicta civitas subiugetur, vult et contentatur dominus imperator, quod totus despotus sit libere communis Venetiarum, et si noluerit despotum, tunc dominus imperator cum auxilio ducalis dominationis per mare offert se facere guerram civitati Pere, et si contingerit, quod subiugetur, quod dicta civitas sit libere communis Venetiarum. Et predicta dicit dominus imperator causa extrahendi de manibus illius delegati Cantacusino, qui iniuste et indebite captivatum detinet filium imperatoris.

7. Item vult, et petit dominus imperator, quod si ipse vel dominus rex eius filius aut domina imperatrix vel alius pro eis aut aliquis de suis fidelibus emeret aut venderet seu facerent mercationes in civitate Venetiarum vel extra in terris et locis communis Venetiarum, quod omnes sint liberi et franchi et exempti ab omni datio et angaria communis Veneciarum et locorum, ubi predicta facerent; et e converso vult dominus imperator, quod omnes cives et fideles ducalis dominationis sint liberi, franchi, immunes et exempti ab omni datio et angaria in omnibus terris et locis subiectis domino imperatori.

8. Item si contingeret, quod aliquis dominus vel princeps moveret guerram vel veniret super dominum imperatorem vel dominum regem eius filium aut supra terras eorum, quod ducalis dominatio non debeat dare illis talibus auxilium vel favorem, et sic e converso quod dominus imperator non debeat dare auxilium alicui persone de mundo, qui vel que veniret supra aliquem terram vel locum communis Venetiarum.

9. Item ducalis dominatio per suas litteras et nuntios rogavit dominum imperatorem, quod placeret sibi eius amore habere amicum dominum bannum Bosine, et quod ipsum raccomandatum haberet, et propterea ipse dominus imperator ob amoram ducalis dominationis ipsum bannum habuit amicabiliter et tractavit; sed ipse bannus male sibi respondit, nam depredatus fuit de suis gentibus, et acquisivit de suis terris et locis, et con-

tinue depredatur. Et ipse dominus imperator ob amorem ducalis dominationis erga ipsum nunquam voluit facere novitatem nec se movere. Et ideo predicta facit explicari ducali dominationi, ut hec sciat et cognoscat, quia donec de voluntate ducalis dominationis non processit, et se non impediverit, intendit de ipso banno se protinus vendicare, et ideo, quod placeat ducali dominationi per suas litteras scribere vel mittere domino banno, quod faciat restitui damna, et accepta dimittat, aliter se non poterit substinere.

10. Item ducalis dominatio misit hoc anno suum solempnem ambaxatorem dominum marchionem Bondenecie, et inter cetera requisivit de certo damno dato in quadam navi viro veneto in partibus Avalone per cognatum domini imperatoris. Et dominus imperator misit predicto suo cognato, et gravavit se de facto; qui dixit, quod accepta non fuerant veneti, sed alterius persone. Et tunc dominus imperator aliud non dixit, sed tandem ipse cognatus domini imperatoris dixit et obtulit mittere Venetias ad ducalem dominationem, et si reperiretur venetum esse damnificatum, faceret omnia integraliter emendari. Ipse vero cognatus domini imperatoris non missit, de quo dominus imperator molestum habuit, sed propter amorem domine imperatricis aliud dicere non potest. Verum dicit dominus imperator, quod supra dictum est, quod accepta non fuerant veneti, sed dicit dominus imperator, quod vos domine dux si dixeritis, quod accepta fuerint veneti, tunc mittat vel vadat mercator, et dicat et exponat de damno, et accipiat id, quod est, et de eo, quod restabit, dominus imperator offert se facere quicquid poterit, quia non intendit cum ducali dominatione et hominibus Venetiarum vivere, nisi tanquam fidelis civis Venetiarum et tanquam frater ducalis dominationis; et dicit dominus imperator, quod tunc ambaxatori vestro obtulit mittere per me Michaelem ambaxatorem ipperpera mille centum viginti in ratione ypperperorum sexdecim pro libra, qui sunt penes me ambaxatorem; sed tanto minus, quantum nunc minus valet argentum solito, de quibus denariis vestra ducalis dominatio disponat et ordinet, sicut placet.

Item exponit dictus dominus ambaxator pro parte communis et hominum de Cattaro fidelium dicti domini imperatoris, cum alias data fuerint pignora contra dominum regem Raxie et eius subditos et fideles Sclavonie quondam domino Jacobo Bollani, de qua pignora magna quantitas pecunie est soluta, et ignoretur de condictione dicte pignore; quod placeat ducali dominationi ordinare, quod ratio dicte pignore videatur, et sciatur, quid et quantum solutum est; et si satisfactum est in totum, quod dicta pignora tollatur et anichilletur. Et si aliquid restaret ad solvendum, remeneat in arbitrio ducalis dominationis de dicta pignora disponere et ordinare, sicut ei videbitur et placebit.

Commemorialium IV. 172, u mletačkom arkivu.

CCLI. God. 1350. 13 travnja, u Mletcih.

Odgovor na pitanja podnešena od poslanika cara i kralja srbskoga.

1350. die 13 aprilis. Capta: quod respondeatur ambaxatori domini imperatoris et regis Raxie in forma inferius annotata:

Ad ambassatam sapienter expositam per virum nobilem dominum Michaelem de Buchia, ambaxatorem serenissimi domini imperatoris Grecorum

et Raxie, respondetur per inclitum dominum ducem Veneciarum et eius consilium, prout inferius continetur:

Et primo ad capitulum primum continens, quod placeat domino duci, si esse potest, esse ad coloquium in Ragusio vel a Ragusio citra cum ipso domino imperatore, respondeatur: quod in omnibus, que honorem et beneplacitum dicti domini imperatoris respicerent, ipse dominus dux et communitas Venetiarum ob amorem sincerum, quem ad maiestatem suam gerunt, libentissime redderent se conformes, sed sicut notorium est, non permittitur ipsi domino duci exire ducatum vel civitatem Veneciarum pro aliqua causa quantumcunque sit ardua sive magna, nec nunquam pro aliquibus negotiis, etiam conditionis sublimis, que commune Veneciarum habeat et habuerit a multis temporibus citra cum domino papa, imperatoribus, regibus et aliis mundi principibus pertractare, ipse dux, prohibentibus constitutionibus Veneciarum, potuit civitatem exire, sed ea per interpositas personas tractari fecit et facit. Verum a peticione contenta in ipso consilio potest abere regia serenitas ipsum dominum ducem ex premissis satis rationabiliter excusatum.

Ad secundum capitulum, per quod petitur, quod dominus imperator, filius eius Urosius et imperatrix cum heredibus suis recipiantur in Venetos tamquam si essent nati in Veneciis etc. respondeatur, quod ducale dominium, ut est dictum, promte disponitur ad complacendum, in quantum cum honore suo potest, regie maiestati. Et propterea id, quod petitur, de ricipiendo ipsum dominum imperatorem, filium et imperatricem ac eorum heredes in cives Veneciarum, ac si oriundi forent, libentissime per ipsum dominum admitetur cum consiliorum suorum ad hec necessariis solempnitatibus et assensu.

Ad tercium capitalum, per quod petitur, quod predicti habeantur et sint liberi et securi etc., respondentur, quod ducale dominium ipsos intendit tractare et tractari facere omni tempore sicut carissimos cives suos, et quod in civitate Veneciarum possint quocunque tempore secure et libere venire, stare et recedere ad beneplacitum suum, et in ea facere, sicut possunt quilibet honorabiles et carissimi cives, oriundi de terra Veneciarum.

Ad quartum capitulum, per quod petitur, quod fiat eis aliqua honorificencia, si venirent habitandum Venecias, respondeatur, quod intentio ducalis dominii est, in omni casu et tempore ipsos honorabiliter et amicabiliter pertractare. Et si quondo casus evenerit, quod Venecias veniant, quod absit, nisi cum honore et comodo suo, ipsos libenti animo videbit et amicabiliter recipiet, et personas eorum honorabit et honorari faciet, sicut pro honore suo viderit convenire.

Ad quintum capitulum de subventione hinc inde prestanda, respondetur, quod propter magnam affectionem, quam visus est et videtur ipse imperator habere ad honores ducalis dominii, quandocunque sibi opus esset, ipsum dominum imperatorem ducale dominium requireret in opportunitatibus suis, et sic e converso ipse dominus imperator ipsum posset requirere in gratis sibi, quia in quantum decentius posset cum honore et statu suo, esset dispositum eidem amicabiliter complacere.

Ad sextum capitulum, per quod petitur auxilium galearum pro subiugando imperium Romanie, respondetur, quod nos sumus in treugua cum imperatore Constantinopolitano, per quam inter cetera vinculo sacramenti

simus astricti, eidem et gentibus suis puram et veram pacem servare; et hic e converso nobis astrictus est; et propterea id facere non possumus sine gravissima dei offensa et violatione sacramenti nostri et derogatione honoris et fame nostre. Quare potest nos serenitas imperialis habere a peticione premissa merito excusatos.

Ad septimum capitulum, per quod petitur, quod si dominus imperator vel filius aut imperatrix seu alius pro eis vel aliquis de fidelibus suis faciens mercationes in Venetiis etc., quod eis libere facere valeant in Veneciis et aliis terris nostris etc., respondetur, quod dictum dominum imperatorem et consortem ac filium suum, ut est dictum, ducale dominium semper intendit caritative et honorabiliter in suis terris tractare et tractari facere, et quod possint in ea facere et fieri facere, sicut quilibet honorabiles et carissimi cives sui fideles etiam imperialis maiestatis in omnibus suis comodis tractare et tractari facere proponit in terris suis favorabiliter et benigne, licet de libertatibus et franchisiis, que petuntur pro eis, non possit effectualiter complaceri, cum nostrimet fideles et subditi non sint ab oneribus huiusmodi absoluti; sed ob amorem imperialis culminis pro ipsis fiet sicut subditis et fidelibus cuiuslibet principis et carissimi amici nostri, quem habemus et reputamus dominum imperatorem premissum.

Ad octavum capitulum, per quod petitur, quod ducale dominium non faveat principi alicui vel dominio, volenti movere novitatem vel guerram ipsi domino imperatori, respondetur, quod de hoc non habeat maiestas imperialis aliquatenus dubitare, ymo teneat pro constanti, quod ducale dominium ad ipsum semper habere proposuit verum amorem et benivolentiam specialem.

Ad nonum capitulum de bano Bossine etc. respondeatur, quod cum ducalis dominatio specialem amorem habeat tam ad regiam maiestatem quam etiam ad dominum banum Bossine, ideo optavit et optat, quod inter partes ipsas sit quies et concordia, et quod sopiatur omnis materia questionis, que damnosa possit affere discrimina subditis earundem; et propterea rogavit et rogat regiam maiestatem, quod ex parte sua disponatur servare, quod dictum est; et quia dicitur de novitate facta per banum ipsum contra subditos ipsius domini imperatoris, dicit ducale dominium, quod de hoc, si ita est, dolet et intendit efficaciter scribere dicto bano superinde litteras speciales, et sperat indubie, quod reformabit, quecunque indebite facta forent, et quod ipse etiam ex parte sua disponetur cum ipso imperatore vivere amicabiliter et quiete.

Ad X capitulum de damno illato Veneto nostro in partibus Avalone, respondeatur, quod ducalis dominatio regratiatur imperatorie maiestati de bona voluntate, quam ostendit erga ambaxatorem suum tam in satisfactione damnorum civium suorum, quam aliis per dictum ambaxatorem expositis, et specialiter de eo, quod nunc offert in satisfactione damni predicti, si reperiatur Veneto fuisse illatum. Et quia ipsa ducalis dominatio diligenti inquisitione habita, reperit manifeste, quod bona, de quibus agitur mencio, fuerunt Veneti, ideo rogat et requirit instanter regiam maiestatem, quatenus placeat sibi de satisfactione dicti damni facere, sicut sperat effectualiter provideri.

Ad XI capitulum de pignora data contra homines Raxie, ad peticionem ser Jacobi Bolani, respondeatur, quod ducale dominium, cupiens sub-

ditos regios ne dum contra iusticiam aggravare, sed potius eisdem assistere favoribus gratiosis, examinari mandabit negocium pignore supradicte, et illud, quod exactum est, et si invenietur, quod pignora sit soluta, superinde providebitur ita, quod sublimitas regia et sui fideles de Cataro et aliunde poterunt et habebunt merito contentari. De parte omnes.

Misti XXVI. 16, u mletačkom arkivu.

CCLIII. God. 1350. 18 travnja, u Senju.

Ugarski kralj piše mlet. duždu, kako je dao nalog ostrovičkomu zapoviedniku, neka štete mletačkim podložnikom učinjene nadoknadi; te da se je iz Senja u Apulju prebrodio, a da će se primirja sveto držati.

Exemplum litterarum missarum domino duci pro parte domini regis Ungarie (sc. Ludovici) datarum in Segnia. Serenissime princeps, et amice carissime. Nunciastis nobis, quod castellanus de Ostrovicia pertinentibus ad vos damna intulisset, cui per litteras nostras firmissimis dedimus in mandatis, ut de omnibus damnis ad vos pertinentibus illatis satisfactio impendatur. Ceterum noveritis decimo octavo die aprilis presentis in Segnia ascensa galea gressus nostros ad regnum nostrum Apulie direxisse; et credimus indubie, quod tregue inter nos ordinate usque tempus deputatum per vestram celsitudinem inconcusse observentur, nec alique molestie, et perturbationes genti nostre ad predictum regnum nostrum post nos properanti vel de eodem redeunti, per vos et ad vos pertinentes inferantur. Datum die, et loco prenominatis.

Commemorialium IV. 173, u mletačkom arkivu.

CCLII. God. 1350. 19 travnja, u Mletcih.

Dračani nude Mletčanom svoj grad, ali ga ovi neprimaju.

1350. die XIX aprilis, capta: quod universitati et hominibus Durachii, offerentibus nobis dominium civitatis ipsius, respondeatur cum verbis generalibus, elongando nos a facto.

Misti XXVI. 17, u arkivu mletačkom.

CCLIV. God. 1350. 19 travnja, u Budimu.

Ugar.-hrv. kralj Ljudevit odgovara mlet. republici, da škode nanešene njezinim podanikom od njegovih u Hrvatskoj nisu učinjene ni njegovom voljom ni onom brata mu Stjepana i matere; u ostalom da šalje bana Pavla, neka razvidi stvari, i dokazane štete naknadi.

Exemplum litterarum missarum domino duci per dominum regem Ungarie. Ludovicus dei gratia rex Hungarie, Jerusalem et Sicilie, magnifico, et potenti viro Andree Dandulo duci Veneciarum amico suo karissimo, prosperos ad vota successus. Litteras vestre nobilitatis recepimus, earumque contenta cum intellectu diligenti, audivimus ad plenum, ad quarum tenorem, ubi dicitis, quod plures querelas receperitis a civibus Sibenicensibus et ab aliis parcium Sclavonie pertinentibus ad vos de dampnis et derobationibus, que per gentes nostras de Ostroviza, et de Tinino in animalibus et bonis eorum, nulla causa legittima precedente, receperint, taliter vestre

amicitie respondemus, quod ista dampna, que proponitis, nec ex voluntate nostra nec domini Stephani, Dalmatie et Chroatie et Sclavonie ducis, fratris, vel excellentissime principesse domine regine genitricis, nostrorum karissimorum, sint illata, et si qua sunt illata, ut vobis nostra puritas observandi treugas stabilitas manifeste appareat, ecce nobilem virum Paulum banum, vices tenentem ipsius Stephani ducis in predictis ducatibus, ad videndum et indagandum ea, que indebite et iniuste sunt illata, ad vigesimum diem mensis maii ad partes illas deputavimus transmittendum, qui quidem banus, investigatis dampnis et iniuriis, lesis satisfaciet in persona ducis prenotati, ad quem terminum vestrum hominem transmittatis, coram quo eadem satisfactio fieri debeat, ut tractaverit iuris ordo. Datum Bude, die decimo nono mensis aprilis. Similes littere misse fuerunt pro parte domini Stephani ducis Sclavonie et domine regine Ungarie eius matris.

Commemorialium IV. 174, u mletačkom arkivu.

CCLV. God. 1350. 23 travnja, u Mletcih.

Hvali se knez rabski zato, što često izviešćuje o novostih, koje mu dolaze; te se bodri, da u tom napreduje. Knezu se zadarskomu šalje novac, da vojsku i činovnike izplati.

1350. die XXIII aprilis, capta: quod rescribatur comiti Arbensi, recommendando solicitudinem, quam habuit in denotando sepius nobis nova, et hortando, quod sit curiosus ad sentiendum nova undecumque poterit, et nobis et nostris rectoribus Sclavonie, sicut opus fore videretis, rescribendum, non respiciendo ad expensas, et quod expensas tam cursorum, quos mitteret pro sentiendis novis, quam barcharum et alias quascumque expensas, quas feceritis pro sentiendo et denotando nobis nova, nobis scribere debeatis, quia satisfieri faciemus ipsas plenarie pro nostro communi.

Ceterum cum comes Jadre scripserit, quod soldati nostri debent recipere pagas de duobus mensibus, et quod multi salariati deinde complent, pro quibus omnibus est sibi neccessaria peccunia in bona quantitate, quia ibi nullam peccuniam habet: vadit pars, quod pro predictis mittantur ei de denariis montis ducati III millla, et scribatur ei, quod ad verba sibi dicta per vicepriorem Aurule respondeat, recedendo a facto cum illis verbis, que sibi videbuntur pro honore nostro.

Misti XXVI. 19, u mlet. arkivu.

CCLVI. God 1350. 29 travnja, u Mletcih.

Pozivlju se Dubrovčani, neka oboružaju svoju galiju na državne troškove pod izlikom, da brani morsko brodarenje od gusara, a pravo, da pazi na brodove ugarskog kralja.

1350. die penultimo aprilis, capta: preterea scribatur comiti, iudicibus, consilio et communi Ragusii, quod pro eo, quod continue curis assiduis vigilamus ad salutem et conservationem ipsorum et aliorum nostrorum fidelium, et ut ipsi et alii nostri fideles tute et secure per mare possint navigare et facere facta sua, et specialiter ipsi de Ragusio, qui quotidie frequentant per mare cum eorum navigiis et bonis ad partes culphi nostri, non respectando ad aliquam expensarum gravitatem decrevimus et provi-

dimus tam occasionibus supradictis, quam pro maiori securitate et custodia culphi nostri, quod per ipsos armetur ad expensas nostri communis una galea de gente deinde, cuius galee hominibus faciant solucionem pro duobus mensibus cum illo soldo, cum quo melius facere poterunt, propter quod eisdem mandamus, eorum fidelitatem hortantes, quatenus receptis presentibus litteris nostris debeant solicite et attente preparare et armare dictam galeam, et furnire de omnibus opportunis, ut in omni casu, quo ipsam duxerimus requirendum, haberi valeat, et ut fidelitas sua, quam ad nostra mandata semper promptam invenimus et paratam, pro execucione huius nostri mandati nostram benivolenciam et gratiam valeat uberius promereri. Et ex nunc sit captum, quod armetur dicta galea in Ragusio per modum et cum condicionibus supradictis; et accipiatur pecunia neccessaria pro expensis ipsius de denariis nostri communis, que quidem pecunia postea transmittetur comiti nostro sicut et quando dominationi videbitur; cui quidem comiti nostro predicto soli scribatur et significetur divise, prout dominacioni videbitur causa, propter quam armari ordinavimus prefatam galeam, videlicet occasione transitus domini regis Hungarie in Apuleam in ea forma, que dominacioni videbitur esse decens.

Nota: quod omnes partes suprascripte sapientum iverunt simul et semel, et fuerunt omnes de parte.

Misti XXVI. 22, u arkivu mletačkom.

CCLVII. God. 1350. 3 svibnja, u Mletcih.

Odgovara se poslaniku srbskoga kralja, da ga republika proti iztočnomu carstvu pomoći nemože.

1350. die 3 maii, capta: quod ad ambasatam domini regis Rassie, petentis auxilium nostrum contra imperium Romanie, respondeatur cum verbis, quibus pridie responsum fuit alteri ambassatori, et cum aliis, que dominio videbuntur, excusando nos a dicta requisitione sua.

Misti XXVI. 22, u mletačkom arkivu.

CCLVIII. God. 1350. 13 svibnja, u Mletcih.

Odbori neka kažu, što bi se imalo raditi prigodom prolaza ugar.-hrv. kralja iz Ugarske u Apuliju. Odredjeno odpraviti k istomu kralju državnoga bilježnika, neka na javno ime prosvjeduje radi škoda učinjenih mletačkim podanikom od njegovih u Hrvatskoj i u Apuliji. Nalaže se načelnikom u Kreti, da čim prije oružaju galije, a pomorskomu kapetanu, da se drži na oprezu.

1350. die XIII maii, capta: quia pro transitu regis Hungarie in Apuleam multa nova occurrerunt et possent in futurum occurere, que provisionem requirent, et ista negotia comiter tangere possunt et spectare ad securitatem navigiorum et navigantium et ad securitatem terrarum Sclavonie: vadit pars, quod in novis et factis, que occurerunt et occurrent occasione transitus dicti regis sapientes ordinum et sapientes Sclavonie, quelibet manus per se, examinent, et dent nobis suum consilium in scriptis, cum quo erimus hic, et fiet, sicut videbitur. Et quilibet possit ponere partem; et duret hec libertas per totum mensem iunii futurum.

Domini: ser Nicolaus Volpe, ser Bertucius Grimani, ser M. Lion, consiliarii; et ser Jerolimus Cavatorta, ser Victor Trivisanus, capita. Capta: quod tam occasione novitatum factarum nostris fidelibus in partibus Sclavonie per subditos regis Hungarie, quam pro novitate facta nuperime nostris mercatoribus in Apulea per magistrum rationalem dicti regis, et pro aliis quibuslibet novitatibus factis nostratibus per ipsum regem vel gentes suas mittatur unus notarius curie vel alia sufficiens et discreta persona ad dictum regem ad deponendum querelam de predictis, velut que facta sunt contra formam treuguarum et petendum emendam et satisfactionem cum illis verbis et commissione, que domino, consiliariis, capitibus et sapientibus, vel maiori parti videbuntur. Et si obtinebit intencionem nostram bene quidem; sin autem, rescribat et expectet nostrum mandatum. Verum si videret per dispositionem regis imminere aliquod periculum nostratibus, qui sunt deinde, debeat eos caute informare de hoc, ut possint sibi et factis suis salubriter providere.

Preterea mittatur de presenti una barcha usque Mothonum, et scribatur duche et consiliariis Crete, quod studeant armare solicite illas galeas, quas sibi scripsimus, expediendo et mittendo duas primo quam velocius esse potest et postmodum terciam, non expectando terminum sibi scriptum alias, sed ipsas ad culfum mittendo quam expeditius esse potest; et similiter scribatur comiti Ragusii, ut solicite armet et mittat galeam ordinatam ibi armari ad culfum. Capitaneo etiam culfi scribatur, quod veniat intra culfum cum armata sua, discurrendo per riperiam Apulee et per riperiam Sclavonie, sicut pro securitate et confortacione terrarum et navigiorum ac fidelium et mercatorum nostrorum sibi melius videbitur, apponendo diligentem mentem et curam de gentibus armate sue, quod non descendant in terram, sed eas studiose retineat in galea, sicut superius de ipso. 61.

Ser Petrus Zane consiliarius, ser Joannes Darpino caput. Quod fiat in totum ut supra, sed ubi dicitur de mittendo notarium, dicatur de mittendo unum ambaxatorem, et postmodum capta ista parte providebitur de electione et expensis ambaxate, sicut videbitur. 15, non 1, non sinceri 3.

Misti XXVI. 24, u arkivu mletačkom.

CCLIX. God. 1350. 13 svibnja, u Mletcih.

Prima se, da se u Dalmaciju odprave dva providura; a u poslu prolaza ugar.-hrv. kralja, da se sazove vieće, kada uztreba, pod kaznom.

1350. indictione III, die XIII madii. Consiliarii et capita. Quod supersedeatur pro modo de mittendo provisores ad partes Sclavonie, et pro confortacione nostrorum fidelium de inde scribantur littere nostre comitibus, iudicibus et communi dictarum terrarum, hortando eos ad fidelitatem et honorem nostrum cum illis pulcris verbis, que videbuntur, et notificando, quomodo pro salute et bono suo ordinavimus, quod galee nostre culphi et alie nostre galee veniant visitatum ipsas terras, et quod, si quid necessarium esset eis pro salvacione et comodo eorum, rescribant, quia providebimus, sicut opportunum erit. Illis vero terris, que receperunt damna ab Hungaris, scribatur, quomodo cupientes, ut habeant satisfactionem ipsorum damnorum secundum nobis scripta per regem, et quod in posterum cessen

incursiones, ita quod quiete vivere valeant, mittimus nostrum nuncium specialem ad ipsum regem ad procurandum cum omni solicitudine qua fieri potest predicta, et speramus, quod votum nostrum sic effectualiter adimplebitur in hac parte, quod nos et ipsi nostri fideles habebunt merito contentari. Comiti vero Jadre scribatur, quod bonam et vigilem custodiam habeat de terra, et provideat, quod soldati sint bene muniti armis et aliis neccessariis, sicut debent; et quod, si in Jadra vel districtu videbitur ei, quod forent alique persone suspecte statui nostro et conservacioni ipsius terre, provideat de eis, sicut sue discretioni videbitur, ita quod cum securitate maneat, donec novitates, que pro transitu regis principaliter sunt in motu, sopite fuerint; et quod informet se a comitibus aliarum terrarum, si in aliqua earum sunt aliqui Jadratini, quorum mora in ipsis terris induceret suspectum vel periculum honori nostro, et si aliquis habuerit esse de hiis, provideat de removendo eos inde et confinando eos alibi, ubi sibi videbitur; et quod, si quid deficit ad explendum de fortiliciis ordinatis, solicite debeat intendere ad prosecucionem eorum. 31.

Petrus Gradenico, Johannes Sanudo, sapientes ordinum; Thomas Conrado sapiens Sclavonie. Capta: quia pro honore nostro et pro augendo fidelitatem et devotionem nostrorum fidelium et subditorum partium Sclavonie, et ut non deficiant a spe nostra, in bona gratia mittantur ad partes Sclavonie duo nobiles provisores, et capto de mittendo istos provisores, postea providebitur de modo electionis ipsorum et de commissione fienda eisdem, et similiter de expensis, prout huic consilio melius et utilius apparebit. 46.

Capta: quod pro ordinanda commissione provisorum iturorum et pro electione eorum vocetur istud consilium die sabbati in mane sub pena solidorum XX.

Capta: quia negotia transitus regis Hungarie sunt ardua nobis: vadit pars, quod quandocunque opus erit vocari istud consilium pro dictis factis vel dependentibus ab eis vocetur sub pena solidorum XX, et legatur consilium.

Misti XXVI. 24, u mletačkom arkivu.

CCLX. God. 1350. 15 svibnja, u Mletcih.

Naputak za providure odlazeće u Dalmaciju.

1350. die XV madii, capta: quod provisoribus nostris ituris ad partes Sclavonie in bona gratia committatur, quod ire debeant ad inducendum et hortandum fideles nostros ipsarum partium ad fidelitatem et honorem nostrum cum illis pulcris verbis et modis, quibus convenire videbunt, et ad notificandum eis, quod pro salute, concolacione et bono suo ordinavimus, quod galee nostre culphi et alie nostre galee veniant visitatum ipsas terras. Et primo accedere debeant Nonam, et facta hortacione et notificacione predicta fidelibus nostris ipsius terre, debeant conferre simul cum comite nostro super statu et condicione ipsius terre, et similiter super novis et condicionibus parcium vicinarum; et si aliqua haberent seu viderent tam in facto stipendiariorum quam in omnibus aliis, que refformacionem indigerent, possint ipsi provisores cum comite nostro predicto ea refformare et super ipsis providere, sicut pro honore nostro et salute, bono et conservacione dicte terre viderint expedire. Et si talia essent, quod per eos non

possent debite et comode refformari, tam ea quam nova, que haberent, nobis scribant, ut de hinc providere, prout fuerit expediens, valeremus. Postea vero Jadram faciant iter suum, et ibi simul cum comitc et consiliariis nostris Jadre videre debeant monstram omnium stipendiariorum nostrorum tam equestrium quam pedestrium, et si aliquos insufficientes invenerint, nobis scribant, ut antequam predicti insufficientes cassentur, ipsorum loco de hinc prius supplere valeamus, prout fuerit opportunum. Et visa monstra predicta, conferant cum predictis comite et consiliariis nostris Jadre tam super novis, que haberent, quam super omnibus aliis pertinentibus ad statum et conservacionem ipsius terre nostre Jadre, et super ipsis provideant, prout sibi fore videbitur opportunum, solicitando comitem et consiliarios predictos ad explendum illud, quod deficeret de fortiliciis ordinatis secundum nostram intencionem. Et si in Jadra vel districtu et similiter in aliis terris Sclavonie videretur rectoribus ipsarum terrarum, quod forent alique persone suspecte statui nostro et conservacioni ipsarum terrarum, provideant dicti provisores cum rectoribus nostris predictis tam de hiis quam de aliis, sicut sue discretioni videbitur, ita quod cum securitate predicte terre nostre valeant permanere. Subsequenter autem vadant Sibinicum, et postmodum ad alias terras nostras, videlicet Spaletum et Tragurium, tam ad hortandum fideles nostros et communia ipsarum terrarum, quam ad notificandum eis provisionem, quam fecimus pro bono et conservacione sua, videlicet, quod galee nostre culphi et alie nostre galee veniant visitatum ipsos fideles nostros, e quomodo nos cupientes, ut ipsi nostri fideles videlicet Sibinichi et Tragurii habeant satisfactionem damnorum illatorum eisdem per Hungaros secundum nobis scripta per dominum regem Hungarie, et ut in posterum cessent incursiones, ita quod quiete ipsi nostri fideles vivere valeant, mittimus nostrum nuncium specialem ad ipsum dominum regem ad procurandum cum omni solicitudine, qua fieri poterit, premissa; et quomodo speramus, quod votum nostrum sic effectualiter adimplebitur in hac parte, quod nos et ipsi nostri fideles habebunt merito contentari. Et cum hiis et aliis verbis, que dictis nostris provisoribus pro honore nostro convenientia apparebunt, hortari debeant predictos fideles nostros; et similiter cum rectoribus predictarum terrarum conferre et providere super hiis, que providenda viderent pro honore nostro et salute ac conservacione ipsorum terrarum, sicut viderint fore opus, scribendo nobis solicite nova et condiciones partium predictarum, et nostrum prestolando mandatum.

Capta: et elligantur dicti provisores per duas manus electionum in hoc consilio, qui possint accipi de omni loco exceptis procuratoribus, patronis arsenatus, iudicibus et officialibus palacii, et habeant de salario libras centum pro quolibet pro uno mense et inde in antea, si ultra steterint, libras L in mense et racione mensis, et possint secum ducere et habere tres famulos pro quolibet, unum notarium cum uno famulo et unum chocum inter omnes: qui quidem notarius pro aleviacione expensarum espensatoris debeat esse expensator. Et possint expendere grossos XXIV pro quolibet in die in expensis oris, et non possint electi refutare sub pena solita. Quibus provisoribus concedi debeat lignum riperie Istrie pro eundo ad dictas partes cum ordinibus dicte terre; et non possint tenere ipsum lignum ultra dies viginti duos tam eundo quam redeundo. Et pecunia neccessaria pro expensis

dictorum provisorum accipiatur etiam cum ordinibus terre. Non sinceri 1, de non 2, alii de parte.

Electi provisores in Sclavoniam: ser Thomas Gradonico, plezius ser Laurentius Pollani: ser Paulus Mudazo, plezius ser Mapheus Donato; renunciaverunt ambo. — Electus sapiens pro factis Sclavonie: ser Marinus Faletro. Electus sapiens pro factis Istrie ser Andreas Foscolo.

Misti XXVI. 24, u mletačkom arkivu.

CCLXI. God. 1350. 25 svibnja, u Mletcih.

Imenovani providuri za Dalmaciju.

1350. die XXV madii. Provisores in Sclavonia: ser Paulus Lauredano, plezius ser Donatus Grioni; ser Jacobus Cornaro, plezius ser Marinus Michael.

Misti XXVI. 26, u arkivu mletačkom.

CCLXII. God. 1350. 25 svibnja, u Mletcih.

Srbski car Stjepan sa ženom i baštinici imenovan mletačkim gradjaninom.

Privilegium domini Stephani regis Raxie et uxoris ac heredum suorum. Andreas Dandulo etc. Universis et singulis presens privilegium conspecturis, amicis dilectis, salutem et sincere dilectionis affectum. Ducalis magnificentia tunc sublimioris honoris suscipit incrementum, cum cives acquirit, quos exaltat decus et sublimitas imperialis et regie maiestatis. Scimus namque, quod serenissimi domini reges Raxie ad ducatum nostrum semper amorem intimum grata exhibicione operum demonstrarunt adeo, quod propinquitatis affinitas hinc inde antiquitus emanavit. Precipue autem presens serenissimus dominus Stephanus grecorum imperator semper augustus et Raxie rex illustris propensius nostrum ducatum diligere et subiectos, ipsius ducatus honores et subiectorum nostrorum commoda graciosius promovendo. Propterea quod suis et suorum solempnium ambaxatorum pro ipso serenissimo domino imperatore et rege potencium precibus annuentes, tamquam ad sue maiestatis honores devota mente dispositi, ipsum serenissimum dominum imperatorem et regem cum serenissima domina Helena imperatrice et regina coleterali sua et cum excellentissimo domino Urosio nato suo, et cum heredibus et liberis suis in honorabiles cives nostros suscepimus atque suscipimus, et venetos et cives nostros fecimus et facimus, et pro venetis et civibus nostris, quem ad modum si in Veneciis nati forent, in Veneciis et ubique locorum deinceps haberi et procurari omni effectu et plenitudine volumus et tractari, ipsos sinceris brachiis dilectionis et devotionis amplexantes et finaliter statuentes omnium consiliorum et ordinamentorum nostrorum necessaria solempnitate servata, quod eisdem omnibus libertatibus, beneficiis et honoribus ac immunitatibus, quibus alii honorabiles cives nati Veneciis gaudere et perfrui dignoscuntur, prefatus dominus imperator et rex et domina imperatrix et regina ac natus suus prelibatus et heredes et liberi sui in Veneciis et extra ubique plenissime gaudeant et utantur. In quorum fidem et evidenciam pleniorem presens privilegium fieri mandavimus, bullaque nostra pendenti aurea communiri.

Datum in nostro ducali palatio anno dominice incarnationis millesimo CCC quinquagesimo, die XXV mensis madii, III indictionis.
Commemorialium IV. 175, u arkivu mletačkom.

CCLXIII. God. 1350. 25 svibnja, u Padovi.

Poklisar papinski bodri ugar.-hrv. kralja, dužda mletačkoga i meštra reda jovanitskoga, neka zabrane i pod prietnjom, kad bi trebovalo, srbskomu caru, krščavati načinom crkvom zabranjenim.

Guido miseratione divina tituli sancte Cecilie presbiter cardinalis, apostolice sedis legatus, illustri principi domino regi Hungarie et dilectis in christo duci Veneciarum, ac magistro hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani salutem et sinceram in domino karitatem. Cum prout fidedignorum relatione percepimus Stephanus, qui se cesarem seu regem Raxie facit communiter nominari, nonnullos christianos in eius regno habitantes per vim et violenciam ad eius perfidiam et infidelitatem trahat, ipsosque preter et contra formam eeclesie faciat batizari in christiane fidei non modicum detrimentum, magnificenciam vestram requirimus, rogamus et hortamur in domino Jesu Christo, quatenus eidem christianis, efficacis deffensionis presidio asistentes, ipsos non permittatis ad hoc per regem predictum trahi aliquo modo seu induci, quin imo regem ipsum per vestras speciales litteras inducatis et cominatorie, si vobis necesse videbitur, requiratis, ut a prefacto errore desistat, et predicta seu similia ulterius facere non presumat. Datum Padue tercio ydus maii, pontificatus domini Clementis pape VI anno octavo. (1350).
Commemorialium IV. 176, u mlet. arkivu.

CCLXIV. God. 1350. 28 svibnja, u Mletcih.

Miesto providura za Dalmaciju, koj se zahvalio, imenovan jedan drugi.

1350. die XXVIII maii. Electus provisor ad partes Sclavonie *(loco)* ser Jo. ser Jacobi Cornario, qui refutavit, ser Gazanus Marcello, plezius ser Marinus Venerio.
Misti XXVI. 27, u arkivu mletačkom.

CCLXV. God. 1350. 28 svibnja, u Mletcih.

Piše se kraljici ugarskoj i vojvodi Stjepanu, neka nadoknade štete mletačkim podanikom od njihovih učinjene.

1350. die 28 maii, tercie indictionis. Quod scribatur domine regine Hungarie in forma infrascripta. Capta: optabamus regina illustris, ut iuxta continentiam litterarum vestrarum et illustrium natorum vestrorum, pridie nobis missarum, foret in promisso termino de emenda damnorum nostris fidelibus sic provisum, sicque ex parte vestri treuguarum continentia observata, quod non fuisset vobis vel nobis proinde ulterius laborandum. Et quia maiestas vestra prorogationem satisfactionis ipsius per suas litteras noviter quesisse videtur, cum ea, qua decet reverentia respondemus, quod ex parte nostra data est et dari proponitur in futurum omnis occasio, per quam inter vos, serenissimos natos vestros et nostrum commune, sicut no-

stri predecessores fecere, benivolentia nutriatur. Verum maiestati vestre cupimus esse notum, quod dum post damna ipsa ad nostram noticiam foret productum, quod tam in partibus Apulee quam in mari per navigia transfretancia facte fuerant per gentes domini regis Hungarie nostris fidelibus contra formam treuguarum alique novitates, mirati quodamodo maxime pro hiis, que late promiserat regia celsitudo super observationem treuguarum, provideamus iam ante receptionem litterarum vestrarum ad ipsum transmittere nostrum nuncium specialem, notificaturum amicabiliter, que facta erant, et requisiturum reformacionem eorum et satisfactionem damnorum, de quibus supra mentio facta est, propter quod et quia eciam extimamus, quod sit honor vester et suus, quod tam satisfactio predicta quam reformatio aliorum, que contra treuguam foret quomodolibet attentata, amoto ulterioris dilationis obstaculo, subsequantur, celsitudinem vestram rogamus attentius, quatenus attendentes, quod fideles nostri, qui damna pertulerunt predicta, in desolatione sunt, et multa pro eis miseria constituti, expectantes cotidie satisfactionis remedium iam promissum, dignemini de ipsa satisfactione sic debite et effectualiter, sicut bene sciveritis, providere, quod habeamus exinde merito contentari, et de pleniori observatione treuguarum sic efficaciter subditis vestris cunctis tradere in mandatis, quod illa, quam optamus inter vos et nos amoris et dilectionis integritas conservetur. Scitis enim, quod ex parte nostra in ullo unquam casu vel tempore est a pura earum observantia aliqualiter deviatum.

Quod similiter respondeatur domini duci Stephano, mutatis mutandis.

Misti knj. XXVI. 27, u arkivu mletačkom.

CCLXVI. God. 1350. 3 lipnja, u Mletcih.

Proglasuje se, da se njeki Zadrani, koji uzmakli bješe iz progona, u opredieljeni rok natrag povrate.

1350. die III iunii, tercie indictionis, capta: quod infrascripti Jadratini, qui fregerunt confinia, clamentur, ut ad se excusandum coram dominio debeant comparere; et si non comparuerint ad terminum sibi datum, tunc per dominationem procedetur contra eos, prout erit honor dominii. Omnes de parte.

Nomina Jadratinorum sunt: Subichus condam Sergii de Cesamo, Marcus de Rive, Georgius de Georgio, Colanus de Georgio, Paulinus de Varicassis.

Die V iunii clamati fuerunt prediti Jadratini per Andream Trivisano preconem, quod compareant usque per totum mensem.

Misti XXVI. 28, u arkivu mletačkom.

CCLXVII. God. 1350. 13 lipnja, u Mletcih.

Hvali se ponašanje pomorskoga kapetana.

1350. die XIII iunii. Domini consiliariorum capita, sapientes Sclavonie, sapientes ordinum. Capta: quod respondeatur capitaneo culfi, recommendando providenciam suam de hiis, que fecit, et ortando eum, quod attendat ad custodiam sibi commissam, cavendo sibi quantum poterit cum honore nostro de eundo ad partes Apulee, et quantum honeste et cum con-

servatione honoris nostri poterit dissimulando, de non impediendo se cum aliquibus galeis vel navigiis domini Ludovici vel regis Hungarie; et rescribat nobis, quicquid habuerit et fecerit in premissis. De non 3, omnes alii de parte.

Misti XXVI. str. 29, u mletačkom arkivu.

CCLXVIII. God. 1350. 20 lipnja, u Mletcih.

Odgovara se pomorskomu kapetanu kralja napuljskoga sa zahvalnošću radi njegova postupanja, te ono, što bi sam želio republici javiti, sbog obstojećih okolnosti neka izkaže kapetanu pomorskomu ili zadarskomu knezu.

1350. die 20 iunii, tercie indictionis. Sapientes Sclavonie, sapientes ordinum. Capta: quod amirato regni Sicilie capitaneo galearum domini Ludovici respondeatur, gratificando bonam dispositionem, quam tam per litteras suas quam capitanei nostri culfi et aliorum nostro rum rectorum in eo esse cognovimus ad honorem nostrum et bonum nostrorum fidelium; et quod receptis et intellectis plenarie litteris suis, licet pro reverentia dominorum regis et regine, honorabilium amicorum nostrorum, et pro speciali affectione, quam ad ipsum gerimus, nobis gratissimum esset omni tempore videre et honorare personam suam sicut decet; tamen consideratis omnibus, que consideranda veniunt circa hoc, credimus, quod honestius et melius sit, quod, si quid nobis habet exponere, id per suas litteras distincte et plenissime nobis scribat, vel si forte acceptabilius sibi esset, id refferat et naret capitaneo nostro culfi seu comiti et capitaneo nostro Jadre, quibus hec commisimus, et id, quod habuerint, nobis denotent seriose. Et scribatur capitaneo nostro culfi et comiti Jadre, quod, si dictus amiratus voluerit esse cum aliquo eorum, audiant quicquid dicere voluerit, trahendo totum, quod potuerint, et nobis rescribendo, quod haberint celeriter. De non 1, non sinceri 2.

Misti, XXVI. 30, u mletačkom arkivu.

CCLXIX. God. 1350. 5 srpnja, u Mletcih.

Odluka glede odpremljenja providura u Dalmaciju radi promienjenih okolnosti opozvana.

1350. die V iulii. Dominus, consiliarii, capita. Capta: cum captum fuerit in isto consilio de mittendo provisores in Sclavoniam certis racionabilibus causis et novis, que tunc habebantur de rege Hungarie, que nunc cessarunt: vadit pars, quod revocatum sit in totum de mittendo provisores iamdictos. De non 1, et omnes alii de parte.

Misti, XXVI. 34, u mletačkom arkivu.

CCLXX. God. 1350. 5 srpnja, u Mletcih.

Naloženo knezovom krčkim, da izvrše odsude creskim knezom izrečene.

1350. die V iulii, capta: cum comes Chersi per suam commissionem teneatur ire semel in anno ad insulam Vegle ad audiendum omnes et singulos conqueri volentes de comitibus Vegle et propinquis seu iudicibus eorum, et super querelis sententiandum illud, quod sibi iustum videtur,

que sentencie postmodum debent exequutioni mandari; et nobilis vir Franciscus Donato presentialiter comes Chersi scripserit nobis, quod fuit hoc anno ad insulam predictam, et plures sentencias tulit in favorem aliquorum Veglensium contra comites prefatos, propinquos et iudices eorum, de quibus alique sunt executioni mandate et alique restant, quas non curant executioni mandare: vadit pars, quod scribatur comitibus et vicecomitibus ac iudicibus insule, quatenus predictas senteutias omni occasione remota debeant executioni mandare secundum continentiam earum infra unum mensem a presentatione presentis computandum, de qua presentatione latori litterarum nostrarum dabimus plenam fidem, faciendo incantari bona debitorum, vel dando ea in solutam creditoribus, sicut melius fieri poterit, ita quod omnino dicte sententie sint cum effectu complete et executioni debite mandate infra terminum mensis premissum sub pena solidorum duorum pro libra de tota suma sententiarum non executarum exigenda de propriis bonis eorum. Verum si de ipsis sententiis vel earum aliqua reputarent forsitan se gravatos, et velent ad nos habere recursum, poterunt nichilominus, facta intra dictum terminum execution̄e predicta sub pena premissa, ad nos venire sufficienter vel mittere, qui faciemus eos audire et fieri, quod iusticia suadebit. Si vero infra ipsum terminum non mandaverint eas executioni, ipso elapso, eos ad dictam penam habebimus pro incursis, quam faciemus exigi cum effectu. Et scribatur comiti nostro Chersi istud, quod per nos mandatur, et quod faciat nostras litteras presentari, et procuret, quod obseqnatur nostrum mandatum, rescribendo nobis diem, qua fuerint littere presentate, et quicquid factum fuerit super inde.

Misti XXVI. 34, u mletačkom arkivu.

CCLXXI. God. 1350. 6 srpnja, u Budimu.

Ugarska kraljica javlja republici, da je uputila hrvatskoga bana u Knin zato, neka štete mletačkim podložnikom učinjene, nadoknadi.

Exemplum quarundam litterarum missarum ducali dominio per dominam Reginam Hungarie. Vestre ducali magnificentie notum facimus per presentes, quod pro satisfactione fienda, pro illis, quos lesos nobis esse scribebatis, nobilem et eximium virum Paulum de Vgal bannum totius Sclavonie iuxta nostram ordinationem ad partes marittimas iam duximus destinandum, ad qnem vestros nuncios destinetis in Tyninum, qui ex mandato domini ducis Stephani filii nostri karissimi et nostro satisfaciet querelantibus iuxta eorum meram lesionem. Datum Budue in octava festi beatorum Petri et Pauli apostolorum (1350).

Commemorialium IV. 176, u mletačkom arkivu.

CCLXXII. God. 1350. 11 srpnja, u Mletcih.

Šalju se dva svetčana poslanika k srbskomu caru i k banu bosanskomu, da jih pomire, i da nastoje o dobru Dubrovčana.

1350. indictione III, die XI iulii, capta: quia est honor noster pro omni respectu et maxime propter magnam affectionem, quam ad nos ostenderunt per effectum tam dominus rex Raxie quam eciam banus Bosne, interponere nos de concordio inter eos: vadit pars, quod in bona gratia pro

dicta causa, et etiam pro procurando conservacionem et bonum nostrorum fidelium Ragusii et locorum suorum, quos semper promptos invenimus ad nostra mandata, mittantur duo solennes ambaxatores, qui, euntes Ragusium, et informantes se de novis, vadant tam ad dictum regem Raxie quam ad dictum banum pro parte nostra ad procurandum quietem et concordium inter eos, et quod cessent novitates, ad quas alterutrum utraque pars videtur intendere, incipiendo et possendo se ab invicem separare et ire unus eorum et ambo, sicut sibi videbitur pro bono negotiorum; et si, concedente domino, poterunt partes reducere ad concordium, redeant; sin autem, trahant ab eis, que poterunt, et rescribant, expectantes nostrum mandatum; procurantes suo posse, quod interim a novitatibus ex utraque parte cessetur. Quibus etiam comittatur, quod bonum et conservationem dictorum nostrorum fidelium de Ragusio procurent in ista ambaxata sua tam apud dictos dominos quam alios, sicut viderint opus esse. Et fiat deinceps ambaxatoribus commissio circa predicta in ea forma, que dominio apparebit.

Et habeant dicti ambaxatores libras ducentas pro duobus mensibus pro quolibet, et si ultra steterint, habeant libras L pro quolibet in mense, habendo IV famulos pro quolibet, inter quos sit unus expensator, unus notarius cum uno famulo et unum cochum; et possint expendere soldos duos grossorum pro quolibet in expensis oris pro se et familia sua; nabula vero et agozia habeant a communi. Et quia expeditio eorum est utilis et necessaria, teneantur respondere die, qua eligentur vel altera. Denarii vero pro expensis ambaxate accipientur cum ordinibus terre. De non 2, non sinceri 0, omnes alii de parte.

Capta: quod dicti ambaxatores non possint refutare sub pena librarum C pro quolibet. 53, de non 43, non sinceri 1.

Misti, XXVI. 36, u arkivu mletačkom.

CCLXXIII. God. 1350. 11 srpnja, u Mletcih.

Miesto stare šalje se nova galija u Dubrovnik.

1350. die XI iulii. Dominus dux, consiliarii, capita et omnes sapientes. Capta: quod galea Ragusii, que est armata ad custodiam culfi, cum sit per ea, que habentur, insufficiens, et non posset sine manifesto periculo navigare, permutetur, et mittatur loco eius de hinc una bona galea furnita omnibus opportunitatibus, que furnito viagio Venecias reducatur. Et committatur patronis et armatoribus partis galearum Romanie, quod debebant deputare super ipsam galeam de hominibus galearum suarum pro conducendo eam illuc, sicut dominus dux, consiliarii et capita duxerint ordinandum. De parte omnes.

Misti, XXVI. 36, u mletačkom arkivu.

CCLXXIV. God. 1350. 13 srpnja, u Mletcih.

Daju se Dubrovčanom dvie valje za novac.

1350. indictione III, die XIII iulii, capta: quod ad supplicationem ambaxatoris comitis et hominum Ragusii fidelium nostrorum concedantur eis duo ex manganis nostri arsenatus pro novitatibus presentialiter reso-

nantibus in partibus illis de domino rege Raxie et bano Bosne; solventibus eis precium, quod fuerint extimati.

Misti XXVI. 37, u arkivu mletačkom.

CCLXXV. God. 1350. 24 srpnja, u Mletcih.

Odgovara se ugarskoj kraljici, neka dade izplatiti štete učinjene mletačkim poslanikom; da se nemože dopustiti, da njezin čovjek prodje po moru u Napulj s konji i drugim za sina njezina Ljudevita, i šalje joj se sprovoznica za poslanika, koga kani u Mletke uputiti.

1350. indictione III, die XXIV iulii, capta: quod responeatur ad litteras domine regine Hungarie in hac forma:

Capta: litteras maiestatis vestre gratanter recepimus, et earum continenciam intelleximus diligenter. Ad quas presentibus respondemus, quod placuit nobis et multipliciter gratum extat de satisfactione dampnorum ordinata fieri in termino nostris fidelibus per dominum banum, et pro ipsa habenda iuxta vestrarum litterarum seriem mandabimus illuc mitti, rogantes omni affectione qua possumus, quatenus mandare dignemini, quod ipsa satisfactio, non sine lesorum incomodo expectata diucius, amodo, ut speramus, expedite et integraliter fiat eis, ita quod habeant contentari; et castellanos et subditos vestros amonere et taliter ordinare, quod imposterum a dampnis nostrorum abstineant, sed cum eis potius amicabiliter conversentur et vivant, mutuis sibi serviciis complacentes, ut exinde inter partes benivolentia causari possit uberius et augeri, pro quo nos ad quequam vestra et serenissimorum filiorum vestrorum beneplacita propensius disponetis. Ad id vero, quod a nobis quesivit vestra sublimitas, ut homini vestro, quem cum equis et aliis rebus ad excellentem dominum Lodoicum natum vestrum in Apuleam vultis transmittere, securum transitum per mare, ne ab hostium vestrorum navigiis impeti possit, exhibere vellemus, rescribimus, quod vobis et serenissimis natis vestris, novit deus, optamus in cunctis nobis honeste possibilibus complacere, velut qui ex parte nostra proponimus servare cum eis illam dulcedinem karitatis, quam cum serenissimo condam bone memorie patre suo et aliis precessoribus suis servavimus inconcusse. Sed cum galee nostre, ad culphi custodiam deputate, sint ad partes orientis longe remotas pro arduis factis nostris in proximo profecture, et potentia predictorum emulorum vestrorum in navigiis maritimis presentialiter tanta sit, quod nullam vestris vel nostris fidelibus sine ipsarum galearum nostrarum presentia tutelam exhibere possemus, quin ymo in hiis, que non mediocriter tangunt nos, opportet sub dissimulatione transire, placeat serenitati vestre iusta ratione premissa etiam quia, ut novit vestra sublimitas pro condictionibus nostris ab omni partialitatis suspicione nos omnino summopere precavere, nos in hac parte excusatos habere merito super inde, quos profecto in quolibet casu honoris vestri, in quantum cum nostra conservatione possemus, inveniremus omni tempore sincere dispositos et paratos. Pro nuncio vero vestro, quem ad nos destinare proponitis, non erat expediens securitatis litteras impetrari, cum tam ratione treuguarum, quam etiam antique dilectionis intuitu, vigentium hinc et inde, nuncios vestros semper videamus alacriter, et tractari faciamus pro vestra reverencia favorabiliter et benigne. Nicholominus iuxta requisitionem vestram lit-

teras nostras patentes remittimus, per quas tute venire, stare valeat et redire, et ordinavimus, quod die XIII mensis augusti proximo, sicut statuit lator presens, in Segnia erit navigium nostrum sufficiens, super quo secure ascendere poterit et venire, et in eius reditu similiter ei de necessaria securitate providere curabimus, cupientes vobis vestre maiestatis in hiis et aliis nobis possibilibus complacere. Datum die XXIV iulii, III indictionis.

Et ex nunc sit captum, quod fiant sibi littere securitatis patentes in ea forma, que videbitur; et quod tempore, quo videbitur, mittatur una ex barchis longis vel aliud navigium, sicut videbitur dominio, pro conducendo et reducendo nuncium antedictum. Et scribatur nostris comitibus Sibinici et Tragurii, mittendo eis exemplum litterarum dicte regine, quod mittant suos nuncios Teninum informatos de dampnis suorum pro habenda satisfactione premissa.

Misti XXVI. 40, u mletačkom arkivu.

CCLXXVI. God. 1350. 25 srpnja, u Mletcih.

Kapetanu pomorskomu, neka se s brodovi od Dubrovnika neodaleči, dokle se nerazazna, kamo su krenule iz Napula genuvezke galije.

1350. indictione III, die XXVI iulii. Ser Marcus Ruzini sapiens. Cum nobis incumbat ad conservationem nostri honoris et status, et maxime ad securitatem presentis armate Romanie intendere; et per litteras datas Neapoli XIII huius mensis habeantur nova certa, quod galee Janue, que erant Neapoli, recesserunt a servicio domini Ludovici, et nescitur, quo iverint, nec quidquid pretendant: vadit pars, quod galea, que hic remansit, mittatur velociter post alias, et scribatur capitaneo culfi, quod cum armata nostra predicta gressus suos quam comodius esse potest vadat usque Ragusium dilatando, et deinde non discedat cum armata predicta, donec a nobis habuerit aliud in mandatis. Et quia verisimiliter est tenendum, quod usque ad duos vel tres dies ad longius nova de Janua habebuntur de galeis predictis, que de Neapoli recesserunt, quibus novis habitis maiorem informationem et clariorem habebimus, et poterimus in facto dicte armate nostre providere et deliberare consultius, quod agendum. Et ideo occasione predicta interim quanto celerius fieri potest parari debeat unum lignetum subtile tam de hominibus quam de aliis opportunis, per quod scribi possit dicto capitaneo id, quod per istud consilium fuerit in facto dicte armate nostre terminatum et deliberatum, ac etiam nova omnia, que habebimus de Janua faciencia pro factis predictis, ut ipse sit de omnibus occurrentibus previsus et plenarie informatus.

Misti XXVI. 41, u mletačkom arkivu.

CCLXXVII. God. 1350. 30 srpnja, u Mletcih.

Izabran odbor za hrvatske poslove.

1350. penultimo iulii. Electi sapientes pro factis Sclavonie: ser Paulus Belegno, ser Marinus Baduario, ser Marinus Superancio.

Misti XXVI. 42, u arkivu mletačkom.

CCLXXVIII. God. 1350. 6 srpnja, u Budimu.

Kraljica ugarska javlja mlet. republici, da šalje hrvatskoga bana Pavla u Knin s nalogom, neka zadovolji za škode mletačkim podanikom učinjene.

Exemplum quarumdam litterarum missarum ducali dominio per dominam reginam Hungarie. Vestre ducali magnificentie notum facimus per presentes, quod pro satisfactione fienda pro illis, quos lesos esse scribebatis, nobilem et eximium virum Paulum de Vgal banum totius Sclavonie iuxta nostram ordinationem ad partes marittimas iam duximus destinandum, ad quem vestros nuncios destinetis in Tyninum, qui ex mandato domini ducis Stephani filii nostri karissimi et nostro satisfaciet querelantibus iuxta eorum meram lesionem. Data Budue in octava festi sanctorum Petri et Pauli apostolorum.

Commemorialium IV. 176, u mletačkom arkivu.

CCLXXIX. God. 1350. 2 kolovoza, u Mletcih.

Marin Superancio opredieljen odboru za hrvatske poslove.

1350. die secundo augusti. Electus sapiens pro factis Sclavonie ser Marinus Superancio.

Misti XXVI 42, u mletačkom arkivu.

CCLXXX. God. 1350. 2 kolovoza, u Mletcih.

Prima se, da se izabere obći pomorski kapetan, i da se oboružaju galije u njekih gradovih Istre, Dalmacije i Krete.

1350. die II augusti, capta: quod pro conservacione honoris et fame nostre in nomine Jesu Christi et gloriose matris eius ac beati Marci apostoli et evangeliste protectoris nostri et tocius celestis curie eligatur unus capitaneus generalis, qui sit capitaneus omnium navigiorum nostrorum armatorum et disarmatorum etc. *(sc. contra Januenses)*.

Et ex nunc sit captum, quod mittatur ad terras infrascriptas, quod solicite et velociter pareut gentes infrascriptas, videlicet:

Illi de Polla unam galeam, quam nobis tenentur.

Item illi de Jadra et Pago unam galeam.

Item illi de Arbo, Cherso et Lesna, inter omnes tres sicut domino videbitur in ponendum homines CC.

Item illi de Vegla unam galeam, quam nobis tenentur.

Item illi de Sibinico, Tragurio et Spaleto inter omnes tres unam galeam.

ltem illi de Ragusio unam galeam, quam nobis tenentur.

Item illi de Creta unam galeam, quam nobis tenentur.

Secr. cons. rog. lib. B. 46, u arkivu mletačkom.

CCLXXXI. God. 1350. 11 kolovoza, u Mletcih.

Daju se Rabljanom u zajam novci potrebiti za oboružanje njihove galije.

1350. die XI augusti, capta: cum illi de Arbo miserint huc ambaxatorem suum, et offerrant CL homines de suis pro armando unam galeam,

sed dicant, quod in communi et singularibus personis eorum est tanta paupertas, quod non possent a se recuperare peccuniam opportunam: vadit pars, eorum fidelitate pensata, quod de denariis nostri communis dentur eis ad presens dicta de causa libre quinquaginta grossorum, cum ista condicione, quod cum offerrant restituere eos, teneantur restituisse integraliter in tantum dictam peccuniam usque ad annos tres proximos, videlicet quolibet anno tercium. Et committatur comiti Arbensi, quod faciat omni occasione remota, quod dicta restitucio infra ipsum terminum integraliter nobis fiat. Et si consilium etc. 69.

Secr. cons. rog. lib. B. 55, u mletačkom arkivu.

CCLXXXII. God. 1350. 24 kolovoza, u Mletcih.

Odgovara se poslanikom kraljice ugarske i vojvode Stjepana, da jih republika može osigurati u tom, da njihovi podanici na moru od strane njezinih podanika neće ni najmanje povriedjeni biti, a za druge da ona jamčiti nemože; glede pako konačnoga mira, da joj veoma drago, što ona o njem nastoji, i da će jih naći uviek spremne na dogovore.

1350. die XXIV augusti, capta: quod ambaxatori domine regine Hungarie et ducis Stephani respondeatur, quod optavimus et optamus ex parte nostra treuguas inviolabiliter observare, et pro effectuali observatione ipsarum districte mandavimus nostris fidelibus et subiectis, ut gentes et subditos domini regis Hungarie euntes, stantes et redeuntes tractent amicabiliter et honorent, et sic servatum est per eos, sicut eius excellentia potest nosce. Si vero in mari publico gentes dicti domini regis damna vel iniurias ab aliquo receperunt, hoc nobis occurrit molestum, qui optamus, ut navigantes quilibet securitate fruantur; sed non potest vel debet ex eo nobis aliquid imputari pro eo quod in alienis discordiis, exigentibus condicionibus nostris, nunquam nisi in pacificandis eis, cum possumus, nos aliqualiter ymiscemus, nec ex forma treuguarum ad id ullactenus obligamur, nec voluimus aliqualiter obligari, dum in confectione treuguarum ipsarum per ambaxatores suos ex inde fuissemus specialiter requisiti, velut re, que apud nos predictis respectibus difficilis et impossibilis extitisset. Ad secundum capitulum de pace tractanda etc. respondeatur, quod fuit nobis et est desiderium speciale cum ipso domino rege firmam pacem et veram dilectionem habere, et ex parte nostra data est hucusque et dari intenditur opera efficax circa hoc, et sicut notum est, pluries misimus nostros solemnes ambaxatores ista de causa, volentes cum dicto domino rege vivere in sincera benivolentia et amore, sicut fecimus cum progenitoribus suis. Et propterea placet nobis et multipliciter gratum extat, quod dicta regina mater sua interponat se et laborat pro dicta pace complenda. De modo vero et via tenenda circa hoc relinquimus maiestati sue, in qua viget summa prudentia, que melius cognoscere poterit ad agendum; nam in nobis semper inveniet omnem bonam dispositionem ad ea, que bonum pacis et conservationem ac augmentum amoris hinc inde respicere dignoscuntur. Omnes.

Secr. cons. rogat. B. 57, u arkivu mletačkom.

CCLXXXIII. God. 1350. 26 kolovoza, u Mletcih.

Na nov zahtjev poslanika ugarskih glede škoda ugarskim podanikom na moru nanešenih, odgovara se, da će se stvar razviditi, i u smislu pogodbe primirja riešiti.

1350. die XXVI augusti, capta: quum ambaxator domine regine Hungarie et ducis Stephani, audita responsione sibi facta per nos ad primum capitulum ambaxate sue, replicando instabat, ut super damnis et iniuriis gentibus suis transeuntibus in Apuleam per mare irrogatis deberemus providere, subiungens aliqua ex damnis predictis data esse in portubus nostris et sub nostra protectione: vadit pars, quod respondeatur ei, quod nos gravat, ut diximus, de damnis prefatis, et maxime si in nostris portibus vel territoriis, ut asserit, facta forent; sed cum de hoc nunquam fuerit nobis ulla noticia, ymo sit protinus nobis novum, intendimus, licet tamen non credamus, posito quod hoc foret, teneri per treuguas de damnis datis per alios super inde plenam informationem cum diligenti inquisitione recipere, qua habita proponimus secundum ea, que invenerimus, providere et facere circa hoc, quicquid debuerimus et tenebimur ex forma treuguarum, ad quarum observationem fuimus, sumus et esse intendimus prompte dispositi et parati. De non 2, non sinceri 8.

Secr. cons. rogat. lib. B. 57, u arkivu mletačkom.

CCLXXXIV. God. 1350. 27 kolovoza, u Mletcih.

Javlja se njekojim knezovom u Istri i u Dalmaciji, da brodovi od njeke veličine nesmiedu izaći iz jadranskoga mora

1350. die XXVII augusti, capta: quod scribatur infrascriptis nostris rectoribus in hac forma: Potestati Parentii, similis potestati Rubini, similis comiti Pole, similis comiti Jadre, similis potestati Lesne, similis comiti Ragusii.

Scire debetis, quod per nos et nostra consilia minus, rogatorum et XL captum et ordinatum est, quod nullum navigium disarmatum a centum milliariis supra possit recedere pro eundo extra culphum in aliquam partem sine nostra licentia sub pena duo millia ducatorum et plus ad voluntatem nostram. Quare volentes, ut hec nostra intentio plenarie observetur, et per indirectum per alios non fraudetur, fidelitati vestre scribimus et mandamus, quatenus omnibus et singulis navigiis nostrorum fidelium condicionis predicte, que ad partes vestri regiminis aliqualiter declinarent, debeatis fieri facere preceptum, quod nullo modo presumant exire culfum sine nostra licentia, sed veniant directe Venecias sub pena predicta; facientes notari ordinate huiusmodi navigia et nomina patronorum, quibus preceptum feceritis, et ea nobis vestris litteris seriosius declarantes. De non 3, non sinceri 0.

Secr. cons. rogat. B. 59. u mletačkom arkivu.

CCLXXXV. God. 1350. 12 rujna, u Mletcih.

Odredbe na načelnike gradova za sakupljenje mornarice za galije.

1350. die XII septembris, capta: cum faciat pro nobis per ea, que habemus de Janua, procedere in armata noviter ordinata per nos et ad

*

eius expedicionem intendere toto posse: vadit pars, quod in nomine Christi et bona gratia cridetur, quod secundi sol.m debeant usque ad diem iovis proximum per diem facere se scribi apud pagatores nostros sub pena solidorum C, et postea usque ad diem dominicum tunc proximum presentasse coram dominis officialibus armamenti pro eundo cum armata nostra, se vel personam sufficientem loco sui sub pena librarum XXV pro quolibet etc.

Et scribatur nostris rectoribus, quod similiter in suis regiminibus faciant proclamari etc.

Scribatur etiam comiti Chersi, iudicibus et communibus insularum sui regiminis de hac armata nostra, recommendando eos pro hominibus suis, quos miserunt cum alia armata, et requirendo ac hortando eos, quod pro ista armata inveniant et parent de hominibus suis ad nostrum soldum et expensas quamplures poterunt, et quod comes procuret de insula Vegle similiter recuperare quam plures homines poterit, faciendo de hoc ambaxatam comitibus Vegle pro parte nostra in forma decenti, quibus fiant littere credulitatis propterea; ita quod ad minus habeamus de hiis locis inter omnes homines centum bonos et sufficientes, qui sint parati ad longius usque ad diem XXV mensis presentis ad soldum et expensas nostras, ut superius dictum est.

Comiti vero Arbi notificetur de ipsa armata, recommendando fidelitatem suam et Arbensium in eo, quod fecerunt, et requirendo ac hortando eos, quod pro ista alia armata tantum neccessaria nobis inveniant et recuperent de suis hominibus ad nostrum soldum quamplures poterunt, et quod comes procuret de Segnia, de Flumine, et aliis locis circonstantibus invenire homines ad nostrum soldum pro dicta armata, faciendo super hiis, si expediens fuerit, ambaxatam comiti Bartholo, et procurando, quod de hiis locis habeamus homines quam plures haberi poterunt, ita quod adminus de Arbo et dictis locis habeamus homines centum sufficientes et aptos ad nostrum soldum et expensas, qui sint parati omni causa remota usque ad diem XXV mensis huius ad eundem cum armata prefata.

Mandetur quoque comitibus Jadre et Pagi, recommendando eos de hiis, que fecerunt in executione nostri mandati, et notificando eis de armata nostra presenti, et quod debeant de hominibus comitatuum suorum eligere et invenire tot secundum compensationem hominum regiminum predictorum, qui arment sufficienter unam galeam, accipiendo eos ad soldum et expensas nostri communis, et faciendos, quod sint parati usque ad terminum predictum de eundo ad procurandum nostrum honorem, sicut speramus de ipsis.

Notificetur etiam nostris comitibus Sibenici, Tragurii et Spalati, et comitibus dictorum locorum de apparatu nostre armate presentis, et quantum conservatio et honor noster et nostrorum fidelium dependet ab ea, et cum verbis decentibus recommendentur de portamento, quod fecerunt in mittendo fideliter de hominibus suis super alia armata nostra, et requirantur et hortentur, quod, velut veri fideles ostendentes suam fidelitatem, velint de hominibus suis adhuc eligere et invenire tot, quot fecerunt pro alia armata ad nostrum soldum et expensas, qui sint parati ad terminum antedictum pro eundo cum armata nostra presenti.

Et scribatur comiti Spaleti, quod det operam de conferrendo cum comite Paulo Clissie et Scardone, qui habet in Dalmisio et alibi homines navigatores, et quod memorando ei de magna benignitate et affectione,

quam habuimus et habemus, et ostendimus per effectum in confectione treuguarum regis Hungarie ad conservationem et bonum suum, et requirendo eum, quod in hiis nostris factis velit de hominibus suis aptis ad navigandum mittere in quam maiori quantitate poterit ad nostrum soldum et expensas, cum illis verbis, que videbuntur decentia super hoc.

Scribatur etiam comiti et universitati hominum Curzole de antiqua iurisdictione, quam nostrum commune habuit in insula ipsa, et de securitate et bono statu, quem ipsa insula et homines eius habuerunt sub umbra et protectione dominationis nostre sicut ceteri nostri fideles postquam sunt ad regimen nostrorum civium, et quod propterea dignum extimamus, ut in opportunitatibus nostris, maxime que spectant etiam ad salutem et bonum suum, participent. Et propterea notifficetur eis de armata missa per nos, et quam mittere intendimus, et requirantur verbis et modis decentibus, quod sicut ceteri nostri fideles fecerunt et faciunt, sic et ipsi facere disponantur, videlicet quod inter se ordinent et faciant, quod habeamus de insula predicta usque ad centum homines ad minus furnitos et paratos pro duobus mensibus pro eundo cum presenti armata nostra. Et si forte agravaret eos soldum et expensas ipsas, erimus contenti, quod commune nostrum participet in dictas expensas in ea parte et sicut eis extiterit magis gratum. Et scribatur potestati Lesne de hoc, quod scribimus Curcolanis, et quod vadat seu mittat ad procurandam cum eis, quod adimpleatur nostrum mandatum et intentio supradicta.

Potestati autem Lesne, iudicibus et comunibus insularum dicti regiminis scribatur de presenti armata nostra, et de eo quod fecerunt et faciunt ceteri nostri fideles in contribuendo de hominibus suis, et quod cum intelleximus, quod infirmitas, per quam se excusarunt pridie, est solum in una insularum s. m. (*lacuna*) et in aliis duabus nichil est de infirmitate predicta, ita quod bene parare poterant et poterunt numerum gentis sibi imposite, debeant omni occasione remota deputare et invenire de hominibus suis, qui sint sufficientes et apti C, ut sibi scripsimus alias, pro eundo cum armata nostra, faciendo quod sint parati sine fallo usque ad dies XXVIII presentis mensis.

Raguseis vero scribatur recommendando fidelitatem eorum de galea, quam miserunt, et notificando eis de armata nostra presenti, et quantum sit necessaria nostre conservationi et sue, et quod cum speremus per accessum ambaxatorum nostrorum ad regem Raxie esse seu poni debere sic in quiete, quod racionabiliter de statu suo non poterunt dubitare, vellint, si sine manifesto eorum periculo hoc fieri poterit, unam aliam galeam parare et armare de hominibus suis ad nostrum soldum et expensis, ita quod eam paratam habeamus ad longius per totum presentem mensem ad eundum cum reliqua nostra armata procuratura fideliciter bonum nostrum et suum. Et scribatur comiti, quod de insula Auguste, que immediate pertinet ad nostrum commune, faciat parari quamplures homines poterit pro nostra armata prefata.

Ut autem predicta omnia et singula melius et velocius ad effectum ducantur secundum intentionem nostram, et pro recuperando homines pro ipsa armata nostra tam a remo quam de pede in omni parte, dominus, consiliarii, capita et sapientes habeant libertatem mittendi nuncios et litteras, et determinandi de soldo, et alia omnia et singula faciendi pro ex-

suum per viam Tervisane, et honor noster sit, ipsum honorare; vadit pars, quod eligantur VI ambaxatores per illum modum et cum illis condicionibus omnibus, quibus fuerunt electi ambaxatores alias missi ad eum, quando transivit per terram, qui ambaxatores teneantur recedere et ire, sicut et ubi et quando videbitur dominio, ad honorandum et sociandum dictum dominum regem cum illa commissione de verbis benevolis et amabilibus, que domino, consiliariis, capitibus et sapientibus, vel maiori parti videbuntur; et habeant quatuor domicelos pro quolibet, unum notarium, unum expensatorem et unum choquum, et non possit ultra suam familiam conducere vel habere aliquem ab expensis communis; et respondeant die, quo eligentur, vel altera. De expensis vero capietur secundum ordinem terre. Omnes de parte.

Electi ambaxatores: ser Johannes Delphyno procurator, ser Stephanus Mariono, ser Nicolaus Venerio, ser Hermolaus Gradonico, ser Marinus Superantio, ser Pancratius Georgio.

Secr. cons. rogat. lib. B. 72, u arkivu mletačkom.

CCXCI. God. 1350. 11 listopada, u Mletcih.

Ovlašćuju se poslanici odlazeći k ugar. kralju, neka mu dozvole s njekom pratnjom uliesti u gradove i tvrdjave.

1350. die undecimo octubris, capta: cum in alio transitu, quem fecit rex Hungarie per terram, fuerit concessum nostris ambaxatoribus missis ad eum, quod si vellet intrare aliquam civitatem vel castra nostra, haberent dicti ambaxatores libertatem permittendi eum intrare cum illa gente, que sibi videretur cum securitate locorum nostrorum; vadit pars, quod committatur ambaxatoribus nostris nunc ituris ad eum, quod, si dictus rex voluerit intrare in aliquam civitatem vel locum nostrum, sumus contenti, intrante ipso cum illa quantitate gentis, que videbitur rectoribus locorum, quo intrare voluerit, pro securitate illorum; et sic scribatur dictis rectoribus. Item committatur dictis ambaxatoribus, quod circa factum liberationis comitis Pauli, et pro negociis aliquorum nostrorum civium et fidelium, qui habent facere coram predicto rege Hungarie, expediti de negocio principali ambaxate sue, sicut et quando eis videbitur tempus aptum, procurent quicquid boni poterunt. De parte omnes.

Secr. cons. rogatorum lib. B. 73, u arkivu mletačkom.

CCXCII. God. 1350. 13 listopada, u Mletcih.

Korčulani, odbivši tražbu republike, kojom jih pitala ljude za galije, kažnjeni su tim, da pošalju u Mletke deset od najuglednijih gradjana, neka mole oprost radi toga neposluha.

1350. die XIII octubris, IV indictionis, capta: cum illi de Curzola pridie fuissent dulciter requisiti de dandis et concedendis nobis aliquibus suis pro presenti nostra armatu ad nostras vel suas expensas, sicut vellent, et per ea, que habentur, ipsi velut ingrati nedum nostram requisitionem adimplere curarunt, ymo in filium comitis, procurantem et suadentem eis honesto modo, ut nobis complacerent, se indecenter et turpiter errexerunt, nec ad litteras nostras responsionem aliquam fecerunt, quod nobis merito

debet esse gravissimum: vadit pars, quod scribatur dictis de Curzole, quod de presenti, visis presentibus, debeant decem de melioribus et magis divitibus et potentibus ex eis mittere ad nostram presentiam cum syndicatu et mandato ad plenum, ad faciendum exscusationem de temeritate et inhobedientia sua, et parendum nostris mandatis, qui sint Venetiis infra dies XXII a die presentationis presentium computandos, de quarum presentatione latori earum dabimus plenam fidem; quod si fecerint, bene quidem, sin autem, elapso termino providere et procedere contra eos curabimus, sicut honori nostro viderimus convenire. Non sineeri 1, non 2, alii de parte.

Secr. cons. rogat. lib. B. 74, u arkivu mletačkom.

CCXCIII. God. 1350. 11 studenoga, u Mletcih.

Šalje se brod, neka obaviesti upravljatelje gradova u Istri i u Hrvatskoj o odlazku genuvezkih galija, te da paze na sigurnost brodarenja.

1350. die XI novembris, capta: quod mittatur una barcha quam velocius esse potest usque Ragusium, per quam scribatur nostris rectoribus Istrie et Sclavonie, quibus videbitur, informando eos de novis, que habemus, de recessu galearum Januensium, et quod sint provisi et attenti ad bonam custodiam locorum sibi commissorum, et procurent reddere previsos fideles et navigia nostra ubicumque poterunt melius, ita quod damnum vel sinistrum aliquod non possint recipere, dante deo.

Secr. cons. rogat. B. 78, u mletačkom arkivu.

CCXCIV. God. 1350. 27 studenoga, u Mletcih.

Obćemu kapetanu pomorskomu nalog, da se s galijami svrati u Dubrovnik, da tu medju ovimi izabere dvadeset od najboljih, ostale da u Mletke odpravi.

1350. die 27 novembris, capta: quod in bona gratia scribatur nostro capitaneo generali, quod de sinistro occurso civitati nostre Negropontis turbacionem recepimus, et non dubitamus, quod circa reformationem dicte terre et reperacionem iniurie nostre fecerit quicquid boni poterit. Et quia credimus, quod secundum nostrum mandatum galeas mercatorum miserit ad viagia sua, si eas misit, volumus, quod ad earum securitatem prudenter intendens, ipsis redeuntibus, veniat cum eis et tota armata Raguxium, levando mercatores et mercationes per Romaniam bassam et aliunde secundum usum. Omnes.

Capta: cum autem capitaneus erit Ragusium, debeat eligere XX de melioribus et abilioribus galeis ad servicia, et ipsas de gentibus armate furniat, ita quod sint optime armate et parate bonis gentibus et armis et aliis opportunis, et residuum armate in christi nomine mittat Venecias cum gentibus super habundantibus et cum mercatoribus et mercationibus existentibus in eis, et provideatur de mittendo Raguxium biscotum et pecuniam in quantum neccessaria. Non 0, non sinceri 1, omnes alii.

Secr. cons rogat. B. 80, u mletačkom arkivu.

CCXCV. God. 1350. 9 prosinca, u Mletcih.

Nalaže se načelnikom Zadra, neka što prije moguće utvrde grad, i pogibeljne ljude na pobližje otoke odpreme.

1350. die IX decembris, capta: cum terra nostra Jadre, quam inter alias terras nostras Sclavonie debemus a quibuslibet periculis conservare, et maxime instanti tempore propter insidias Januensium hostium nostrorum, sit debilis multum a latere portus, eo quod non habet nisi quandam maseriam tenuem et non constructam calce, propterea consulunt, quod de presenti cum illa solicitudine et studio, quibus fieri potest, scribatur comiti et capitaneo nostro, quod ad reparationem et fortificationem terre nostre predicte insistere debeat tota mente, videlicet faciendo fieri de infra maseriam predictam, ut sibi melius videbitur, coredoria lignaminis, faciendo poni tabulas tres, videlicet successive unam super alteram super ipsis coredoriis, ut in omni casu opportuno homines tute et absque lesione civitatem predictam valeant defendere et sustinere; et ultra hec faciat similiter construi apud huiusmodi coredoria aliqua buttifreda, prout viderit fore opus; et insuper quod faciat reparari et aptari quandam alam unius turrium castri. Et committatur comiti suprascripto, quatenus mittere debeat Lesnam tot marinarios, quot sufficiant ad conducendum secure cocham Januensium onustam lignamine, que intromissa et retenta fuit ibidem de nostro mandato, Jadram, qua quidem illuc conducta, exonerari faciat lignamine ipsius, de quo fieri faciat laboreria neccessaria terre predicte, et ipsam cocham exoneratam postmodum totaliter destrui faciat, ne ullo unquam casu nobis in futurum possit esse nociva. Preterea ut in casu quolibet status noster in Jadra reddatur plene securus, scribatur comiti antedicto, quod si alique persone essent ad presens in Jadra, de quibus posset habere aliquod dubium vel suspectum, debeat per illum modum, qui sibi melior videbitur eos facere exire de Jadra, et ipsas facere ire ad insulas vel alio, prout sibi tucius apparebit.

Et scribatur potestati nostro Lesne, quod ad omnem requisicionem comitis predicti Jadre debeat mittere chocam predictam cum carico suo et omnibus sibi spectantibus. Non sinceri 4, de non 6, alii de parte.

Secr. cons. rogat. B. 83, u arkivu mletačkom.

CCXCVI. God. 1350. 11 prosinca, u Mletcih.

Izplaćuju se novci uzeti u zajam od kneza zadarskoga za izplatu vojnika.

1350. indictione IV, die XI decembris, capta: quod ducati VIII centum L auri, dati per Nicoletum de Avancio comiti Jadre pro pagis, possint accipi de monte, et restitui pagatoribus, in quorum ratione erant. Et si consilium etc.

Misti, XXVI. 49, u arkivu mletačkom.

CCXCVII. God. 1350. 13 prosinca, u Mletcih.

Kapetanu pomorskomu, neka se sa svimi galijami u Mletke povrati, a medjutim ako mu se koja liepa prilika prikaže, da neprijatelju naškodi, neka čini, što je za bolje.

1350. die XIII decembris, capta: quia per ea, que habemus a nostro capitaneo generali, melius est pro omni respectu, quod armata nostra tota redeat Venetias, ut possimus velociter dare expeditionem felici armate nostre, quam mittere intendimus: vadit pars, quod scribatur ser Marco Ruzini capitaneo nostro, quod non obstante mandato ei misso pridie, debeat directe cum suis galeis insumul cum galeis ser Johannis Fuscareno Venetias remeare, dimittendo gentes Sclavonie per terras et loca sua, et dimitendo unam galeam in Raguxio et unam in Jadra cum furnimentis suis. Si vero haberet talia nova de inimicis, per que sibi videretur intendere posse ad dampnum ipsorum, faciat, quod honori nostro viderit convenire, et postea Venetias redeat, ut est dictum, redendo previsas terras et loca nostra de bona custodia et de fortificando se taliter, quod ab hostibus nequeant recipere lesionem. Non 18, non sinceri 2, omnes alii de parte.

Secr. cons. rogat. B. 85, u mletačkom arkivu.

CCXCVIII. God. 1350. 20 prosinca, u Mletcih.

Odlučeno, primiti ono 30 mornara ponudjenih od Korčulana, no ipak da se ukore radi njihove neharnosti naprama republici.

1350. die XX decembris, capta: quod acceptetur oblatio illorum de Curzola offerencium principaliter pro armata nostra XXX homines de suis, et licentientur, redarguendo eos pro eorum ingratitudine cum verbis, que conveniencia videbuntur.

Secr. cons. rogat. lib. B. 88, u arkivu mletačkom.

CCXCIX. God. 1350. 31 prosinca, u Mletcih.

Obavieščuje se kralj ugarski, da se republika nalazi u ratu sa Genuvezi, neka se dakle ostavi svakoga dogovaranja s njimi, i primirja drži.

1350. die ultimo decembris, capta: quod pro omni bono respectu mittatur aliqua discreta persona ad dominum regem Hungarie ad exponendum, quomodo nuper sensimus, quod inter ipsum et Januenses fiat tractatus de armamento aliquarum galearum declinaturarum ad partes Segnie; et quia firmiter tenemus, quod maiestas sua predictum vel alium tractatum non iniret in nostrum preiudicium vel sinistrum ratione treuguarum, quas habemus cum eo, disposuimus maiestati sue denotare, quod Januenses sunt capitales et publici hostes nostri, et ipsos et eorum bona ubique persequimur propter notabiles iniurias nobis factas ab eis, et propterea quilibet adventus galearum et navigiorum suorum tam ad partes Segnie quam alio esset in manifestum damnum et periculum nostrum et fidelium nostrorum, nec possemus pro honore nostro dessistere, quin contra eos procederemus; propter quod requirimus et rogamus excellenciam suam, quatenus dignetur et vellit a quolibet tractatu vel comunicatione cum dictis nostris inimicis et a quolibet favore eorum effectualiter abstinere, ut honor

maiestatis sue in observancia pura et integra treuguarum firmatarum hinc inde plene conservetur illesus, et nos, qui nunquam potuimus aliquo casu vel tempore ad violacionem ipsarum induci, ad honores suos uberius disponamur. Et audiat dictus nuncius responsionem eius, et senciat, quicquid poterit. Et si habuerit responsionem conformem intencioni nostre, bene quidem; sin autem, rescribat et expectet, ubi ei videbitur, nostrum mandatum. Et hoc, quod sentimus, notificetur etiam domino Lodovico et regine *(sc. Sicilie)* per aliquam personam secretam, sicut videbitur domino, consiliariis et sapientibus, vel maiori parti, sine scriptis tamen.

Secr. cons. rog. B. 93, u arkivu mletačkom.

CCC. God. 1351. 1 siečnja, u Mletcih.

Nalog na gradove u Istri i Dalmaciji, neka naoružaju galije, dotično priprave mornare obećane.

1350. die primo ianuarii, capta: quod cridentur tertii, qui usque ad diem octavam mensis presentis faciant se scribi apud officiales armamenti etc.

Capta: quod mittatur ad terras, que tenentur armare, quando nos armamus, silicet Polam, Veglam, Jadram et Ragusium, ad notificandum eis de armata, quam fecimus, et quod debeant parare galeas et gentes necessarias et bonas pro ipsis galeis pro eundo cum dicta nostra armata pro tempore trium mensium, ita quod sint parate ad reccessum usque ad octo dies februarii, scribendo dictis terris tam super paramento galearum quam gencium in ea forma, que videbitur dominio. Scribatur etiam terris nostris Sibenici, Tragurii et Spaleti, et potestati Lesne, quod parent nobis infrascriptos homines pro dicta armata. Et scribatur comitibus dictarum terrarum, quod si forte homines ipsarum gravarentur de mittendo eos suis expensis, contenti erimus solvere pro soldo eorum, sicut erit necesse, et sicut datur nostris de hinc.

Sibenicum homines C. Tragurium homines LX. Spalatum homines XL. Lesna homines XL. Curzola homines XXX, quos obtulerunt.

Secr. cons. rogat. lib. B. 93, u arkivu mletačkom.

CCCI. God. 1351. 3 siečnja, u Mletcih.

Pozivlju se načelnici u gradovih hrvatskih, neka budno paze, da se proti zakonom sol neizvaža.

1350. die tercio ianuarii, indictione IV, capta: preterea committatur rectoribus nostris Sclavonie, quod teneantur et debeant apponere diligentem curam et custodiam, ne sal extrahatur de terris suis pro eundo contra ordines nostros, et ob hoc, quando aliquis voluerit extrahere salem de terris suis, debeant accipere plezariam, quod non ibunt contra ordines nostros, et quod facient venire contralitteras a rectoribus locorum, ubi detulerint dictum salem sub pena librarum XXV. Et si aliquid extractum fuerit de dictis terris, et iverit contra banna nostra, debeant dicti rectores notificare officialibus nostris de catavere, intromittendo nichilominus personas et bona tam principalium quam fideiussorum illorum, qui fecerant contrabanna usque ad integram satisfactionem eius, quod commiserint; et dicti rectores,

inventores et accusatores habeant illam partem, quam in similibus casibus habent rectores et custodes nostri a Grado usque ad Caput aggeris.

Et insuper committatur rectoribus Istrie et Sclavonie predictis, quod faciant et ordinent sub illis penis et modis, qui sibi videbuntur, quod illi, qui levant vel levari faciunt salem in terris et regiminibus suis, teneantur et debeant sibi dare in scriptis totam quantitatem salis levati, et de ipso non vendere sine licentia rectorum nostrorum.

Secr. cons. rogat. B. 95, u mletačkom arkivu.

CCCII. God. 1351. 20 siečnja, u Mletcih.

Šalje se u Zadar nješto bojne sprave i novaca za vojničke plaće i druge izplate.

1350. die 20 ianuarii, capta: quod iuxta requisitionem comitis presentis Jadre, et nobilis viri ser Justiniani Justiniano ituri illuc comitis mittantur Jadram pro conservatione civitatis predicte res infrascripte pro laboreriis construendis et aliis opportunis; et ut mittantur celerius, committatur sapientibus deputatis ad expeditionem armate nostre, quod solicite et sine mora provideant de mittendo Jadram res ipsas omni occasione remota.

In primis cathena hic existens, que fuit Jadratinorum, cum omnibus hadibitis ad ipsam cathenam presentibus et feramenta, et unus faber, pro ipsius constructione catene.

Item baliste XII a pexarola, cum pexarolis, et sagitamentum etiam pro dictis balistis in ea quantitate, que fuerit opportuna.

Item sclopi [1] VIII, cum quibus prohici possint sagitamenta et balote cum igne, et cum illa confectione, de qua fit mencio in peticione ser Justiniani, que infundatur et ponatur in bosolis.

Item baliste, curacie et veretoni bene inastatis pro furnimento castri de inde in ea quantitate, que fuerit opportunum.

Item tabule usque ad summam II milia pro coredoriis construendis et aliis laboreriis pro castro neccessariis.

Item peccunia pro pagis fiendis stipendiariis, qui iam compleverunt, et etiam pro futuro tempore occasione predicta, et pro aliis expensis in ea quantitate, que fuerit neccessaria.

Capta: quod mittantur Jadram ille res, de quibus consulunt sapientes, et fiat in omnibus, sicut consulunt, salvo de centum hominibus, quos addi consulunt, non fiat novitas pro modo, quia habunde possunt sufficere illi C equites et CCC pedites, qui sunt ad eius custodiam deputati, commuttando equites defficientes in pedites, ut pridie captum fuit. 47.

Secr. cons. rog. B. 98, u mletačkom arkivu.

CCCIII. God. 1351. 8 veljače, u Mletcih.

Upućuje se državni biljležnik u Ugarskoj, neka odgovori onomu kralju, da će se republika sveto držati primirja, i da isto tako kako on i ona želi, da se medju njim i republikom stalni mir ustanovi.

1350. die 8 februarii, capta: quod respondeatur Bernardo notario et nuncio nostro misso in Hungariam, quod intellectis licteris suis et respon-

---

[1] Ovo je najstarija viest o rabljenju pušaka u Mletcih, do sada nepoznata.

sione regis ad ambaxatam nostram, volumus, quo pro parte nostra dicto regi respondeat, quod teste deo, cui nichil extat occultum, cum omni diligentia et studio hactenus curavimus et curamus observare et observari facere treuguas initas et iuratas hinc inde, nec reperiri poterit cum veritate, quod in lesionem earum ex parte nostra aliquid sit commissum, et sic amicabiliter eas servare proponimus, etiam si ab alio requireremus in contrarium, quia si aliter facere temptaremus, esset in preiudicium animarum nostrarum et perpetua infamia nostri honoris; et si forte aliquid contra eas factum esset, id preter nostram conscientiam processisset, et essemus parati omnia indebite facta facere reformari sicut iustum esset. Et similiter credimus, nec dubitare possimus ullo modo, quod ex parte maiestatis sue pro salute et honore suo treugue, sic deo iurate sunt et promisse, plenarie servabuntur. Ad id vero, quo pro parte ipsius regis subiungitur, quod appetit amiciciam et pacem habere nobiscum pocius quam cum aliquibus aliis, respondeatur, quod semper optavimus amiciciam et pacem cum quolibet, sed eam principaliter et maxime optavimus et optamus cum maiestate sua *(sicut)* habuimus cum progenitoribus suis, qui semper nos amicos et devotos carissimos reputarunt, et sic intendimus habere et servare cum eo, quando sue placeat maiestati, et facere ex parte nostra quicquid fuerit faciendum, ut firma pax et perpetua benivolencia sequatur hinc inde. Et audiat responsionem suam; et si rex fuerit contentus de ipsa responsione, dictus noster nuncius redeat Venecias; si autem non contentaretur, rescribat, et de novis omnibus et maxime tangentibus facta nostra, et nostrum expectet mandatum. Et informetur dictus nuncius de liga facta inter regem Aragonum et nos contra Januenses.

Capta: ad licteras autem domini Stephani, olim voyvode, respondeatur cum pulcris verbis, sicut dominio apparebit.

Secr. cons. rog. B. 104, u mletačkom arkivu.

CCCIV. God. 1351. 8 veljače, u Mletcih.

Piše se občini šibeničkoj o umaljenju kazne izrečene proti njekomu Bogdanu Šibeničaninu.

1350. die VIII februarii, capta: quod occasione cuiusdam condepnationis facte in persona Bogodani condam Gregorii de Sibinico tempore viri nobilis Hermolay Gradonico comitis, qui Bogodanus fuit privatus officiis et beneficiis Sibinici, possit scribi comiti et consilio Sibinici secundum quod consulit ser Zufredus Mauroceno comes ibidem, quod dictus processus sive condempnatio in tanto mitigare, quod possit dictus comes cum iudicibus deinde ponere in suo maiori consilio partem, si eis vel maiori parti videbitur, quod dictus Bogodanus absolvi debeat vel tantam penam aut minorem pati; et sic observetur, prout fuerit terminatum.

Misti XXVI. 50, u arkivu mletačkom.

CCCV. God. 1351. 8 veljače, u Mletcih.

Izabran odbor, da razvidi razpre obstojeće medju Jelenom, udovom pok. Mladina kneginjom kliškom, i medju knezom Ivanom Nelcpićem.

1350. die VIII februarii, capta: cum sint hic ambaxatores comitisse Clipsii, relicte olim comitis Maladini, conquerentes de aliquibus novitatibus et molestiis sibi factis per comitem Johannem condam comitis Nelipcii et alios, et petentes auxilium et subventionem nostram ad conservationem castorum condam dicti comitis Maladini; et sint eciam ambaxatores comitis Johannis predicti conquerentes de dicta domina et subditis suis: vadit pars, quod eligantur tres sapientes per electionem, qui audiant et examinent ambaxatores predictos et requisitiones eorum, et procurent partes reducere ad aliquod concordium et compositionem, et dent nobis super his, que provisionem requirerent, suum consilium in scriptis, cum quo erimus hic, et fiet, sicut videbitur; et quilibet possit ponere partem, et habeant terminum per totum mensem presentem, et vocetur omni vice consilium ad suam peticionem sub pena solidorum X. Electi sapientes: ser Hermolaus Pisani, ser Petrus Caravelo, ser Andreas Mauroceno condam ser Marini.

Misti XXVI. 50, u mletačkom arkivu.

CCCVI. God. 1351. 11 veljače, u Mletcih.

Nagovaraju se Hvarani, neka ukinu iztrage povedene proti njekojim iz Trogira u poslu hvarske biskupije.

1350. die XI februarii, capta: cum occasione aliquarum differentiarum exhortarum inter homines Tragurii et Lesne pro episcopatu Lesne, per consilium et homines Lesne fuerint facti aliqui processus et late alique sententie contra aliquos de Tragurio, de quibus graviter conquerantur, et auditores, ad quos dicti de Tragurio habuerunt recursum, nequeant se intromittere, quia facti sunt per consilia de inde: vadit pars pro bono quietis et pacis inter dicta communia, quod per litteras nostras scribatur efficaciter illis de Lesna, hortando et inducendo eos ad revocationem dictorum processuum et sententiarum, et vivendi pacifice, cum illis verbis, que dominio videbuntur.

Misti XXVI. 50, u mletačkom arkivu.

CCCVII. God. 1351. 11 veljače, u Mletcih.

Odbor, izabran u poslu razmirice obstojeće medju Jelenom Kliškom i Ivanom Nelepićem, predlaže, neka se piše knezovom Spljeta i Trogira, da nastoje tu razmiricu utaložiti. Odredjeno, da se istoj Jeleni izruče njezine dvorkinje i dvornici, koji bi se našli u mletačkoj državi; a nalaže se knezovom Spljeta, Trogira i Šibenika, neka paze, da nebi se ista kneginja s kim dogovarala ob odstupu svojih gradova.

1350. die XI februarii, capta: cum divisio sit et fuerit iam pluribus elapsis diebus inter comitissam Helenam, relictam condam comitis Mladini, ex parte una, et comitem Johannem, quondam comitis Nelipcii, ex altera, conquerente utraque parte, videlicet una de alia, de damnis et novitatibus sibi illatis ad invicem, et auditis conquestibus, quos ambaxatores dicte co-

mitisse produxerunt in scriptis, ipsisque visis et diligenter examinatis, ac eciam auditis omnibus, que tam ambaxatores comitisse predicte, quam ambaxatores comitis Johannis predicti dicere voluerunt oretenus; considerantes, quod ipsi ambaxatores utriusque partis aliquod mandatum tractandi compositionem inter partes ipsas non habent, et asserant, se non posse aliqualiter expectare, consulunt omnes tres sapientes unanimiter et concorditer, quod scribatur comitibus Spaleti et Tragurii, quod dent operam cum effectu toto eorum posse reducendi partes prefatas ad concordium et compositionem. Inquirentes diligenter cum illa solicitudine, cum qua poterunt, utra partium fuerit culpabilior. Si vero ipsi comites invenerint, aliquam ipsarum partium nolentem ad concordium declinare, debeant illos denotare dominationi, et omnes differentias et quecumque alia per ordinem declarare. Qua informatione recepta, veniatur ad istud consilium, et fiat, sicut videbitur opportune.

Capta: cum nemini debet iustitia denegari, et iustum sit unicuique tribuere, quod suum est, et videatur, quod peticiones prefate comitisse iustitiam contineant de facto servorum et ancillarum suorum, quos petit, consulunt prefati sapientes, quod tam servi quam ancille, ubicumque reperirentur fore in locis et terris subditis huic dominationi, quos ipsa comitissa ostendetur cum cartis aut aliis legiperitis probacionibus fore suos servos et ancillas, sibi debeant restitui; et sic mandetur comitibus de partibus illis et rectoribus quibuscumque.

Capta; quia utile et honorabile discernitur posse servire amicis suis, et maxime bonum sit servire, quando ex hiis serviciis magni non sequuntur labores nec ecciam expense alique nostro communi, consulunt prefati sapientes, quod secundum requisitionem prefate comitisse scribatur fratri Michaeli ordinis nunc ministro Sclavonie, deprecando eum, quatenus sibi placeat dare licenciam fratri Francisco de Tragurio, nunc custodi Jadrensis, quod ipse frater Franciscus possit ire pro honestis serviciis ipsius comitisse cum illis pulcris verbis, que dominio videbuntur.

Capta: cum in damnum et detrimentum maximum huius dominacionis ac suorum fidelium Tragurii, Spaleti et Sibenici, et quamplurium aliorum reverteretur omnino, si castra tenta per comitissam Helenam, relictam domini Mladini, pervenirent ad alias manus, quam ipsius comitisse, consulunt predicti sapientes, quod scribatur comitibus Tragurii, Spaleti et Sibenici, quod debeant diligenter inquirere de omni eo, quod in detrimentum castrorum ipsorum possit reverti, et si opus foret pro conservatione ipsorum dare ipsi comitisse auxilium et favorem tam gentium quam victualium quomodolibet, ne ipsa castra ad alias manus quam ad suas valeant pervenire. Et si contingeret, illos invenire vel scire, aliquid tractari contra hanc intentionem de castris predictis, debeant hoc dominationi quam cito poterunt denotare, ut possit de opportunis remediis provideri; ac ecciam scribatur comiti Jadre, quod si requireretur per dictam comitissam vel eius nuncium de victualibus sibi in casu opportunis, eidem dare debeat pro suis denariis. Et si contingeret, quod in casu guerre aliqui de gente dicte comitisse cum animalibus vel aliis suis rebus reducerentur in districtu alicuius eorum, quod recipiantur per prefatos comites et conserventur illos.

Misti XXVI. 51, u mletačkom arkivu.

CCCVIII. God. 1351. 10 ožujka, u Mletcih.

Podieljuje se njeka polastica jednomu Mletčaninu zato, što je bio okradjen od čeljadi ugar.-hrv. kralja.

1351. indictione IV, die X marcii, capta: quod concedatur Andree de Vendramino sancti Cassiani civi nostro, consideratis damnis, que dicitur subportasse in partibus Apulee de quadam sua barchacia onerata pannis laneis et aliis mercatoribus, eidem ablata per gentes regis Hungarie, quod faciente ipso venire de extra Venecias in civitatem Veneciarum milliaria L olei, ipsum oleum possit extrahere de Venetiis, solvendo dacia consueta, et quod non teneatur aliquid mittere de dicto oleo in tarnariam, et quod finitis pres. tesseris ponere debeat ad ternariam communis milliaria L olei.

Misti XXVI. 53, u mlet. arkivu.

CCCIX. God 1351. 31 ožujka, u Mletcih.

Naputak glede učuvanja i obrane tvrdjave u Zadru.

1351. die ultimo marcii, capta: quod ad contenta litterarum viri nobilis ser Justiniani Justiniano comitis et capitanei Jadre requirentis et laudantis, quod ad custodiam castri Jadre de hinc destinarentur duo nobiles sub titulo castellanorum vel consiliariorum etc., respondeatur, quod quantum ad presens nulla novitas fiat pro aleviatione expensarum communis, nisi quod ambo camerarii Jadre cum eorum famulis vadant ad habitandum in castro predicto, et similiter pro custodia et maiori securitate dicti castri ponantur de soldatis Jadre ad ipsius custodiam due banderie stipendiariorum peditum, qui habitent in eo cum familiis suis, quarum quelibet habeat in caput seu conestabilem unum et sit venetus, et de aliis stipendiariis quam plures haberi poterunt veneti cum conditione, quod unus camerariorum ad minus tam de die quam de nocte remaneat semper in castro. Et si pro officio aliquando neccessarium esset, eos esse de die extra castrum ambos, non pissit hoc fieri sine licentia comitis, qui in isto casu teneatur mittere unum suorum sociorum in castro, qui sibi magis fidus videatur, qui socius et ambo conestabiles in castro remaneant, donec redierint camerarii vel alter eorum.

Misti XXVI. 53, u arkivu mletačkom.

CCCX. God. 1351. 4 travnja, u Mletcih.

Umaljena posada u Zadru. Uslied izviešća bilježnika u Ugarskoj piše se ugar.-hrv. kralju, da je republika spremna odpraviti svoje poslanike u Senj, da se tu sa kraljevimi poslanici o konačnom miru dogovore.

1351. indictione IV, die IV aprilis, capta: quod omnes pedites, qui sunt Jadram, reducantur in decem et novem banderias et decem et novem conestabiles, aliis cassatis, complendo quamlibet banderiam de peditibus, que sit ibi, intelligendo quod quilibet conestabilis habeat duplam pagam, ut moris est, usque ad numerum IV centum peditus; et si non posset ibi dictus numerus IV centum compleri, debeat hic micti, quod dictus numerus sit completus.

Capta: visis et examinatis litteris missis Bernardo notario, et responsione, quam nobis fecit, et etiam litteris domini regis Hungarie, consulunt sapientes, quod tam honore domini regis, quam nostro eidem domino regi scribantur littere infrascripte.

Ser Johannes Gradonico, ser Nicolaus Lion, ser Nicolaus Faletro, sapientes.

Maiestatis vestre litteras nuper suscepimus, quarum intellecto tenore sub compendio respondemus, quod gerentes in votis, sicut semper et gessimus, ut inter vestram excellentiam et nos solida pax et sincera pervigeat quemadmodum inter utriusque predecessores illibata viguisse dinoscitur, gratum habemus, quod ambaxatores vestre serenitatis et nostri in partibus Segnie pro ipsius pacis compositione conveniant. Verum de termino temporis statuendo pro honore celsitudinis vestre, quia decens est, in vestro relaxamus arbitrio; nam quandocumque de intentione regia certificati fuerimus super hoc, eos, qui pro parte nostra venturi fuerint, mittere procurabimus in termino stabilito, dispositi mente sincera ad omnia, que ad pacem inducendam benivolentiamque augendum hinc inde posset quomodolibet redundare.

Quod habita responsione dicti domini regis, venietur ad istud consilium, et tunc procedetur tam ad electionem ambaxatorum quam ad commissionem, prout videbitur ipsi consilio.

Quod scribatur Bernardo notario, qualiter recepimus litteras domini regis et suas, et quod eidem regi respondemus per litteras presentibus alligatas, quarum exemplum sibi mittimus interclusum, ut de ipsis litteris informatus reddatur, mandantes sibi, quod si dominus rex nobis vellet rescribere, quod mittere deberemus ambaxatores nostros in aliquo tempore per ipsum tanxato, accipiat litteras ipsas, et informet se de intentione dicti regis quamcaucius poterit, et veniat Segniam, quas nobis mittat illic, nostrum expectans mandatum.

Misti XXVI. 55, u mletačkom arkivu.

CCCXI. God. 1351. 21 travnja, u Mletcih.

Šalje se novac u Zadar za vojničke plaće.

1351, die XXI aprilis, capta: quod pro pagis stipendiariorum et aliis necessariis expensis fieri in Jadra mittantur ad presens Jadram ducati II millia.

Misti, XXVI. 55, u mletačkom arkivu.

CCCXII. God. 1351. 23 travnja, u Mletcih.

Uslied molbe krčkoga kneza Bartula dozvoljeno Nikoli Galelu, Zadraninu, prognaniku u Mletcih, da za godinu dana prodje u Senj. Drugomu Zadraninu prognaniku dopušća se, da otide u Lombardiju.

1351. die XXIII aprilis, capta: quod ad supplicationem egregii viri comitis Bartholomei de Vegla nec non Nicolai Gallelli de Jadra, confinati de nostro mandato Venetiis, propinqui dicti comitis, concedatur eidem Nicole propter eius necessitatem, quod possit ire Segniam et ad terras dicti comitis Bartholomei, non recedendo de inde; et si recesserit, subiaceat pene illorum, qui rumpunt confines. Et duret hec concessio per unum annum,

et predictus comes Bartholomeus sit eis plezius. 84, de non 8, non sincerii 4.

Capta: quod due poste equestres, quas Saladinus de Saladinis de Jadra confinatus habet in Tarvisio, concedantur Gregorio eius fratri usque ad eius reditum, et ipse Saladinus possit ire in Lombardiam, eundo ad partes, que placeant dominio et cum eius licentia. 82, de non 6, non sinceri 4.

Misti XXVI. 56, u arkivu mletačkom.

CCCXIII. God. 1350. 28 travnja, u Mletcih.

Produljen rok odboru za ugarske poslove.

1351. die XXVIII aprilis, indictione IV. Quod elongetur terminus sapientum pro factis Hungarie per totum mensem maii proxime sequuturum.

Misti XXVI. str. 57, u mletačkom arkivu.

CCCXIV. God. 1351. 28 travnja, u Mletcih.

O njekom zasužnjenom u Ugarskoj.

1351. die XXVIII aprilis, capta: cum ambaxator domini principis nuper venerit de Hungaria, et petat a dominio, quod promissio et oblatio alias ei facta de mutuo pro liberatione sua, cum dubitet, quod aliter non poterit liberari, reintegretur et reducatur in statum primum sub illis condicionibus et modis omnibus, quibus alias facte et celebrate fuerunt; vadit pars, quod eligantur tres sapientes in isto consilio, qui examinent dictam requisitionem, et ea, que alias tractata fuerunt, et dent nobis suum consilium in scriptis etc.

Misti XXVI. 57, u mletačkom arkivu.

CCCXV. God. 1351. 28 travnja, u Mletcih.

Dozvoljeno Matiji Fanfonji prognaniku zadarskomu, da se na zadarskih otocih nastani.

1351. die XXVIII aprilis, indictione IV. Supplicationi Mathei filii Jacobi de Fanfogna civis Jadrensis et fidelis nostri continenti, quod prout est concessum aliis civibus Jadrensibus sibi de gratia concedatur, quod possit esse, manere et stare per insulas nostre civitatis Jadre, exhibite nobis nuper, misericorditer annuentes eidem concedimus, quod possit ire ad predictas insulas, non eundo Jadram nec Segniam, cum condicionibus aliorum, quibus per nos fuit facta similis gratia.

Misti XXVI. 57, u mletačkom arkivu.

CCCXVI. God. 1351. 5 svibnja, u Mletcih.

Primljeno, da se izaberu poslanici, koji će proći u Senj na sastanak sa poslanici ugar.-hrv. kralja, da se o konačnom miru dogovore, te se u tu svrhu i naputak za njih opredieljuje.

1351. die 5 maii, IV indictione, capta. Sapientes: ser Johannes Gradonico, ser Nicolaus Lion, ser Nicolaus Faletro. Quod in christi nomine eligantur tres solempnes ambaxatores pro factis, que habemus facere cum domino rege Hungarie, qui vadant cum ligno riperie Segniam, et ibi con-

veniant et tractent cum ambaxatoribus dicti regis cum illa commissione et libertate, quibus iverunt ser Johannes Gradonico et socii ad ipsum regem mutatis et corectis mutandis et corigendis, et possit accipi de omni loco exceptis procuratoribus et patronis arsene; et habere debeant de salario pro quolibet libras L in mense, et recipiant statim hic salarium duorum mensium, et teneantur respondere infra tercium diem computato die sue ellectionis, et vadant ad beneplacitum dominacionis, non possendo refutare sub pena librarum C, cui pene subiaceat quicumque exisset de Veneciis a quarta die mensis presentis citra, si foret electus. Et habeant unum notarium cum uno famulo, unum interpretem, unum coquum cum uno famulo et tres domicellos pro quolibet, qui domicelli habeant de salario a communi ducatos duos pro quolibet in mense, et possint expendere dicti ambaxatores omni die in expensis oris grossorum triginta pro quolibet. Et quia de perpetua pace firmanda leviter possit casus occurere, ducant secum unum sapientem iuris cum duobus famulis, possendo expendere pro expensis oris ipsorum ducatum unum omni die, de quorum provisione provideatur per dominacionem, ut iustum sit.

Domini consiliarii, capita et sapientes, excepto ser Andrea Cornario consiliario. Capta: cum postquam nostra ambaxata redierit a rege Hungarie, fuerit hic ambaxator suus conquerens, quod sibi contrafeceramus treuguis in aliquibus punctis tam in eo, quod prohibueramus gentibus nostris, ne cum suis navigiis transfretarent gentes suas in Apuleam, ire et redire volentes; et in eo, quod receptaveramus galeas suorum inimicorum, et eis refrescamenta dari fecerimus in terris nostris; quam in eo, quod in partibus nostris dicebant damnificatos et offensos esse subditos regios; et per dominium tunc fuerit ei facta responsio satis decens et honesta, et verisimiliter sit credendum, quod hec eadem verba iterabuntur per ambaxatores suos nunc venturos: vadit pars, quod informentur ambaxatores nostri, quod si de predictis tangerentur eis aliqua verba, respondeant, sicut alias factum fuit, et quod in hoc novit deus optavimus et optamus servare plene treuguas, et dedimus efficaciter in mandatis nostris subditis, ut eas servarent. Sed sicut mundus nosce potest nunquam voluimus nos in alienis discordiis nisi in eis pacificandis, cum possumus, aliqualite inmiscere, et pro hoc nostri cives et navigia non impedierunt se de gentibus suis nec adversariorum suorum, ne posset nobis aliqualiter imputari, nos in favorem vel dispendium cuiusquam partium declinare. Et si per hac eadem causa tam sue gentes quam gentes alterius partis, cum qua etiam in pace sumus, fuerunt in terris et locis nostris equaliter receptate, non potest nec debet nobis aliqualiter imputari. Et similiter si in mari publico gentes sue damna ab aliquibus receperunt, non debet nec potest nobis impingi, quia in hoc ex forma treuguarum minime tenemur nec astringi voluimus in confectione earum. Si vero in aliquibus portubus nostris damna receperint, hoc nobis prorsus extat incognitum; sed commisimus et sic committatur dictis ambaxatoribus, licet non credamus teneri ad hoc, quod recipere debeant informationem eorum, que dicerent super hoc particulariter et distincte, et faciant inquiri et sciri negocii veritatem, et in hoc faciant responsionem, substinendo iura et honorem nostrum sicut viderint convenire, concludendo semper, quod si aliquid reperiretur factum ex parte nostra contra ipsas treuguas, id preter nostram conscientiam processisset, et esse-

mus parati omni tempore facere et providere superinde, quidquid iusticia suaderet. Sed ut in casu quo pur vellent petere emendam aliquorum damnorum, possimus facere compensationem cum damnis nostrorum, debeant dicti ambaxatores a nostri rectoribus Sclavonie facere recipi omnem informacionem de damnis, que pro parte regis Hungarie vel sue gentis forent illata nostratibus infra tempus treuguarum, ut possit fieri compensatio hinc inde, si expediet. 82.

Ser Andreas Cornario consiliarius. Quia pro condicionibus nostris presentibus facit temporizare quantum possumus pro videndo maiorem claritatem in factis, que habemus facere cum Januensibus: vadit pars, quod ambaxatores pro nunc vadant ad Segniam ad conferendum cum ambaxatoribus regis, et substinendum iura nostra cum verbis convenientibus, et trahant ab eis quicquid poterunt de sua finali intentione, et rescribant, et suum consilium, et expectent nostrum mandatum. 14, de non 3, non sinceri 4.

Domini consiliarii, capita et sapientes. Capta: et non possint ambaxatores ituri ducere secum aliquam personam ad expensas communis ultra familiam statutam, nec possit eis concedi sub pena librarum C pro quolibet consiliario, capite et alio ponente partem in contrarium, sicut fuit factum in ambaxatoribus pridie missis ad curiam.

Misti XXVI. 58, u mletačkom arkivu.

CCCXVII. God. 1351. 19 svibnja, u Mletcih.

Naredba glede pažke soli.

1351. die 19 madii, capta: cum dicatur, quod datium salis Pagi fraudatur variis modis in multum dampnum communis, et etiam dicitur, quod sunt multi, qui incanipant salem, et postea revendunt communi, quod est indecens et inhonestum: vadit pars, quod commitatur provisoribus nostris in Sclavoniam, quod debeant, cum fuerint in illis partibus, inquirere de predictis, et quis modus servari posset pro bono communis, et nobis rescribant suum consilium, ut possimus, sicut nobis videbitur, providere.

Misti XXVI. 59, u arkivu mletačkom.

CCCXVIII. God. 1351. 19 svibnja, u Mletcih.

Poslanici izabrani, da prodju u Senj na dogovor sa ugar.-hrv. poslanici u poslu konačnoga mira.

1351. die 19 madii, capta: facti fuerunt sindici viri nobiles Johannes Contareno, Marinus Faletro et Marcus Cornario ambaxatores ituri Segniam pro factis regis Hungarie ad providendum et firmandum omnia, que fuerint opportuna in negociis sibi commissis pro parte nostra cum solepnitatibus omnibus opportunis.

Testes: dominus Benintendi vicecancellarius, ser Andreas de Capite aggeris, Andreas de Cremona notarius curie, Johannes Bernardus, Paulus de Bernardo.

Misti, XXVI. 59, u mletačkom arkivu.

CCCXIX. God. 1351. 19 svibnja, u Mletcih.

Punomoćje izručeno poslanikom, koji su u Senj odlazili, da tu s poslanici ugar.-hrv. kralja ugovore konačni mir.

Sindicatus dominorum Johannis Contareno, Marini Faletro et Marci Cornario ambaxatorum missorum in Segna pro tractatu domini regis Hungarie. In christi nomine amen. Pateat omnibus evidenter, quod illustris et magnificus dominus dominus Andreas Dandulo dei gratio Veneciarum, Dalmacie atque Crohacie dux, dominus quarte partis et dimidie tocius imperii Romanie, de voluntate et consensu suorum consiliorum minoris, rogatorum et de XL ad infrascripta ad sonum campane et voce preconia more solito congregatorum, in quibus interfuere plus quam due partes dictorum consisiliorum, et cum eis et homines dictorum consiliorum de auctoritate et consensu dicti domini ducis, et cum eo unanimiter et concorditer nemine discrepante suis nominibus et pro se ipsis et eorum successoribus, ac nomine et vice communis Veneciarum, fecerunt, constituerunt et ordinaverunt nobiles viros dominum Johannem Contareno, Marinum Faletro comitem vallis Mareni et Marcum Cornario, honorabiles cives Veneciarum absentes tamquam presentes, suos et dicti communis sindicos, procuratores, actores et nuncios speciales, et quemlibet eorum in solidum, ita quod non sit potior condicio occupantis, sed quod unus eorum inceperit, alter mediare possit, prosequi et finire, specialiter ad eundum et conveniendum tam cum serenissimo et illustre domino Ludovico dei gratia Hungarie, Jerusalem et Sicilie rege, quam cum quibuscunque ambaxatoribus, tractatoribus, sindicis, nunciis et procuratoribus deputandis ab eo; et ad tractandum, faciendum, complendum et firmandum legittime pacem, pacta, compositionem, declarationes, conventiones, concordiam et transaccionem pro ipso domino duce et communi Venetiarum et eorum successoribus perpetuo et pro suis complicibus, subditis, adherentibus, sequacibus et amicis cum ipso domino pro se et eius successoribus perpetuo et eius complicibus, subditis et adherentibus, sequacibus et amicis quibuscunque de omnibus et singulis litibus, querellis, peticionibus, controversiis, questionibus, discordiis, differentiis, dannis et offensionibus quibuscumque hinc inde illatis et factis, realibus et personalibus et mixtis ubicumque, quomodocumque, qualitercumque et per quoscumque illata et facta extiterint et quocumque tempore. Et ad faciendum in et pro predictis et quolibet predictorum omnem promissionem, remissionem, finem et liberationem, que eis vel eorum alteri videbuntur. Et ad obligandum ipsum dominum ducem et commune Veneciarum et suos successores et eorum bona, pro adimplendis et servandis omnibus et singulis, que dicti sindici vel eorum alter promiserint et fecerint, et de predictis et quolibet eorumdem cum omnibus et singulis solennitatibus, stipulationibus, obligationibus, renuntiationibus, iuramentis, penarum adiectionibus et aliis clausulis quibuscumque consuetis vel opportunis. Et ad recipiendum a dicto domino rege seu constitutis vel constituendis ab eo pro ipso domino rege et successoribus suis in perpetuum nomine transaccionis vel quocumque alio nomine datas traditiones, cessiones, concessiones, promissiones, fines, quietationes, liberaciones, remissiones et obligationes quascumque super omnibus et singulis antedictis et connexis et dependentibus ab eisdem et quolibet eorumdem, cum omnibus et singulis solemnitatibus, stipulationibus, obligationibus, renuntiationibus, iuramentis, penarum adiec-

tionibus, promissionibus et aliis clausulis quibuscumque consuetis vel opportunis; et ad compromittendum et compromissum faciendum semel et pluries de et supra predictis omnibus et ipsorum quolibet et singulis eorumdem et dependentibus et comexis ab eisdem et eorum quolibet cum ipso domino rege seu deputandis ab eo pro se et successoribus suis in perpetuum. Et ad eligendum unum vel plures arbitros et arbitratores, commissos vel amicabiles compositores, prout eis et eorum cuilibet videbitur et placebit, cum quibuscumque condicionibus, pactis, formis et modis, iuramentis, penarum adiectionibus, provisionibus, obligationibus, renunciationibus, satisfactionibus, stipulationibus, solemnitatibus et clausulis quibuscunque consuetis vel opportunis. Et ad emologandum et de emologacione promittendum et faciendum cuiuslibet sententie, laudi, arbitrii, arbitramenti et amicabilis compositionis, que per dictos arbitros, arbitratores, commissarios vel amicabiles compositores concorditer lata vel latum fuerit. Et generaliter ad predicta et omnia alia et singula tractandum, firmandum, fatiendum, promittendum et complendum, que eis vel eorum alteri pro bono pacis et concordie conveniencia, utilia seu necessaria videbuntur, eciam si talia forent, que mandatum exigerent speciale. Dantes et concedentes prefatus dominus dux et consilia supradicta eisdem suis sindicis et procuratoribus et cuilibet eorum plenam, liberam et generalem administrationem et mandatum tractandi, fatiendi, firmandi, promittendi et complendi omnia et singula supradicta et connexa et dependentia, ab eisdem et in eorum animas iurandi de observando et attendendo omnia et singula, que ipsi vel alter eorum fecerint in predictis et quolibet predictorum, et que idem dominus dux et commune Venetiarum totum facere possent, si personaliter interessent; promittentes ipse dominus dux et consilia supradicta pro se et successoribus suis modis, formis et nominibus supradictis michi notario infrascripto tanquam publice persone stipulanti et recipienti nomine et vice dicti domini regis et suorum successorum et omnium et singulorum, quorum interest vel interesse posset perpetuo firma, rata et grata habere et tenere, et inviolabiliter observare omnia et ingula, que idem sindici vel eorum alter in predictis et eorum singulis tractaverint, firmaverint, promiserint, compleverint aut duxerint facienda, et in nullo contrafacere vel venire de iure vel de facto, aliqua racione vel causa, sub obligacione bonorum omnium communis Venetiarum presencium et futurorum. In cuius rei fidem et evidenciam pleniorem prefatus dominus dux mandavit presens instrumentum publicum fieri per me notarium infrascriptum, et eius bulla pendenti plumbea communiri. Actum in ducali palatio communis Venetiarum anno a nativitate domini millesimo trecentesimo quinquagesimo primo, die XIX mensis madii, IV indictionis, presentibus providis et discretis viris dominis Benintendi de Ravagnanis ducatus Veneciarum vicecancellario, Andrea de Capite aggeris, Johanne Bernardo et Paulo Bernardo, notariis dicti ducatus, et aliis ibi presentibus ad hec testibus vocatis specialiter et rogatis.

L. S. Ego Bartholomeus de Gallarate natus domini Jacobi, imperiali auctoritate notarius publicus et ducatus Venetiarum scriba, predictis interfui, et ea de mandato prefati incliti domini ducis scripsi, tradidi, et me subscripsi.

Similis sindicatus factus fuit per Bonifatium de Mutina sine titulo, sed solum dicendo: Andreas Dandulo dei gratia Veneciarum dux etc.

Sindicatus I. 62, u arkivu mletačkom.

CCCXX. God. 1351. 30 svibnja, u Senju.

Knez krčki Bartul zahvaljuje se mlet. republici na milost podieljenu njegovu rodjaku Nikoli Galelu.

Exemplum litterarum missarum ducali dominio per comitem Bartholomeum de Vegla pro facto Nicolai Galleli. Illustrissime princeps et domine mi reverende, debita recommendatione premissa de gratia michi a vestra dominatione benigne concessa de domino Nicolao Galleto, ut in tenutis et districtu meo, vostro consensu et licentia, possit stare, excellentie vestre regratior tanquam domino meo reverendo, ex hoc enim me in cunctis vestris mandatis promptiorem offero paratum. Et sicut alias dominationi vestre pro ipso domino Nicolao promisi, sic per presentes ad omnem vestram requisitionem ipsum vobis presentare promitto, dum primum ad hoc vestris litteris fuero requisitus. Bartholomeus comes Vegle etc. Datum Segnie die penultimo maii.

Misti XXVI. 56, u arkivu mletačkom.

CCCXXI. God. 1351. 6 lipnja, u Mletcih.

Upućuju se poslanici u Senju, kako da odgovore ugar.-hrv. poslanikom o njekih stvarih.

1351. die sexto iunii, IV indictione, capta: quod scribatur ambaxatoribus nostris, qui sunt Segnie, in forma infrascripta.

Intelleximus diligenter ea, que vir nobilis Marinus Faledro ambaxator noster nobis exposuit de hiis, que gesta erant per vos cum ambaxatoribus domini regis Hungarie, ad que vestram prudentiam commendantes rescribimus cum nostris consiliis minori, rogatorum et XL, quod volumus, ut cum ambaxatoribus dicti regis, si conveneritis cum eis, debeatis substinere et defendere, quod per nos in aliquo non est contrafactum treuguis, sed ex parte domini regis; sic allegantes et adducentes circa hoc illas rationes, que vestre discretioni utiles videbuntur. Sed si dicti ambaxatores pur insisterent, quod per nos esset contrafactum dictis treuguis, et contentarentur compromittere in aliquos, qui cognoscerent de observantia dictarum treuguarum, volumus, quod possitis compromittere in quemlibet inscriptorum, qui cognoscere et determinare habeat super hoc, substinendo semper, quod ex parte nostra plene servate sunt et servari intenduntur continue usque ad complementum earum treuguarum treuguee dicte superius.

Nomina vero eorum, in quibus potestis compromittere, sunt: dominus papa vel aliquis de colegio cardinalium, dominus imperator, dominus rex Francie, dominus rex Aragonum, dominus patriarcha Aquileiensis, seu aliquis alius notabilis princeps et persona, que vobis seu maiori parti vestrum videretur.

Si vero ad pacem vel concordium per modos dictos superius seu alios modos in commissione vestra contentos perveniri non posset, et per ambaxatores regis tangerentur alii modi, per quos videretur posse ad finem concordii pervenire, tunc caute trahatis ab eis quidquid poteritis, et nobis rescribatis, et vestrum consilium, nostrum expectando mandatum.

Et si ambaxatores domini regis non redirent ad vos, vel redirent, et recedentur discordes, tunc volumus, quod mittatis unum de notariis nostris,

qui vobiscum sunt, cum litteris nostris credulitatis, quas vobis dedimus, ad presentiam domini regis ad exponendum ei quecumque gesta et tractata sunt cum ambaxatoribus suis, dicendo, quomodo ea, que pro parte nostri dicta sunt et oblata, sunt tam iusta et rationabilia, quod merito credimus, quod sue maiestati debeant consonare. Et propterea quando super hoc maiestas sua velet ad presentiam suam mitti ambaxatam nostram, parati erimus mittere, ut possit sequi pax et concordium inter partes; et audiat dictus notarius responsionem regis.

Et si contentabitur, quod ambaxiata nostra illuc vadat, trahat quicquid poterit de intentione sua, et rescribat nobis, expectando nostrum mandatum. Si autem non contentaretur, quod ambaxata nostra ad eum iret, nichilominus dictus notarius trahat ab eo, quicquid poterit, et rescribat ac expectet ibi nostrum mandatum. Et in hoc casu, videlicet quod ambaxatores regis non redirent ad vos, vel redirent et discederent discordes a vobis, volumus, quod in Segnia vel in Arbo expectetis nostrum mandatum. Rescribatis, quicquid feceritis et consilium vestrum.

Misti knj. XXVI. 61, u arkivu mletačkom.

CCCXXII. God. 1351. 30 lipnja, u Mletcih.

Buduć se sastanak u Senju razpustio a posla neobavio, upućuju se mletački poslanici u Rabu što da rade, te se načelnici gradova u Hrvatskoj o tom obavieščuju i bodre, da nastoje o utvrdjenju i obrani onih micsta, i da si nabave viesti o kraljevih namjerah.

1351. die ultimo iunii, capta: auditis et intellectis hiis, que exposuit nobilis vir ser Marcus Cornario, ambaxator noster, et etiam de facto notarii nostri missi ad dominum regem Hungarie, consulunt sapientes, quod idem ser Marcus redire debeat Arbum ad socios suos, et per concordium vel per texeras unus ipsorum trium ibi debeat remanere pro eundo ad dictum regem in casu, quo sibi per dominium foret impositum, et alii duo statim Venecias revertantur. Verum ille, qui remanebit, expectet ibi responsionem dicti notarii missi ad dictum regem, et rescribat ea nobis, et expectet nostrum mandatum. Et interim scribatur omnibus nostris rectoribus Istrie et Sclavonie de hiis, que presumuntur dictum regem esse facturum, et quomodo nostra ambaxata cum suis recesserunt de Segnia non concordes, et quod bonam et diligentem custodiam et provisionem de suis locis debeant adhibere, reducendo homines, bona, blada et animalia suorum districtuum ad fortilicias suas, et se furniendo et fortificando quammelius poterunt, continue sentiendo et inquirendo de motibus dicti regis et subditorum suorum. Et scribatur etiam omnibus nostris rectoribus Tervisane, faciendo eos previsos de predictis et quod bonam habeant custodiam, ne sinistrum aliquod sibi valeat evenire. Et habita responsione nostri notarii, venietur ad istud consilium, et fiet, sicut videbitur.

Misti XXVI. 63, u arkivu mletačkom.

CCCXXIII. God. 1351. 16 srpnja, u Mletcih.

Zabranjeno izvažanje soli iz Zadra i iz Paga osim za Mletke.

1351. die XVII iulii. Quia in camera nostra salis non est sal ad sufficientiam, nec est pro veniendo de locis solitis occasione presentis guerre,

et omnino sit providendum pro utilitate et bono communis super hoc: vadit pars, quod scribatur comiti et consiliariis camere Pagi et comiti et consiliariis Jadre, quod non permittant extrahi sal de suis regiminibus ullo modo sine nostra licentia pro conducendo alio, quam Veneciis. Et dominatio cum colegio ordinatis provideat de pretio, quod habere debuerint illud conducentibus Venecias.

Misti XXVI. 64, u arkivu mletačkom.

CCCXXIV. God. 1351. 21 srpnja, u Mletcih.

Opredieljeno nješto strielaca za obranu gradova u Istri i u Hrvatskoj.

1351. indictione IV, mensis iulii die vigesimo primo, capta: cum expediat inter alia attendere celeriter ad furnimentum terrarum nostrarum Sclavonie et Istrie, et sunt aliqui ballistarii accepti pro cochis, qui, postquam coche non navigant, modo presto poterunt mitti ad dictas terras: vadit pars, quod dicti ballistarii, quoquo modo accepti pro cochis, omnes et pars eorum possint accipi et mitti in servicium dominii ubi et sicut domino, consiliariis et capitibus et consilio sapientum videbitur, vel maiori parti, concordando nos cum eis cum quam maiori avantagio communis fieri poterit. Et si consilium etc.

Misti XXVI. 64, u arkivu mletačkom.

CCCXXV. God. 1351. 20 kolovoza, u Mletcih.

Odgovara se Jeleni kneginji kliškoj, da će joj u potriebi knezovi zadarski i šibenički pružiti vojnu pomoć. Nalaže se knezovom Trogira i Spljeta, neka nastoje sravnati razmiricu obstojeću medju istom kneginjom i ženom kneza Pavla, a kad nebi uspjeli, neka o tom izviešće podnesu.

1351. die XX augusti. Ser Nicolaus Lion, ser Stephanus Belegno. Capta: diligenter examinatis et discussis litteris missis per dominam Elenam Clisii comitissam, per quas petit subventionem gentium a nobis in casu, quo in Sclavonia novitates esse deberent, consulunt sapientes, quod eidem domine respondeatur, quod ipsi satis est notum, quantum amorem et dilectionem gessimus comiti Maladino condam viro suo, et quantis favoribus semper desideravimus et procuravimus eius, subditorum et locorum suorum augmentum et statum; et quamquam per nova, que habemus, ad presens non credamus aliquam novitatem in partibus Sclavonie debere contingere, tamen, ut ipsa bene dicernat, nos optare bonum statum et conservationem eiusdem, denotetur ei, quod comisimus atque mandavimus comitibus nostris Jadre et Sibinici, quod ad omnem requisitionem ipsius domine eidem de una banderia peditum pro quolibet debeant subvenire, ut ipsa se et subditos suos ad honorem nostrum et bonum statum suum se valeat conservare; inducendo eam cum hiis et aliis verbis, que dominio videbuntur, ad amorem et fidelitatem servandum nostro dominio. Et mandetur comitibus antedictis, quod ad omnem requisitionem ipsius domine eidem debeant, ut est dictum, de una banderia peditum pro quolibet subvenire. De non 2, non sinceri 2.

Sapientes predicti. Capta: ad capitulum de eo, quod conqueratur ipsa comitissa de uxore comitis Pauli, consulunt sapientes, quod scribatur et

mandetur nostris comitibus Tragurii et Spalati, quod debeant procurare et operari pro posse de reconciliando insimul dominas antedictas, et quod pacifice se tractent et vivant ad invicem; et si hoc facere non poterunt, rescribant nobis differencias earum et suum consilium superinde. De non 5, non sinceri 5.

Misti XXVI 65, u mletačkom arkivu.

CCCXXVI. God. 1351. 20 kolovoza, u Mletcih.

Knezu šibeničkomu, neka po poslaniku potraži od bosanskoga bana naknadu šteta od banovih podanika Šibeničanom nanešenih, a on pako neka nadoknadi škode od Šibeničana banovim podložnikom učinjene; o čem se ban izviešćuje i moli, neka prijateljski postupa s mletačkimi podanici, a da je naloženo knezu šibeničkomu, neka isto tako i on postupa sa banovimi.

1351. indictione IV. 20 augusti. Sapientes Sclavonie. Capta: et scribatur comiti nostro Sibenici de receptione litterarum domini bani Bosine, quarum exemplum transmictatur eidem, mandando ei, quod unum nuncium bene informatum de damnis sibi datis ad ipsum dominum banum debeat destinare, petiturum restitutionem damnorum premissorum. Et quod e converso ipse comes restituere debeat eidem domino bano servos suos, si in suo districtu contingerint reperiri, narando eidem comiti de amore intimo inter nos et ipsum dominum banum servato, et quod debeat secum pacifice pertransire, quia tempus non est ad presens discordias suscitare.

Capta: et scribitur ipsi domino bano de receptione litterarum suarum, regratiando sibi de bona voluntate, quam vidimus eum habere, et eidem narando, qualiter nostro comiti Sibinici dedimus in mandatis, ut secum et cum gentibus suis pacifice debeat se habere, abstinendo se a qualibet novitate fienda subditis ipsius domini bani, rogando eum, quod erga subditos nostros similiter debeat se habere. De non 0, non sinceri 3.

Misti XXVI. 66, u mletačkom arkivu.

CCCXXVII. God. 1351. 31 kolovoza, u Mletcih.

Radi izgreda u Pagu, upućuju se providuri u Dalmaciju, neka prodju u Pag, grad umire, a uzročnike izgreda u Mletke odpreme.

1351. die ultimo augusti. Consiliarii, capita XL, sapientes Sclavonie. Capta: quia error et inobedientia commissa per Pagenses non sunt sub silentio transeunda: vadit pars pro honore nostro et exemplo eorum et aliorum in posterum, quod scribatur duobus provisoribus nostris, qui debent remanere, videlicet ser Francisco Bono et ser Petro Michaeli, quod statim viso nostro mandato debeant ire Pagum, et ibi simul cum comite, expositis illis verbis, que videbuntur, conscilio et comunitati, deinde ostendendo gravitatem, quam merito debemus assumpsisse de inhonesto modo, quem tenuerunt, recitantes, quam benigne et dulciter eos semper tractavimus et tractare intendimus, procurent ipsos amonere et reconciliare quammelius poterunt, et facto hoc, faciant omnes tres inquisitionem diligentem de hiis, qui culpabiles fuerunt excessus prefati, et de illis, qui fuerunt magis culpabiles, mittant tres vel quatuor Venecias, ut possit fieri illud, quod fuerit honor noster; imponendo illis, quos determinaverint mittere

Veneciis, penam et penas, sicut eis vel maiori parti videbitur. Et scribatur comiti nostro Jadre, quod ad predictam nostram intentionem exequendam det dicto comiti Pagi et provisoribus omne auxilium et favorem.

Misti XXVI. 66, u mletačkom arkivu.

CCCXXVIII. God. 1351. 13 rujna, u Mletcih.

Usljed molbe trogirskih poslanika zahtjeva se od kliške kneginje, neka namiri Trogirane za škode učinjene jim od njezinih podanika.

1351, indictione quinta, die XIII septembris. Sapientes Sclavonie ser Johannes Contareno, ser Nicolaus Lion, ser Stephanus Belegno. Capta: quia commendabile iudicatur discensionibus et letigiis occurrentibus obviare et taliter providere, quod amor et tranquilitas veniant, ubi de opposito dubitatur, consulunt sapientes, quod ambaxatori Tragurii super ambaxata exposita per eum respondeatur ut infra.

Et primo ad primum capitulum recommendationis comitis, iudicum et communis deinde, quod non ambigimus eos manifeste cognoscere, quantis favoribus, expensis ac laboribus nostris semper procuravimus, procuramus, ac statum et conservationem suam intendimus procurare. Et ideo eos habemus et habebimus merito commendatos.

Capta: ad secundum capitulum damnorum et violentiarum ac robariarum sibi factarum per subditos comitisse Clisii, consulunt, quod scribatur eidem comitisse, qualiter per ambaxatores Tragurii expositum nuper est nobis de damnis eis datis per subditos suos nulla causa precedente, et quod de hoc gravissime sunt turbati, qui ambaxatores instanter petunt a nobis effectualiter provideri, ut sibi restituantur ablata, et ne talia contingant ulterius, vel quod eis concedamus, quod se ulcisci valeant de hoc, nam sperant se potentes ad possendum obstare talia facientibus, et quod multociens ab ipsa comitissa satisfactionem petitam obtinere minime potuerunt. Unde meditantes nos ista nimis gravia et preiudicialia fore, et que forte damna maiora possent inducere, eandem attente requirimus, dilectionem suam rogantes, quatenus premissorum emendam et satisfactionem facere et fieri facere effectualiter procuret, nam ex hoc animum nostrum multum contentabit, ac etiam omnis erroris et scandali materiam resecabit; alioquin cum talia prorsus sint contra nostram intentionem et honorem, provideremus, ut necessitas postularet, quia ipsa bene potest cognoscere, quod nos, qui pro conservatione sua et aliorum nostrorum fidelium infinitas supportamus expensas, inter ipsos nostros fideles non sineremus talia perpetrari.

Capta: et scribatur comiti Spalati, cui mandetur copia tam ambaxate predicte, quam copia litterarum missarum comitisse iamdicte, quod ipse personaliter vadat ad comitissam predictam, si abiliter facere poterit, vel mittat aliquem nuncium bene informatum de predictis ad procurandum et tractandum premissam intentionem nostram, et reconciliationem et concordium inter partes.

Capta: ad ultimum capitulum respondeatur, quod ipsi ambaxatori bene notum est, qualiter nostra felix armata de Veneciis recessit, et quia in hoc per nos non posset aliquid ordinari, cum firmiter credamus, quod omnia, que esse debent, amodo sint secuuta. De non 3, non sinceri 4.

Misti XXVI. 66, u arkivu mletačkom.

CCCXXIX. God. 1351. 4 listopada, u Mletcih.

Prima se, da malo vieće izruči bosanskomu biskupu Peregrinu preporuku na njekoje stožernike i na mlet. zastupnika u Rimu, kamo on putuje za njeke svoje poslove.

1351. die IV octobris, capta: cum venerabilis frater Peregrinus episcopus Bosinensis, quem semper invenimus ad nostros honores bene dispositum, habeat aliqua facere in romana curia, et petat litteras nostras recommendationis aliquibus cardinalibus et nostro procuratori in romana curia: vadit pars, quod in eius favorem et recommendationem agendorum suorum in generali possint scribi littere in ea forma, que dominio videatur.

Misti XXVI. 68, u mletačkom arkivu.

CCCXXX. God. 1351. 8 listopada, u Mletcih.

Jakov Cornario potvrdjen za kneza rabskoga.

1351. indictione V, die VIII octubris. Consilium vocatum fuit pro arengo fiendo pro confirmatione viri nobilis domini Jacobi Cornario comitis Arbensis, in quo arengo approbatus et laudatus fuit ipse dominus Jacobus, et ei datum vexillum per illustrem et magnificum dominum dominum Andream Dandulo inclitum ducem Venetiarum, post que dictus dominus Jacobus missit eidem domino duci unum sciphum argenteum deauratum cum pede et cum choperto honorabile multum et pulcrum.

Maius Consilium. Novella list 13, u mletačkom arkiva.

CCCXXXI. God. 1351. 5 studenoga, u Mletcih.

Odgovara se na listove ugarske kraljice, kako je republika sa radošću od nje primila viest, da joj se sin kralj zdravo kući povratio; a glede odaslanja poslanika u Ugarsku primećuje se, da će se na put spremiti, čim zima prestane.

1351. die quinto novembris. Ser Johannes Contareno, ser Stephanus Belegno ser Nicolaus Lion, sapientes Sclavonie. Capta: quod ad litteras domine regine Hungarie respondeatur, quod multum placet nobis et reddimur consolati, quod serenissimus dominus rex, natus eius, in regnum cum salute redierit, de cuius honoribus, salute et successibus felicibus, tanquam qui sinceritatem et benivolentiam cum illo tenemus et tenere semper intendimus, consolamur. Ad ambaxatam vero dicatur, quod ad presens non mitteremus nobiles cives nostros ad tam longum et grave viagium propter sinistra et periculosa tempora regnancia hyeme presenti. Verum estatis nunc instantis tempore veniente poterit provideri, sicut ad bonum parcium videbitur convenire. De parte, de non 2, non sinceri 1.

Misti XXVI. 70, u arkivu mletačkom.

CCCXXXII. God. 1352. 3 siečnja.

Šalju se u Zadar novci za vojničke plaće.

1351. indictione V, die 3 ianuarii, capta: quia in Jadra est maior quantitas soldatorum solito, ita quod maior quantitas pecunie est ibi neccessaria, et II mille ducati missi pridie non sufficiant ad plures pagas,

quas habere debent: vadit pars, quod mittantur Jadram alii II mille ducati, scribendo comiti, quod consideratis gravissimis expensis, quas portamus intus et extra, et securitate, que prestatur terris nostris per armatas nostras, que est extra, si de expensis, quas habemus in Jadra, possent diminui sine periculo vel sinistro status nostri et cum conservatione sua, esset utile et bonum. Et propterea id sue discretioni relinquimus, ut provideat et faciat, sicut sue pro idencie utile apparebit, habendo in omnem partem respectum, et rescribendo quicquid fecerit.

Misti XXVI. 78, u mletačkom arkivu.

CCCXXXIII. God. 1352. 9 veljače, u Mletcih.

Kazan izrečena proti uzročniku izgreda u Pagu.

1351. die IX februarii, capta: si videtur vobis per ea, que dicta et lecta sunt contra Drusaz Cesarchouich de Pago culpabilis excessus commissi in Pago, quod procedatur contra eum, vel non.

Prima, quod procedatur -- alii de parte.
vel non — 1
non sinceri — 6.

Dominus, consiliarii, capita. Capta: quod dictus Drusaz sit in banno de Pago et districtu per unum annum, et ultra hoc ponatur et stet sex mensibus in uno carcere inferiorum; et si non venerit usque ad pasca proximum ad parendum huic sententie, omnes predicte pene dupplicate sint ipso facto contra eum. Et scribatur omnibus rectoribus nostris, elapso termino, quod ipsum capiant et mittant Venetias sub bona custodia, ut pareat dicte sententie. Et si venerit infra dictum terminum, sit absolutus ab omni pena pecuniaria, quam incurrisset istis de causis. 68.

Advocatores: quod dictus Drusaz sit in banno de Pago et districtu per unum annum, et ultra hoc stet sex mensibus in uno carcere inferiorum, et pro inhobedientia, quia ceciderat de libris mille, condemnetur in libris CC. 18, non sinceri 5.

Misti, XXVI. 84, u arkivu mletačkom.

CCCXXXIV. God. 1352. 9 veljače, u Mletcih.

Osuda proti drugomu uzročniku pažkoga izgreda.

1351. die IX februarii. Si videtur vobis per ea, que dicta et lecta sunt contra Martinum Salonich de Pago, culpabilem excessus commissi in Pago, quod procedatur contra eum. Alii de parte.

Capta: prima quod procedatur, de non 0, non sinceri 5.

Dominus, consiliarii, capita. Capta: quod dictus Martinus Salonich sit in banno de Pago et districtu per unum annum, et ultra hoc stet mensibus novem in uno carcerum inferiorum; et si non venerit usque ad pasca proximum ad parendum dictis sententiis, omnes pene predicte ipso facto intelligantur et sint dupplicate contra eum; et scribatur omnibus nostris rectoribus, elapso termino, quod ipsum capiant et mittant Venecias sub bona custodia, ut pareat dicte sententie. Et si venerit infra terminum, sit absolutus ab omni pena personali et pecuniaria, quam incurrisset istis de causis. Alii de parte.

Aevocatores: quod dictus Martinus sit in banno de Pago et districtu per unum annum, et stet sex mensibus in uno carcere inferiorum, et condemnetur pro inhobedientia in libris CC. 18, non sinceri 4.

Misti XXVI. 84, u mletačkom arkivu.

CCCXXXV. God. 1352. 17 veljače, u Mletcih.

Izabran odbor od trideset, da razpravlja poslove, koje bi republika imala sa Genuvezi i ugarskim kraljem.

1351. indictione VI, die XVII februarii, capta: cum in factis, que habemus facere cum Januensibus, non videatur adhuc aliquis finis determinatus, et utile ymmo neccessarium sit pro statu nostro habere super ipsis factis et super aliis novitatibus, que possent nobis occurrere durante presenti guerra, consilio electarum et solemnium personarum, quia modicum valent vires nostre nisi facta nostra sana et salubri consilio dirrigantur: vadit pars, quod in nomine iesu christi eligantur triginta sapientes per electionem in maiori consilio, qui cum domino duce, consiliariis et capitibus de XL habeant tam super factis, que habemus facere cum Januensibus, quam super hiis, que habemus vel haberemus facere in futurum cum rege Hungarie seu sequacibus vel complicibus suis, et super omnibus dependentibus vel pertinentibus ad eadem plenissimam libertatem consulendi, providendi, terminandi, ordinandi, mittendi, expendendi, revocandi, faciendi omnia et singula, que ipsis vel maiori parti utilia videbuntur pro honore nostro et conservatione fame et status nostri, sicut haberet et habet istud consilium. Et conveniant omni die in mane exceptis festis solemnibus ad companas et horas ordinatas sub pena soldorum viginti pro quolibet salvis occasionibus exceptatis, et etiam aliis diebus et horis, quando vocati fuerint sub eisdem penis. Et non intelligantur congregati nisi due partes fuerint congregate, et possint accipi de omni loco et officio exceptis iudicibus palacii, patronis, pagatoribus et consulibus, non accipiendo ultra unum pro officio et unum pro domo, et illi, qui deficient, fiant in maiori consilio. Et si steterint octo diebus de non veniendo ad consilium, sint extra, nec exeant de terra sine licencia dominationis, sicut erat de consilio de XXV. Et duret dictum consilium per VI menses, circa finem quorum venietur huc, et providebitur, si debuerit plus durare, vel non. Et si consilium etc.

Maius Consilium. Novella 21, u arkivu mletačkom.

CCCXXXVI. God. 1352. 29 ožujka, u Mletcih.

Odredjuje se punomoćnik, da dovrši mjenbene poslove sa Vidom Gučetićem, Dubrovčaninom

1352. indictione quinta. Sindicatus ad complenda mercata cambiorum cum Vita de Gozio de Ragusio. In christi nomine amen, anno notivitatis eiusdem millesimo trecentesimo quinquagesimo secundo, mensis marcii die vigesimo nono, indictione quinta. Veneciis, in ducali palatio, presentibus sapiente viro domino Benintendi vicecancellario Veneciarum ac providis viris ser Amadeo de Bonguadagnis et ser Raphayno de Charesinis, ducatus Veneciarum scribis, et aliis testibus ibi vocatis et rogatis. Excelsus et ma-

gnificus dominus dominus Andreas Dandulo dei gratia Veneciarum, Dalmacie atque Chroacie dux, dominus quarte partis et dimidie totius imperii Romanie una cum suo consilio et ipsum consilium cum eodem domino duce unanimiter et concorditer nemine discrepante pro se et successoribus suis ac nomine et vice communis Veneciarum omni modo, iure, forma et causa, quibus melius potuerunt, fecerunt, creaverunt, constituerunt et ordinaverunt suos et dicti communis Veneciarum certum nuncium, sindicum et procuratorem negociorum, gestorem et quicquid amplius dici potest nobilem et sapientem virum dominum Nicolaum Volpe specialiter ad conveniendum, tractandum et paciscendum, ac tractatus, conventiones et pacta iniendum, faciendum, firmandum et complendum cum quacumque persona tam veneta quam forensi super accipiendis denariis per cambium assignandis per ipsum sindicum nominibus supradictis hic Venecciis vel alibi, et recipiendis per ipsum dominum ducem et suum consilium vel nuncios suos in partibus Romanie et ubicumque. *(Alia desunt).*

Commemorialium IV. 207, u mletačkom arkivu.

CCCXXXVII. God. 1352. 29 ožujka, u Mletcih.

Pogodba, po kojoj republika daje u zajam Vidu Gučetiću, Dubrovčaninu, njeku svotu novaca.

Compositio et pactum firmatum cum Vita de Gozio. In Christi nomine amen, anno nativitatis domini millesimo trecentesimo quinquagesimo secundo, mensis marcii die vigesimo nono, indicione quinta, Veneciis in ecclesia sancti Marci prope altare sancti Jacobi, presentibus nobile viro domino Bellino de Molino de Venecciis contrate sancti Eustachii, ac discretis et providis viris dominis Amadeo de Bonguadagnis contrate sancti Proculi, Nicolao del Chamino contrate sancti Moysi, et desiderato Lucco contrate sancte Marie Formose, omnibus notariis ducatus Veneciarum, testibus ad hec vocatis et rogatis et aliis. Nobilis et sapiens vir dominus Nicolaus Volpe civis Veneciarum procurator et sindicus constitutus per excelsum et inclitum principem et dominum dominum Andream Dandulo dei gratia Veneciarum, Dalmacie atque Chroacie ducem et dominum quarte partis et dimidie totius imperii Romanie ac eius consilii ad infrascripta omnia et singula habens plenam auctoritatem et potestatem et sindicario et procuratorio nomine eorum, habens ad infrascripta plenum et speciale mandatum sicut constat per publicum instrumentum de dictis sindicaria, procuraria et mandato confectum per me notarium infrascriptum anno domini millesimo trecentesimo quinquagesimo secundo mensis marcii die vigesimonono, iudicione quinta, ac sapiens vir ser Vita de Gozio de Ragusio habitator Veneciarum in contrata sancti Silvestri suo nomine proprio ac heredum et successorum suorum sponte et ex certa scientia et non per errorem ad infrascriptam compositionem et pacta concorditor devenerunt, videlicet quod predictus inclitus dominus dux et eius consilium supradictum et ipse sindicus sindicario et procuratorio nomine supradicto dabunt, assignabunt et numerabunt seu dari, numerari et assignari facient eidem Vite vel eius nuncio in civitate Ragusii duodecim mille ducatos boni et puri auri et iusti ponderis cunei Veneciarum, quos quidem ducatos duo-

decim mille dictus Vita promissit dare, numerare et assignare, vel dari, numerari et assignari facere nuncio seu nunciis ipsius incliti domini ducis et sui ad hec constituti secundum ipsius domini ducis beneplacitum et voluntatem in civitate Thesalonicense imperii Romanie infra unum mensem cum dimidio vel ante, si poterit, computandum a die, qua ipsi XII mille ducati in civitate Ragusii, ipsi Vite seu nuncio suo, traditi et numerati fuerint eidem vel tradi aut numerari voluerint pro parte dicti domini ducis et sui consilii ad omne risicum et periculum ipsius Vite, et pro hiis idem dominus Nicolaus promisit quibus supra nominibus eidem Vite, quod ipse dominus dux et eius consilia supradicta concedent et dabunt eidem Vite licenciam extrahendi de corpore Veneciarum telas valoris octo mille ducatorum infra unum mensem a die presentis contractus computandos, quas dictus Vita conducet seu conduci faciet per mare usque ad partes Sclavonie et non ultra, et ibi discaricatis ipsis telis conducet aut conduci faciet per mare usque ad partes Sclavonie et non ultra et quo ipse voluerit et illi placebit, hac condicione interposita et adiecta, quod si forte in fine ipsius mensis non haberet navigium ita paratum, quod eas telas posset mittere ad partes predictas, ad quas ipsas mittere debet per mare, ipse Vita assignabit ante lapsum dicti mensis eas nunciis eiusdem domini ducis, affirmando, quod ipsas deffectu navigii secundum conventionem et pactum non potuit extrahere de Veneciis, et ex tunc teneatur illas caricare et mittere post ipsum terminum quanto expeditius poterit ad partes predictas, nec post ipsum mensem completum alias telas causa predicta emet, nec illas permutabit in alias. Propterea idem dominus Nicolaus, procurator et sindicus, nominibus, quibus supra promisit eidem Vite volenti et consentienti, quod ipse inclitus dominus dux et suum consilium supradictum, et ipse sindicus quibus supra nominibus tradent et numerabunt seu tradi et numerari facient in civitate Ragusii eidem Vite vel eius nuncio ducatos XII mille boni auri et iusti ponderis cunei Veneciarum ultra illos XII mille, qui specificati sunt supra, quos quidem XII mille ducatos idem Vita promissit nomine proprio et heredum et successorum suorum tradere et assignare ac numerare, aut tradi et numerari facere nuncio aut nunciis ad hec constitutis per ipsum dominum ducem et suum consilium in civitate Thesalonicense imperii Romanie infra unum mensem et dimidium, vel ante, si poterit, continue computandum a die, quo assignati fuerint ipsi Vite vel nuncio eius in Ragusio vel tradi aut numerari voluerint (*sic*) per ipsum aut nuncium suum remanserit quominus assignati fuerint ad omne risicum et periculum ipsius Vite, et pro hiis ipse Vita habere et recipere debet ab ipso domino duce et suo consilio predicto de prode septem ducatos pro quolibet centenario ducatorum XII mille proxime predictorum. Hac condicione apposita et adiecta et in pactu deducta, quod si forte ullo casu vel eventu contingetur, quod ipse dominus dux et eius consilium supradictum non vellet ipsam pecuniam et summas ducatorum mitti aut conduci, ut superius dictum est, semper intelligatur, quod ipse Vita possit trahere dictam quantitatem telarum de Veneciis, sicum dictum est supra, sine ulla condicione aut impedimento. Hoc etiam expresse acto et in pactu deducto inter partes predictas, quod assignatis dictis summis et quantitatibus ducatorum in Ragusio dicto Vite vel eius nuncio vel assignari peratis, si forte nova essent ante terminum unius mensis cum dimidio supradictum, quod imperator Scla-

vonie accessisset et dicta moneta adhuc esset in Ragusio, idem Vita non tenetur nec debet conducere nec conduci facere ipsam monetam et summas ducatorum ad locum Thesalonice supradictum, set ipsam integre restituere ipsis domino duci seu nunciis suis sine ulla pena; quodque si propter nova predicta restituenda esset ipsa moneta et thele, quas dictus Vita vult trahere de Venetiis, adhuc essent in Veneciis, non possit nec debeat eas trahere de Veneciis; set cassa et nulla sit licencia illi concessa. Preterea ipse inclitus dominus dux et eius consilium supradictum mittet et mittere volunt unam personam, que sibi videbitur, cum dicto Vita vel illis nunciis, qui de Ragusio conducent ipsam monetam Thesalonicam ad omnes expensas dicti Vite. Si vero contingeret, quod absit, quod ablata et rubata esset ipsa moneta in itinere supradicto, eundo videlicet Thesalonicam, promissum et conventum est inter partes predictas, quod dictus Vita in eo casu teneatur restituere eidem domino duci ipsas summas et quantitates ducatorum predictorum, et quod propterea non preiudicet ei pena ulla expressa aut posita in presenti contractu. Et pro hiis omnibus et singulis suprascripti et infrascripti attendendis et observandis idem Vita promissit dare sufficientem cautionem et fideiussionem in Veneciis ipsi domino duci vel in Ragusio nuncio ipsius domini ducis, de qua dominatio contentetur. Que omnia et singula suprascripta et infrascripta promiserunt una pars alteri et altera uni nominibus, quibus supra, firmiter attendere et inviolabiliter observare, et non contrafacere vel venire sub pena XXXV ducatorum pro centenario ducatorum, que pena totiens committatur et exigatur a parte contrafaciente, et applicetur parti observanti, quociens per aliquam earum parcium in predictis et predictorum quolibet fuerit contrafactum, et pena commissa vel non, ipse contractus in sua firmitate perduret. Promiseruntque partes predicte michi notario infrascripto nominibus, quibus supra stipulanti, recipienti ut publice persone firma, rata et grata habere et tenere omnia et singula suprascripta, et eis non contrafacere vel venire aliqua ratione vel causa, modo vel forma sub ypotecha et obligacione omnium bonorum ipsius domini ducis et communis Veneciarum et ipsius Vite, heredum et successorum suorum presentium et futurorum.

L. S. Ego Nicoletus de Lamberti, imperiali auctoritate notarius et ducatus Veneciarum scriba, hiis omnibus presens fui, et rogatus a partibus predictis scribere, scripsi.

Commemorialium IV. 208, u mletačkom arkivu.

CCCXXXVIII. God. 1352. 31 ožujka, u Mletcih.

Glede zabrane, da plaćenici u Zadru, Kopru i Trevisu nesmiju u obće nalazit se u rodstvu sa dotičnimi gradjani, odredjuju se stepeni toga rodstva.

1352. die ultimo marcii, capta: quum hactenus provisum est, quod in civitatibus nostris Jadre et Justinopolis nullus possit habere stipendium, qui habet vel contrahat parentellam cum aliquibus civibus dictarum terrarum, quod quidem utiliter et bene respondit: et in Tarvisio non sit aliquis ordo super hoc: vadit pars pro omni respectu boni, quod prohibeatur, quod aliquiis, qui haberet vel contraheret parentellam in aliquo graduum infrascriptorum cum aliquo cive tarvisino, non possit habere nostrum stipendium ibi equestre vel pedestre. Et non possit revocari nec fieri gratia alicui contra predicta sub pena librarum C pro quolibet consiliario, capite et alio

ponente vel consentiente partem in contrarium; non intelligendo in hac prohibitione venetos nostros, qui per se vel patres traxissent originem de Venetiis vel ducatu Veneciarum.

Gradus autem parentelle: fratres et sorores — germani consanguinei et germane consanguinee — nepotes filii fratrum et sorores et nepotes — cognati et cognate, avuncali et matertere — soceri et socrus, patrui et amite — generi et virus — patrigni et filiastri; noverce et filiastre.

Et quia in predictis terris Jadre et Justinopolis prohibiti sunt habere stipendium omnes habentes parentellam, et istud nomen ita generale possit extendi usque infinitum: vadit pars, quod etiam in predictis terris declaretur, quod habentes parentellam intelligantur solum in gradibus antedictis.

Misti XXVI. 89, u mletačkom arkivu.

CCCXXXIX. God. 1352. 3 travnja, u Mletcih.

Odredjen odbor, da razvidi razmirice obstojeće medju občinom i knezom korčulanskim.

1352. die 3 aprilis, indictione quinta. Dominus, consiliarii, capita, excepto ser Lisio Vitalro. Capta: quod super petitionibus porrectis dominio per illos de Cruzola, et super omnibus et singulis querelis, quas faciunt vel facere vellent contra comitem suum et filios suos; et e converso idem comes et sui faciunt et facere vellent contra ipsos de Cruzola; et super hiis, que utraque pars tam in scriptis quam verbis vellet allegare et producere, eligantur tres sapientes per electionem in isto consilio, qui videant, examinent et audiant omnes petitiones, querelas et iura partium, et super eis et earum qualibet dent nobis suum consilium in scriptis de hiis, que pro honore nostro et conservatione fame nostre secundum deum et ius providenda essent, habentes consilium, cum quibus eis videbitur, et cum eorum provisione et consilio venietur ad istud consilium, et fiet, sicut videbitur; et quilibet possit ponere partem; et habeant terminum usque ad medium mensem aprilis. 30.

Electi sapientes: ser Joannes Contareno, ser Jacobus Trivisano, ser Bertucius Faletro.

Ser Lisius Vitalis consiliarius vult partem per totum, salvo quod non vult, quod possint ponere partem. 6, non 8, non sinceri 5.

Misti XXVI 90, u mletačkom arkivu.

CCCXL. God. 1352. 12 travnja, u Mletcih.

Njeki Zadrani, koji bjehu iz mjesta svoga progona uzmakli, pozivlju se, da se u opredieljeni rok povrate.

1352. die XII aprilis, capta: cum infrascripti Jadrenses, olim partim confinati Venetiis partim ad insulas et alia loca, spretis mandatis nostris, fregerint confinia sibi data, sicut scribit comes noster Jadre: vadit pars, quod predicti clamentur secundum usum, quod usque ad duos menses debeant coram nobis comparere ad faciendum excusationes suas; alioquin, elapso termino, procedetur contra eos, sua contumacia non obstante.

Nomina eorum sunt: Jacobus dictus Subichus de Cesanio, Marcus de Rava, Colanus de Zorzi, Georgius de Zorzi, Franciscus de Varicassis.

*

1352. 13 aprilis clamati fuerunt isti Jadratini secundum formam partis per preconem.
Misti XXVI. 90, u mletačkom arkivu.

CCCXLI. God. 1352. 14 travnja, u Mletcih.

Produljen rok odboru za korčulanske poslove.

1352. die XIV aprilis, capta: quod terminus sapientum electorum pro factis Curzole elongetur usque per totum mensem presentem.
Misti XXVI. 90, u arkivu mletačkom.

CCCXLII. God. 1352. 17 travnja, u Mletcih.

Naredba glede pažke soli.

1352. indictione quinta, die XVII aprilis, capta: quoniam per comitem nostrum Pagi et provisores nostros, qui fuerunt pridie in partibus Sclavonie, provisum fuerit et factus quidam ordo super sale non incanipando in Pago, et dictus ordo utiliter et bene responderit et sit responsurus in futuro: vadit pars, quod dictus ordo approbetur et confirmetur ad beneplacitum dominacionis in hac forma, videlicet: quod aliqua persona tam terrigena quam forensis non possit modo aliquo sive forma emere vel aliter acquirere salem in Pago vel districtu nec in Jadra vel districtu pro incanipando, exceptis salinas habentibus, qui possint incanipare salem suum tantum, sub pena perdendi dictum salem vel valorem eius, et insuper de ducato uno pro quolibet modio Pagi, de quibus penis accusator, si fuerit, habeat medietatem, rectores seu officiales invenientes quartum, et reliquum sit communis; et comitatur salinariis maris in Venetiis et comitibus Jadre et Pagi et camerariis dictorum locorum, quod inquirant de contrafacientibus, et ab eis exigant dictas penas, qui primo invenerint, de quibus penis non possit fieri gratia contrafacientibus nisi per sex consiliarios et tres partes consilii rogatorum congregatorum a septuaginta supra. De parte omnes.

Consiliarii et capita. Capta: quod ista conventio de accipiendo salem Pagi usque ad tres partes in nostro communi, dimittendo aliam quartam partem specialibus personis deinde possit firmari usque ad illud terminum et pro illis preciis et cum illis cautelis et modis, qui domino, consiliariis, capitibus et sapientibus vel maiori parti videbuntur.

† Ego Johannes Vido notarius curie omnes suprascriptas partes de mandato suprascriptorum dominorum ad hec constitutorum cancellavi in 1376. X ianuarii.
Misti XXVI. 91, u arkivu mletačkom.

CCCXLIII. God. 1352. 23 travnja, u Mletcih.

Dozvoljeno njekomu Zadraninu uslied molbe Bartola, kneza krčkoga, da ostane još za godinu dana u Senju.

1352. die XXIII aprilis, capta: quod ad requisitionem comitis Bartholi, et etiam, quia nostri Veneti, utentes in Segnia, multum instanter scripserunt super hoc, terminus gratie facte Nicoleto Galello Jadratino standi in partibus Segnie per unum annum elongetur per unum alium

annum sub illis modis et conditionibus omnibus, quibus sibi fuit concessa per anno preterito. 97.

Misti XXVI. 91, u arkivu mletačkom.

CCCXLIV. God. 1352. 28 travnja, u Mletcih.

Odboru za stvari korčulanske opet produžen rok; a Marku Contarenu komorniku zadarskomu dozvoljeno, da ga galija u Zadar prebrodi.

1352. die XXVIII aprilis, capta: quod terminus sapientum pro factis Curzole elongetur per totum mensem maii proxime futurum — die ultimo maii, capta: quod terminus sapientum Curzole elongetur usque ad diem VIII iunii.

Capta: quod nobili viro Marco Contareno, ituro de nostro mandato camerario Jadre, fiat gratia secundum consilium sapientum consilii rogatorum, quod levetur super presenti galea, que armatur, cum levibus arnesiis, non prorogando terminum sui recessus, ita quod si ante recessum galee recedere deberet, recedat.

Misti XXVI. 91, u arkivu mletačkom.

CCCXLV. God. 1352. 30 travnja, u Mletcih.

Pogodba medju republikom i pažkom občinom glede pažke soli.

Exemplum compositionis facte inter dominum ducem et commune Veneciarum et sindicos et ambaxatores communis et hominum Pagi. In Christi nomine amen, anno nativitatis eiusdem millesimo trecentesimo quinquagesimo secundo, indiccione quinta, die ultimo aprilis, Veneciis in ducali palacio, presentibus sapiente viro domino Benintendo vicecancelario ducatus Veneciarum, ac providis viris ser Amadeo de Bonguadagnis, ser Raphayno de Charesinis, ser Matheo de Gubio et Johanne Bernardo, omnibus notariis ducatus Veneciarum testibus ad hec vocatis et rogatis et aliis. Providus et sapiens vir ser Andreas de Capiteaggeris notarius curie maioris ducatus Veneciarum, procurator et sindicus incliti et illustris domini Andree Dandulo dei gratia Veneciarum, Dalmatie atque Chroatie ducis, domini quarte partis et dimidie totius imperii Romanie, et sui consilii, habens ab eodem domino duce et suo consilio ad infrascripta omnia et singula agenda et complenda plenum et generale et speciale mandatum, sicut constat publico instrumento per me infrascriptum notarium scripto et condito anno domini millesimo trecentesimo quinquagesimo secundo, indictione quinta, die vigesimo sexto aprilis sindicario et procuratorio nomine supradicto ex una parte, et honestus vir ser zuppanus Marcovig archipresbiter ecclesie sancte Marie de Pago, et suppanus Diminevig et Dessegna Damianig procuratores et sindici domini comitis, iudicum, consilii et communis Pagi, de quorum sindicatu et procuraria constat publico instrumento manu Johannis condam Zannis de Ramriale de Regio notarii imperiali auctoritate, confecto sub anno domini millesimo trecentesimo quinquagesimo secundo, indictione quinta, mense marcii die quintodecimo, a me infrascripto notario viso et lecto, sindicario et procuratorio nomine suprascripto ex altera, cum diu inter partes predictas actum et tractatum fuisset super infrascriptis, finaliter ad infrascriptas compositiones et pacta sponte et ex certa sciencia et non per erro-

rem concorditer et unanimiter devenerunt. Nam ipsi procuratores et sindici domini comitis, iudicum, consilii et communis Pagi, quibus supra nominibus promiserunt eidem ser Andree de Capiteaggeris, recipienti nominibus suprascriptis, quod omnis et totus sal, qui amodo coligetur et fiet in tota insula Pagi, dividatur in quatuor partes equales, de quibus quatuor partibus ipsi comes, iudices, consilium et commune dabunt, tradent et assignabunt eidem domino duci et suo consilio et communi vel nunciis suis ad hoc ordinatis tres partes salis, videlicet qui sit bonus et mercadante. Verum si sit minus quam bonus et mercadante, tunc si ipse dominus dux velet ipsum, extimetur id, quod erit peius, et pro eo, quod extimatum fuerit, remaneat eidem domino duci et suo consilio, si volet ipsum. Quod etiam dictus sal tradetur et mensurabitur nunciis eiusdem domini ducis, consilii et communis predicti ad mensuram veterem et solitam communis et hominum insule Pagi apud salinas, unde ipse sal colligetur et accipietur pro precio vero totius salis, quem capient tres partes predicte. Idem comes, consilium et commune Pagi seu illi, quorum erit sal predictus, debent habere ab ipso inclito dumino duce et suo consilio et communi vel nunciis suis pro quolibet centenario modiorum ducatos decem auri quanta autem pars salis predicti remaneat in insula supradicta eidem comiti, iudicibus, consilio et communi seu illis, quorum esset, quem ipsi possint vendere, tradere et dare quibuscumque et undecumque volentibus de sale predicto, et eum de insula Pagi extrahere et portare et incanipatum tenere, sicut voluerint, ita tamen, quod de ipso sale, quod trahetur de insula, solvatur dacium ordinatum, videlicet quinque ducatorum pro quolibet centenario modiorum eidem domino duci et consilio et communi predicto. Durare autem debent et firma esse pactum et compositio supradicta per duos annos tantum et non plus, videlicet ex nunc usque ad principium salis novi nunc in proximo fiendi et colligendi, et exinde usque ad duos annos tunc proxime venturos. Propterea conveniunt et quibus supra nominibus promiserunt, quod sal vetus collectus et factus, qui est ad presens in insula Pagi, dividatur in duas partes equales, quarum una sit et esse debet ipsius domini ducis et consilii et communis sui, et ad mensuram suprascriptam debeat mensurari, et esse bonus et mercadante, quem possint trahere de insula, et de eo facere sicut volent. Verum in navigio debet caricari sal predictus ad expensas eorum, quorum erit ipse sal, et pro pretio ipsius salis tenetur et debet idem dominus dux et consilium et commune predictum solvere et satisfacere dare et mensurare eidem comiti, consilio et communi, vel illis, quorum erit sal predictus, ducatos auri viginti pro quolibet centenario modiorum salis. Altera vero medietas salis veteris supradicti collecti et facti remaneat in insula supradicta eidem comiti, consilio et communi, vel illis, quorum erit sal predictus, quam ipsi possint vendere, tradere et dare quibuscumque et undecumque volentibus de sale predicto, et eum de insula Pagi extrahere et portare, et incanipatum tenere, sicut voluerint, ita tamen, quod de ipso sale, qui trahetur de insula, solvatur dacium ordinatam, videlicet quinque ducatorum pro quolibet centenario modiorum, eidem domino duci, consilio et communi predicto. Que omnia et singula suprascripta et infrascripta promiserunt partes predicte sibi invicem per solemnem stipulationem intervenientem attendere et inviolabiliter observare, et eis non contrafacere vel venire sub pena dupli valoris eius salis, de quo

fuerit contrafactum, ac sub ea pena, quam imponere voluerit comes presens et qui per tempora erit in Pago pro ducali dominio constitutus, qui comes pro observatione omnium predictorum possit ordinare et statuere ac penam et penas imponere, sicut ei videbitur et placebit, que pena et pene totiens committantur et exigantur a parte contrafaciente et applicetur parti observanti, quociens in predictis et quolibet predictorum per aliam ipsarum parcium fuerit contrafactum, et pena commissa vel non commissa, omnia et singula suprascripta in sua firmitate perdurent. Promiserunt autem partes predicte michi notario infrascripto stipulanti, ut publice persone, omnia et singula suprascripta attendere et observare, et eis non contrafacere vel venire sub ypotecha et obligatione omnium bonorum dicti domini ducis et communis Veneciarum ac dicti communis et universitatis Pagi et omnium et singularum specialium personarum. L. S. Ego Nicolaus de Lambertis imperiali auctoritate notarius et ducatus Veneciarum scriba hiis omnibus interfui, et rogatus scripsi et publicavi.

Commemorialium IV. 209, u mletačkom arkivu.

CCCXLVI. God. 1352. 11 svibnja, u Zadru.

Vieće zadarsko pristaje na pogodbu sklopljenu medju republikom i pažkom občinom glede pažke soli.

In Christi nomine amen. Anno ab incarnacione eiusdem millesimo trecentesimo quinquagesimo secundo, indictione quinta, die undecimo mensis maii, tempore excellentissimi domini nostri domini Andree Dandulo dei gracia Veneciarum etc. incliti ducis, et reverendi patris domini Nicolai a Matafaris Jadrensis archiepiscopi, et egregii ac potentis viri domini Justiniani Justiniano honorabilis comitis et capitanei civitatis Jadre. Cum ducale dominium Veneciarum suprascripto domino comiti et capitaneo et nobilibus et sapientibus viris dominis Petro Faletro, et Johanni Superancio, consiliariis comitis, suis litteris demandasset, ut convocato consilio et universitate bonorum hominum Jadre, exponerent eis pacta et conventiones initas et firmitas inter sindicum eiusdem ducalis dominii ex parte una, et ambaxatores et sindicos communis et hominum Pagi ex altera super facto salis Pagi, et eos hortarentur ad volendum firmare et ratificare pacta et conventiones predictas, ut leguntur et continentur in contractu super inde confecto, cuius copia prout habita fuit litteris ducalibus interclusa districte inferius annotatur in quantum universitatem et homines Jadre tangerent vel possent tangere quoquo modo, et propterea prefati domini comes et eius consiliarii supradicti ducale preceptum optantes executioni mandare, convocatis per precones curie nobilibus dicte terre, et eis in sala comitatus Jadre congregatis, qui representaverunt consilium et totam universitatem nobilium et bonorum hominum civitatis predicte, ipsis sic congregatis proposuerunt pacta et convenciones initas et firmatas, ut superius est expressum, et ad cautelam dictam copiam instromenti seu contractus super inde confecti per cancellarium suum coram eis vulgariter legi et publicari fecerunt, hortantes benigne omnes et singulos congregatos ibidem, quatenus pacta et conventiones predictas in dicta copia et hic inferius seriosius annotatas in quantum commune et universitatem hominum Jadre et homines existentes ibidem et quemlibet eorum et quoslibet alios Jadrenses tangunt

vel possent tangere ratione salinarum et salis, quas et quem habent vel decetero haberent in insula et districtu Pagi, et qualibet alia racione, placeret eis acceptare, approbare et ratificare. Et investigantes dulciter voluntatem eorum, si de premissis volebant esse contenti, qua scriptura pactorum et conventionum in dicto consilio et congregacione lecta, et, ut premittitur, publicata, factaque premissa exposicione verborum, omnes et singuli nobiles et boni homines existentes ibidem pro se et pro tota universitate et communitate Jadrensi et pro omnibus et singulis Jadratinis, habentes et cognoscentes omnia et singula contenta in contractu predicto fore utilia et bona pro eis et tota universitate predicta in quantum ipsos et quemlibet eorum et universam communitatem Jadrensem et singulares personas communitatis predicte tangunt vel tangere possunt seu possent de cetero ratione salinarum et salis, quas et quem habent vel habebunt de cetero in Pago et districtu et qualibet alia racione vel causa, ipsa pacta et conventiones prout iacent in toto dicto contractu et qualibet parte eius ex certa sciencia et unanimi atque libera voluntate acceptaverunt, approbaverunt et ratificaverunt, approbant, ratificant et acceptant, volentes se et quemlibet eorum et alios omnes et singulos Jadratinos ipsis pactis et conventionibus in totum stare debere, et eas firmiter et inviolabiliter observare, de quibus assensu et approbatione factis et gestis, ut superius exponuntur, suprascripti domini comes et eius consiliarii mandaverunt michi infrascripto notario, quod deberem conficere hoc publicum instrumentum.

Tenor vero copie dictorum pactorum et conventionum talis est.

Ovdje se doslovno navadja gori naštampana listina od 30 travnja 1352 do rieči perdurent, *te se nastavlja:*

Actum Jadre in maiori sala comitatus, presentibus Johanne Paternal condam ser Andree Paternal de Veneciis socio supra dicti domini comitis et capitanei Jadre, Marco Bocho condam Masii mercator et Rustigino de Bononia commestabilis pedestre in Jadra, testibus ad hec vocatis specialiter et rogatis et aliis.

L. S. Ego Coradus condam Rangerii, imperiali auctoritate notarius, civis Paduanus et notarius curie Jadre, predictis omnibus presens fui, et rogatus scripsi.

Izvornik na pergameni br. 59 i Commemorialium IV. 215, u ark. mletačkom.

CCCXLVII. God. 1352. 18 svibnja, u Zadru.

Poslanica kneza zadarskoga i njegovih savjetnika u poslu pažke soli.

Copia cuiusdam littere comitis et consiliariorum Jadre super facto salis Pagi. Serenissime domine noster. Magnificentie vestre litteras datas in ducali palatio die XVI mensis aprilis, septimo die mensis maii solita devotione suscepimus continentes, quod de cetero salem Jadre extrahi per mare non permicteremus absque vestra licentia speciali, sed per terram iuxta usum possemus extrahi permictere de ipso, ne merces et victualia, que conducuntur ad civitatem Jadre, a cursu solito desisterent occasione predicta. Super quibus serenitati vestre cum reverentia respondemus, quod mandatum vestrum per nos erit effectualiter observatum. Subsequenter vero vestri dominii litteras habuimus, quarum una continebatur expresse, quod convocato consilio et universitate bonorum hominum Jadre per illum mo-

dum, qui nobis convenientior apparebit faceremus quam citius esse posset affirmari et comprobari pacta et conventiones inter nostrum dominium ex parte una et commune et homines Pagi seu syndicos eorum ex altera super facto salis Pagi initas noviter et firmatas in quantum tangerent vel tangere possent aliquos Jadrenses, pro eo quo sunt plures Jadrenses habentes partem in salinis et sale predictis, et quod de ipsa approbatione fieri faceremus publicum instrumentum, et ipsum dominationi vestre micteremus per nuncium confidentem. Quo mandato reverenter, ut decuit, acceptato, fecimus per precones nostre curie nobiles et bonos homines de Jadre illico convocari. Quibus in sala comitatus congregatis, ea, que nobis scripserat vestrum dominium, exposuimus, eisque legi fecimus copiam dictorum pactorum et conventionum, quam nobis miserat dominatio vestra suis litteris interclusam, hortantes eos ad volendum approbare et ratificare pacta et conventiones easdem in quantum aliquos Jadrenses tangerent vel possent tangere quovis modo. Ipsi vero auditis verbis nostris et scriptura predicta unanimiter et concorditer responderunt, ipsa pacta et conventiones sibi placere, et de eis esse contentos, et ea in quantum tangunt Jadrenses aliquos approbaverunt et ratificaverunt, ut in instrumento, approbationem et emologationem fieri fecimus, distinctius continetur. Instrumentum vero predictum per Blaxium Sabadino latorem presentem ipsis litteris alligatum providimus vestre magnitudini destinare. In altera vero littera cavebatur, ut proclamari facere deberemus ordinem salis datum a vestro dominio, ne videlicet quisquam salem posset emere vel aliter acquirere in Pago vel districtu pro incanipando, exceptis salinas habentibus, qui salem suum incanipare possint, sub pena predendi dictum salem vel valorem eius, et insuper de uno ducato pro quolibet modio Pagi etc., ut in eisdem litteris distinctius legebatur. Quo mandato plenius intellecto, statim dictum ordinem secundum formam litterarum ipsarum fecimus proclamari, et in locis consuetis Jadre publice nuntiari, et eum, in quantum ad nos spectabit, observabimus et observari etiam faciemus. Data Jadre XVIII maii. Justinianus Justiniano de suo mandato comes et capitaneus Jadre, et eius consiliarii.

Commemorialium IV. 215, u mletačkom arkivu.

CCCXLVIII. God. 1352. 22 svibnja, u Mletcih.

Knezu zadarskomu, neka budno pazi na čuvanje onoga grada.

1352. indictione quinta, die XXII maii, capta: quod comiti et capitanio Jadre scribatur in hac forma. Nuper recepimus litteras a comite nostro Arbi, quarum copiam ad informationem vestram mittimus interclusam. Et licet firmiter teneamus, quod omnem provisionem neccessariam habebitis, tamen efficaciter vos hortamur, quatenus ad bonam, vigilem et solicitam custodiam civitatis et castri, sicut speramus, insistere debeatis, facientes dictum castrum furniri et diligenter custodiri die noctuque, et similiter civitatem, ita quod sinistrum aliquod mediante divina gratia nequeat evenire. Et quia dicitur nobis, quod in Jadra et in insulis et in Pago, Segna et aliis terris Sclavonie, silicet Sibinichum, Tragurium et Spalatum sunt multi de Jadratinis, quorum habitacio in civitate vel in locis predictis, que sunt satis proxima civitati, esset suspecta et periculosa, maxime

in istis dubiis, hortamur vos, quatenus taliter provideatis de eis, quod in casu aliquo nostro statui non possint esse nocuum. Nam licet de hoc plenam libertatem et arbitrium habeatis relegandi et confinandi ac mittendi eos, ubi volueritis, nichilominus damus per nostras litteras alligatas presentes nostris rectoribus Sclavonie in mandatis, quod in mittendo ipsos et non retinendo in locis suis faciant, sicut duxeritis requirendum. Idem etiam dicimus de soldatis, si qui essent culpabiles vel suspecti, quod eos puniatis vel cassetis et licencietis quam cicius esse potest, sicut vobis videbitur, rescribentes nobis, si subsidium gencium vel aliarum rerum vobis esset opportunum, quia providebimus sine deffectu, sicut opus fuerit. Mittimus autem vobis ducatos II mille in monetis pro pagis et aliis expensis opportunis, de quorum receptione nobis scribatis.

Rectoribus vero nostris Sclavonie scribantur nova predicta in illa forma, que videbitur dominationi, et quod cum conservatione locorum sibi commissorum debeant predicto comiti Jadre, quotiens requisiti extiterint, dare omne auxilium et favorem, quem poterunt pro conservatione dicte civitatis Jadre et etiam sibi invicem pro defensione locorum sibi commissorum.

Misti XXVI. 92, u mletačkom arkivu.

CCCXLIX. God. 1352. 5 lipnja, u Mletcih.

Odbor izabran, da razvidi razmirice obstojeće medju biskupom i svećenstvom hvarskim s jedne i medju knezom i občinom hvarskom s druge strane.

1352. die quinto iunii, capta: cum episcopus et clerus Lesne conquesti sunt dominio de potestate et hominibus dicti loci de aliquibus iniuriis et novitatibus sibi factis, ut dicunt, per eos, et dictus potestas et homines Lesne miserint huc ambaxatores suos excusantes se et conquerentes de episcopo et clericis et aliquibus suis complicibus, et bonum sit in hoc providere pro sedatione cuiuslibet scandali et erroris et pro contentatione utriusque partis: vadit pars cum dictus episcopus et clerici contententur de nostro iudicio, quod eligantur tres sapientes, qui audiant omnes querelas et peticiones, quas partes voluerint deponere et facere utrinque, et informent se quomodocumque poterunt de veritate negociorum, et dent nobis suum consilium in scriptis, cum quo erimus hic, et fiet, sicut videbitur; et quilibet possit ponere partem, et habeant terminum per totum presentem mensem; et si antea fuerint expediti, antea venire possint ad consilium. Electi sapientes: ser Mapheus Barbadico, ser Nicolaus Viadro, ser Petrus Erizo.

Misti XXVI. 93, u arkivu mletačkom.

CCCL. God. 1352. 9 lipnja, u Mletcih.

Šalju se u Zadar novci za plaće i druge troškove.

1352. die IX iunii, capta: quod pro pagis et aliis expensis neccessariis in Jadra mittantur per provisores nostros, qui nunc vadunt, ducati MM.

Misti, XXVI. 93, u mletačkom arkivu.

CCCLI. God. 1352. 24 lipnja, u Zadru.

Vieće zadarsko ovlašćuje njekoje svoje plemiće, da u njegovo ime sklope pogodbu sa zastupnici republike glede prodaje zadarske soli.

Copia syndicatus super emptione salis facti et fiendi in districtu Jadre. In christi nomine amen. Anno ab incarnatione eiusdem millesimo trecentesimo quinquagesimo secundo, indictione quinta, die vigesimo quarto mensis iunii, tempore serenissimi domini nostri domini Andree Dandulo dei gratia Veneciarum etc. incliti ducis, et reverendi patris domini Nicolay de Matafaris Jadrensis episcopi, ac domini Justiniani Justiniano honorabilis comitis et capitanei Jadre, egregius et potens vir dominus Justinianus Justiniano comes et capitaneus Jadre et nobiles et sapientes viri domini Petrus Falletro et Johannes Superantio consiliarii eius cum voluntate et consensu nobilium et bonorum hominum civitatis Jadre per precones curie Jadre more solito vocatorum, et in sala communitatis Jadre invicem congregatorum, qui representaverunt totum commune et universitatem hominum Jadre, et ipsi omnes et singuli ibidem presentes pro se ipsis vice et nomine dicti communis cum voluntate et assensu suprascriptorum domini comitis et consiliariorum eius unanimiter et concorditer, sponte et ex certa scientia, fecerunt, constituerunt et ordinaverunt ser Marinum de Carnaruto, Paulum Palonbardo et Crescium condam Laurentii de Zivalellis cives Jadrenses ibidem presentes et hoc mandatum sponte suscipientes eorum et dicti communis et universitatis Jadre syndicos, actores, procuratores et certos nuncios speciales, ac quicquid aliud melius dici et censeri potest de iure specialiter ad essendum, conferendum, tractandum, componendum et pacifiscendum per se vel maiorem partem eorum cum quibuscumque deputatis vel deputandis a ducali dominio Venetorum super facto emendi salem, qui fiet de cetero in districtu Jadre et in qualibet parte et loco dicti districtus, et ad promittendum nomine eorum et dicti communis et universitatis Jadre et singularum personarum dicte civitatis et districtus de dando, tradendo et assignando eidem ducali dominio Venetiarum seu nuntiis vel officialibus ad hec per ducale dominium deputatis titulo venditionis omnem et totum salem, quod de cetero fiet in salinis districtus Jadre seu partem eius, et ad conveniendum de pretio dicti salis, et de tempore seu termino usque ad quod seu quem deberent durare premissa cum illis pactis, conditionibus, modis et formis, qui dictis procuratoribus et syndicis vel maiori parti eorum videbuntur et placebunt, et quibus cum emptoribus dicti salis poterunt convenire; et ad faciendum et fieri faciendnm de predictis et quolibet predictorum unum et plura publica documenta manu cuiuscumque notarii, et ipsum et ipsa vallandum, roborandum, muniendum et confirmandum omnibus et singulis promissionibus, obligationibus, conventionibus, pactis, modis, condictionibus, pene et penarum adiectionibus, dicti communis, universitatis et singularum personarum dicte civitatis et districtus Jadre et successorum atque heredum suorum bonorum obligationibus, renuntiationibus, et quibuscumque aliis solempnitatibus in talibus vel similibus contractibus usitatis seu quomodolibet oportunis, et generaliter ad omnia alia et singula facienda, exercenda, et firmanda in predictis et quolibet predictorum, que ipsimet constituentes et unusquisque eorum nomine suo et dicti communis et universitatis Jadre, si adessent, facere

possent, etiam si mandatum exigant speciale; dantes et concedentes dicti domini comes et eius consiliarii vice et nomine dicti communis et universitatis Jadre cum consensu et voluntate dictorum nobilium et bonorum hominum Jadre congregatorum ibidem, et ipsi homines cnm voluntate et assensu dictorum dominorum comitis et consiliariorum pro se et dicto communi dictis procuratoribus et syndicis et maiori parti eorum plenum, liberum et generale mandatum cum plena, libera et generali administratione. Promitentes insuper michi notario infrascripto ut persone publice conhaenti et stipulanti pro omnibus et singulis, quorum interest, intererit seu interesse posset, se firma et rata habere perpetuo omnia et singula, que per dictos suos syndicos et procuratores vel maiorem partem eorum facta, gesta seu firmata et stabilita fuerint in premissis et quolibet premissorum sub ypoteca et obligatione omnium bonorum dicti communis presentium et futurorum, costituentes se dictis nominibus fideiussores pro eis in omnibus et singulis antedictis. Actum in palatio comitatus Jadre presentibus Johanne Bernardo, notario ducatus Veneciarum, et Nicolao dicto Cho filio condam Dragani de Veneciis abitatore Jadre et aliis testibus ad hec vocatis specialiter et rogatis. Ego Johannes Vido cancellarius Jadre examinavi et subscripsi. Ego Dominicus de Zovenoltis filius olim domini Tomaxii, civis Cremone, auctoritate imperiale notarius, ac notarius curie Jadre hoc instrumentum de mandato supradictorum dominorum comitis et consiliariorum et universitatis suprascripte scripsi et in publicam formam redegi.

Commemorialium IV. 216, u mletačkom arkivu.

CCCLII. God. 1352. 24 lipnja, u Zadru.

Pogodba, po kojoj zadarsko vieće prodaje republici svu sol, koja se činila u njegovu kotaru.

Copia instrumenti emptionis salis districtus Jadre. In christi nomine amen. Anno ab incarnatione eiusdem millesimo trecentesimo LII, indictione V, die vigesimo quarto mensis iunii, tempore serenissimi domini nostri domini Andree Dandulo dei gratia Veneciarum etc. incliti ducis, et reverendi patris domini Nicolai de Matafaris Jadrensis archiepiscopi, ac domini Justiniani Justiniano honorabilis comitis et capitanei Jadre. Egregius et potens vir dominus Justinianus Justiniano honorabilis comes et capitaneus Jadre et nobiles et sapientes viri dominus Petrus Falletro et Johannes Superantio consiliarii eius, nec non egregii et prudentes viri domini Jacobus Delphino, Nicolaus Nani et Albanus Mauroceno honorabiles provisores pro ducali dominio in partibus Sclavonie ad suprascripta omnia et singula facienda, complenda et firmanda habentes a ducali dominio Venetiarum plenum et sufficiens mandatum, sicut pro litteris ducalibus datis in ducali palatio die nono mensis iunii, quinte indictionis nomine et vice dicti dominii ducalis ex parte una, et nobiles viri ser Marinus de Carnaruto, Paulus Palonbrado, et Cressius olim Laurentii de Zivalellis cives Jadrenses, procuratores et syndici suprascripti domini comitis, consiliariorum, communis et universitatis Jadre, de quorum syndicatu et procuraria pro publico documento facto anno, indictione, mense et die predictis per manus mei notarii infrascripti syndicario et procuratorio nominibus antedictis ex

altera, habito et celebrato super infrascriptis inter se tractatis, et deliberatione sollempni, tandem ad infrascriptas compositiones et pacta sponte et ex certa scientia et non per errorem concorditer et unanimiter devenerunt. Quia videlicet prefati syndici et procuratores domini comitis, consiliariorum, communis et universitatis Jadre, quibus supra nominibus promiserunt eisdem egregiis et potentibus viris dominis comiti, consiliariis et provisoribus memoratis stipulantibus et recipientibus nomine quo supra, quod omnis et totius salis, quod amodo fiet et colligetur in toto districtu Jadre et in qualibet parte dicti districtus deductis seu detractis modiis XII milie salis predicti quolibet anno, que remaneant in Jadra pro usu Jadre et districtu et pro exportatione solita fieri per Morlachos et alios per terram tantum, totum residuum salis integraliter ipsi domini comes, consiliarii et commune dabunt, tradent et assignabunt eidem ducali dominio vel nunciis seu officialibus suis ad hoc ordinatis, videlicet quod sit bonus et merchadante. Verum si foret minus quam bonus et merchadante, tunc si predictum ducale dominium nolet ipsum, extimetur id, quod erit peius, et pro eo, quod extimatum fuerit, remaneat dicto ducali dominio, et quod etiam dictus sal tradetur et mensurabitur nunciis vel officialibus dicti ducalis dominii ad mensuram veterem et solitam communis Jadre apud salinas, unde sal colligetur, et accipietur, dum modo ipse sal sit siccus et saxionatus taliter, quod placeat domino comiti et suis consiliariis et officialibus ad hoc in Jadra deputatis per ducalem dominium antedictum. Pro pretio vero totius salis, quod dabitur et assignabitur prefato ducali dominio vel nunciis seu officialibus suis ad hec deputatis, quia sal, qui fit in districtu Jadre, est de sortibus duabus, ideo dominus comes, consiliarii et commune seu illi, quorum erit sal predictus, debent habere et recipere ab ipso ducali dominio vel nunciis et officialibus suis pro quolibet centenario modiorum de meliori et pulcriori ducatos aureos decem, de alio vero sale, qui non erit tam bonus et pulcer, ducatos octo auri cum dimidio, salvo eo quod dictum est, si sal esset minus quam bonus et mercatande, quod in dicto casu fiat et servetur, ut superius est expressum. Durare autem debeat et firma esse pactum et compositio suprascripta per duos annos tantum et non plus, videlicet ex nunc usque ad principium salis novi nunc in proximo fiendi et colligendi, et ex inde usque ad duos annos tunc proxime venturos. Que omnia suprascripta et infrascripta promiserunt dicte partes sibi invicem per sollempnem stipulationem intervenientem attendere et inviolabiliter observare, et eis non contrafacere vel venire sub pena dupli valoris eius salis, de quo fuerit contrafactum, ac sub ea pena, quam imponere voluerint dominus comes et consiliarii eius, qui ad presens sunt et per tempora erunt in Jadra per ducale dominium constituti. Qui domini comes et consiliarii pro observatione omnium premissorum possint ordinare et statuere et penas imponere, et pene exigantur a parte contrafaciente, et applicentur parti observanti quotiens in predictis et quolibet predictorum per aliquam ipsarum partium fuerit contrafactum cum utriusque partis dictis nominibus obligatione bonorum, et pena commissa vel non commissa, soluta vel non soluta, omnia et singula supradicta in sua firmitate perdurent. Actum in palatio communis Jadre, presentibus ser Johanne Paternal et Gasperino Mallaxa sociis prefati domini comitis Jadre, et Nicolao dicto Cho condam Dragani Barberii, omnibus de

Veneciis, testibus ad hec vocatis specialiter et rogatis. Ego Johannes Vido cancellarius Jadre examinator subscripsi. Ego Dominicus de Zovenoltis filius olim domini Thomaxii, civis Cremone, auctoritate imperiali notarius et notarius curie Jadre, predictis omnibus interfui, et rogatus scripsi.

Commemorialium IV. 216, u mlet. arkivu.

CCCLIII. God 1352. 26 lipnja, u Mletcih.

Riešenja u poslu razmirice obstojeće medju knezom i občinom korčulanskom.

1352. die XXVI iunii, capta: quia ordinatum est, quod post nonam vocetur consilium rogatorum pro factis Curzole: vadit pars, ut consilium bene assembletur, et quod possit fieri illud, quod sit iustum pro utraque partium, quod dictum consilium nunc et alias, quando vocabitur pro factis predictis, vocetur sub pena solidorum quadraginta, et legatur consilium.

Capta: quia differentie exorte inter comitem et homines Curzole sunt forsitam producture partibus periculosum effectum, nisi provideatur remediabiliter super eis, et opus caritatis sit ac nostro honori conveniens facere posse nostrum, quod partes ad concordiam reducantur, et secundum deum et iustitiam in quieto statu et pacifico conserventur, vadit pars: quod dicatur ambabus partibus, quod, optantes salutem et bonum utriusque, excogitavimus infrascripta, que nobis videntur rationabilia et honesta, et que faciunt pro statu et conservatione eorum tam pro presenti quam pro futuro tempore. Et libenter volumus ac ipsos ortamur quantum efficaciter possumus, quod ipsa acceptent et admittant pro bono suo, quia sine dubio in processu temporis evidenter cognoscent ea ad eorum utilitatem et statum pacificum reddundare.

Primo namque videtur nobis, quod omnes offensiones et iniurie criminales quoque modo facte hactenus per comitem seu filios aut alios officiales suos contra commune et homines et singulares personas de Curzola remittantur ct quietentur ex toto; et e converso fiat de offensionibus et iniuriis criminalibus pro Curzolanis commissis contra comitem atque suos. — Item quod omnes querele et petitiones civiles, quas commune et homines Curzole faciunt ad presens seu facere possent usque ad diem presentis concordie contra comitem predictum, filios et alios officiales suos de quibuscunque extorsionibus, gravitatibus et exactionibus illicitis, sopiantur et remittantur ex toto, salvo de pecunia universitatis et communis Curzole, quam constaret eos habuisse, de qua reddere debeant debitam rationem, et similiter si obligati essent in aliquo specialibus personis, debeant eis reddere, quod tenentur. — Item quod universitas et homines Curzole recognoscant et de novo approbent dictum comitem et successores seu heredes eius, et illos de prole de ca Georgio in comites dicte insule secundum formam conventionum olim habitarum cum domino Marsilio Georgio, et ei ac suis heredibus ac successoribus tamquam vero comiti et rectori fideliter debeant obedire, et quod ei et suis reserventur et de novo confirmentur omnia sua iura in comitatu predicto. Item quod utraque partium stare debeat sententie alias late inter eos per procuratores sancti Marci tanquam iuste et honeste, et eam observare integraliter in qualibet parte sui cum infrascriptis declarationibus: quod Curzolani debeant dare comiti et heredibus ac successoribus eius libras septingentas, quas ei dare debent

pro suo sallario ad grossos ad illas monetas, que current per tempora, et sicut current per tempora, et sicut current in terris nostris Dalmatie. — Item quod utraque partium ex nunc contentetur et promittat per se et successores suos recognoscere nos et commune Venetiarum pro superioribus suis; et quod si comes et sui vellent conqueri, quod per universitatem Curzole fieret eis aliqua violentia, molestia vel turbatio in iuribus et iurisdictionibus sui comitatus, nos debeamus et teneamur ei facere rationem et iustitiam, et ipsum manutenere et conservare in suis iuribus secundum deum et iustitiam; et e converso si universitas vel singulares persone de Curzolanis vellent conqueri de comite vel filio seu aliis suis de aliqua offensione, iniuria, gravamine vel molestia civili aut criminali imposterum fienda, debeamus et teneamur eis facere rationem, sicut faceremus et facimus nostris fidelibus insule Vegle, quando volunt conqueri de comitibus suis. Et pro hoc comes et universitas ac singulares persone Curzole teneantur quolibet triennio nobis et nostro communi iurare fidelitatem et obedientiam, et promittere, quod quandocumque fecerimus exercitum per mare, facient sicut faciunt illi de terris nostris a Grado ad Caput aggeris, et quando fecerimus exercitum per terram in Dalmatia, facient sicut alie terre Dalmatie in subsidium et honorem nostrum. Et nos debeamus eos conservare in ratione et iustitia, et manutenere in protectione nostra et statu pacifico, ut superius dictum est. Et quandocumque per mortem vel alio modo deficeret comes Curzole, alius, qui debebit succedere, antequam incipiat regimen exercere, debeat a nobis confirmationem et investitionem recipere et facere sacramentum, sicut faciunt comites Vegle. Et statuatur terminus eis ad deliberandum per totum mensem iulii proximi, dicendo eis, quod si placet eis acceptare predicta, bene quidem, alioquin elapso termino utraque partium faciat facta sua; quia postquam nollunt acquiescere hiis, que credimus et cognoscimus pro eis utilia et honesta, non intendimus nos in eorum differentiis ulterius impedire. Non sinceri 16, non 17, de parte 50.

Misti XXVI. 94, u arkivu mletačkom.

CCCLIV. God. 1352. 30 lipnja, u Mletcih.

Knez korčulanški pristaje na riešenja mletačke vlade u poslu njegove razmirice sa korčulanskom občinom.

1352. die ultimo iunii. Nota: quod die terciodecimo septembris 1352, VI indictione comparuit nobilis vir dominus Johannes Georgio comes Cruzole coram domino duce et eius consiliariis, et dixit, quod pro parte sua et quantum partes suprascripte super facto illorum de Cruzola ipsum tangebant, deliberaverat, et quod pro se et parte sua contentabatur et volebat stare dictis partibus et omnibus contentis in eis.

Misti XXVI. 94, u arkivu mletačkom.

CCCLV. God. 1352. 5 srpnja, u Mletcih.

Dozvoljava se knezu i občini korčulanskoj, da se do konca rujna izjave o riešenju njihove razmirice mletačkim viećem predloženu.

1352. die V iulii, capta: quod ad petitionem comitis Curzole et ambaxiatorum communis et hominum Curzole elongetur terminus ambabus

partibus respondendi super facto partis capte in isto consilio per totum mensem septembris proximi.

Misti XXVI. 95, u arkivu mletačkom.

CCCLVI. God. 1352. 24 srpnja, u Mletcih.

Dozvoljeno gradovom Koronu i Metonu, da se sdruže u savez sa susjednimi Francezi proti Turčinu.

1352. die XXIV iulii, capta: quod super litteris transmissis ducali dominio per castellanos Coroni et Mothoni super facto unionis fiende pro incursionibus Turchorum, consulunt viri nobiles Johannes Contarenus et Andreas Maurocenus, olim castellani Coroni et Mothoni, quod scribatur castellanis predictis, quod placet nobis et sumus contenti pro conservatione locorum et fidelium nostrorum, quod in dei nomine unio, quam describunt fieri cum Francigenis circavicinis suis, fiat in hunc modum, videlicet: quod per commune nostrum Venetiarum contribuantur in unione predicta duo corpora galearum et unus ligni furnitum, et quod Francigene predicti cum illis de ecclesia, qui ad hoc hinc habent contentari, contribuant et faciant duas partes expensarum ipsius armate, et nostri fideles deinde tam extrinseci quam intrinseci, qui propter dictam armatam magnum comodum sencient, et similiter debent sentire gravamen, reliquam terciam partem contribuant per modum colectarum inter eos, aut per modum daciorum imponendorum vel aliter, prout eis melius apparebit, cessantibus ipsis a fortiliciis, quas facere portulabant, quia per hunc modum fideles nostri et sui ab incursionibus perfidorum Turchorum illesi poterunt permanere. Et quia illi de Mena alii ad hoc contentare videbantur, poterunt eos et alios de aliis partibus circumvicinis, qui sibi viderentur, requirere et inducere ad contribuendum aliquid in unione predicta pro salute et conservatione sua et suorum cum illis verbis, que eis ad hoc conveniencia videbuntur, et quod dicti castellani provideant deinde de armando galeas et lignum predictum prout melius poterunt, et quod capitaneria remaneat nostris, prout scribunt; que unio durare debeat, ut profectus ipsius videri possint, per unum annum ab inceptione armate eiusdem. Scripta castellanis die 8 augusti, replicata die 28 augusti.

Misti knj. XXVI. 95, u arkivu mletačkom.

CCCLVII. God. 1352. 1 kolovoza, u Mletcih.

Nalaže se knezu i sudcem hvarskim, da njeku odsudu neovrše, dokle se neriesi razmirica, obstojeća medju biskupom i obćinom hvarskom.

1352. die primo augusti, capta: cum per potestatem nostrum Farre et Brace et iudices deinde facta fuerit quedam condemnatio contra quemdam officialem episcopi Farre, et multe differencie et questiones ventilate sint et presentialiter ventilentur inter illos de Farra ex una parte et ipsum episcopum ex altera, quibus pendentibus plena informatio de dicta condemnatione haberi non posset: vadit pars, quod scribatur dicto potestati et iudicibus, quod supersedeant super exequutione ipsius condemnationis, donec omnes dicte questiones et differentie fuerint fine debito terminate. Et si consilium etc. 44, 49; de non 38, 37; non sinceri 12, 10.

Misti XXVI. 95, u mletačkom arkivu.

CCCLVIII. God. 1352. 24 srpnja, u Mletcih.

Riešenje u poslu razmirice, koja je obstojala medju biskupom i obć. hvarskom.

In christi nomine amen. 1352, indictione quinta, die XXIV iulii, capta in rogatis. Cum multe dissensiones et discordie et questiones hactenus orte sint inter venerabilem virum dominum Stephanum dei gratia episcopum Farensem et clerum suum ex una parte, et potestatem, commune et universitatem dicte terre ex altera, et per utramque partem predictarum instanter supplicatum fuerit ducali dominio, quatinus dignaretur sedare dictas questiones et diferencias, et eas cognoscere, terminare et diffinire secundum quod sibi iustum et conveniens apparebit. Unde ducalis dominacio, audiens supplicaciones et requisiciones ipsarum parcium causa ponendi concordiam et bonam voluntatem inter ipsas partes, elegit infrascriptos tres sapientes, videlicet viros nobiles ser Mapheum Barbadico, Nicolaum Viadro et Petrum Herizo cives Veneciarum, ad consulendum et examinandum questiones et discordias supradictas. Qui quidem sapientes, auditis querellis, requisicionibus et allegacionibus parcium predictarum, ac omnibus et singulis dependentibus ab eisdem, examinaverunt et consulerunt super huiusmodi questionibus, prout hic inferius declaratur, videlicet: quod omnino imponatur scilentium predictis discordiis et iniuriis, et quod scribatur potestati et hominibus dicte terre, ac notificetur episcopo supradicto et clero suo, quod debeant supradicta et infrascripta omnia plenarie observare. Et cum alias per potestatem Lesne mandatum et inhibitum fuit, quod homines et persone de Lesna non deberent ire ad audiendum divina officia in preiudicium dicti cleri; ideo consulunt sapientes predicti pro bono pacis et concordii, ut scribatur potestati predicto, quod dictum mandatum debeat revocare in totum, et ordinare effectualiter, quod quilibet de dicto loco vadant et redeant ad divina officia supradicta iuxta consuetudines antiquatas. Item cum alias, videlicet die XXVI marcii nuper preteriti pro parte potestatis predicti et iudicum et officialium dicte terre quedam generalis proclamatio facta foret in locis dicte terre publicis consuetis, quod nulla persona subiecta temporali dominio auderet respondere dicto episcopo nec clero suo de aliquibus decimis, nec vendere seu dare eis aliqua victualia nec loqui predictis sub certa gravi pena, consulunt sapientes predicti, quod omnia predicta removeantur et taliter, quod ipse episcopus et clerus suus ad pristinum statum reducantur, et quod omnia bona accepta ipsi episcopo et clero suo et fabrice, eisdem cum integritate restituantur vel valor eorum, si non reperirentur. Et ordinetur, quod omnia iura decimalia spectancia ecclesie occasione fabrice deveniant ad manus alicuius fidelis procuratoris ecclesie fiendi secundum morem solitum, qui procuret cum effectu, quod ea, que spectant dicte ecclesie occasione fabrice, non dispensentur in alio, quam in laboreriis et ordinamentis ecclesie supradicte. Item cum predicte iniurie et offense pervenerint et orte sint inter ipsas partes, ut dicunt, nomine et occasione unius iubani seu exactoris decimarum, dicente et alegante episcopo, quod ad eum solum expectat electio dicti iubani; et e converso dicentibus et opponentibus in contrarium dictis potestate, universitate et hominibus dicte terre, quod de longa et antiqua consuetudine dictus iubanus debet eligi per episcopum suprascriptum de quatuor solis domibus de nobilibus dicte terre, et postea confirmari per potestatem iamdictum, consu-

lunt sapientes predicti, quod in facto ipso nnlla novitas fiat quantum ad presens, sed remaneat in statu, quo est, donec aliqui testes, qui sunt absentes, quos volunt producere dicte partes tam in Veneciis quam extra, examinati fuerint super hoc, cum per aliam viam non possit declarari factum ipsum nisi per confessiones testium predictorum, relaxantibus partibus supradictis suos procuratores ad plenum, qui loco et tempore debito valeant prosequi factum ipsum. Item pro omni bona causa, ut evitentur omnia scandala et errores, qui oriri possent inter ipsas partes, et ut ipsarum quelibet habeat merito contentari, consulunt sapientes predicti, quod sine preiudicio iuris parcium per ducale dominium eligatur unus iubanus, sicut sibi pro bono facti videbitur et placebit, qui de cetero tam pro parte communis quam episcopi et cleri sui exigat decimum supradictum, qui conservet et distribuat dictum decimum tam dicto episcopo et clericis, quam in aliis locis et mayneriebus, sicut solitum est fieri. Qui iubanus durare debeat solum, donec examinati fuerint testes producendi per ipsas partes, et donec questio dicti iubani fuerit integraliter diffinita. Et quod statuatur terminus peremptorius partibus supradictis per ducale dominium ad nativitatem domini nostri iesu christi proximam mitti Venetias ad faciendum examinari testes suos et producendum omnia iura sua, que intendunt producere in facto iubani predicti, declarando dictis partibus, quod si elapso dicto termino non adimpleverint supradicta contenta in presenti capitulo, quod taliter per ducale dominium fiet, sicut sibi videbitur et placebit. Ceterum iuxta partis predicte continenciam et tenorem elegimus providum virum Nicoletum Blondo civem et fidelem nostrum illuc venturum ad expensas communes partium, de cuius adventu partes predicte reputant se contente. Verum pars, que succumbet in causa, debet solvere omnes expensas. Quare eundem Nicolaum habentes nostro intuitu recommissum, ad executionem sibi commissorum negociorum debeat potestas Lesne dare auxilium, consilium et favorem, ut de sua fidelitate speramus.

Misti, XXVI. 96, u arkivu mletačkom.

CCCLIX. God. 1352. 11 kolovoza, u Mletcih.

Dopušćeno njekomu Zadraninu, da se u zadarske otoke iz Mletaka, gdje je u progonu živio, izseli.

1352. indictione quinta, die undecima augusti, capta: quod de gratia concedatur, sicut consulunt advocatores communis, Cresi condam Dobri de Begna de Jadra, Veneciis confinatus, eius extrema miseria et inopia attentis, cum non habeat, unde valeat ducere vitam suam, quod possit ire ad insulas civitatis Jadre tantum, et non alio. 72, non 6, non sinceri 3.

Misti XXVI. 96, u mletačkom arkivu.

CCCLX. God. 1352. 13 rujna, u Mletcih.

Upućuju se providuri u Dalmaciji, neka nastoje, da kneginja kliška povjeri obranu svojih tvrdjava republici, dokle joj sin doraste.

1352. indictione VI, die XIII septembris. Dominus, consiliarii et capita, excepto ser Paulo Belegno. Capta: cum castra et loca Clissii et Scardone sint utilissima ymo necessaria ad conservationem terrarum et status nostri in partibus Sclavonie, et stantibus eis in manibus comitisse subia-

cent manifestis periculis, sicut per experienciam visum est: vadit pars, quod scribatur provisoribus nostris Sclavonie, quod libenter vellemus, quod dicta loca pro omni bona causa forent in protectione et custodia nostra; et propterea vellemus, quod cum illis verbis et modis, qui sibi convenienciores et utiliores videbuntur, debeant conferre cum dicta comitissa, et eam suo posse inducere, quod ipsa ponat et tradat dicta castra in protectione et custodia nostra, donec eius filius ad etatem legittimam fuerit, cum illis avantagiis, promissionibus, convencionibus et modis, qui viderentur decentes, ostendendo, quod hoc dicitur solum pro evitandis periculis et damnis, que leviter possent ipsi et filio pervenire, quia tales persone auderent contra eam et filium facere novitatem, que contra nos, si scirent, loca custodire et salvari per nos, non auderent modo aliquo attentare. Et vellemus, quod circa hoc ipsam hortari debeant, et trahere ab ea finalem intencionem suam, et illam seriose nobis rescribere quam cicius esse potest, et eorum consilium. Verum quia ipsi provisores diu fuerunt in partibus Sclavonie, et potuerunt sentire et cognoscere multum de disposicione et intencione sua, relinquimus in eorum discretione tangendi verba prefata ipsi domine vel non tangendi, sicut eis pro honore et bono nostro habito in omnem partem respectu melius videatur.

Misti XXVI. 97, u arkivu mletačkom.

CCCLXI. God. 1352. 27 rujna, u Mletcih.

Šalju se novci u Zadar za plaće. Knez i obćina korčulanska pristaju na riešenje njihove razmirice po predlogu vieća mletačkoga.

1352. die XXVII septembris, capta: quod pro pagis soldadorum et aliis expensis opportunis mittantur Jadram ducati duomillia, de quibus camerarii de inde debeant dare provisoribus nostris pro expensis opportunis fieri pro nostris servitiis sibi commissis, sicut erit necesse.

Capta: cum comes Curzole pro parte sua et syndici universitatis, communis et hominum Curzole pro parte sua reverenter contentaverint cum bono et sincero animo ad ea, que capta fuerunt in isto consilio, et de hoc sit rogatus per partes contractus in presentia dominationis secundum formam infrascriptam hic lectam; vadit pars, quod acceptentur, approbentur et ratificentur per istud consilium contentationes et oblationes et obligationes premisse secundum formam dicti contractus. Et quia utraque partium facit et facere intendit aliquas requisitiones sibi vicissim et apud dominium, eligantur tres sapientes per electionem in isto consilio, qui audientes et examinantes requisitiones predictas, dent nobis suum consilium in scriptis, cum quo erimus hic, et fiet sicut videbitur; et quilibet possit ponere partem et habeant terminum usque ad medium mensem futurum. 28, de non 10, non sinceri 8.

Electi sapientes: ser Andreas Lauredano sancti Canciani, ser Nicolaus Trivisano sancti Angeli, ser Laurentius Superantio.

Misti XXVI 97, u mletačkom arkivu.

*

CCCLXII. God. 1352. 26 rujna, u Mletcih.

Pogodba mira medju knezom i obćinom korčulanskom.

Carta submissionis et pactorum insule Curzole et comitis eiusdem insule. In nomini domini amen, anno nativitatis eiusdem domini millesimo trecentesimo quinquagesimo secundo, indictione quinta, die vigesimo sexto septembris, in ducali palacio Veneciarum, presentibus providis viris dominis Benintendi cancellario communis Veneciarum, Raphayno de Carisinis notario et scriba ducalis curie maioris Veneciarum, ser Andrea Venerio scriba arsanatus, Nicoleto Martinengo condam Michaelis sancti Johannis novi, Bernardo dicto Rizo precone communis Veneciarum, et aliis quam pluribus testibus ad hec specialiter vocatis et rogatis. Claret in terris velut luminare prefulgidum ducalis eminencia dignitatis, cuius circumspectionis integritas cuncta, que sunt iusticie sic rimatur, sicque singula providi maturitate consilii dispensat et ordinat, ut pacis fructus consurgat ex ipsis, nec dissensionis vicium sapiat, quicquid sub eius examine contingit quomodolibet experiri. Huius gloriosissime sedis fontem avide querunt undique sicientes, in qua inveniunt tam alienigene quam subiecti favorem precipue caritatis et benignitatis affluenciam cum plenitudine gratiarum, hec enim tamquam unicum orbis reffugium dissidiis pacem prebet, deformata reformat, corrigenda corrigit et dirigit indirecta. Qua propter egregius vir dominus Johannes Georgio, natus condam domini Rogerii Georgii, comes Curzolanus ex una parte, et providi viri ser Syracus Odhonovich et Vidosius Prodhonovich, sindici universitatis, communis et hominum Curzole, sicut patet instrumento dicti sindicatus scripto manu Sofredi condam ser Parini, de Pistorio notarii in MCCC quinquagesimo secundo, indictione quinta, die quarto mensis augusti, a me infrascripto notario viso et lecto, ex altera. Inter quos humani generis inimicus graves excitaverat per tempora discordias, differencias atque lites preiudiciales utrique dicte civitati et partibus producturas effectum, ad presenciam serenissimi et excellentissimi domini sui domini Andree Dandulo dei gratia Veneciarum ducis etc. suique consilii accedentes, et eorum protectionem, graciam et favorem, velut veri et legitimi domini tocius Dalmacie, supradictis differentiis quietandis, et salubri statu eorum humiliter implorantes, cognoscentes benignitatem et immensam clemenciam dicti dominii, sub quo populi proficiunt, et multiplicata utilitas gencium custoditur, ad infrascriptas conventiones, promissiones et pacta, invocata christi gratia pervenerunt, videlicet:

Primo quod omnes offensiones et iniurie criminales quoquo modo hactenus facte per dictum comitem seu filios aut alios officiales suos contra commune, homines et singulares personas de Curzola remitantur et quietentur ex toto; et e contrario fiat de omnibus offensionibus et iniuriis criminalibus per Curzolanos comissis contra dictum comitem atque suos.

Item quod omnes querelle et petitiones civiles, quas commune et homines Curzole faciunt ad presens seu facere possent usque ad diem presentis concordie contra comitem predictum, filios et alios officiales suos de quibuscumque extorsionibus, gravitatibus et exaccionibus illicitis, sopiantur et remitantur ex toto, salvo de pecunia communis et universitatis Curzole, quam constaret eos habuisse, de qua reddere debeant debitam racionem.

Et similiter si obligata essent in aliquo specialibus personis, debeant eis reddere, quod tenentur.

Item quod universitas et homines Curzole recognoscant et de novo approbent dictum comitem et successores suos seu heredes eius, et illos de prole Georgio in comites dicte insule secundum formam convencionum olim habitarum cum domino Marsilio Georgio et ei ac eius heredibus et successoribus tamquam vero comiti et rectori fideliter debeaut obedire, et quod ei et suis reserventur et de novo confirmentur omnia sua iura in comitatu predicto.

Item quod utraque parcium stare debeat sententie alias late inter dictas partes per procuratores sancti Marci tanquam iuste et honeste, et eam observare integraliter in qualibet parte sui cum infrascriptis declarationibus, videlicet quod Curzolani dare debeant dicto comiti et heredibus ac successoribus libras septingentas, quas dare debeant dicto comiti pro suo salario ad grossos, ad illas monetas, que current per tempora, et sicut current in terris Dalmacie dominacionis ducalis.

Item quod utraque parcium ex nunc contentetur, et promittat per se et successores suos recognoscere dominacionem ducalem et commune Veneciarum pro superioribus suis. Et quod si comes et sui vellent conqueri, quod per universitatem Curzole fieret eis aliqua violencia, molestia vel turbacio in iuribus et iurisdictionibus sui comitatus, ducalis dominacio et commune Veneciarum teneatur et debeat ei facere racionem et iusticiam et ipsum manutenere et conservare in suis iuribus secundum deum et iusticiam. Et e converso si universitas et singulares persone de Curzola vellent conqueri de comite vel filiis, seu aliquo de suis de aliqua offensione, iniuria, gravamine vel molestia civili aut criminali in posterum fienda, debet et tenetur ducalis dominacio et commune Veneciarum eis facere racionem, sicut faceret et facit fidelibus suis insule Vegle, quando volunt conqueri de comitibus suis. Et pro hoc comes et universitas ac singulares persone Curzole teneantur quolibet trienio ducali dominacioni et communi Veneciarum iurare fidelitatem et obedienciam; et promittere, quod quandocumque commune Veneciarum faceret exercitum per mare, facient sicut faciunt alie terre Dalmatie in subsidium et honorem ducalis dominii et communis Veneciarum. Et commune Veneciarum teneatur et debeat dictos de Curzola conservare in racione et iusticia et manutere in protectione sua et statu pacifico, ut superius dictum est. Et quandocumque per mortem vel alio modo defficeret comes Curzole, alius, qui debebit succedere, antequam incipiat regimen exercere, debeat a ducali dominacione confirmacionem et investituram recipere et facere sacramentum, sicut faciunt comites Vegle.

Quas quidem conventiones, promissiones, concordias, submissiones et pacta, ut superius continetur, prefatus dominus dux et eius consilium nomine et vice ducalis dominii et communis Veneciarum pro bono et statu pacifico utriusque partis pro sua benignitate et precibus et instantia dictarum partium gratiose admisit et acceptavit. Et insuper prefatus dominus Joannes Georgio comes pro se suo nomine et heredum et successorum suorum, et dicti syndici pro se suis nominibus et syndicario nomine communis, hominum et universitatis Curzole per solempnem stipulationem promiserunt sibi vicissim et dicto domino duci eiusque consilio recipientibus et

postulantibus nominibus supradictis, ac ipse inclytus dominus dux et eius consilium nomine communis Venetiarum promissit dictis partibus dicta pacta, convenciones, concordias, compositiones, et submissionem per se et successores suos perpetuo habere et tenere firma, rata, grata et irrevocabilia in omnibus et per omnia sicut superius continetur, et nunquam contrafacere vel venire in parte vel toto de supradictis per se vel per aliquem aliqua racione vel causa de iure vel de facto, sub pena centum marcharum argenti stipulacione promissa hinc inde in singulis capitulis huius contractus. Que pena tociens exigatur, quociens fuerit contrafactum vel ita non fuerit observatum. Qua pena soluta vel non, nichilominus pars, contractus et omnia et singula supradicta et in eo contenta perpetui roboris obtineant firmitatem. Renunciantes dicte partes et ipsarum quelibet exceptioni doli, mali et in factum generalis contractus simulacioni, fori privilegio nec non omni et cuilibet suo iuri tam publico quam privato seu privilegio habito vel habendo, ac etiam cuilibet statui et consuetudini, et cuilibet alii iuri tam canonico quam civili. Et obligantes dicte partes pro hiis attendendis et observandis omnia sua et quorum sunt syndici bona mobilia et immobilia presentia et futura.

L. S. Ego Leonardus des Coronellis imperiali auctoritate notarius interfui et rogatus scripsi.

Pactorum, u arkivu mletačkom knj. V. 126, a u bečkom knj. V. 290 i u knjizi Misti XXVI. 99, gdje je još ovo primetnuto:

MCCCLII. indictione VI, die nono ianuarii supradictus dominus comes Curzole coram domino duce et eius consilio iuravit fidelitatem domino duci et communi Veneciarum, et in omnibus et per omnia observare secundum formam contractus supradicti.

CCCLXIII. God. 1352. 4 listopada, u Mletcih.

Primljeno, da njeki zadarski prognanik prodje u zadarske otoke, i da se tu nastani.

1352. die 4 octubris, capta: quod sumpta compassione Vide de Nassis de Jadra, Veneciis confinati iam dudum, qui, sicut nobis exponit, in tanta cum eius familia est extremitate et neccessitate constitutus, quod non habet unde valeat ducere vitam suam, nisi per dominationem misericorditer de aliquo suffragio subveniatur eidem, fiat sibi gratia, quod possit ire ad insulas Jadre, non intrando Jadram nec appropinquando nec eundo Signam neque Nonam, sicut aliis in casu simili est concessum. 68, non 7, non sinceri 3.

Misti, XXVI. 99, u mletačkom arkivu.

CCCLXIV. God. 1352. 4 listopada, u Mletcih.

Povelja, kojom Aleksandro, bugarski car, podieli mletačkoj republici njeka trgovačka prava u svojoj državi.

Sacramento e patto dell' imperatore Alessandro del Zagora [1]. Lo mio imperio da commandamento alli miei amici e frattelli franchi Veneziani,

[1] Cic. *ima još:* colla signoria di Venezia.

et giurò lo mio imperio per dio padre e per la vergine Maria e per la santa veracia [1] croce e per la santa Parasceve da Dressevo[2] et sull' anima mia, che tutti li mercadanti Veneziani possino andare e venire con le loro navi e mercadantie per tutto lo imperio nostro salvi e securi.

Dieno [3] pagare de comerchio 3 [4] per cento, il fiol per il padre nel [5] padre per il [6] fiol non possa portare pena; se per desaventura[7] occorresse, che alcun navilio perisse, sian salve e l' havere e le persone; ancora per peso de perperi cento paghino grossi quattro, per raozzadego per mezza C. grossi 3., per peso de mercantie per canter aspri $1^1/_4$ [8], per alborazo da nave grande perperi due, per nave pizola perpero 1.; se le mercantie non si vendessero [9] per terra o per mare, vadan ove le piace e non paghi cosa alcuna; ancora non si [10] possa bollare ne tuor pegno in casa d' alcun Venezian, se non va prima alla razon.

Ancora sel morisse alcun Venetian, se non va prima [11], nessun possa intrometter li suoi beni, se non Veneziani proprii; ancora possa comprar e far fare chiesa [12] e loza ove li piace dentro delle terre, senza che alcun li [13] contradica a questo commandamento, e chi volesse contradire, sia traditore del mio imperio.

Mandata detta [14] copia per Marco Leonardo Veneziano consolo de [15] Veneziani in Varna nel 1352 d' ottobre insieme con una lettera del detto imperatore del 1352 [16] ut puto, con una nota d' esso console ut infra.

Vi ricordo, che lo [17] perpero de Varna è baratti XVI e due terzi, e val grossi sei. aspri 5, e perpero val grossi 8. 2 [18], grossi uno.

Codex Trevisanus, u Marciani Classe X. Cod. CLXXXI. U istoj Marciani nalazi se još jedan drugi stari prepis ovoga spomenika Classe X. Cod. LXXXIII. 2, a treći u knjižnici vit. Cicogne br. 2558, str. 396, sada u Correrovu muzeju isto u Mletcih. Mi smo ovdje doli pobilježili razlikosti, osim prosto ortografičkih, koje se nalaze medju ova dva i gori navedenim prepisom, i to pod oznakom Mar. *za drugi prepis Marciane, a pod oznakom* Cic. *za prepis Cicognin.*

CCCLXV. God. 1352. 4 listopada, u Nikopolju.

Aleksandro bugarski car piše duždu mletačkomu, da će rado primiti njegovo poslaničtvo, i da će se uviek prijatno ponašati sa mletačkimi podanici, i štititi jih.

Intus [19]. In nomine christi amen 1352, die quarta octobris in Nicopoli. Joanne Alexandro[20], per la dio gratia imperator del Zagora, de Bolgari e de Giresi al magnifico e possente amigo e fratel [21] carissimo meser [22] Andrea Dandolo doxe de Venezia con lo so nobile [23] conseglio, saludo et [24] amor. Ricevessimo una lettera mandata per lo nobile homo meser Marino

---

[1] Mar. *i* Cic. *imaju* verasia. [2] Cic. Drenovo. (m. Trnovo) [3] Cic. Diano. [4] Mar. comercio tre. [5] Mar. ne il. [6] Mar. el. [7] Mar. disaventura. [8] Mar. i Cic. $1^1/_2$. [9] Mar. vendissero. [10] Cic. li. [11] Cic. *ima ovdje jošte:* alla razon; *a* Mar. *samo* &=et. [12] Cic. chieza. [13] Cic. *nema ovo* li. [14] Mar. questa. [15] Mar. di. [16] Mar. *i* Cic. *imaju ovdje još:* d' ottobre. [17] Mar. *miesto:* vi ricondo che lo perpero, *ima:* Nota. Il perpero. [18] Cic. 8. 6. [19] Cic. *nema ovu rieč, nego sliedeći naslov:* Lettera dell' imperador del Zagora al Doge di Venezia. [20] Mar. Gioanne Alessandro. [21] Cic. fratello. [22] Cic. mess. [23] Cic. nobele. [24] Cic. salude e.

Fallier, la quale mi [1] intendessimo, e de quello eo [2] ve respondo, che sempre foe [3] desiderado et desira [4] d' haver havudo [5] vostra ambassaria, et quella aspetto; e sempre il mio imperio ha [6] trattado e tratta honore e stado [7] vostro e del vostro comun [8] e de zascheduna altra persona, che vien in lo mio imperio [9] con li suoi mercadanti. Lo mio imperio ve inprometto e zuro per christo glorioso e la verzine Maria e santa Parasceve [10] da Dressevo [11], e sul' anima mia, che li vada salvi e securi l' havere e le persone d' onde le vorran andare e stare secondo li patti e sacramento, ch' io ve dado in prima [12].

іωанъ алеѯандръ благовѣрнии царь.

Li soprascritti carratteri sono di minio e significano Jovan Alessandro per la dio gratia re di Bulgaria over del [13] Zagora, e son carratteri parte grechi e parte bulgari ovvero persiani.

A tergo la mansion de carratteri piccoli Bulgari ovvero [14] persiani parte grechi e parte busdardatti loi [15] bulgari, e credo [16] dica al carissimo d. [17] Andrea Dandolo dugge de Venegia.

Codex Trevisanus, u Marciani i ostalo, kako pod prednjim brojem.

CCCLXVI. God. 1352. 6 listopada, u Mletcih.

Izabran odbor, da izviesti o njekih stvarih tičućih se Hrvatske i Istre.

1352. die sexto octobris, capta: quia iniurie et damna nobis et nostris subiectis hactenus illata et que cotidie inferruntur per istum de Rayfimburgo et eius complices omnem modum excedunt, nec potuerit usque nunc seu videatur posse reperiri modus consequendi de ipso iusticiam: vadit pars, quod tam super novitatibus presentibus Istrie, et que occurrerent in posterum et aliis, que spectarent vel dependerent ab eis, quam etiam super factis Sclavonie, eligantur tres sapientes, qui dent nobis suum consilium in scriptis de hiis, que viderentur providenda et facienda in factis predictis et eorum quolibet pro honore et bono nostro, cum quorum consilio erimus hic, et fiet, sicut videbitur, et quilibet possit ponere partem, et habeant terminum per totum mensem presentem, salvo quod super novitatibus presentibus Ystrie habeant terminum usque diem martis proximum in mane, qua die vocetur istud consilium sub pena solidorum XX pro quolibet, et omni vice ad eorum peticionem vocetur sub eadem pena, et fiant per tres manus electionum.

Electi sapientes: ser Symon Dandulo, ser Marcus Justiniano condam ser Pancracii, ser Marcus Delphino frater archiepiscopi 18 octobris.

Misti XXVI. 100, u arkivu mletačkom.

---

[1] Cic. *i* Mar. nu. [2] Cic. *i* Mar. *nemaju:* eo. [3] Cic. joe. [4] Mar. deliberato et desidero. [5] Mar. avudo, Cic. haudo. [6] Mar. fu. [7] Mar. stato. [8] Mar. *i* Cic. comun. [9] *U* Cic. *rukopisu sliedi ovako:* Ancora se li vostri mercadanti vorra venire per lo mio imperio, ve inprometto itd., *a u Mar. rukopisu:* Ancora se li vostri mercadanti vorrà venire per lo mio imperio con li suoi mercadanti (*miesto* mercadantie), lo mio imperio ve inprometto etc. [10] Cic. paravesce. [11] Cic. Drenovo. [12] Mar. *nema svega ovoga, što sliedi.* Cic. *nedonosi podpisa, nego miesto njega stavlja opazku:* Segue la sottoscrizione, indi: *te za ovim nastavlja kako u tekstu.* [13] Cic. de. [14] Cic. over. [15] Cic. bastardati coi. [16] *Ovdje* Cic. *ima još:* che. [17] Cic. domino.

CCCLXVII. God. 1352. 9 listopada, u Mletcih.

Povjereno odboru, koj se bavi s poslovi tičućimi se rata sa Gjenuvezi, da riešava i stvari odnoseće se na Istru i Hrvatsku.

1352. die IX octubris, capta: quia facta Istrie et Sclavonie sunt conexa et dependentia a factis guerre Januensis: vadit pars, quod ipsa negotia, et ea, que occurerent in posterum spectancia dictis factis, tractentur et expediantur in illis consiliis, quibus expediuntur negotia guerre cum illa libertate, auctoritate et modis, quibus expediuntur facta guerre. Et si consilium etc.

Misti XXVI. 100, u mletačkom arkivu.

CCCLXVIII. God. 1352. 25 listopada, u Mletcih.

Dozvoljava se jednomu Zadraninu, načelniku vojske u Trevizu, da mjesto sebe ostavi sposobnu osobu, dokle se povrati iz Lombardije, kamo putuje.

1352. die XXV octubris. Cum alias facta fuerit gratia Saladino de Saladinis de Jadra, comestabili nostro equestri in Tarvisio, quod possit dimittere loco sui quemdam fratrem suum, donec rediret de partibus Lombardie, ad quas erat iturus idem Saladinus, et sicut exponit dictus Saladinus dictus frater eius ad presens interesse non possit dictis postis pro certis factis suis, quas facere habet in Pago, propter quod supplicet, quod loco dicti fratris sui possit ponere quandam personam sufficientem usque adventum dicti fratris sui, fiat sibi gratia, quod possit ponere dictum hominem, sicut petit, bonum et sufficientem usque ad adventum dicti fratris sui, durante hac gratia per medium annum tantum etc.

Misti XXVI. 101, u arkivu mletačkom.

CCCLXIX. God. 1352. 27 listopada, u Mletcih.

Odgodjen rok odboru za korčulanske poslove. Dozvoljen predujam knezu zadarskomu.

1352, indictione sexta, die XXVII octubris. Dominus, consiliarii et capita. Capta: quod elongetur terminus sapientum Curzole usque medium mensis futuri.

Capta: quod fiat cedula ser Petro Zane ituro comiti Jadre de illa parte salarii, quam per commissionem suam debet recipere in principio.

Misti XXVI 101, u mletačkom arkivu.

CCCLXX. God. 1352. 4 studenoga, u Mletcih.

Ovlašćuje se odbor za korčulanske poslove, da može u tom predmetu svjedoke zaslušati, stranke i svjedoke zapriseći itd.

1352. die IV novembris. Dominus, consiliarii et capita. Capta: cum coram sapientibus, deputatis super factis Curzole, comes et filii pro una parte et syndici communis Curzole pro se et singularibus personis dicte terre ex altera faciunt sibi vicissim aliquas petitiones pecuniarum et aliorum, pro quorum declaratione expediret posse accipere testificationes et

dare sacramentum partibus et testibus earum, et etiam pro aleviatione dominii expediret, quod daretur ipsis sapientibus arbitrium faciendi compensationem hinc inde, et decidendi dictas questiones: vadit pars, quod super omnibus petitionibus et querelis, quas faciunt sibi invicem, dicti sapientes possint accipere testes et dare sacramentum partibus et testibus earum, sententiare ac terminare, ac compensationes facere possint in petitionibus et querelis solum a libris centum vel inde infra, sicut eis vel maiori parti videbitur esse iustum, cum plena libertate et arbitrio; et ea, que facerent, habeant firmitatem, ac si per istud consilium facta forent.

Misti XXVI. 101, u mletačkom arkivu.

CCCLXXI. God. 1352. 30 studenoga, u Mletcih.

Odgodjen rok odboru izabranu, da izviesti o korčulanskoj razmirici.

1352. die ultimo novembris, capta: quod elongetur terminus sapientibus Curzole usque medium mensis decembris.

Misti XXVI. 103, u mletačkom arkivu.

CCCLXXII. God. 1352. 4 prosinca, u Mletcih.

Odbor izabran za korčulanske stvari predlaže svoje mnienje o načinu, kako da se ona razmirica rieši i utaloži.

1352, die 4 decembris. Auditis et intellectis petitionibus illorum de Curzola, quas faciunt et facere voluerunt contra nobilem virum dominum Joannem Georgio comitem suum et contra Petrum filium dicti domini comitis, et auditis et intellectis petitionibus, quas facit et facere voluit dictus dominus comes contra ipsos de Curzola; ac etiam auditis et diligenter examinatis omnibus, que dicte partes dicere, producere, ostendere et allegare voluerunt tam in scriptis quam oretenus, et super omnibus facta per sapientes diligenti examinatione et habita deliberatione solemni, consulunt sapientes per ordinem, prout inferius declaretur; et primo videlicet.

Capta: super primo capitulo illorum de Curzola, per quod dicunt, quod comes eorum predictus habet et tenet statuta et pacta communis, et petunt sibi copiam exhiberi, que comes produxit et ostendit coram sapientibus, dicunt et consulunt sapientes, quod detur copia dictorum statutorum et pactorum dictis de Curzola, sicut petunt. Et de hoc contentus fuit comes.

Capta: super secundo capitulo, per quod illi de Curzola dicunt, quod comes habet et tenet aliquas cartas et firmitates terrenorum comitatus, et petunt, quod comes illas producat et ostendat; et super hoc verte inter partes fuerint disputationes, et finaliter comes produxerit quasdam cartas et scripturas continentes de terrenis comitatus, quas illi de Curzola audierunt et petierunt copiam de ipsis; consulunt sapientes, quod similiter de dictis cartis et scripturis detur copia dictis de Curzola, ut sint de suis iuribus informati.

Capta: super tertio capitulo, per quod illi de Curzola dicunt, quod comes habuit ducatos sexaginta octo ex causa mutui a communi, sicut aparet in quodam quaterno communis, et petunt dictos ducatos, et illi de Curzola non habent dictum quaternum penes se; et comes dicat, quod est paratus

stare dicto quaterno; consulunt sapientes, et in hoc partes contentantur, quod quando erunt in Curzola, dictus quaternus videatur, et si ita erit, ut dicunt illi de Curzula, quod comes solvere teneatur.

Capta: super quarto capitulo, per quod petunt illi de Curzola et dicunt, quod comes habuit centum viginti ducatos pro quadam condemnatione facta cuidam Mulgo Sto de Curzola, qui denarii sunt de ratione communis, et propterea petunt dictos denarios a dicto comite; et comes dicat et aleget, quod bene habuit dictos denarios, sed ipsos expedit in servitiis communis, qui emit unum lignum, et in aliis rebus et utilitatibus dicti communis convertit dictos denarios, cum hoc sit, quod iam sunt XXVIII anni vel circa, quod dicta condemnatio facta fuit, que petitio videtur caluminiosa; et ideo consulunt sapientes, et ita contentantur illi de Curzola, quod detur sacramentum comiti, quod expedit et convertit dictos denarios, ut dicit, et ipso iurante, comes ab ipsa pena absolvatur, quod sacramentum deferatur comiti, sicut dominatio voluerit ordinare.

Capta: super quinto capitulo, per quod illi de Curzola petunt et dicunt, quod comes habuit certam quantitatem denariorum de vineis et casis quondam cancellarii communis Curzole, et quod hodie tenet unam domum de dicta ratione pro condemnatione facta dicto cancellario, qui denarii et domus spectant communi Curzole; et comes dicat, quod bene fecit dictam condemnationem propter infidelitatem, in qua repertus fuit dictus cancellarius, et dicat, quod dicta bona cancellarii fuerint vendita, et denarii ipsius condemnationis ordinate expenditi in servitiis communis; sed dicit comes, quod bene tenet unam domum, que fuit dicti cancellarii, et de hoc comes volebat stare sacramento illorum de Curzola, quod denarii dicte condemnationis fuerunt expenditi, ut dicit, et illi de Curzola recusabant iurare, sed quod comes iuraret. Et ideo auditis partibus consulunt sapientes, quod detur sacramentum comiti, quod denarii dicte condemnationis expenditi fuerunt in servitiis communis, ut dicit, et eo iurante, quod a dicta petitione et a dictis denariis absolvatur, cui sacramentum deferatur, sicut dominatio voluerit ordinare. De facto vero domus, quam petunt, contentantur partes, quod ibi fiat una ecclesia, que debeat esse facta a modo usque ad unum annum proximum, aliter si dicta ecclesia facta non fuerit, quod ipsa domus veniat in communi Curzole.

Capta: super quodam alio novo capitulo, per quod illi de Curzola petunt a dicto comite ducatos sexcentos et quindecim, quos fecit mutuare quindecim bonos homines de Curzola, et dicunt, quod comes habuit dictos denarios; et comes dicat, quod commune habuit dictos denarios, et quod de ipsis emptum fuit bladum pro communi per plures manus et plures vices, et quod dictum bladum fuit distributum et partitum inter homines Curzole, et quod in parte fuit exactum et in parte restat exigendum, et omnes denarii exacti fuerunt distributi et expenditi per dictum comitem de voluntate iudicum et officialium communis in servitiis et utilitatibus communis Curzole; et ipsi de Curzola dicant, quod comes solus habuit dictos denarios, quos habuit et exigit a scosoribus bladi, et quod de ipsis nunquam ostendit officialibus communis vel iudicibus aliquam rationem. Et ideo auditis alegationibus partium super dicto capitulo, quia res videtur obscura, et neutra partium de hoc produxit nec ostendit aliquam claritatem vel probationem;

et ad hoc, quod ius et iustitia reddatur ei, qui habet, cum dicat comes, quod in Curzola debent esse quaterni et scripture, qui de hoc facient plenam fidem et claritatem, sicut dicit; consulunt sapientes, quod de hinc mittatur per dominationem ad expensas partis perdentis aliqua discreta persona, que vadat Curzolam secundum illam conditionem et provisionem, que videtur et placuerit dominationi, quam provisionem solvere debeat statim antequam recedat illa talis persona, utraque pars, et illa pars, que succubuerit, debeat refficere dictas expensas parti, que obtinuerit. Et eligatur deinde duo per partes de illis de Curzola de melioribus, quos non tangit negotium vel donum aut utilitas dictorum denariorum vel bladi, qui quatuor electi esse debeant cum illa persona, quam mittet dominatio, qui omnes simul videant et examinent quaternos et scripturas, et accipiant testes et probationem et claritatem quam poterunt de dictis denariis, possendo ponere personas et partes ad sacramentum et ad penam et penas, si opus fuerit, et accipiat in scriptis et reportet dominationi, et sicut reperietur, dominatio faciet et ordinabit, sicut ei videbitur esse iustum.

Capta: super nono capitulo, per quod petunt illi de Curzola libras ducentas, quas accepit eis comes singulis annis post sententiam dominorum procuratorum, per quam non debebat comes pasculari facere, arare, nec facere mercationes; et per hoc per dictam sententiam date fuerunt dicto comiti et aucte ultra suum salarium dicte libre ducente, et tamen non cessabat a predictis, quod erat contra dictam sententiam. Et super hoc audita responsione comitis, et visa forma compositionis et concordie facte inter partes cum ducali dominatione, que vult, quod omnes petitiones civiles, quas commune et homines Curzole faciunt comiti vel facere possent usque ad diem concordie, remittantur ex toto salvo de pecunia communis Curzole et specialium personarum, quam constaret, comitem vel filios habuisse, de qua debeant reddere rationem; et habito, quod dicta petitio sit de huiusmodi, de quibus lequitur pars et compositio facta, consulunt sapientes, quod comes a dicta petitione absolvatur, sicut habent per partem captam in presenti consilio rogatorum.

Super certis aliis petitionibus vero, quas facit et facere voluit comes contra illos de Curzola; et primo:

Capta: super primo capitulo, per quod petit comes illis de Curzola libras septingentas ad grossos pro suo sallario unius anni elapsi usque ad kalendas maii nuper preteriti, quos denarios sibi dare et solvere recusant; et ipsi de Curzola dicant, quod non tenentur sibi dare dictum sallarium eo, quia comes non tenuit eos in ratione et iustitia sicut debeat, nec Petrus eius filius, qui erat pro comite, umquam volebat sedere ad banchum, nec ius et iustitiam tenere; ideo dicunt, quod ad solutionem dicti sallarii non tenentur; et comes dicat, quod semper Petrus eius filius fuit ibi, et semper voluit cum iudicibus terre facere et tenere eis rationem, sed ipsi acceperint ei regimen de manibus, et fuerunt inobedientes; et ideo auditis alegationibus partium, dicunt sapientes, quia positus est finis dictis querelis et novitatibus per compositionem factam, habent, quod comes debet habere suum sallarium de dicto anno; et ideo consulunt sapientes, quod per illos de Curzola solvatur sibi suum sallarium ad illas monetas et ad pretium monetarum, que curebant dicto tempore, quo comes debebat habere suum sallarium.

Capta: super secundo capitulo, per quod dictus comes conqueritur, quod ipsi de Curzola acrescerunt monetam in Curzola causa nocendi sibi de suo sallario, sicunt sapientes et consulunt, quod comes habeat suum sallarium, ut in proximo capitulo continetur non obstante ordine aliquo vel statuto facto de dictis monetis in preiuditium salarii comitis de toto tempore preterito.

Capta: super tertio capitulo, per quod comes conqueritur et dicat, quod cum haberet animalia in insula minuta et grossa ad quantitatem sive numerum quatuor capitum vel circa, que habebat in societate cum aliquibus bonis hominibus de insula, universitas et commune Curzole acceperunt dicta animalia de manibus illorum, in quorum erant, et posuerunt ad suam voluntatem in manibus plurium personarum; unde reputat se graviter damnificatum, et ideo petit, quod dicta animalia revertantur in manibus, quorum erant antea, ut illi tales consignent et ostendant suam rationem; et illi de Curzola dicant, quod per commune et universitatem Curzole numquam accepta dicta animalia fuerunt, nec in eis umquam se impediverunt; nec reperietur, quod commune et per commune aliqua novitas facta fuerit, imo ostendunt et producunt ipsi de Curzola quandam protestationem factam contra Petrum filium comitis quando recessit, quod ipse dimitteret personam, que haberet curam de dictis animalibus etc. Et ideo auditis alegationibus partium, dicunt sapientes, quod eis non videtur, quod comes possit nec debeat facere istam petitionem sindicis communis Curzole, cum hoc non videatur aliquid tangere commune Curzole in communi. Et ideo dicunt et consulunt, quo comes habet petere suam rationem ab illis personis, que habent sua animalia, et cum eis suas facere rationes, reservato sibi omni suo iure petendi cum iudicibus Curzole contra quoscumque ac etiam contra commune, si appareret commune se in aliquo impedivisse de dictis animalibus.

Capta: super quarto capitulo, per quod commune asserit, quod ex forma sententie astringitur non posse tenere nec pasculari facere animalia in insula, sicut continetur in parte capta in consilio rogatorum, et ipse habeat circa quatuor millia animalia et bestias minutas in insula, que non posset ita cito extrahere et expedire de insula, et ob hoc petat aliquem terminum competentem etc., dicunt et consulunt sapientes, habita consideratione ad tempus yemale et ad quantitatem animalium, quod statuatur terminus dicto comiti a modo usque ad festum sancte Marie de medio augusti proximi, quod debeat extraxisse et se expedivisse de dictis animalibus de insula sub pena dicto comiti, elapso termino, perdendi dicta animalia sibi prohibita, cuius pene tertium sit communis Curzole, tertium advocatorum Venetiarum et tertium accusatoris, si inde fuerit accusator; et quod non possit dicto comiti elapso termino alius terminus elongari nec gratia fieri de animalibus predictis nisi per sex consiliarios, tria capita de quadraginta et tres partes consilii rogatorum congregatorum a septuaginta supra.

Capta: super certis aliis capitulis, per que comes asserit, quod omnes scoyi, qui sunt circum insulam Curzole, spectant et pertinent ad eum secundum formam suorum pactorum, dicens, quod omnes debent esse sui, eo quod totum est suum, salvo eo, quod tenebant illi de Curzola per unum annum ante adventum domini Marsilii Georgio eorum primi comitis, et

nunc illi de Cuzzola tenent et nolunt sibi dare; et iterum conqueritur comes de multis campis et terris, qui sunt in insula, qui pertinent et spectant ad comitem, ut dicit; videlicet sicut est quidam campus magnus de Blata magna a capite insule versus ponente; et Blata de supra, et alias terras, que sunt scripte in certis scripturis; et unam domum, que est in loco, ubi dicitur Grubin, que spectat et pertinet ad dictum comitem, prout dicit: que suprascripte terre, campi et domus sunt occupate per universitatem Curzole, quas petit comes, quod illi de Curzola sibi debeant illas dimittere etc.: et illi de Curzola dicunt, quod dicti scoyi, terre, campi et domus non spectant nec pertinent ad comitem, et quod ipse nec eius predecessores aliqui unquam illos tenuerunt nec possederunt, sed spectant et pertinent communi Curzole et specialibus personis, que habent ius in eis; et comes confiteatur, quod bene est verum, quod predicta numquam possedit, sed non debet propterea amittere ius suum secundum formam pactorum quondam domini Marsilii Georgio, que habuit cum communi et universitate Curzole, que dant et consenciunt totum comiti, salvo eo, quod exceptatur, sicut apparet in dictis partis; et super hiis omnibus auditis allegationibus partium, et viso et intellecto quodam punto sententie procuratorum, quod continet, quod comes sit contentus de terris et possessionibus, quas habet et possidet pro suo comitatu, et alias de cetero non emat nec alio titulo acquirat, sed suis subditis acquirendas dimittat; et ideo dicunt et consulunt sapientes, quod illi de Curzola a dicta petitione absolvantur tam ratione sententie procuratorum, que confirmata est per presentem consilium rogatorum, quam eo quod comes nec eius predecessores predicta numquam tenuerunt nec possederunt.

Misti, XXVI. 104, u mletačkom arkivu.

CCCLXXIII. God. 1352. 13 prosinca, u Mletcih.

Rok odboru za korčulanske poslove opet odgodjen.

1352. die 13 decembris, capta: quod terminus sapientum Curzole elongetur per totum mensem presentem.

Misti XXVI. 105, u mletačkom arkivu.

CCCLXXIV. God. 1352. 29 prosinca, u Mletcih.

Rok odboru za korčulanske poslove na novo odgodjen.

1352. die 29 decembris: † quod elongetur terminus sapientum Curzole per totum mensem ianuarii proxime futurum.

Misti XXVI. 105, u mletačkom arkivu.

CCCLXXV. God. 1353. 7 siečnja, u Mletcih.

Opunovlašćuje se malo vieće, da odmiri daću na stvari, koje ugarska kraljica iz Mletaka za se izvaža, kako mu se uzvidi, da je pristojno.

1352. die septima ianuarii, capta: quia domina regina Hungarie petit posse extrahere aliquas res pro suo usu de Venetiis: vadit pars pro omni bono respectu, quod dominus, consiliarii et capita possint facere solvi id, quod deberetur communi pro dacio istarum rerum a ducatis L infra, sicut pro honore et bono nostro eis vel maiori parti videbitur.

Misti XXVI. 106, u arkivu mletačkom.

CCCLXXVI. God. 1353. 14 veljače, u Mletcih.

Naredjeno već obstojećemu odboru za hvarske poslove, da razvidi pisma podnešena od svećenstva i od občine hvarske tečajem njihove razpre, i da svoje mnienje o tom pismeno dade,

1352. indictioue VI, die XIV februarii, capta: quod committatur sapientibus, qui alias fuerunt electi pro factis differentiarum, que erant et sunt inter episcopum Lesne et clericos suos ex una parte, et commune et homines dicte terre ex altera, quod dictum episcopum et suos et ambaxatores Lesne, qui huc redierunt pro dictis differentiis, debeant audire et examinare tam scripturas factas et productas pro differentiis premissis, quam omnia alia, que dicte partes discere et allegare vellent, et etiam omnes alias differencias et questiones suscitatas de novo inter eos, et ea, que tam in scriptis quam oretenus dicere voluerint, et nobis super eis suum consilium dare in scriptis, cum quo erimus hic, et fiet, sicut videbitur; et quilibet possit ponere partem, et vocetur consilium omni vice ad suam petitionem sub pena solidorum XX. Verum si alique ex dictis questionibus et differentiis forent a libris C vel inde infra, debeant eas terminare, et in eis sententiare et difinire illud, quod maiori parti eorum videbitur esse iustum, Et pro expeditione horum teneantur tribus diebus ebdomade in mane vel post nonam, sicut melius voluerint, convenire ad canpanas et horas ordinatas ad audiendum, examinandum et expediendum negocia supradicta sub pena ordinata et statuta, quando non conveniunt sapientes, et notarius eorum det fallentes pro cadutis advocatoribus, qui exigant penam, habentes partem ut de aliis penis officii sui; et habeant terminum expediendi se usque unum mensem; et si ante fuerint expediti, ante venietur ad consilium. Et si consilium etc.

Misti XXVI. 107, u mletačkom arkivu.

CCCLXXVII. God. 1353. 14 ožujka, u Mletcih.

Odgodjen rok odboru za hvarske poslove.

1353. die XIV marcii, capta: quod terminus sapientum Lesne elongetur usque ad medium mensis futuri.

Misti XXVI. 110, u arkivu mletačkom.

CCCLXXVIII. God. 1353. 1 travnja, u Mletcih.

Odbor za hvarske poslove predlaže svoje mnienje o riešenju razmirice obstojeće medju svećenstvom i občinom hvarskom.

In christi nomine amen. 1353. die primo aprilis, capta: cum nobiles viri ser Mapheus Barbadico, ser Petrus Errizo et ser Nicolaus Viadro, sapientes electi per ducale dominium ad consulendum super discordiis, differentiis et questionibus tam novis quam veteribus ortis inter episcopum Lesne, et clerum suum ex una parte, et potestatem, commune et homines dicte terre ex altera, occasione unius zuppani etc.

Id circo predicti sapientes volentes obedire mandatis ducalis dominii, ac cupientes sedare discordias supradictas et ponere concordiam et bonam voluntatem inter ipsas partes, auditis et plenius intellectis requisitionibus

probacionibus, alegacionibus, responsionibus, reprobacionibus et omnibus aliis quibuscumque iuribus, que dicte partes petere, dicere, alegare, reprobare et de novo proponere voluerunt. Considerato etiam, quod secundum eorum conscientiam nulla partium predictarum probavit ita ad plenum, nec ita sufficienter, maxime in facto dicti Zuppani, ut predicti sapientes valeant procedere cum ordine iudiciario ad consulendum in questione et discordia supradicta. Id circo christi nomine invocato, a quo recta iudicia et iusta consilia derivantur, dicunt et consulunt ad hoc, ut ambe partes in simul vivere valeant cum pace et quiete, et quod ipsarum quelibet habeat merito contentari. Quod per dictum episcopum eligantur duo zuppani, quos voluerit et sibi melius placuerit pro conservatione et iurisdictione dignitatis sue, dummodo unus ipsorum zuppanorum sit de uno de illis quatuor domibus illorum nobilium dicte terre, qui ambo zuppani insimul exerceant et faciant officium zuppanatus, exigentes decimas et ipsas dantes et distribuentes, videlicet tres partes episcopo et clero suo, et quartam partem procuratori ecclesie, quod recipiat pro fabrica ecclesie secundum usum; et quod ille zuppanus, qui confermabitur de illis quatuor domibus, habeat suum salarium sive utile de illa quarta parte, que exigetur pro fabrica ecclesie predicte, sic et in quantum apparebit conveniens potestati; et alter zuppanus, qui erit pro episcopo et clero suo, habeat salarium et utile consuetum a predictis episcopo et clero suo secundum usum, pro removendo omnia scandala et pro contentatione partium predictarum.

Capta: et cum quidam Mixa Jovis, civis farrensis et officialis dicti domini episcopi, conqueratur coram dictis sapientibus, exponendo, quod potestas Lesne, qui ad presens est, sub nomine et occasione dictarum questionum et iniuriarum imposuit seu imponi fecit quandam collectam XXV librarum contra debitum rationis, quam ab eo exigi fecit cum effectu, consulunt sapientes predicti, quod comittatur potestati ituro illuc, quod audire debeat et diligenter examinare, qualiter processit collecta et imposicio supradicta, et ipsam reformare et corrigere, sicut sibi iustum et conveniens apparebit.

Capta: item cum episcopus Lesne predictus porrexerit ducali dominio quamdam petionem, aggravans se de bonis, redditibus, et decimis suis et sui episcopatus, que sunt recepte et exacte penes zuppanum noviter missum illuc per ducale dominium, quas decimas, ut asserit dictus episcopus, recusat sibi dare, tenens ipsum in suis iuribus occupatum cum maximo suo incomodo et sinistro, consulitur per ipsos tres sapientes nemine discrepante, quod scribatur dicto zuppano, quod in Lesna et in aliis partibus, ubi sunt redditus antedicti, pro minoribus expensis partium predictarum distribuere et dare debeat redditus et decimas memoratas tam dicto episcopo quam aliis, sicut iustum est iuxta consuetudines antiquatas.

Item cum dictus Mixa Jovis, officialis dicti episcopi, querimoniam exponat, quod potestas Lesne pronunciavit quandam sententiam trecentarum librarum contra ipsum non citatum nec requisitum contra deum et iusticiam, a qua condemnacione vult se appelare coram advocatores communis Veneciarum, dicens, ipsam sententiam esse iniquam et latam aliquibus ordinibus non servatis, et quod intendit defendere iura sua: consulunt ipsi tres sapientes, quod pro parte ducalis dominii scribatur tam dicto potestati, quam iudicibus et consilio dicte terre, quod in executione ipsius sententie nullam faciant novitatem, sed pocius suprasedeant, nec faciant

novitates aliquas contra ipsum Mixam nec bona sua, donec ipse potestas redierit Venecias ad deffendendum etiam se coram advocatoribus antedictis; et quod statuatur terminus partibus ad comparendum coram dictis advocatoribus a die, qua recesserit ipse potestas a regimine suo postea usque ad festum omnium sanctorum proxime venturum. De parte 13, capta de non 19, non sinceri 5.

Misti XXVI. 112, u arkivu mletačkom.

CCCLXXIX. God. 1353. 27 travnja, u Ostrogonu.

Ljudevit ugar.-hrv. kralj piše poslanikom mletačkim, da se nemože dalje upuštati u dogovore glede Dalmacije, pošto se tomu protivi brat mu Stjepan slavonski i hvarski t. j. dalmatinski vojvoda, komu je onu državu za uvieke ustupio.

Exemplum litterarum transmissarum per dominum regem Hungarie nobilibus viris dominis Marco Cornario et Marino Faletro ambaxiatoribus ducalis dominii, missis ad ipsum dominum regem. Lodovicus dei gratia rex Hungarie. Noverit vestra nobilitas, ut ordinatio, que inter nos et dominum ducem Veneciarum et eius commune super facto Dalmacie fieri debeat. Huic ordinacioni dominus Stephanus dux totius Sclavonie, Crovacie seu Dalmacie, frater noster carissimus, consensum adhibere voluit. Ideo ordinacionem predictam effectui mancipare non potuimus, quia dominium predicti ducatus eius dominio perpetuo subiugabamus, sicut vobis et aliis notum est, unde vos ad nos pro negocio supradicto non est necesse amplius laborare; cum domino autem duce Veneciarum et eius commune guerram non incipiemus nisi per tres septimanas integras ante sibi et eius communi intimabimus per nuncium vel per litteras nostras. Datum Strigonii sexto kallendas maii (1353).

Commemorialium IV. 227, u mletačkom arkivu.

CCCLXXX. God. 1353. 21 svibnja, u Mletcih.

Podieljuje se njekomu Ninjaninu vojnička služba obzirom na vjernost njegovu i njegova otca.

1353. die XXI maii, capta: quod Johanni condam Petri militis de Nona propter merita fidelitatis patris et sua, de quibus per nostros rectores redditur laudabile testimonium, cum sit deductus ad extremam condicionem propter incursiones Hungarorum, concedatur de gratia, quod habeat tres postas equestres in Jadra, furniendo eas sufficienter ad beneplacitum comitis, cum hac condicione, quod cum eius persona pro omni respectu sit utilis ad habitandum in Nona, dicta gratia non incipiat nisi a facto omnium sanctorum in antea.

Misti XXVI. str. 114, u mletačkom arkivu.

CCCLXXXI. God. 1353. 28 svibnja, u Mletcih.

Nalaže se knezu creskomu, da rieši razmiricu obstojeću medju knezom krčkim Nikolom i medju udovom pokojnoga njegova brata Bartula.

1253. indictione VI, die XXVIII maii, capta: cum inter nobilem virum Nicolaum comitem Vegle civem nostrum ex una parte, et Mabiliam

filiam condam ser Pauli Mauroceno et relictam condam comitis Bartholi fratris dicti comitis Nicolai ex altera vertatur quedam questio et differentia, et sit conveniens providere, quod iusticia inter eos sine suspectione procedat: vadit pars, quod committatur auctoritate huius consilii comiti Chersi, quod audiat partes predictas seu earum procuratores de omnibus, que sibi invicem petere vellent, et iura earum, et determinet ac diffiniat in dictis questionibus et differentiis illud, quod sibi iustum videbitur; et illud, quod inter eos sententiaverit, diffinierit, declaraverit seu ordinaverit in predictis, habeat illam firmitatem, quam habent alie sententie late per nostros rectores. Et si consilium etc.

Misti XXVI. 114, u mletačkom arkivu.

CCCLXXXII. God. 1353. 16 lipnja, u Mletcih.

Ovlašćuje se knez i viećnici zadarski, da si porazumno sa vojnici pribave jednoga ili više posudilaca.

1353. die XVI iunii, capta: quod scribatur comiti et consiliariis Jadre, quod conferentes cum soldatis provideant de uno vel pluribus prestatorum cum illis conventionibus et pactis, que sibi vel maiori parti videbuntur.

Misti XXVI. 116, u arkivu mletačkom.

CCCLXXXIII. God. 1353. 18 srpnja, u Mletcih.

Odredjeno providurom u Hrvatskoj, da jedan od njih prodje u Hvar i da povede iztragu o ondje se sbivših izgreda, te do pet poglavitijih izgrednika odpravi u Mletke a razpru po mogućnosti utaloži.

1353. indictione VI, die XVIII iulii. Domini consiliarii et capita. Capta: quod mittatur provisoribus nostris Sclavonie copia litterarum nobis missarum per potestatem Lesne, ostendendo, quod hec nos gravant, si ita sunt, sicut possunt; et quod unus eorum per concordium vel texeras vadat illuc et inquirens de factis, si invenerit res esse ita graves vel circa, ut scribit potestas, faciat capi et retineri usque quatuor vel quinque de magis culpabilibus, inter quos sit ille cancellarius, et eos mittat ad nos sub illa custodia, que videatur sibi sufficiens, ita quod sine fallo nobis presententur; et procuret quietare et concordare ita dicta facta, quod honor noster et nostri rectoris conservetur; mittendo nobis, quicquid invenerit et habuerit, ut contra dictos culpabiles, sicut fuerit conveniens, procedamus. Si vero inveniret, res non esse ita graves, teneat illam viam in ponendo remedium et ordinem in dictis factis, que sue providentie videatur pro honore nostro, habendo similiter cum potestate libertatem imponendi penam et penas, sicut eis videbitur, et mittendi extra ad confinia de hominibus dicte terre in ea quantitate et sicut pro honore et bono nostro et dicte terre eis utilius apparebit.

Misti XXVI. 118, u arkivu mletačkom.

CCCLXXXIV. God. 1353. 18 rujna, u Mletcih.

Dozvoljeno Zadranom, da se povrate u Dalmaciju osim u Zadar, Senj i Niu,

1353. indictione VII, die XVIII septembris, capta: quod pro reverentia dei, qui tanta beneficia et gratias nobis contulit, ut non videamur ingrati in conspectu suo concedatur illis Jadratinis, qui remanserunt hic ad confinia, qui sunt circa octo, quod possint ire ad insulas et ad alias terras Sclavonie, non eundo Jadram, Segniam nec Nonam, cum condicionibus concessis aliis, salvo quod Nicola Galetus possit ire Segnam secundum formam gratie alias sibi facte. Et si consilium etc. Et est capta per VI consiliarios, III capita XL. et tres partes consilii rogatorum congregatis LXXX et inde supra.

Misti XXVI. 122, u arkivu mletačkom.

CCCLXXXV. God. 1353. 21 rujna, u Mletcih.

Dozvoljeno jednomu prognaniku Zadraninu, da se u svoj zavičaj povrati.

1353. die XXI septembris, capta: cum vir nobilis Thomas Viadro, tunc comes et capitaneus Jadre, pro quibusdam novis sonantibus de rege Hungarie confinasset usque C de civibue Jadre inter nobiles et populares ad insulas, inter quos confinavit Micham de Rosa de Jadra fidelem nostrum, qui cum licentia ipsius comitis potius elegit venire Venetias. Cessantibus autem ipsis novis suprascriptis comes fecit gratiam repatriandi omnibus aliis excepto dicto Micha, qui tunc, ut exponit, erat Venetiis infirmus, et predictus ser Thomas dicat predicta vera esse, et quod similem gratiam fecisset dicto Miche, si illam petiisset, quia de dicto Micha et suis non audivit nisi bonum; vadit pars, quod fiat gratia, quod possit redire Jadram, et ibi habitare, sicut petit. Et si consilium etc.

Misti XXVI. 122, u arkivu mletačkom.

CCCLXXXVI. God. 1353. 1 listopada, u Mletcih.

Dozvoljeno jednomu prognaniku Zadraninu, da se u Zadar povrati.

1353. indictione VII, die primo octubris, capta: cum Georgius de Carbanosso de Jadra sit in paupertate constitutus, et a tempore, quo dominatio nostra obtinuit dominium Jadre citra fuerit et patienter steterit ad nostra confinia vivens de elimosinis, et sicut exponit, licet concessum sit aliis Jadratinis, qui similiter erant ad confinia, quod possint ire ad insulas, huiusmodi gratia nichil sibi prodesset, sed potius obesset, pro eo quod non habet aliquem campum vel vineam nec aliquid de suo extra muros Jadre; et si foret in Jadra, duceret vitam suam quammelius posset per modum alicuius officii vel alicuius elimosine: vadit pars intuytu pietatis, cum advocatores nostri inquisitionem fecerint de predictis, et invenerint, ea vera esse, et quod unica eius domus, quam habebat Jadre, fuit combusta, quod de gratia speciali, sicut advocatores consulunt, possit ire et stare in Jadra. Et si consilium etc.

Misti knj. XXVI. 123, u arkivu mletačkom.

CCCLXXXVII. God. 1353. 24 listopada, u Mletcih.

Dopušća se knezu trogirskomu, da nješto hrane iz trevizke okolice u Trogir izvede,

1353. indictione VII, die XXIV octubris, capta: quod nobili viro Petro Gradonico ituro comiti Tragurii concedatur, quod possit de partibus Tervisinis extrahere et conduci facere pro usu suo et sue familie in regimine supradicto staria quinquaginta bladi ab equis, et staria viginti frumenti, et staria tria leguminis. 1353. indictione VII, die V decembris facta fuit cedula dicto domino Petro de stariis L bladi ab equis, et staria III leguminis.

Misti XXVI. 124, u arkivu mletačkom.

CCCLXXXVIII. God. 1353. 29 listopada, u Mletcih.

Piše st knezu zadarskomu, neka obustavi do svoga povratka izvedenje osude proti svomu savjetniku izrečene; te dopušća se, da njeka zadarkinja ubaštini imanje svoga brata.

1353. indictione VII, die XXIX octubris. Dominus, consiliarii et capita. Capta: quod scribatur comiti Jadre, quod licet nostre intentionis non sit velle turbare vel impedire aliquem processum suum, nisi secundum ordines terre, tamen optantes tollere omnem materiam et causam scandali et erroris volumus et mandamus, quod suspendat executionem sententie et condemnationis librarum M facte contra ser Conte Venerio consiliarium suum usque reditum suum, quia redeunte ipso faciet cursum suum, sicut iusticia svadebit.

Capta: cum Margarita relicta Nicolai de Nassis de Jadra exponat, quod habebat quemdam fratrem nomine Damianum filium condam Johannis Zenzadei de Jadra, qui Damianus habebat unum filium nomine Dominicum, et dictus Damianus, olim frater suus, decessit intestatus relicto dicto Dominico filio suo in pupillari etate, qui similiter per paucos dies post mortem patris decessit absque testamento; unde predicta Margarita tamquam anitta et magis propinqua petiit coram comite nostro Jadre et suis consiliariis admitti ad successionem bonorum dicti pupilli taliter deffuncti, sed dum probasset propinquitatem et speraret sententiam dicte successionis denunciatum seu accusatum fuit comiti et consiliariis nostris predictis, quod olim dictus Damianus frater suus, dum esset Venetiis ad confinia, clam ivit infirmus in Jadram absque licentia comitis antedicti, unde comes ipse in causa dicte successionis ulterius non processit, sed bona omnia predicta sequestrari et poni fecit in manibus camerariorum Jadre, unde ipsa Margarita non potest in predictis consequi iura sua; et nobilis vir ser Justinianus Justiniano tunc comes et capitaneus Jadre dicat, predicta vera esse, et quod dictus Damianus, postquam taliter intravit in Jadram, non vixit nisi tribus diebus: vadit pars, attenta qualitate facti, quod non obstante, quod dictus Damianus intraverit Jadram, possit dicta Margarita admitti in successione iam dicta, sicut petit.

Misti XXVI. 125, u mletačkom arkivu.

CCCLXXXIX. God. 1353. 17 prosinca, u Mletcih.

Umoljen papa, da rieši izobćenja njeke plemiće mletačke, u koje pali bješe sbog njihova postupanja s njekim grčkim svećenikom u Koronu. Njekomu prognaniku zadarskomu dozvoljeno, da se u Senju nastani.

1353. indictione VII, die XVII decembris, capta: quod in favorem nobilis viri Raynerii de Musto olim castellani Choroni et ser Henrici Volpe et ser Jacobi Viadro consiliariorum suorum, qui pro certis condemnationibus factis per eos in dicto regimine pro honore et statu nostro contra quemdam presbiterum Grecum incurrisse videntur excommunicationis sententiam, possit scribi domino pape et aliis in curia, prout videbitur, pro absolutione eorum.

Capta: quod Barti de Sloranto de Jadra, qui erat confinatus Venetiis, possit ire et stare ad partes Segnie per modum concessum Nicolao Galello ad beneplacitum dominii.

Misti XXVI. 127, u mletačkom arkivu.

CCCXC. God. 1354. 2 siečnja, u Mletcih.

Riešeno, da svaki dubrovački knez pošalje jednoga od svojih sudruga u Lastovo, da ondje u ime njegovo sudi, te da i ovaj prestaje u svojoj službi kad i knez.

1353. indictione VII, die secunda ianuarii, dominus dux et consiliarii. Capta: cum comes Ragusii per suam commissionem mittere teneatur unum ex sociis suis ad insulam Auguste pro iure reddendo, et a multis annis citra videatur fuisse ibi solummodo una persona, que non muttatur cum comitibus, sed quasi omnes comites, qui fiunt, ipsum confirmant, quod est contra id, quod voluit terra; videlicet, quod socii vel cancellarii, qui fuerint cum uno rectore, non possint esse in ipso regimine in aliquo officio per duos annos sequentes, et etiam homines insule conqueruntur de hoc: vadit pars, quod error predictus corrigatur, et addatur in commissione comitis Ragusii ituri et futurorum, quod socium, quem mittere debent Augustam, non possint habere aliquem, qui fuerit pro predecessoribus suis per duos annos antea, sed sit ipse socius ad condicionem aliorum sociorum et cancellariorum secundum formam consilii.

Misti XXVI. 128, u arkivu mletačkom.

CCCXCI. God. 1354. 18 veljače, u Mletcih.

Odgovori na molbe podnešene od bračkih stanovnika.

1353. indictione VII, die XVIII mensis februarii. Quod secundum consilium nobilium virorum Sclavi Bolani, Petri Delphino et Francisci Caravello super infrascriptis capitulis, porrectis dominio per illos de Brazia, respondeatur et provideatur, ut infra.

Super primo capitulo, in quo . . . nomine predictorum de Braza petunt pacta etc., consulunt et respondent, quod dentur eis pacta petita per ipsos pro bono et augmento rectorum nostrorum, qui vadunt illuc.

Super secundo capitulo, tangente factum monete etc., respondent, quod tempore suorum regiminum fecissent fieri mutacionem monete in par-

tibus dicti regiminis; sed considerantes, quod homines insule de Braza faciebant sua mercimonia pro maiori parte tam in vendendo quam emendo cum illis de Spaleto, et ipsi de Spaleto non faciant novitatem in mutando monetam, examinaverunt pro meliori tunc temporis non facere aliquam mutacionem in facto monete predicte. Sed quia presentialiter cognoscunt, quod ipsi de Spaleto mutaverunt monetam suam, et reduxerunt ipsam ad expendendam ad modum Veneciarum, ideo consulendo dicunt esse bonum et utile, quod moneta predicta currat sicut currit et expenditur Veneciis et Spaleto pro bono et avantagio communis. Ad factum salarii potestatis respondent, quod currente moneta ad grossos XX, sicut currebat et expendebatur, ipse potestas habebat ab illis de Braza libras CCCCLX in anno et racione anni in racione grossorum XX pro ducato quolibet de illa moneta, que moneta sumat ducatos auri centum septuaginta duos et grossos VIII. Unde consulunt, ut dentur dicto vestro potestati pro salario cuiuslibet anni centum et septuaginta duo ducati auri et grossi VIII, seu valor ipsorum in moneta, prout superius scriptum. Item notificant et recordantur, quod per modum similem sub regimine ser Petri Dolphino sallarium potestatis fuit reductum in Lesna ad cursum Veneciarum, et tunc fuit facta in Lesna mutacio dicte monete.

Super tercio capitulo, pro quo illi de Braza petunt sibi dari vicarium etc., consulendo respondent, quod, quantum in ipso facto, nulla fiat novitas ex eo, quod alias illi de Braza fecerunt ducali dominio similem requisicionem, et non potuerunt eorum intencionem aliqualiter obtinere, considerato eciam, quod insule nostre predicte sunt hodie in maiori indigencia et paupertate, quam tunc temporis erant, nec non considerato, quod una insula sub pretextu alterius posset leviter devastari et peierari, si adimpleretur sua requisicio supradicta.

Super quarto capitulo tangente factum carcerum etc. consulunt sub brevitate, quod hoc factum remaneat in discretione potestatis et eius arbitrio, sicut servatum est per tempora retrohacta et secundum casus, qui occurrent in futuro.

Super quinto capitulo faciente mentionem de gravamine expensarum et angariarum, quas patiuntur et que sibi fiunt per rectores in transferrendo eos et familiam eorum de una insula ad aliam etc., consulendo dicunt, quod penitus cessent expense suarum comissionum, salvo si non fierent pro speciali comodo et utilitate communis. Intelligendo, quod aliquis rector de cetero iturus illuc, vel qui presens est, non valeat ipsos compellere ad faciendum nec ad solvendum expensas predictas.

Super sexto capitulo faciente mencionem de facto vini, quod dicunt eis accipi violenter pro parte rectorum etc., consulendo dicunt, quod omnino cesset novitas supradicta, quia non potest fieri de iure; et si hoc factum est tempore preterito, est perpetratum expresse contra ius et contra formam suarum comissionum, inteligendo, quod aliquis rector, vel qui presens est, non possit facere eisdem novitates supradictas.

Super septimo capitulo, pro quo petunt eis dari barcham unam etc., consulendo respondent, quod ipsa barcha esset eis abilis et fructuosa, dummodo haberent locum abilem ad conservandum barcham ipsam ob timorem illorum de Crayna; et consulunt, quod eis detur, solvendo eam.

Super VIII et IX capitulis nullam faciunt responsivam, quia non relevant, sed dependent ab aliis capitulis superius nominatis.

Capta: quod in servitio nobilis viri Johannis Lauredano postulati episcopi Nonensis, possint fieri littere domino pape et cardinalibus et aliis, quibus videbitur, in ea forma, que videbitur.

Misti XXVI. 130, u arkivu mletačkom.

CCCXCII. God. 1354. 24 veljače, u Nemosii.

Izviešće Zanina Novella bivšeg poslanika mletačkoga u Srbiji.

1354. indict. VII 24 februarii. Relatio Zanini Novello, missi domino imperatori Sclavonie. Cum zo sia che per la signoria vostra io Zanin Novello fosse mandado a miser lo imperador de Sclavonia a demandar satisfacion de le robason fate per lui et per lo provistial e per Luze de Chimo a i nostri mercadanti de Venesia, li qual usava in le parte de Sclavonia, de che io fu la in corte del dito miser lo imperador, e fu dananti da lui cum quela salutacion reverente, che me parse per parte vestra, ei demandando humelmente e reverentemente per parte de la vostra signoria, che a lui devese plaser de pagar over far pagar i sovrascriti mercadanti de le dite robasson. De che molte parole de fo, in lo fin elo ordena a Piero fio, che fo de miser Nicola de Buchia, che a tute queste cosse elo dovesse pagar e satisfar, de che lo dito sigor Piero de Buchia fo contento de dover pagar a tuti i Veniciani, che se trovase, che se pare miser Nicola protovistial dovese dar, de che dener algun io no avi ni no e posude aver, salvo queste parole.

De la robason, che Luce de Chimo fese a ser Polo Quirin, miser lo imperador dise, bene averlo sapudo, mostrando, che lo li savesse nio niente, ma dise, che ser Polo Quirin vada in corte a far raxon con lui, che le lo pagarave de ze chelo li doverave dar, e fara, che Luze de Chimo lo satisfara de la dita robason; e io mostrandoli tute raxon segondo che ser Polo me de in nota, io non puti aver altri da lui; si che vegando zo e che le spexe i era grande e che niente poteva aver, son vegnudo a Nemosia a darve a saver ze, si che la vostra signoria ne sovignera li sey mercadanti, como li plasera.

Commemorialium V. 26, u mlet. arkivu.

CCCXCIII. God. 1354. 17 travnja, u Mletcih.

Jednomn zadarskomu prognaniku dopušća se, da podjc za dva mjeseca u Zadar, a drugomu, da se u Zadar povrati i nastani.

1254. die XVII aprilis, capta: considerata senectute et paupertate Galli de Cande de Jadra, confinati ad insulas, concedatur ei, quod possit ire Jadram et stare per duos menses pro recuperatione suorum iurium. Et si consilium etc. 68, de non 10, non sinceri 3.

Capta: quod Bartholus de Grisogono de Jadra, natus condam Mauri de Grisogono et domine Caterine Baseio, qui non fuit de primis confinatis Venetiis nec de secundis confinatis ad insulas, sed dicit ser Thomas Viadro olim comes Jadre, quod loco aliquorum confinatorum, (*qui*) per mortem vel aliter defficiebant, opportuit mittere inter alios suprascriptum Bartholum ad confinia non tantum pro suspictione, quam haberent de ipso, quam quia

non haberent, quos mittere possent, possit redire et habitare Jadram. Et si consilium etc. De parte 57, 52; de non 23, 28.
Misti XXVII. 1, u arkivu mletačkom.

CCCXCIV. God. 1354. 29 travnja, u Mletcih.

Dopušćeno gori pomenutomu Zadraninu, komu se dozvolilo bješe, da za dva mjeseca samo prodje u Zadar, neka se stalno u Zadar nastani.

1354. die penultimo aprilis, capta: quod sicut pridie concessum fuit Gallo de Cande de Jadra confinato ad insulas, quod possit ire Jadram et stare per duos menses, ita considerata debili condicione sua concedatur ei, quod possit ire Jadram et stare absolute sine aliquo termino.
Misti, XXVII. 2, u arkivu mletačkom.

CCCXCV. God. 1354. 21 svibnja, u Mletcih.

Šalje se 2000 dukata u Zadar za plaće i druge potrebštine.

1354. indictione VII, die XXI maii, capta: quod mittantur ducati II mille in monetis Jadram pro pagis et aliis expensis opportunis.
Misti, XXVII. 2, u mletačkom arkivu.

CCCXCVI. God. 1354. 3 lipnja, u Mletcih.

Riešeno, da se odpravi poslanik k srbskomu caru, neka traži, da škode, učinjene mletačkim podanikom u njegovih stranah, naknadi.

1354. indictione VII, tercio iunii. Quod in servicium infrascriptorum nostrorum nobilium et aliorum mercatorum conversantium in partibus Raxie et debentium recipere a rege vel de dictis partibus magnam summam pecunie, pro quarum satisfactione sepius scriptum est, et usque nunc tamen non potuerint habere, possit mitti aliquis nuncius ad expensas eorum, qui placeat dominio, ad procurandum satisfactionem eorum cum verbis et modis honestis et decentibus, sicut convenit statui et conditionibus nostris, cum illa commissione, que videbitur dominationi. Ser Nicolaus Faletro, ser Paulus Geno, ser Franciscus Ruzini, ser Tadeus Zantani, ser Zaninus Gonber, ser Nicolaus Mighorati.
Misti XXVII. 2, u mletačkom arkivu.

CCCXCVII. God 1354. 16 lipnja, u Mletcih.

Neka se rimskomu dvoru preporuče poslanici srbskoga kralja.

1354. die XVI iunii, capta: quod possint scribi littere in romana curia, videlicet domino pape et illis cardinalibus, quibus videbitur, in favorem et recommendacionem istorum ambaxatorum domini regis Raxie, et negocii, pro quo vadunt, in ea forma, que videbitur expedire.
Misti XXVII 2, u mletačkom arkivu.

CCCXCVIII. God. 1354. 1 srpnja, u Mletcih.

Zabranjeno iz njekih mjesta u Dalmaciji izvažati sol bez dozvole vladine.

1354. die primo iulii, capta: cum sit adhibenda diligentia et cura, ne sal, qui levatur in partibus Sclavonie, vadat contra banna nostra in damnum nostri communis: vadit pars, quod committatur rectoribus nostris infrascriptarum terrarum Sclavonie, et committatur communitatibus earum, videlicet comiti et consiliariis Jadre, comiti et camerariis Pagi, comiti None et comitibus Vegle, et comiti Chersi et Auseri, quod debeant mittere et de cetero facere diligenter sibi notari totam quantitatem salis, qui levabitur in eorum regiminibus, et facere omni anno cridari, *(quod)* nullus audeat de ipso sale vendere aut mittere extra sine licencia et consensu dictorum sub pena perdendi salem vel valorem; et quandocumque aliquis voluerit extrahere salem, accipiant sufficientem plezariam, quod de ipso non portabitur ad aliquem locum infra confinia Pulmentariarum et Arimini versus Venecias, et quod infra terminum faciat venire contralitteras de locis, unde portatus fuerit dictus sal, qualiter illuc delatus fuerit sub penis predictis, scribendo nomina patronorum et marinariorum et navigiorum, cum quibus portatur, et etiam mercatorum, qui emerunt salem, ut sciri possit continuo de committentibus ista contrabanna; et exigant a contrafacientibus penas, habentes quartum earum, et reliquum sit communis, et si accusator fuerit, per quem haberetur veritas, habeat eciam quartum.

***Misti** XXVII. 3, u mletačkom arkivu.*

CCCXCIX. God. 1354. 29 srpnja, u Mletcih.

Nadopušča se, da se njeki prognanik zadarski u Zadar povrati.

1354. die XXIX iulii. Cum poneretur pars de faciendo gratiam Francischo condam Johannis de Cedolinis de Jadra confinato hic de nostro mandato, videlicet, quod iuxta consilium advocatorum communis posset redire Jadram, et ibi esse ad nostra beneplacita et mandata, eunte parte circum duabus vicibus, fuerunt de parte 51, 38. Capta de non 39, 51; non sinceri 6, 6.

***Misti** XXVII. 4, u mletačkom arkivu.*

CCCC. God. 1354. 6 kolovoza, u Carigradu.

Poslanik mletački u Carigradu izviešćuje svoju vladu o stvarih, koje su se u istoku sbivale.

(1354) indict. VII, 6 augusti, in Constantinopoli. *Izvana.* Serenissimo et excellentissimo domino suo domino Andree Dandulo dei gratia Venetiarum, Dalmatie atque Croatie inclito duci et domino quarte partis et dimidie totius imperii Romanie.

Serenissimo segnor mio. Per la via de Salonichi die octavo luio le condition de inimisi et de l' imperio a la serenitade vostra per mie lettere plenamente scripsi; quel che de novo e ocorso a la celsitudine vostra per queste faro manifesto.

Segnor mio, como per altre scripsi, i Zenoesi de Pera navega solicitamente, non habiando respetto ni dubio, che galee vostre per la presente

mudha debia qua vegnir. Le duo galee suo, le qual stette fuora mesi III et plu et nessuna nova i ne saveva, in conserva cum una altra de ponente clamada Galla di VIII dito, come plaque a dio, soura el cavo de la Grea prexe per bataya una vostra nave, de la qual era patron ser Tomado da Olto, in la qual era eciamdio molti merchadanti et aver assee. Zomse in Pera le dite II galee die 15 del dito, et cum grande alegrezze et feste, come suo costume, digando, aver vadagnado per la prexa de la nave predicta ducati doro CL millia o lo valor de quey; molto argento elli ave sula dita nave, trovando in casse et in balle de drappi molto. E conforta da la universitade de Pera per la vegnuda de le galee predicte et per lo vadagno, chon elli a fatto, desponudi de tornar al vadagno in le parte predicte, o la che mejo i trovasse, et za messe bancho et arma sollicitamente. Queste nove me par esser zerte de ne aver, ma niente men voyo, che ala sublimitad vostra per mie lettere el sia palese. Molto se meraveia tuti, chu alde, che tal nave e de tanto valor così mal compagnada navegasse a questi tempi; el fiol de dio sia benedetto. In Pera, partide le dite due galee, non restera homeni d' arme III cento et plu et men, secondo i navilii suo, che va et vien. Se Constantinopoli avesse mior condition, assee fameye et burgesi de Pera vigniria ad habitar de qua, ma teme de pizorar per lo mal stado et rezimento, che questi segnori a, et ancora cum tuzo zo e vegnudi et vien.

La condition de questo imperio al postuto non poria pezorar. Misser l' imperator Catecusseno parti da questa terra die 22 di zugno cum galie XI, et fo a Tenedo, et la trova messer l' imperador Palleologo, et qual no lassa, che le galee se acostaxe al porto, ma a una altra parte del isola le galee messe scala per levar aqua, el Palleologo cum homini L de cavallo et pedoni fo a quelle parte, et fese barsayar in le galee, et vasta, et delli algun dampno. De quelli de le galee, che iera andadi per levar aqua, partisse da homini C, et inclina al Palleologo. Se le dite galee non fosse levade, la piu parte dei vasmuli et altri saria partidi. Una nave de Suriani avea carzado par in Constantinopoli per portar a le galee predicte, et siando per far vela, Zenoesi arma in Pera suo barche, et tolse la nave, et menala zoso, trovando caxon a quey, che su la dita nave era aver de Veneciani; et per questo modo inpaza, chel pan non anda ale galee. Per la qual cosa et per la caxon dita de li homini, che fuziva, i qual eciam dio era mal pagadi, misser l' imperador predicto torna cum le galee suo a casa die XVIII luio. Per lo viazo dito a pizorado forte la condicion soa, et dubia, sel Palleollogo vegnisse, chel no i toya la signoria, et crede se, che Zenoesi el voya favorizar; per la qual cosa el Cantacuseno, se vora andar cum Turchy, et metterne in la terra per sua segurtade et deffension. De questo la universitad de Griesi dubia tanto, che considerando el perigolo, che i porra sottozaser, et la mala dispositione et cativo rezimento si del Cantacuseno coma del Palleollogo, elli e disponudi no voller per segnor nun l' un ni l' altro, ma subiugarse a la dogal signoria vostra, se i lo podesse far, et che l' aida et deffension de vostre galie elli podesse aver; se la lor intention se po fornir de esser subiecti a la signoria et comun vostro, averallo per gratia special; quando questo no i podesse vegnir fato, elli e disponudi clamar re d Omgaria vel quel de Raxia, azo che i sia defesi et varentadi da i Turchy, et ensir de la signoria, che i tien, et simel

de Zenoesi, de li qual molto dubita. Palesemente a mi e dito da molte parte et per notabel persone, quamvis dio, che puocha fe de Griesi se po aver. Ancor ad cautelam e ben, che a la serenitade vostra sia manifesto.

Per lo armar de le galee II, che se fase al presente, o mandado uno barcha armada a Negroponte, scrivando et avisando el belo ducha de Crede ed i altri rectori et capitani, azo che i no rezeva dampno ni in navilii ni logi vostri. El camin e mal seguro e poder scriver per terra per caxon de i Turchy; ma niente men se no vardo, azo ne resti de scriver sempre ma per segurtade de le lettere, o trovando questo modo, che como se mandava per altre fiade uno messo, no mando II, perche i va de note per lo temor de i Turchy, et plu seguri et plu presti va II che uno. Formento val anchuo perperi VII, et non e per men valor fin al novello; in Gazaria e formento assee et bone derade. Vester Martheus Venerio de vostro mandato baiulus Venetorum in Constantinopoli. Datum Constantinopoli die VI augusti, VII indictionis.

Izvornik na papiru u arkivu mletačkom.

CCCCI. God. 1354. 12 kolovoza, u Mletcih.

O osvadi proti knezu zadarskomu, što je nezakonito globio.

1354. die XII augusti, capta: cum Philippus de Buora, requisitus per advocatores communis, testificatus fuerit ad officium advocarie contra nobilem virum ser Petrum Zane comitem et capitaneum Jadre, et propterea dictus comes, ut dicitur, accipi fecerat a camerariis nostris Jadre ducatos centum, quos Henriginus Tormello comestabilis noster equestris ordinate scribi fecerat dicto Philippo, et insuper condempnaverit dictum Philippum in libris L pro pena, quam incurrunt euntes in Jadra post sonum tercie campane, cum repertus fuerit ire hora secunde campane; et non sit conveniens nec honestum, ut aliquis maxime a nostris rectoribus recipiat gravitatem vel iniuriam pro testificando ad officia nostra: vadit pars, quod auctoritate huius consilii scribatur et precipiatur dicto comiti, quod supersedeat in condempnacionibus et processibus suprascriptis, si processerunt et facte sunt per modum predictum, et si aliter esset, rescribat nobis causam earum. Et faciat de presenti restitui dicto Philippo suprascriptos ducatos centum, si res ita se habet, et in quolibet casu se abstineat a faciendo vel fieri faciendo eidem aliquam indebitam gravitatem. De non 17, non sinceri 2, de parte 33.

Misti XXVII. 4, u mletačkom arkivu.

CCCCII. God. 1354. 9 rujna, u Mletcih.

Da miesto 3000 kunaca, koje su Zadrani morali davati duždu, izplate mu, kad kunaca nebude, 80 dukata.

1354. indictione VIII, die IX septembris. Consilium vocatum pro factis spectantibus ad correctionem promissionis domini ducis etc.

5. Capta: cum in LVIII capitulo promissionis, ubi fiat mentio de salario domini ducis, inter alia contineatur, quod dominus dux debet habere a communi Jadre III mille cunicullarum, et huiusmodi cunicule presen-

tialiter non reperiantur, addatur, quod quociens dicte cunicule haberi non poterunt, habere debeat pro ipsis III mille cuniculis ducatos octuaginta.

Maius Consilium. Novella list 31, u mletačkom arkivu.

CCCCIII. God. 1354. 9 studenoga, u Mletcih.

O izboru kneza i kapetana zadarskoga.

1354. die IX novembris, capta: quod comes et capitaneus Jadre quantum pro ista vice fiat per quatuor manus electionum in maiori consilio, approbando electos ad unum ad unum, et qui habuerit plures ballotas, habendo maiorem partem consilii, sit firmus. Et si nullus transiret medietatem consilii, illi duo, qui habuerint plures ballotas, vadant unus per medium alterius; et si aliquis eligetur per tres manus, sit firmus sine alia proba: et si consilium est contra, sit revocatum etc. Et est capta per V consiliarios XXV de quadraginta, et duas partes maioris consilii.

Maius Consilium. Novella 32, u arkivu mletačkom.

CCCCIV. God. 1354. 20 studenoga, u Mletcih.

O tužbi opata sv. Krševana u Zadru proti zadarskom knezu, što mu njeka dobra uzaptio.

1354. indictione VIII, die XX novembris, capta: cum abbas sancti Grisogoni de Jadra coram advocatores communis deposuerit querelam, quod ser Petrus Zane comes et capitaneus Jadre ob aliquibus indebitis et iniustis causis fecerit sequestrari et intromitti magnam quantitatem sui salis et vini et alia: vadit pars, quod scribatur dicto ser Petro Zane comiti Jadre predicto, quod omnes processus factos et fiendos contra dictum abbatem de cetero pro ista causa suspendere debeat, et quod sal et vinum et alie res dicti abbatis sequestrate et intromisse dentur et deponantur in manus camerariorum Jadre, qui teneant et salvent predicta, donec cognitum fuerit, si idem ser Petrus predicta fecerit debite vel iniuste, et per dominium eidem aliud fuerit scribendo mandatum. 66, non 6, non sinceri 9.

Misti XXVII. 6, u arkivu mletačkom.

CCCCV. God. 1354. 27 prosinca, u Mletcih.

Piše se knezu hvarskomu, da obustavi ovršbu njegove odsude izrečene proti njekomu Hvaraninu, koj se u Gjenovi u sužanstvu nalazio.

1354. indictione VIII, die XXVII decembris, capta: cum Melisenda, uxor Andree Dobroslavi de Farra fidelis nostri, detenti in carceribus Janue, exponat, quod cum de anno presenti dictus Andreas fuerit per nostrum dominium absolutus a quibusdam processibus seu oppositionibus factis contra eum per potestatem Farre, et rediisset Farram, sed timens de dicto potestate, iterum venisset Venetias, et postmodum rediens cum litteris nostri dominii versus Farram, captus fuisset a galeis Januensium, nunc autem dicatur, quod idem potestas sententiavit ipsum Andream in libris V centum parvorum absque consciam suorum iudicum non procedente aliqua racionabili causa: vadit pars, quod scribatur potestati Farre, quod supersedeat

de dicta sentencia, et rescribat, qualiter se habet factum, ut possimus, sicut iustum fuerit, providere.

Misti, XXVII. 7, u mletačkom arkivu.

CCCCVI. God. 1355. 21 veljače, u Mletcih.

Zabranjeno sudrugom knezova narod ma kako globiti.

1354. indictione VIII, die XXI februarii, capta: quia dicitur, quod socii comitis Jadre faciunt multas novitates et ineptias, extorsiones etc. in apunctaturis soldatorum pro eo, quod habent partem de ipsis: vadit pars, quod addatur in commissione comitis fiendi et futurorum, quod nullo modo permittant, quod socii, vel aliquis alius de predictis appunctaturis habeant aliquam partem, sed debeant precise venire in commune. Et si consilium est contra, sit revocatum. De parte 303, de non 201, non sinceri 34.

Maius consilium. Novella 34, u mletačkom arkivu.

CCCCVII. God. 1355. 24 svibnja, u Dubrovniku.

Knez dubrovački izviešćuje svoju vladu o izplaćenju njekih novaca i o oboružanje galije, što se tražilo od Dubrovčana, te primećuje njeke viesti o kralju ugarskom i srbskom caru.

Serenissimo segnor mio, a die XXII del messe praxente ricevei per Jachomo de Menzie de Raguxi una letera, là qual la segnoria vostra mandava a mi ed al chomun de Raguxi, contegnando, che quelli dener, chel chomun de Raguxi iera tegnudo a dar ala segnoria vostra, chel plu *(pluy)* tosto se podesse queli se devesse mandar alla segnoria vostra; et apresso che del armar dela galia in Raguxi se devesse con ogna solizitudene studiar. Pero sapia la segnoria vostra, ché de prexente io fixi *(fesi)* clamar el conseio con la zonta, e la fo leta la letera dela vostra segnoria, et apresso io dissi la quele parole a mi parete convegnir per onor *(pro honor)* dela segnoria vostra; e quanto di dener, de prexente fo aleto tre gentilomeni per trovarli per lo plu a bel modo se potra, perche in lo chomun de qua no ve denner algun, ma ninte men sotana *(sotura* valjda *secura)* mente se tegnira muodo, che la segnoria vostra in quelo avere la vostra entenzion. Mo quanto del armar dela galia, como altre fiade io scrixi *(scrisi)* al a vostra segnoria la entenzion *(intenzion)* de questi de qua non e de dar la galia salvo in chasso, che la segnoria vostra abia galie XXX, le qual paxa *(pasa)* fuor de li confin, digando, che la segnoria vostra non a in fina *(fin)* al prexente fuora se no galie VII, e che in Venexia se arma altre VII over VIII, che seria in tute galie XV, e quela de Raguxi con esse XVI, si che non li par el numero de quel, che se contien *(chontien)* in li pati. Et aprexo disse, che a dever armar mo questa galia se traria fuora de la terra la flor deli omeni *(homeni)* de fati, per tal che la terra romagneria tropo defornida de boni omeni et a grandissimo pericholo, se exerzito de nemissi *(nemixi)* vegnisse atorno la terra; ma ninte men chonclude chossi, che pur, quando la segnoria vostra avera el numero segondo li pati de galie XXX, che sel avera mestier, chel mior de lor intra *(monta)* in galia, la sera fornida al meio, che la pora, ale qual parole io li respoxi, chomo li disseva mal, e che la segnoria vostra ben avea fin al prexente el numero

e plui *(avea al prexente fin el numero e pluy)*, in per quelo che oltra queste galie XVI la segnoria vostra avea armado in Crede galie V e in Chatelogna tante, che con queste passava el numero dele XXX, e che per dio lor non dissesse tal parole, e che ogno di de di in di se armava in Venexia galie, digandoli molte parole, che tropo saria longe a scriver. Ale qual lor mo respondeva, chomo le galie de Chatelogna non era de quele, che se devesse contar in lo numero di pati, chelle non era de Venexia, et alor io li respuxi, como in chadauna parte del mondo, che la segnoria vostra fesse armar galie, pagandole di dener del comun *(chomun)* vostro, che quelo iera exerzito fato per lo chomun de Venexa. E brevemente de quela lor non se po trar; ma veramente tante io ve digo e credo, chio credo, che la maior chaxion sia, che a lor par, che la tera romagneria al tempo de mo tropo desfornida. E per zerto segnor mio Raguxa non e quel *(quelo)*, chel solea esser anchuo a X ani, che la flor di boni homeni e tuti manchadi; e questo io scrivo ala segnoria vostra per mio deschargo, ninte men comanda la segnoria vostra, chio son parrado de obedir in tuto; non a mancha de per mi ni manchera de solizitar e confortar per ogno muodo io savere e pore a far, che la segnoria vostra abia la vostra entenzion, et in chasso, che la galia se armasse, como altre fiade scrixi ala segnoria vostra, del pan del vostro comun se convegneria fornir o per enpronto o per vendeda lor seria contenti, e questo, perche ali molini per zerto non e aqua, che se podesse massinar; e sovra de zo molte fiade scrixi ala segnoria vostra, e de zio non avi mai responxion alguna. Anchora sapia la segnoria vostra, chomo a die XXIII del messe prexente io ricevei letere de Ongaria fate la die XI del prexente messe, contegnando, come per zerto lo re de Ongaria con lo enperador de Sclavonia si era in acordo, e che lo re de Ongaria in queli die devea determenar dela soa entenzion, sel devea vegnir con soa oste in la parte da marina over altro; io e un altro corer la, e de prexente chomo sera defenido chossa alguna quel chorier de vegnir a Raguxa [1], ma ninte men anchuo in questo di mandonde un altro in Ongaria, e quel che per avanti io sentire, al plu tosto io pore denoterolo ala segnoria vostra.

Nicholo Barbarigo de dogal comandamento conte de Raguxa so recomanda alla segnoria vostra. Die XXIV de mazio 1355.

Izvana. Serenissimo domino suo domino Johani Gradonicho dei Gratia Veneciarum, Dalmacie atque Crohatie inclito duci, domino quarte partis et dimidie tocius imperii Romanie.

Comes Raguxii replicat de pecunia debita nostro communi et galea quam Raguxienses armare recusant.

Izvornik papirni sa pečatom u mlet. arkivu. Tu se jošte nalazi drugi papirni izvornik sa pečatom sa njekojimi razlikami, koje smo označili u zaporu i u bilježki.

---

[1] *Drugi izvornik ovako dovršuje:* „niente men a die XXIV del prexente mexe mandero un altro chorer in Ongaria, e quel che per avanti io sentire, al pluy tosto io pore denoterolo ala segnoria vostra per quel che potro sentir de chadauna parte. Galia de Zenoezi non e ni non e stada in golfo, salvo quela Grimalda, che fo al Sansego, ni de quela non sento alguna novela ni de le nostre galie, ne che la segue, quel che per avanti sertire, per li primi vignira de la denotere ala segnoria vostra. Nicholo Barbarigo de vostro comandamento conte de Raguxa, datum die XXX de mazo, 1355.

CCCCVIII. God. 1355. 25 svibnja, u Trogiru.

Knez trogirski izvieščuje o važnih poslovih tičućih se razmirice obstojeće medju podbanom kninskim i njekojimi primorskimi gradovi; o podbanovih namjerah proti Zadru; o banu bosanskom i njegovoj materi, i napokon o kliškoj kneginji.

Illustri et excelso domino suo domino Johanni Gradonico dei gratia Veneciarum, Dalmatie atque Croacie duci, nec non quarte partis et dimidie tocius imperii Romanie domino. Serenissime domine mi, hodie per meas litteras vestre scripsi magnifficencie, quod michi videbatur, quod rectores vestrarum civitatum non erant procedendo concordes cum vicebano Tenini per ea, que habueramus ab ambaxiatoribus ad ipsum transmissis in Cetina. Postmodum vero hora vespertina applicuit unus ex ambaxatoribus tragurinis, a quo habuimus, ipsos ambaxiatores fore concordes cum vicebano supra dicto precio, modo et ordine, quibus scripsi vestre dominationi, qui venit pro accipiendo pecuniam causa complendi et affirmandi concordium supradictum. Et simili modo unus ex ambaxiatoribus Sybinicum ivit, et unus ex Spalato ivit Spalatum. Banus vero bosinensis habuit castra, que fuerunt olim comitis Gregorii olim voyvode, ac etiam habuit olim domine Chatarine, quod tenebatur per Novchum Ciprianich, et hoc fuit per concordium. Dictus banus reversus est in Donnam *(sic)*, ubi erat mater eius cum exercitu suo, et ibi tractatur concordium intra dictum banum et comitem Johannem, quod concordium tractatur per vicebannum Tenini, et creditur, quod fiet. Datum est intelligere ambaxiatoribus Tragurii, quod vicebanus predictus intendit omnino cum exercitu suo ire subtus Jadram, et ista de causa, ut dixerunt aliqui de suis hominibus, contentatus est habere treuguas cum civitatibus Tragurii, Spalati et Sybinici; et si concordium perficietur intra banum et comitem Johannem, intendit conducere omnes istos exercitus subtus Jadram que predicta vestro comiti Jadrensi statim scribere procuravi. Comitissa Clipsii ex infirmitate, qua istis diebus fuit agravata, dei gracia liberata est, et retromisit illos duos nobiles, quos eidem transmiseramus, per quos mihi misit dicendo, quod mater bani bosinensis, soror olim comitis Mladini, quod omnimodo intendit venire Clipsiam, pro essendo in coloquio cum eadem, cuius adventus causam dicit esse, aliqua eidem commissa per regem refferenda eidem comitisse, de quibus ipsa comitissa hostendit videre. Petrus Gradonico de vestri mandato comes Tragurii. Ibi data die XXV maii.

Izvornik na papiru u mletačkom arkivu.

CCCCIX God. 1355. 27 svibnja, u Mletcih.

Nalaže se knezu zadarskomu, da u poslu njekoga Zadranina, ako bi istinito bilo, što ovaj tvrdi, po pravici postupa.

1355. die XXVII mensis maii, capta: quod scribatur comiti et capitaneo Jadre auctoritate huius consilii, et consiliariis suis, quod examinent peticionem nobis factam pro parte Pribe de Jadra, et si eis constiterit, esse vera, que in ipsa peticione continetur, faciat eidem iuris et iusticie complementum, sicut alias in similibus factum fuit.

Misti XXVII. 10, u mletačkom arkivu.

CCCCX. God. 1355. 28 svibnja, u Šibeniku.

Knez šibenički izvieščuje o hrani, koja njegovom dozvolom bje iz onoga grada izvedena, a kod Rekanata od Jakinjana silom zaplienjena.

Illustri ac serenissimo domino suo domino, domino Johanni Gradonicho, dei gratia Venetiarum, Dalmatie atque Croatie duci, nec non domino quarte partis et dimidie tocius imperii Romanie. Serenissime domine mi. Noscat excelsa dominacio vestra, quod Mapheus Ardizono de Veneciis, mercator in Sibenicho, vester subditus et fidelis, habebat in Sibenicho staria VI mille ordei ad starium Sibenicense, et quia dictum ordeum devastabatur, data fuit eidem licencia per me et conscillium Sibenicense allibi portandi dictum ordeum; et quia dictus Mapheus deberet conducere Sibenicum de blado novo, qui Mapheus, optenta prius licencia, dictum ordeum ponderari fecit, et modia CL sallis in uno ligno, cuius erat patronus Mafius Tomaxii Andree de Ancona, qui conduxit dictum navigium sic ponderatum ad Rechanati, et dum esset in portu Rechanati, tunc tria ligna armata de Anchona dictum navigium sic ponderatum per vim manu armata acceperunt, et ipsum conduxerunt Anchonam. Quare cum vestra excelsa dominatio semper sit et fuit pia et benivola in subveniendo omnibus suis subditis de remediis oportunis, suplico cum omni reverencia qua possum, ut dignemini dicto ser Mapheo in predictis suvenire, ut vobis placet, mandet dominationis vestre semper in omnibus. Datum Sibenici XXVIII maii. Marcus Justinianus de suo mandato Sibenici comes.

Izvornik na papiru u mletačkom arkivu.

CCCCXI. God. 1355. 28 svibnja, u Dubrovniku.

Knez dubrovački izvieščuje, da za sada nema gjenuvezkih brodova u jadranskom moru, od kojih se bojati; da je odpravio uhode u Ugarsku, koji će mu do skora donieti viesti iz onih strana; i da Dubrovčani oklevaju oboružati galiju osim u slučaju, kad jih na to medjusobna pogodba obvezuje.

Serenissimo domino suo domino Johanni Gradonico dei gratia Veneciarum, Dalmacie atque Crohacie inclito duci, domino quarte partis et dimidie tocius imperii Romanie. Serenissime domine mi. Per ea, que ad presens valeo presentire per barcham quandam, que applicuit Ragusium, venientem a Motono, et per duas alias barchas de Monopoli venientes, nichil presentitur de aliqua galea Januensium, nec de una, que intravit intra culphum. Nova autem Sclavonie et Ungarie sunt hec, pro*(ut)* alio vestre dominacioni denotavi, videlicet quod creditur, quod pax erit inter dominum imperatorem Sclavonie et dominum regem Ungarie; et ut valeam presentire de intencione domini regis predicti continue teneo cursores in partibus illis, et in brevi expecto scire, quod fatus dominus rex deliberaverit facere de exercitu suo, et quo accedere intendit; et habito, hec vestre serenitati illico intimare curabo. Noverit insuper magnitudo vestra, quod intentio istorum de Ragusio est non armare galeas, nec *(nisi)* secundum formam pactorum, ad quam ipsi tenentur, videlicet si exiverint de Veneciis numerus galearum XXX, prout alias vestre excellencie denotavi. Et si armaretur, de panatica fulciri non possunt, nec de vestra fulciretur, quia ex deffectu aque masinari non potest. Et id circo vestra dominatio mihi mandet pre-

cipiendo, quod agere debeam superinde, Nicolaus Barbadico de vestro mandato comes Ragusii. Ubi data die XXVIII mensis madii.

Izvornik na papiru u arkivu mletačkom.

CCCCXII. God. 1355. 31 svibnja, u Mletcih.

Uslied molbe krčkoga kneza Bartula odredjeno, da creski i osorski knez razvidi i rieši njeku parnicu.

1355, die ultimo maii, capta: cum comes Bartholus de Vegla scripserit nobis per eius litteras, recommendando nobis quemdam mercatorem habitatorem Segnie nomine Vagni de Firmo, quem asserit gravari indebite et contra iusticiam occasione cuiusdam determinationis sive sententie late, ut dicitur, per comitem Nicolaum Veglensem et per Paulum eius iudicem in bonis et super bonis condam Ascoli fratris sui, quem ab intestato et sine heredibus asserit decessisse, a qua quidem sententia appellationem ad dominationem ducalem interposuit, rogando nos instanter, quatenus nobis placeret dictam questionem committere cognoscendam et determinandam aliquibus ex nostris rectoribus vel Arbi vel Chersi: vadit pars, quod auctoritate huius consilii committatur comiti nostro Chersi et Abseri, quod, convocatis ad se partibus, quas huiusmodi tangit negocium, debeat audire et examinare iura earum, et predictam questionem determinare et diffinire, sicut ei iustum videbitur.

Misti XXVII. 10, u mletačkom arkivu.

CCCCXIII. God. 1355. 2 lipnja, u Zadru.

Knez zadarski izviešćuje o namjerah ugar.-hrv. kralja i o stanju Zadra.

Serenissimo domino suo domino Johanni Gradonico, dei gracia Veneciarum Dalmacie atque Crohacie duci, dominoque quarte partis et dimidie tocius imperii Romanie. Serenissime domine noster! Hodie a comite vestro Ragusii recepimus litteram unam datam die XXIV mensis maii, in quibus continebatur, se recepisse litteras de partibus Hungarie factas die . . . mensis maii, non exprimebat diem, continentes, quod firmiter erit pax inter dominum regem Hungarie et dominum imperatorem Sclavonie, et quod de intentione dicti domini regis sciri non potest adhuc, sed creditur, quod, firmata pace, ipse ad terras maritimas descendet; quod qualis erit ipsius intencio, credit scire in brevi, et quicquid habebit, nobis notificabit. Domine mi, si novitas erit, per literam dolebimus pro nostris Jadratinis, qui possent amittere vindemiam suam, nam bladum credimus, quod bene recoligent; sed non existente alia novitate, quam per viam terre, haberemus de civitate nostra illam dubitacionem, quam haberemus de personis nostris, si essemus Veneciis. Verum in casu necesitatis a comite Pagi possimus gencium habere subsidium, placeat dominationi vestro sibi precipere, quod in casu quo ab ipso gencium auxilium imploraremus, illud nobis debeat exhibere; cum tamen nobis sit datum intelligi, quod in cancellaria Pagi est littera una ducalis super hoc, nichilominus bonum est quod replicetur adhuc, sciente vestro dominio, quod non gravaremus homines Pagi nisi in casu magne neccessitatis.

Vester Petrus Baduario miles de vestro mandato comes et capitaneus Jadre et eius consilium. Datum Jadre secundo iunii.

Izvornik na papiru u mletačkom arkivu.

CCCCXIV. God. (1355-6). 17 srpnja, u Zadru.

Knez zadarski izviešćuje o njekih zahtjevih, koje mu kninski knez po svojih poslanicih izjavi.

Serenissimo et excellentissimo domino suo domino Johanni Gradonico, dei gratia Venetiarum, Dalmatie atque Croatie inclito duci, domino quarte partis et dimidie totius imperii Romanie. Excellentissime domine mi! Comes et castellanus Tinini, qui ad partes istas est noviter destinatus, et qui non solum Tininum sed etiam Ostroviciam et plura alia castra in custodia habere videtur, et est teutonicus, duos ambasiatores cum literis credentialibus misit ad me, qui heri se presentaverunt mihi, et ambasiata sua effectualiter fuit, quod dictus castellanus mecum vivere amicabiliter intendebat, et maxime quia mansurus erat diu in istis partibus, ut dicebant, et quod sibi de aliquo exemo providerem, ut precessores mei fecerant precessoribus suis, promittens mihi, quod mecum amicabiliter pertransiret, et preterea districtum Jadre aliquam lesionem *(sic)*. Quibus nunciis gratiose susceptis atque tractatis, contuli cum consiliariis superinde, et visum fuit eis et mihi de non dando aliquod de bonis vestri communis comiti supradicto, tum quia mala consuetudo est, tum quia non morantur continuo, et qui de novo veniunt, statim petunt et volunt, ut habeant, quod precessores sui, et quod deterius est cum toto hoc male servant ea, que promittunt; sed habuimus respectum cum Jadrensibus conferendi, quorum aliquibus ex ...... sitis requisitionem dicti comitis intelligere dedimus, dicentes eis, quod si pro bono suo esse videbant dicto comiti aliquid errogari, contentarentur ...... de propriis bursis suis et aliorum civium Jadre; qui invicem conferentes responderunt, quod si dictus comes v .., ... t colere et laborare suas possessiones et terras, et quod homines et animalia sua essent se .... alioquin sibi nullum denarium exhiberent, quorum intentione percepta, contuli cum ambaxiatoribus .., ... secundum dispositionem Jadrensium, qui ambaxiatores responderunt mihi, quod credebant dictum comitem bene posse facere .... t. Postea vero hodie de mane reiteraverunt verba, requirentes me, quod finaliter meam responsionem traderem eis, quibus .... scire volebant, veritas erat, quod intendebam prius, quam aliquid supra hiis firmarem, hoc excelentie vestre denotare, et quod nichil ..... asi, prius vestrum haberem responsum, dicens, quod sciebam dominationem vestram habere intentionem mittendi equites huc, unde aliquam conventionem firmare nollebam, nisi prius a dominatione vestra responsionem haberem; qui audientes hoc dixerunt, quod placebat eis, quod scriberem vestro dominio, sed rogabant me, ut interea assecurarem gentes suas, quod possent libere et secure venire Jadram, donec haberem responsionem vestram, et donec viderent, si poterant aptari negocia inter suum dominum et me, promittentes, quod statim applicatis Tininum similiter literam a comite Tinini mihi facerent destinari, quam literam eis concessi, videns, quod talis requisitio erat cum honore vestro et bono huius terre. Domine mi, causa, quare hanc securitatem pe-

tierunt a me, est, quia timent de voce, quam feci, scilicet de non permittendo damnificare territorium vestrum Jadre, et de derobando omnes, qui derobarent me, et etiam quia sciunt, quod quando castellanus Ostrovicie venit ante Jadram, castellanus Tinini, precessor huius scripsit mihi, requirendo, si gentes sue essent hic secure, respondi, quod sic, exceptis illis de Ostrovicia, qui treuguam fregerant, et ad damnificandum venerant ante Jadram; et vere, domine mi, aliter quam cum timore isti castellani male poterunt evitari, quin semper damnificent; hec omnia dedi intelligere magnitudini vestre, ut intentionem et apparere vestrum in hiis mihi mittere valeatis, sciente dominatione vestra, quod quantum mihi videtur, si comes Tinini voluerit assecurare Jadrenses per modum predictum, bonum erit, quod ipsi dent sibi aliquod, et nisi aliud mihi scribatis, et comes predictus hoc facere velit, complebo factum pro dissimulando pro nunc, et pro vivendo pacifice cum eodem; et si dictus comes noluerit, credo posse facere sic, quod omnes timebunt illos de Jadra, et pro uno damno, quod facient, ipsi recipient quatuor.

Vester Petrus Baduario miles de vestro mandato comes et capitaneus Jadre. Data Jadre die XVII iulii.

Izvornik na papiru u arkivu mletačkom.

CCCCXV. God. 1355. 20 srpnja, u Zadru.

Knez zadarski javlja svojoj vladi, da po viesti, koju je dobio od Grgura kneza krbavskoga, ugar.-hrv. kralj Ljudevit namjerava saći s vojskom u primorje.

Serenissimo et excellentissimo domino suo domino Johanni Gradonico, dei gracia Veneciarum, Dalmatie atque Croatie inclito duci, domino quarte partis et dimidie totius imperii Romanie. Serenissime domine mi! Dominationi vestre notifico per presentes, quod comes Gregorius Corbavie a rege Hungarie noviter est reversus cum uno filiorum suorum, alter vero filius suus propter infirmitatem uxoris sue in Hungaria remansit, quamquam etiam ipse coctidie expectet. Sentiens vero de adventu suo, et optans scire nova de partibus illis, misi litteras meas comiti supradicto, ipsum rogando, ut, si quod notabile novum haberet, illud mihi faceret manifestum. Qui mihi rescripsit, esse novum, regem Hungarie disposuisse et ordinasse personaliter descendere ad partes istas, sed ipse credit, quod dum sentiet nova de pace inter vos et Januenses facta, propositum commutabit.

Vester Petrus Baduario miles, de vestro mandato comes et capitaneus Jadre. Datum Jadre, die XX iulii.

Izvornik na papiru u mletačkom arkivu.

CCCCXVI. God. 1355. 1 rujna, na Visokom.

Tvrdko, bosanski ban, potrvdjuje Dubrovčanom sva prava i povlastice, koje jim podielio bieše njegov stric ban Stjepan.

Nos Tvarctcho dei gracia Bozne banus. Amicis suis fidelibus nobilibus et communitati de civitate Ragusiensi favorem et amicicie largitatem. Misistis ad nos nobiles viros dominum Symonem de Resti et dominum Clime de Dessa vestros cives dilectos cum vestris legacionibus: quas legaciones et vestra vota, prout petivistis et desiderastis ac decet nostram

*.

magnificenciam, annuentes, quorum legaciones audivimus et atente intelleximus et dicimus, quod ipsas legaciones ac vota vestra, prout desiderastis et nostram decet magnificenciam, gratanter acceptavimus, vosque et vestram civitatem ac omnes cum omnibus suis ad ipsam pertinentes ad nostram graciam et fidem nostram una cum nobilissimo iuvene comite Vuk nostro fratre karissimo ac plurimum honestissima domina domina Helena nostra genitrice predilecta suscepimus et suscipimus ad omnem graciam et ad omnem consuetudinem et ad omnem ius ac protectionem, libertatem, sicut prius habuistis clare memorie tempore predecessoris et patrui nostri Stephani olim bani Bozne, vosque copulantes inseparabiliter nostre amicicie et omnium nostrorum nostram voluntatem exequentium. In cuius rei testimonium ac literas sigilo Stephani condam Bozne bani assignatas prelibatis nobilibus communitati eiusdem Ragusiensi tradimus ac dedimus, quia ad presens nostrum proprium sigilum nondum habeamus. Data et acta in nostro castro Vizoka vocatum prima die mensis septembris, anno domini MCCC^{mo} quinquagesimo quinto.

Izvornik na papiru u bečkom arkivu.

CCCCXVII. God. 1355. 17 rujna, u Mletcih.

Punomoćje za providure odlazeće u Dalmaciju, da mogu sklopiti pogodbu sa Jelenom kneginjom kliškom i skradinskom.

Sindicatus provisorum missorum ad partes Sclavonie. In christi nomine amen, anno nativitatis eiusdem millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto, indictione octava, die decimo septimo septembris. Excelsus et magnificus dominus dominus Johannes Gradonico dei gratia Veneciarum, Dalmacie atque Croatie dux, dominus quarte partis et dimidie totius imperii Romanie, una cum suis consiliis minori et sapientibus ad infrascripta specialiter deputatis ad sonum campane et voce preconia more solito congregatis et ipsa consilia cum prefato domino duce unanimiter et concorditer nemine discrepante pro se et successoribus suis, ac nomine et vice communis Veneciarum fecerunt, constituerunt et ordinaverunt in suos certos nuncios, sindicos, actores et procuratores legiptimos, et quicquid amplius dici et esse potest nobiles et sapientes viros Jacobum Delfino, Dominicum Michaelem et Mafeum Contareno, cives Veneciarum, provisores ituros de ducali mandato ad partes Sclavonie absentes tanquam presentes et quemlibet eorum in solidum, specialiter ad conveniendum, conferrendum, tractandum et pacifiscendum cum egregia domina domina Hellena Clissie et Scardone honorabilis comitissa, et cum eius filio et eorum quolibet, et cum deputatis vel deputandis ab eis, tractatus, conventiones et pacta iniendum, faciendum et firmandum cum pactis, modis, formis, terminis, punctis, articulis, promissionibus, obligationibus, penarum adiectionibus et clausulis opportunis, et que dictis suis sindicis et procuratoribus utilia et necessaria videbuntur, et ad obligandum ipsum dominum ducem, commune et singulares personas Venetiarum ac bona eorum specialiter et expresse pro observatione eorum, que per eos promissa fuerint seu conventa; et ad iurandum in animas ipsorum et cuiuslibet generis sacramenta prestandum, et generaliter ad omnia alia et singula tractandum, faciendum, gerendum et complendum, que in predictis et quolibet predictorum et connexis et pror-

sus extraneis dictis syndicis et procuratoribus videbuntur. Dantes et concedentes eis plenum, liberum et generale mandatum et speciale, ubi exigitur, cum plena, libera et generali administratione et potestate faciendi, firmandi et complendi in predictis et circa predicta quicquid eis videbitur et placebit, ac si de eis in presenti syndicatu foret facta mentio specialis, nec non promittentes hinc tenere et inviolabiliter observare quecumque dicti eorum syndici et procuratores firmanda et promittenda duxerint, et non contrafacere vel venire sub obligatione omnium bonorum communis Veneciarum. In quorum fidem et evidenciam pleniorem prefatus dominus dux mandavit presens instrumentum fieri, suaque bulla plumbea communiri. Actum in ducali palacio Veneciarum in sala maioris consilii, presentibus sapiente viro domino Bonintendi de Ravagnanis ducatus Veneciarum cancellario, ac providis viris Amadeo de Bonguadagnis et Stephano Ciera dicti ducatus notariis, testibus ad hoc vocatis et rogatis, et aliis.

L. S. Ego Nicolaus de Pharizeis de Parma publicus imperiali auctoritate notarius et ducatus Veneciarum scriba, predictis omnibus et singulis presens fui, eaque de mandato prefati incliti domini ducis scripsi.

Sindicatus I. 65, u arkivu mletačkom.

CCCCXVIII. God. 1355. 6 listopada, u Mletcih

Upućuje se knez zadarski kako da brani grad i dušmanske nasrte odbije. Knezu Grguru Kurjakoviću izkazuje se zahvalnost na njegovu naklonost napram republici; a providurom u Dalmaciji nalaže se, da nastavljajuć raditi o svojoj zadaći sa kneginjom kliškom podju na dogovor sa knezom Grgurom, i da njegove misli saslušaju. Šalje se novac za izplatu čete u Skradinu.

1355. indictione IX, die VI octubris. Sapientes Sclavonie: ser Marcus Justiniano, ser Marcus Celsi, ser Paulus Lauredano procurator, ser Petrus Memo et ser Zacharias Contareno. Intellectis et diligente eximinatis licteris, que hiis diebus venerunt de partibus Sclavonie, videtur sapientibus, quod pro nunc super ipsis licteris sit taliter providendum, videlicet;

Capta: quod scribatur comiti et capitaneo nostro Jadre, quod intellectis licteris suis datis XXI septembris continentibus de cavalchata, quam fieri fecit per stipendiarios nostros et alias gentes nostras de Jadra super territorium Ostrovicie, et de dampnis factis per ipsas gentes nostras in loco predicto, videlicet tam de concremacione trium villarum quam etiam de alia preda facta, eidem rescribimus, quod licet cognoscamus et videamus disposicionem suam fore laudabilem atque promptam ad defendendum et sustinendum honorem nostrum, tamen videtur nobis non modicum periculosum et dubium ob multos casus, qui accidere possent, mittere sic extra civitatem stipendiarios, qui deputati sunt et stare debent continue ad custodiam civitatis; quare facimus eum provisum et sibi observandum mandamus, quod decetero teneat talem modum, quod civitas nostra non sic remaneat immunita stipendiariis nostris, qui pro eius defensione et custodia sunt dati et deputati, ut dictum est, ut ex hoc sinistrum aliquod de ipsa nequeat evenire. Verum bene contentamur et placet nobis, quod pro reparatione et defensione incursionum castellani Ostrovicie et aliorum depredatorum habeat et faciat illam provisionem, quam cum honore nostro pro defensione, salute et conservatione civitatis nostre predicte et nostro-

rum ffdelium facere posse videbit, dummodo hoc fiat cum quam minori numero stipendiariorum fieri poterit. Insuper quia extimamus valde periculosum et dubium, quod civitas nostra Jadre remaneat absque presencia ipsius comitis, mandamus ei, quod in posterum se abstineat de eundo ad coloquium extra civitatem cum aliquo; sed si de aliquo coloquio per aliquem fuerit requisitus, poterit deputare vel mittere ad ipsum coloquium personas aliquas loco sui, quia suam presenciam continue neccessariam esse cognoscimus in civitate predicta. Super aliis vero contentis in aliis licteris suis predictis, silicet tam in mittendo gentes, quam in aliis, providere curabimus quamtocius fieri poterit et cum omni diligencia opportuna. Non sinceri 1, de non 0, alii de parte.

Capta: preterea cum debitum nobis sit licteris pridie nobis missis per comitem Gregorium Curiachum aliquam tradere responsivam, ne videamur non curare de ipso: vadit pars, quod scribatur eidem comiti, qualiter licteras suas recepimus simul cum licteris comitis nostri Jadre, et contenta in eis intelleximus diligenter, per quas cognoscimus et comprehendimus manifeste laudabilem disposicionem et bonum propositum, quod habet erga nos nostraque comoda et honores, propter quod fidem et probitatem suam possumus et debemus merito commendare, recognoscentes nos ex inde obligatos existere ad ea, que spectant ad conservacionem sui status pariter et honoris. Sed cum miserimus provisores nostros ad partes illas pro providendo super omnibus, que spectant pro salute et conservacione illarum partium, scribamus dictis nostris provisoribus, quod ad requisicionem ipsius ipsi vel pars eorum debeant esse ad conferrendum cum eo super hiis, que nobis scripsit, et aliis, que sibi viderentur fore utilia pro conservacione sui status et nostri.

Capta: provisoribus autem nostris scribatur de disposicione comitis Gregorii predicti, mittendo eis copiam licterarum suarum, quas nobis misit, et mandando eis, quod non disistendo propterea a negociis principalibus, que eis commisimus, silicet de facto castrorum comitisse, quando eis videbitur tempus accomodum et acceptum, omnes simul vel pars eorum, sicut eis melius videbitur, si per ipsum comitem fuerint requisiti, vadant ad conferrendum cum dicto comite, et audiaut et trahant ab eo, quicquid poterunt de intencione sua, et quicquid habuerint tam super hoc quam super aliis negociis eisdem commissis, velociter et sollicite nobis scribant. De non 0, non sinceri 2, alii de parte.

Capta: cum una banderia peditum, quam dimisit ser Mapheus Aymo in Scardona, compleverit terminum suum iam diu, ita quod, sicut scribit comes noster Sibinichi, restat habere solucionem bene trium mensium: vadit pars, quod mittatur de hinc pecunia pro solucione dicte banderie pro tribus mensibus.

Misti XXVII. 24, u arkivu mletačkom.

CCCCXIX. God. 1355. 13 listopada, u Mletcih

Providuri u Dalmaciji upućuju se, kako da se ponašaju u dogovorih sa kneginjom kliškom glede nabave njezinih tvrdjava Kliša i Skradina. Daje se Trogiranom za novac oružani brod, da se proti Omišanom braniti mogu.

1355. die XIII octubris. Sapientes Sclavonie. Quod respondeatur provisoribus nostris existentibus in partibus Sclavonie, quod receptis et intel-

lectis licteris suis datis ultimo septembris, eisdem rescribimus, quod solliciti et diligentes existant, sicut firmiter tenemus, quod sunt, ad instandum et procurandum de possendo obtinere et perficere intencionem nostram in facto castrorum Clissii et Scandone, silicet de habendo ambo ipsa castra, si ambo haberi poterunt, vel alterum ipsorum castrorum, quando ambo haberi non possent per modum eis commissum. Verum quia scripsimus, quod, sicut per aliquos fertur, comitissa contentabitur forte de dando Clissiam, respondemus, quod in casu, quo dicta comitissa nolet tradere ambo castra, sed solum unum ipsorum castrorum, et contentaretur pocius dare Clissiam quam Scardonam, sumus contenti, quod tractent cum ipsa pro Clissia per illum modum, qui eis melior apparebit, possendo promittere finaliter, quando pro minori fieri non posset, pro Clissia usque ad libras L millia parvorum cum illis pactis et condicionibus, quas promittere poterant pro Scardona iuxta requisiciones olim factas per dictam dominam, procurando nichilominus illa avantagia et melioramenta, que pro nobis poterunt obtineri, sicut speramus de ipsis, et sollicitando ducere rem ad effectum et complementum pro omni respectu quamcicius fieri potest. Et ne forte per aliquem manifestaretur aliquid, quod posset turbare et impedire hunc nostrum tractatum, mandamus eis, quod diligenter precaveant de revellando aliquid alicui de hac intencione nostra predicta, sed solum cum comitibus et rectoribus nostris illarum terrarum nostrarum conferrant et se consulant super factis huiusmodi, si eis videbitur, scribendo nobis solicite de die in diem quicquid fecerint et habuerint in premissis.

In casu vero, quo non possent perficere seu obtinere intencionem nostram predictam, vel pro eo quod comitissa faceret alias maiores peticiones de novo, vel pro eo quod forte attenderet ad tractatum cum rege, trahant de intencione sua quam plus poterunt, et ducant eam in longum quam comodius poterunt, dando ei spem de nobis, et rescribant, nostrum expectando mandatum. 33, 33, non sinceri 2, 3, de non 3.

Ser Mapheus Aymo consiliarius. Capta: vult partem sapientum per totum, sed ubi dicitur, quod non revellent hec facta alicui persone, nisi rectoribus, dicatur, quod hec habeant in stricta credencia, sicut requiritur, et quod non revellent ea alicui persone, nisi illis personis, sine quibus nostra intencio non posset effectum sortiri. 38, 39.

Sapientes predicti. Capta: cum ambaxator communis Tragurii, qui est hic, petat instanter pro parte communis dicte terre unum lignum a remis LX furnitum corredis neccessariis pro possendo se reparare ab incursionibus et depredacionibus, que eis inferruntur per illos de Almisio: vadit pars, quod eis detur dictum lignum furnitum per extimacionem cum corredis neccessariis causa predicta, solventibus ipsis precium ipsius et corredorum usque ad unum annum, et dando plezariam sufficientem, prout dominacioni videbitur. Omnes de parte. Facta fuit cedula patronis arsenatus.

Misti XXVII. 36, u mletačkom arkivu.

CCCCXX. God. 1355. 31 listopada, u Mletcih.

Prima se, da se za bojne troškove upotrebe novci zaklada.

1355. die ultimo octubris, capta: si videtur vobis, quod simus in tali casu guerre cum rege Hungarie, quod pro factis Sclavonie et aliis, que ha-

buimus, habemus et haberemus facere cum eo, possint expendi de denariis montis, sicut videbitur huic consilio. 76, non 4, non sinceri 3.

Misti XXVII. 38, u mletačkom arkivu.

CCCCXXI. God. 1355. 31 listopada, u Mletcih.

Predlaže se providurom u Dalmaciji više načina, po kojih bi mogli pribaviti republici Kliš i Skradin.

1355. indictione IX, die ultimo octubris. Sapientes Sclavonie ser Paulus Lauredano procurator, ser Marcus Celsi, ser Zacharias Contareno. Capta: quod respondeatur provisoribus nostris, qui sunt in partibus Sclavonie, quod recepimus litteras suas datas die XIII et XVI mensis octubris; quibus et in ipsis contentis cum omni diligencia intellectis, eorum providenciam et solicitudinem comendantes rescribimus, quod in casu, quo nondum rex Raxie de facto habuisset vel haberet castra comitisse, quam cicius esse potest per illum modum et cum illis verbis, que eis convenientia et utilia videbuntur, recordando dicte comitisse magnam dilectionem et karitatem, quam habuimus et gessimus erga virum suum, et per consequens quam habuimus et habemus ad eam et filium suum, propter quam dilectionem firmiter sperare potuit atque potest, quod honorem, bonum et augmentum eius et filii sui predicti pure et sincere amavimus et procuravimus, et sic semper amare et procurare intendimus in futurum, et ostendendo ei magnum dubium et periculum, quod sibi et filio provenire posset, si castra et loca sua ad alias manus quam ad nostras modo aliquo pervenirent, dicant, quomodo tempore elapso propter magnas gravitates nostras, quas tullimus, non potuimus sic plene intendere ad factum castrorum suorum sicut optabamus, sed nunc per dei gratiam, postquam status noster reformatus est, contenti sumus accipere castra et loca sua predicta in protectione nostra cum illis pactis et condicionibus, que per eam alias fuerunt quesite; et hiis dictis, procurent inducere eam, quod contentetur et velit nobis tradere castra ipsa. Et si viderent, quod differentia remaneret in facto pecunie, damus eis finaliter libertatem, ut nostra intencio valeat obtineri, possendi promittere pro ambobus castris usque ad quantitatem librarum CXX mille parvorum cum aliis conditionibus omnibus in sua comissione contentis; et si ambo forte dare noluerit, sed tantum unum, finaliter possint promittere pro Clipsia usque ad librarum LXX mille, sicut poterant promittere L millia, et pro Scardona usque ad libras XL mille etiam cum aliis pactis et conditionibus annotatis in eorum comissione predicta: remanente etiam eis firma libertate possendi expendere in illis personis, que essent favorabiles huic nostre intentioni prout eis commissum fuit. De non 4, non sinceri 5, alii de parte.

Capta: et si forte a se dicta comitissa nollet contentari dare nobis castra predicta vel alterum ipsorum, quia percepimus, quod sunt alique persone apud ipsam, que sunt ita cum dicta domina, et habent sic sua castra in manibus, quod absque ipsarum personarum consciam vel contentacionem non traderet seu non posset tradere dicta castra, volumus, quod procurent per illum modum, qui eis melior apparebit cum personis predictis, quod ipse persone eam hortentur et inducant taliter, quod contentetur et vellit dare nobis castra predicta vel eorum alterum, ut est dictum,

possendo promittere dictis personis, que sic operarentur et facerent, usque ad ducatorum duo millia, sicut promittere poterant librarum III millia, que pecunia dari debeat solum in casu, quo habeamus ipsa loca vel ipsarum alterum, ut est dictum, ut nostra effectum intentio sortiatur.

Sapientes ser Paulus Lauredanus procurator, ser Marcus Celsi. Et quia bonum est experiri per omnem modum et viam, quibus fieri potest, ut intencio nostra valeat adimpleri, videlicet ne castra predicta ad alienas manus quam ad nostras perveniant, in casu quo comitissa predicta nollet exire de locis suis, sed contentaretur potius sustinere et tenere loca sua et habere aliquam provisionem annuatim, possint dicti provisores nostri, quando tractatus ad hunc terminum perveniret, promittere ei omni anno pro sua provisione usque ad terminum quinque annorum libras II mille parvorum vel inde infra, quam melius poterunt, que quidem provisio distribuatur inter dictam comitissam et suos sicut melius videbitur provisoribus pro maiori avantagio et securitate nostra; et solvatur dicta provisio complecto termino anni II mille librarum, quas recepit a ser Mapheo Emo, hac conditione apposita, quod ipsa domina contentetur in omni casu, quo vellemus et nobis necessarium esset, possimus ponere de gente et stipendiariis nostris in burghis Clissie et Scardone in ea quantitate, quam ponere volemus occasione paysenatici, quod fieri facere intendimus pro securitate et conservatione sua et aliarum terrarum et locorum nostrorum partium earundem. 12.

Dominus et ser Zacharias Contareno sapiens. Capta: volunt partem suprascriptam per totum, sed volunt, quod provisores possint promittere cum omnibus conditionibus supradictis usque ad libras III mille parvorum in anno, vel inde infra, ut melius poterunt. 64.

Omnes sapientes. Capta: in casu vero, quo tractatus predicte comitisse cum rege predicto fratre suo complectus esset ita, quod haberet vel habiturus esset procul dubio loca iam dicta, et hoc turbari vel impediri non posset modo ullo, ex nunc captum sit, quod unus ipsorum provisorum nostrorum, videlicet ille, qui, approbatis omnibus tribus in isto consilio, habuerit plures ballottas, habendo maiorem partem consilii, ire debeat ad ipsum regem ad procurandum, tractandum et operandum cum illis verbis, que dominacioni convenientia videbuntur, quod ipse rex contentetur et velit, quod habeamus loca et castra predicta, vel quod saltem sibi placeat ea sustinere ita et taliter, quod ad alienas manus non perveniant ullo modo. Et ut rex predictus inducatur ad contentandum de dando nobis castra predicta, habeat dictus provisor in omnibus et per omnia illam libertatem possendi promittere totam illam pecunie quantitatem, quam habent in possendo permittere comitisse. Prefatus namque provisor iturus possit expendere ducatos quinque in die in omnibus expensis pro se et familia sua, ducendo secum notarium suum, unum interpretem, unum chochum et quatuor domicellos.

Capta: et si primus ex predictis nostris provisoribus, qui remanebit in hoc consilio, non posset ire ad istud nostrum servicium pro exequendo hoc mandatum nostrum propter manifestum defectum persone, ille alter, qui habuerit plures ballotas alio tertio, debeat ire loco primi predicti; et si secundus, qui remanebit, ob defectum similem ire non posset, alius ter-

tius vadat, et exequatur mandatum nostrum predictum. Non sinceri 2, de non 4, alii de parte.

Approbati fuerunt provisores predicti ad unum ad unum: ser Jacobus Delphino primus, ser dominicus Michael secundus, ser Mapheus Contareno tertius.

Misti XXVII. 39, u arkivu mletačkom.

CCCCXXII. God. 1355. 14 studenoga, u Mletcih.

Nalaže se Pažanom, da dadu na svom otoku zaklon Ninjanom i njihovom marvom za neprijateljskih navala.

1355, indictione IX, die XIV novembris. Sapientes Sclavonie. Capta: cum pluries comes noster None per suas licteras scripserit nobis, quod comes Pagi non vult receptare fideles nostros de Nona, qui quandoque ex timore cureriarum, que fiunt per castellanum Ostrovicie et alios Hungaros, se cum animalibus suis reducunt ad insulam nostram Pagi, ymo eos expellit et fugat, quod est quid inhumanum et contra intencionem domini, et propterea vadit pars, quod scribatur dicto comiti Pagi, quomodo intelleximus de huiusmodi novitate et gravitate, quam facit contra fideles nostros predictos de Nona se reducentes cum animalibus suis ad insulam nostram predictam Paghi velut ad locum refugii pro conservando et reparando se et animalia sua ab incursionibus inimicorum nostrorum, de qua quidem novitate admiracionem et turbacionem recepimus, et maxime considerato, quod sicut scire potest inter alios fideles nostros de Sclavonia illi de Nona magna signa fidelitatis et devotionis semper erga nostrum dominium hostenderunt, et propterea non est conveniens, quod ubi sperant habere tutum refugium in derobacionibus et persecucionibus, quas a nostris adversariis paciuntur, ipsi expellantur, et eis taliter subvencio et subsidium denegentur. Quare districte mandamus ei, quatenus dictos fideles nostros, quandocumque cum personis et animalibus suis pro eorum securitate ad partes regiminis sui se reducere contingerit, debeat benigne et graciose recipere et receptare, et eis assistere auxiliis et favoribus opportunis, sicut pro neccessitate eorum atque animalium suorum expediens fuerit, cum congruum et laudabile sit, quod nostri fideles et subditi sibi auxilientur ad invicem in casibus et temporibus opportunis. Quod quidem sic effectualiter studeat et debeat observare, quod nobis non expediat amplius sibi scribere superinde. Omnes de parte.

Misti XXVII. 42, u arkivu mletačkom.

CCCCXXIII. God. 1355. 19 studenoga, u Mletcih.

Dozvoljava se Zadranom i Pažanom, da mogu u dućane spremati svoju sol, a to za godinu dana.

1355. indictione IX, die XIX novembris, capta: quod concedatur fidelibus nostris de Jadra et Pagho, considerata stricta condicione, quam habet sal ad presens, quod possit incanipari sal eorum in Jadra et Pago, tam per eos quam etiam per emptorem ipsius salis. Et hec concessio duret usque ad unum annum tantum.

Misti XXVII. 42, u mletačkom arkivu.

CCCCXXIV. God. 1355. 21 studenoga, u Mletcih.

Riešeno, neka se pošalje izaslanik k ugar.-hrv. kralju, da ga upita, bi li primio poslanike mletačke, da s njim ugovore mir. Odredjuje se galija i dva broda za potriebe Zadra.

1355. indictione IX, die XXI novembris. Sapientes Sclavonie. Capta: cum pro statu nostro faciat et maxime presenti tempore, in quo future videntur hec novitates in partibus Sclavonie, exquirere et scrutari omnem modum et viam possibilem, quibus valeamus cum domino rege Hungarie ad pacem et concordiam pervenire, et quia comes noster Tragurii inter cetera scripsit nobis ea, que sibi fuere scripta per episcopum Tragurinum, videlicet quod dictus rex presente ipso episcopo ore suo proprio dixerat, quod placeret eidem habere bonam pacem nobiscum, et quod, si vellemus ad eum nostros ambaxatores transmittere, ipse reciperet et acceptaret libenter eos cum bono tractatu pacis etc., consulunt sapientes, quod tam pro eo, quod habere pacem cum ipso pro nostro statu faceret, ut est dictum, quam etiam ut ex parte nostra non deficiat, quod provideatur de mittendo secrete unam personam fidelem, que dominacioni sufficiens videatur, et que per illam viam, que erit expedicior, vadat ad ipsum regem, et prepositis illis verbis, que videbuntur dominio committenda, retrahat verba significata per episcopum supradictum, que scripsit fuisse prolata ex ore proprio sue regie maiestatis, et quomodo intellectis ipsis verbis nos affentuosissime cupientes habere puram concordiam atque pacem et amorem perpetuum cum eius regali excellencia, prout semper habuimus cum serenissimis progenitoribus suis, providimus mittere ad certificandum nos, quod si de beneplacito et voluntate sue predicte maiestatis procedit, ut nostri ambaxatores ad eius sublimitatis presencia destinentur, eos mittere offerimus nos dispositos et paratos, ut pax et vera concordia atque perfecta sinceritas, ad quam habendam semper singulare desiderium in nobis fuit deo teste tractari et perfici valeat altissimo largiente. Et hiis dictis audiat dictus nuncius responsionem eiusdem regis, et si contentabitur, quod ambaxatores nostri mittantur, procuret obtinere licteras securitatis eiusdem regis pro securo itu et reditu eorumdem. Si vero rex non contentaretur, ut mittetur nostra ambaxata, dictus nuncius cum omni informacione, quam habere poterit, Venecias revertatur. Committatur etiam dicto ituro, quod se presentet domine regine matri dicti regis, cui exponat illa verba, que videbuntur conveniencia dominio committenda. De non 2, non sinceri 1, alii de parte.

Capta: cum comes noster Jadre instanter per quampluries licteras suas quesiverit unam galeam et duo ligna, eo quod galea, que est ibi, sicut scribit, omnino nullius valoris existit: vadit pars, quod scribatur nostro capitaneo generali, quod in reditu suo galeam, que fuit armata per terras nostras Sclavonie, dimittat Jadram, faciendo eam assignari cum omnibus corredis et furnimentis suis comiti nostro Jadre; et dehinc provideatur de mittendo duo ligna a XL in LX remis Jadram, furnita corredis neccessariis, quam velocius fieri potest. Et scribatur dicto comiti nostro Jadre de galea et lignis predictis, que eidem decrevimus mittere, et quod super aliis contentis in licteris suis providere curabimus, sicut videbitur fore opus. Omnes de parte.

Misti XXVII. 43, u arkivu mletačkom.

CCCCXXV. God. 1355. 23 studenoga, u Mletcih.

Prima se, da se ustroji domobranstvo u Hrvatskoj.

1355. indictione IX, die XXIII novembris. Paysenaticum Sclavonie. Dominus ser Nicolaus Contareno, ser Lisius Vitalis, ser Marcus Bembo, ser Mapheus Emo, consiliarii; capita de XL; ser Paulus Lauredano, ser Marcus Celsi, ser Petrus Memmo, sapientes. Capta: cum utile ymo neccessarium videatur per nova, que habentur de Sclavonia, de facto providere ad subvencionem terrarum nostrarum pro conservacione honoris et fidelium nostrorum, et inter alia, que videantur ad presens providenda, habita collatione cum syndicis terrarum ipsarum, facere aliquod paysenaticum ibi: vadit pars, quod in bona gratia ordinetur et fiat paysenaticum unum in dictis partibus Sclavonie de centum equitibus pro presenti sub modis, condicionibus et formis inferius describendis, videlicet:

Quod fiat unus capitaneus generalis in partibus Sclavonie super omnes rectores trium civitatum nostrarum, silicet Sibenici, Tragurii et Spaleti et gentes earum, sicut est capitaneus paysanatici super rectores Istrie. Verum comes Jadre, si fuerit requisitus per dictum capitaneum, subveniat et mittat ei de gentibus suis, si poterit cum salvamento et securitate terre nostre Jadre, et aliter non sit astrictus paysenatico supradicto.

Et habeat de salario in anno dictus capitaneus libras XLV grossorum, et sit per duos annos, et teneat duos socios forenses, quorum cuilibet det quatuor libras grossorum in anno et unum notarium, cui det libras L cum aliis utilitatibus officii, et unum chochum, et vestiat socios una vice et aliam familiam bis toto tempore sui regiminis super eorum salario. Item habeat unum dextrerium precii ducatorum LX vel inde supra et X equos ab armis sufficientes pro illis partibus precii ducatorum XXV pro quolibet ad minus, et duos ronzinos; et sint omnes dicti equi de quatuor annis completis ad minus, et quatuor famulos a stalla; et habeat dictus capitaneus soldum a nostro communi pro X equitibus de numero soldandorum per nos ad racionem ducatorum V in mense pro quolibet, et recipiat soldum eorum de medio anno statim, ut possint se furnire, quos idem capitaneus accipiat bonos et sufficientes, qui placeant dominio, et det eis de salario solidos tres grossorum in mense ad minus, et expensas oris, et arma et equos sufficientes, et sint isti X pro equitatoribus et servitoribus suis. Et recipiat ipse capitaneus salarium suum medii anni statim, et debeat tenere equos suos predictos in stabulis et non ad pascua. 41.

Et sit dictus capitaneus, quantum in facto electionis, ad condicionem XII regiminum nostrorum.

Ser Jacobus do Lege caput XL. Quod dictus capitaneus habeat libras L grossorum cum condicionibus suprascriptis. 34.

Capta: de dictis autem centum equitibus, L soldizentur et solvantur per nostrum commune cum duobus comnestabilibus de illis gentibus et cum illo soldo, quod videbitur dominio, inter quos computentur illi X equitatores capitanei; de reliquis vero L accipiantur et ponantur et teneantur continue per commune Sibenici XXIII, per commune Tragurii XVI et per commune Spaleti XI, qui sint de hominibus illarum contratarum bonis et sufficientibus, bene furnitis equis et armis, ita quod placeant capitaneo.

Cum quibus gentibus dictus capitaneus debeat intendere ad procurandum honorem nostrum et salutem et defensionem terrarum et fidelium nostrorum et bonorum suorum, et stare et ire cum toto et parte ipsius gentis ubi et sicut ei melius pro honore nostro videbitur, et sicut per nos sibi datum fuerit in mandatis.

Et sindicis istarum terrarum nostrarum, qui sunt hic, dicatur, quod istud elegimus et eligimus pro bono et conservacione sua, et quia illi de Sibenico et Tragurio petunt istud, illi autem de Spaleto dicunt, quod licet non faciat pro eis paysanaticum, nichilominus parati sunt obedire hiis, que per nos fuerint ordinata, dicatur eis expresse, et inducantur cum illis verbis, que dominacioni videbuntur, ita quod contententur, et quod fiat per eos, ut superius dictum est. 71.

Capta: quod elongetur terminus omnibus sapientibus per totum mensem decembris futurum.

Misti, XXVII. 44, u mletačkom arkivu.

CCCCXXVI. God 1355. 30 studenoga, u Mletcih.

O izboru načelnika domobranstva.

1355. indictione IX, die penultimo novembris, capta: quod iste capitaneus paysenatici Sclavonie fiat per quatuor manus electionum in maiori consilio, approbando electos ad unum ad unum, et ille qui habuerit plures ballotas, habendo maiorem partem consilii, sit firmus. Et si nemo haberet maiorem partem consilii, fiat electio a capite. Et est captum per quinque consiliarios, XXXII de XL, et duas partes maioris consilii.

Maius Consilium. Novella 42, u arkivu mletačkom.

CCCCXXVII. God. 1355. 3 prosinca, u Mletcih.

Ovlašćuje se providur idući k srbskomu kralju, da na javno ime uzme u zajam novce potrebite mu sa put.

1355. indictione IX, die III decembris, capta: quod ser Jacobus Delphyno provisor in partibus Sclavonie, qui est iturus ad dominum regem Raxie, possit accipere pecuniam mutuo et per cambium et ad presam super nostrum commune pro expensis neccessariis vie sue.

Misti XXVII. 47, u mletačkom arkivu.

CCCCXXVIII. God. 1355. 5 prosinca, u Pagu.

Knez pažki naproti tužbam Ninjana izvieščuje, da on rado daje zaklon na otoku njihovoj marvi u vrieme neprijateljskih napadanja.

Illustrissimo et excelso domino suo domino Johanni Gradonico dei gracia Veneciarum, Dalmacie atque Crohacie inclito duci, domino quarte partis et dimidie tocius imperii Romanie.

Serenissime domine mi! Celsitudinis vestre literas, datas quartodecimo die mensis novembris proxime preteriti, secundo mensis instantis reverenter et devotissime recepi in forma, quod fideles vestri Nonenses dominio vestro exposuisse querellam monstratam super eo, quod ipsis transfugantibus sua animalia ad vestram insulam Pagi propter curretias adversariorum dominii

vestri ducalis contra eosdem nonenses resistiti, et dicta eorum animalia quoque expulli de ipsa vestra insula et cetera . . . . seriose contra. Quibus, presencium tenore, reverencia condigna respondeo vestre excellencie . . . . . . Nonensium, a vero diversimode deviaverint. Nam non semel sed pluries in receptando animalia eorum et a . . . . . . gentem vestrorum fidelium Pagi pro tuitione civitatis Nonensis, continue in casu quolibet opportuno et requisito per . . . em successum contuli et dedi celleri expeditione, et tota vice conferro, non tam inspiciendo incomoda dictorum vestrorum de Pago fidelium quam mandata vestra et utilitates atque remedia ipsorum Nonensium. Et hoc est manifestum et palam, quia sic feci et facio, nec potest negari, nec ego ita mei meminens necessarium nec amens, quod aliter facere presupsissem, nisi quod honori vestre dominacionis et dictorum vestrorum fidelinum Nonensium comodi accepissem, maxime quia comoda et incomoda ipsorum Nonensium multum unum possint reputari cum vestris Pagi fidelibus propter vicinitatem et unitatem amoris, qui viget et viguit actenus alternatim inter ipsos vestros fideles. Verum quia domine mi hoc anno ipsa bona insula Pagi propter sicitatem temporis ultra modum fuit sterilis, aqua et pascuis carens, ad vitandum scandala et iniurias, que in talibus consueverunt intervenire, volui disponere partem et loca convicinia ipsis Nonensibus de ipsa vestra insula Pagi, et quod mihi darent scire, quum dicta eorum animalia transportabant, ut sibi ad invicem caverent ab iniuriis, et modum super hoc dare possem, sicut honori et velle dominationis vestre mihi videtur convenire; promptus perpetuo ad mandata vestra et honori conformia debite et devote.

Nicolaus Zane de vestro mandato comes Pagi. Ubi factum die V decembris, IX indictionis.

Izvornik na papiru u arkivu mletačkom.

CCCCXXIX. God. 1355. 7 prosinca, u Mletcih.

Skrbništvo sina pok. Marka, kneza krčkoga, nevjerno do sada vodjeno od krčkoga kneza Nikole, povjereno creskomu knezu. Nalaže se krčkomu knezu, da nadoknadi kradju počinjenu od Baščana njekomu cresaninu, i da njeku parnicu za dalje riešenje creskomu knezu izruči.

1355. die VII decembris, indictione IX, capta: cum ex parte Micholi de Cherso nepotis Andree de Caluo de Aussero deposita fuerit querela dominationi, quod per nobilem virum comitem Nicolaum de Vegla et vicecomitem Nicolaum tutoris cuiusdam pupili olim filii comitis Marci bona dicti pupili dilapidabantur et male administrabantur, et quod recusabant ostendere rationes dicte tutele, et super hoc scriptum fuerit eis per dominacionem et comissum comiti nostro Chersi, quod illuc accederet et requireret eos, ut ostenderent sibi rationes predictas inter terminum in litteris nostris contentum sub pena librarum CC; et finaliter ipsi, sicut per litteras dicti comitis nostri percepimus, recusaverint predictas rationes ostendere; vadit pars secundum consilium ser Johannis Caravelo olim comitis Chersi, quod tutella predicta decetero committatur comiti Chersi et successoribus suis, et conferatur, qui teneantur et debeant rationes dicti pupili omni anno diligenter videre et examinare, ne bona predicta pupili disperdantur nec discipentur; et mandetur dictis tutoribus, agravando nos contra eos cum

illis verbis, que conveniencia videbuntur, quod debeant ostendere rationes predictas eidem comiti et successoribus suis sub illa pena, que eis per dictum comitem fuerit imposita.

Super facto autem animalium ablatorum Oragoge condam Petri Balbi de Cherso et Stephanulo Petrusii per illos de Bescha diocesis Vegle scribatur iterate comiti et vicecomiti ac iudicibus et communi Vegle, quod secundum sententiam et reformationem nostram debeant per totum mensem ianuarii proxime venturum predictis nostris fidelibus de animalibus suis sub pena in sententia et terminatione nostra contenta debitam emendam et satisfactionem fecisse, ita quod habeant merito contentari, et de malefactoribus talem iusticiam et vindictam facere, quod transeat aliis ad terrorem. Et scribatur dicto comiti nostro, quod mittere debeat Veglam predictos damnificatos ad presenciam dictorum comitum et iudicum ad recipiendum eorum animalia, et ad requirendum eos de iusticia per eos fienda de malefactoribus, ita quod non stet per eos, si voluerint eisdem satisfieri facere de predictis cum hiis et aliis verbis, que videbuntur dominio scribenda, scribendo nostro comiti, quod quecumque fecerit et habuerit in premissis, debeat nobis, et quod sibi agendum videretur in casu quo satisfactio non sequeretur, per eius litteras reserare.

De negocio autem sentencie per comitem Nicolaum et iudicem Paulum in bonis olim fratris Vagni de Firmo late, a qua dictus Vagni ad dominacionem nostram se appellaverit, quam quidem sentenciam predictus comes Nicolaus et Paulus comiti nostro sive negocium questionis dicte sentencie per nos commissum fuerat ostendere, recusaverit contra nostrum mandatum, scribatur iterato dicto comiti et iudici Paulo, agravando factum cum illis verbis, que conveniencia videbuntur, quod per totum mensem ianuarii proximum debeant comiti nostro ostendisse sentenciam supradictam sub illa pena, quam dictus comes eis imponeret, scribendo super hoc eidem comiti, quod ipsam sentenciam audiata, et questionem predictam, et auditis partibus et iuribus utriusque partis, determinet et diffiniat, prout sibi iustum videbitur.

Misti XXVII. 47, u arkivu mletačkom.

CCCCXXX. God. 1355. 7 prosinca, u Mletcih.

Šalje se nješto bojne sprave u Nin; a knezu trogirskomu se nalaže, da izvršenje njeke osude odgodi do sv. Mihovila.

1355. die VII decembris, capta: quod mittantur Nonam decem capse sagitamenti pro neccessitatibus deinde.

Capta: cum Johannes Petri canonicus Traguriensis fidelis noster exponat, quod vicarii episcopi Traguriensis condemnaverunt ipsum in libris V centum parvorum et aliis in condempnatione ipsa contentis, a qua quidem condemnatione sentiens se gravatum ad sedem apostolicam appellavit, intendens appellacionem ipsam prosequi, pro qua condempnatione opportuit ipsum dare cautionem laicalem, quam cautionem prestitit quidam eius consanguineus; subiungens dictus Johannes, quod nobilis vir Petrus Gradonico comes noster Tragurii compellere vult dictum suum consanguineum ad solvendum peccuniam condempnationis predicte ipsa appellatione pendente: vadit pars, quod eidem comiti nostro scribatur et mandatur, quod si dicta

condemnatio soluta non est, debeat supersedere in exigendo eam usque ad sanctum Michaelem proximum.

Misti XXVII. 48, u mletačkom arkivu.

CCCCXXXI. God. 1355. 7 prosinca, u Mletcih.

Daje se nalog poslaniku idućemu k srbskomu kralju, neka do nove zapovjedi sustane; nego u slučaju njegova dolazka u kraljev dvor, upućuje se, kako da radi u povjerenom mu poslu.

1355. indict. IX, die VII decembris. Quatuor ex sapientibus Sclavonie: ser Marcus Justiniano, ser Paulus Lauredano, ser Petrus Memmo, ser Zacharias Contareno. Capta: quod scribatur ser Jacobo Delfino provisori et ambaxatori nostro ituro ad partes Raxie, quod intellectis litteris missis nobis per eum et socios datis Spaleti XVII novembris mentionem agentibus de ambaxatore domini regis Raxie venturo ad nos etc., mandamus ei, quatenus, si nondum recessisset de Spaleto seu non transisset Ragusium pro eundo ad presenciam regis pro exequendo mandatum nostrum, suspendere viam suam, et non ire magis ultra, donec a nobis aliud receperit in mandatis. In casu vero, quo iam transisset Ragusium et aplicuisset in curiam domini regis predicti, si nondum se elargaverit et non fecerit aliquam promissionem specificatam regi in facto pecunie pro castris Clissii et Scardone secundum libertatem per nos sibi concessam, volumus et sic ei mandamus, quod nullo modo se elarget de faciendo aliquam promissionem specificatam pecunie dicto regi, sed tantum tangat sibi verba tractatus dictorum castrorum, et trahat quidquid poterit de intencione dicti regis et de peticionibus, quas faceret pro dictis castris, et quam velocius poterit, nobis scribat quidquid habuerit, ut possimus postmodum melius deliberare, quid erit superinde agendum, et nostrum prestoletur mandatum. Si vero iam forte fecisset promissionem specificatam regi pecunie, scribat velociter responsionem, quam habuerit ab ipso rege, et in quo statu remanserit negotium, et non procedat ulterius absque mandato nostro. De non 1, non sinceri 2, alii de parte.

Capta: quod postquam negotium istorum castrorum Clissii et Scardone, pro quo negotio erat necessaria presentia aliorum duorum nostrorum provisorum Sclavonie, finem recepit, vadit pars, quod alii duo provisores nostri licencientur, quod possint reverti Venetias, cum eorum mora in dictis partibus non sit ulterius opportuna; et in reversione sua vadant Jadram et Nonam, et informent se tam de facto cave None, quam etiam de omnibus aliis, que erunt necessaria pro salute et conservatione ipsarum terrarum nostrarum, sicut in eorum comissionibus plenius dedimus in mandatis. Omnes de parte.

Misti XXVII. 48, u mletačkom arkivu.

CCCCXXXII. God. 1355. 12 prosinca, u Spljetu.

Providuri u Dalmaciji izvieščuju o stanju Skradina i Kliša, od hrvatskoga bana obsednuta.

(Izvana). Illustri et excellentissimo domino domino domino Johanni Gradonico dei gratia Veneciarum Dalmacie atque Crohacie inclito duci do-

minoque quarte partis et dimidie totius imperii Romanie etc. domino reverendo.

Excellentissime domine noster. Noverit vestra excellentia, quod die nono huius presentis mensis recepimus quandam litteram a comite Paulo, continentem, quod illi de Scardona non contentantur stare sub dominio domini imperatoris Raxie, sicut per litteras in presenti interclusas videre poteritis. Scivimus eciam, quod in Tinino sit maxima congregatio gencium, sed ad quid nescimus. Ex quibus novis visum fuit nobis, quod unus nostrum iret Sibenicum et cum comite Sibenici notificare hec omnia castellano Scardonensi eo modo et via, ut ei melius videbitur, et vadit illuc Mapheus Contareno. Ego vero Dominicus Michael remaneo in Spalato. Et responsum fecimus comiti Paulo predicto tenori suarum litterarum cum illis verbis, prout nobis visum fuit, dando ei prolongacionem verborum, et sic facimus, donec a vestra dominacione habebimus responsivam. Rocha autem castri Clisscii, prout vobis aliter scripsimus, tenetur per dominum Palmanum nomine domini imperatoris Raxie, suburgium autem cum porta superiore et cum saxo, quod vocatur Oprack, tenet dominus banus nomine regis Hungarie. Aliqui ex istis partibus allocuti fuerunt nobiscum asserentes, quod si vellemus aliquam pecunie quantitatem concedere domino Nicolao bano predicto, quod ipse dimitteret dicto domino Palmano totum, quod tenet de Clisscio, ut ipse Palmanus primitus tenebat, et ipse banus reverteretur ad suas partes, quas tenet pro domino rege. Quibus verbis responsum fecimus, quod ipsi deberent persentire ab ipso domino bano de sua intentione, et quod exprimant, quantam pecunie quantitatem vellet, et notificet nobis, quos intendimus ducere in prolongationem verborum, donec a vobis super hoc habebimus responsivam. Nichilominus idem dominus banus fortificat se in dicto saxo Clisscii, quantum potest, tam de hedeficio muri quam lignaminis. Omnia autem hec nova tam dicto domino imperatori Raxie quam etiam domino Jacobo Delfino per plures manus nota fecimus, nova vero alia non habemus. Si qua vero postmodum alia occurerent conscribenda, statim dominationi vestre procurabimus denotare. Supplico tamen ego Dominicus Michael, quod si vestre dominationi placet, quod remaneam in partibus istis, quod dignemini ad me unum notarium transmittere, quia non possum hic habere aliquem, qui michi scribat, quando est necesse. Data Spaleti die XII decembris. Dominicus Michael, Mapheus Contarenus, de vestro mandato provisores ad partes Sclavonie.

Izvornik na papiru u mletačkom arkivu.

CCCCXXXII. God. 1355. 15 prosinca, u Zadru.

Knez zadarski javlja o nastojanju Grgura krbavskoga kneza, da se primirje medju republikom i ugar.-hrv. kraljem utanači.

Serenissimo et excellentissimo domino suo domino Johanni Gradonico dei gracia Venetiarum, Dalmatie atque Croatie inclito duci, domino quarte partis et dimidie tocius imperii Romanie. Serenissime domine mi. Comes Gregorius Corbavie sepe mihi fecit exponi, et per suas litteras etiam intimavit, quod ipse tractat treuguam inter banum et Hungaros ex parte una, et me, seu Jadram et Nonam, ex altera, et nunc ultimo scripsit mihi,

quod ibit ad dominum banum, et quod rediret iterato ad partes istas, et quod ordinaret treuguam predictam, rogabat me, ut si dictus banus nolet modo treuguam, dimittere priorem Aurane, quod inclinarem ad istud. Unde vestre dominationi significo, quod si treugua fieri poterit, pro hoc non remanebit, et hec faciam, ut alias scripsi, ut homines terrarum vestrarum Jadre et None possint ire extra ad videndum de factis suis, et non quia timeam de ipsis vel quia necessarium sit pro victualibus vel alia de causa. Preterea dictus comes per litteras mihi fecit dici et etiam scripsit, quod ipse libenter tractaret perpetualiter treuguam et unionem inter dominum regem et dominationem vestram, etiam si eum oportuerit personaliter ire ad dominum regem, dicendo, quod hoc faceret propter amorem, quem habet erga ducale dominium, non parcendo laboribus et expensis, et quod in reditu suo a bano velet libenter iterum loqui mihi, ubicumque mihi placuerit. Domine mi, hec, que scribit et dicit comes Gregorius, ymaginor, quod procedit a duarum causarum, una, vel quia velit me tenere in verbis nunc, quia omnes Hungari et Sclavi reduxerunt se Clipsium, timens ne de hinc ei inferam novitatem, vel quia forte aliquid sensit a bano vel per alium modum de intentione domini regis. Sed qualiter omnique res se habent, ea, que sentio, vestro dominio volui denotare, et si placebit vobis mihi comittere, quod aliquid dicto comiti dicam, precipiatis, ut placet; et si ipse aliud de novo mihi denotaverit vel dixerit, magnificentie vestre insinuare curabo.

Vester Petrus Baduarius, miles de vestro mandato comes et capitaneus Jadre. Datum Jadre die XV decembris.

Izvornik na papiru u arkivu mletačkom.

CCCCXXXIII. God. 1355. 16 prosinca, u Zadru.

Zadarski knez piše, kako mu Pažani uzkratiše vesala za galiju, i kako nastoji, da pruži Skradinu vojničku pomoć. Želio bi, da čim prije dodje načelnik vojske opredieljen za Hrvatsku.

Serenissimo domino suo, domino Johanni Gradonico, dei gracia Veneciarum, Dalmacie atque Crohacie duci, dominoque quarte partis et dimidie totius imperii Romanie. Serenissime domine mi. Scripsi pluries dominationi vestre, quod armarem galeam Jadre, et eam mitterem ad partes Tragurii et Spaleti pro facto Clipsii, de quo scrivistis, et quod aliud non expectabam, nisi quod venirent mihi remi LX, quos requisiveram comodo ab illis de Pago. Nunc serenitati vestre notifico, quod posita parte in consilio pagensium de acomodando mihi remos predictos, captum fuit de non; et bene scripseramus eis causam, quare ipsos volebam, cum, non habendo ipsos, dictam galeam armare non potui. Insuper serenitati vestre notifico, quod, dum comes Sibenici scripsisset mihi, quod pro burgo Scardone mitterem duas banderias peditum, nolens disfurnire Jadram, sicut magnificentie vestre scripsi, stipendiarios mittere nolui, sed misi ad partes illas XX. Jadrensium cum uno bono capite, qui civis voster est, et semper consuevit esse comestabilis pedestre. Comes vero Sibenici et ser Mapheus Contareno provisor eos remiserunt Jadram, dicentes, quod de eis non confidebant. Domine mi, Jadrenses, quos miseram illuc, habent omnes uxores et filios et bonam condictionem in Jadra, et elegi eos inter illos, de quibus magis

poterat confidi, et quantum pro stando ad custodiam burgi non erat de ipsis aliqualiter dubitandum, nam aliis vicibus tempore precessorum meorum Jadratini missi fuerunt ad custodiam dicti burgi, et bene se portaverunt, nichilominus hoc scito, quia absque precepto vestro non mitterem stipendiarios Jadrenses ad commorandum in aliqua parte extra Jadram, quum magis coram habeo nomine dominationis vestre Jadram quam omnes alias terras Dalmatie, quia mihi recomendata est, et mee custodie comissa, et stipendiarii, quos habeo, bene necessarii sunt hic, et plures, si plures essent, quamquam plures non requiram. Misi hodie statim tres barchas de XIV remis pro qualibet ad partes predictas Scardone, in quibus sunt quatuor viri veneti, qui essent sufficientes et probi in omni parte, et fuerunt sepe comestabiles pedestres, et alii quatuor forenses lombardi, qui balistarii sunt, et omnes alii sunt insulani et homines Jadre et sunt omnes numero circa XL, quibus ordinavi, quod vestro comiti Sibenici et provisori se debeant presentare, et si placuerit eis, quod vadant Scardonam, quod vadant, et quod stantibus ipsis omnibus tribus vel IV diebus, si exercitus Hungarorum veniret, nullus recedat, sed maneant omnes ad defensionem burgi predicti, et si interim exercitus non veniret, due ex barchis redeant Jadram, et tertia ibi remaneat cum gente ipsius et cum dictis quatuor venetis viris, donec per dominationem vestram aliter provisum fuerit de custodia dicti loci; et scripsi dictis comiti vestro et provisori, quod mitto gentem predictam, et quod si necesse foret in castro Scardone ponere quosdam pro custodia, dicti quatuor cives vestri erant probi et boni.

Preterea dominationi vestre denoto, quod banus et omnes Hungari istarum partium et Sclavi et reduxerunt se in burgum Clisii, sic fertur, et ibi manent. Dicunt quidam, quod castrum Clisii sit vitualibus furnitum pro magno tempore, alii dicunt pro parvo, credo quod hii, qui candide castri sciunt, significaverint vobis illa.

Alias scripsi, quod bonum opus et utile valde foret, si capitaneus vester mansurus in Sclavonia expediret se et celeriter veniret ad partes istas, et adhuc scribo, nam pro certo existente ipso in Scardona cum centum barbutis, et habente de Jadra illud auxilium, quod per me sibi dari posset, et de illis tribus civitatibus similiter, maximum damnum Hungaris facere posset, quia, si Hungari essent ab ista parte Fluminis versus Jadram, ipse posset curere et damnificare ultra Flumen, et si essent ultra Flumen, ipse posset damnificare eos citra ipsum, per hunc modum celerius ad bonam concordiam et pacta pervenire possetis cum domino rege; nichilominus dominatio vestra sapientissima est, ordinet sicut placet. Literas vestri comitis Tragurii mito presentibus aligatas.

Vester Petrus Baduario, miles comes et capitaneus Jadre. Datum Jadre XVI decembris.

Izvornik na papiru u mletačkom arkivu.

CCCCXXXIV. God. 1355.

Katarina, žena kneza Pavla bribirskoga, piše providuru u Spljetu, da njeki nude Skradin njezinu mužu, te moli, da ju uputi, što da u tom radi.

Alo nobele et savio signor Miser Mafio Contarini, provededor. Eo Catarena, muier de conte Polo, se se recomanda a vuy como a frar. Signor

mio fazo va saver, che lo e vegnudo a conte Polo ocultamente da lui persona de Scardona, che s elo va la, lo borgo se da a lui, et in prezo cosa nisuna non voria far lo mio signor senza conseio vostro et aiutorio, se a vuy par de darli agida decente, elo e apariclado de far alto et baso tutto quello; che vuy non provede tosto de questa cosa, elo devignera cosi de Scardona come devegnudo de Clisa; in prezo signor mio quelo, che se fara, se fara a vuy, et in le mane vostre recomande me al altro provedador, si me mande responsion quelo, che ve plas de far sovra questo fato.

Izvana. Alo nobele et savio signor Meser Mafio Contarini, honorado provededor de Sclavania in Spalato sia data.

Izvornik na papiru u arkivu mletačkom.

CCCCXXXV. God. 1355. 15 prosinca, u Trogiru.

Trogirski knez obaviešćuje kneza šibeničkoga i providura o stanju Klisa i ondješnje obsade.

Egregiis et potentibus viris dominis Marco Justiniano, honorabili comiti Sibenici, et Maffeo Contareno, honorabili provisori ducalis dominii ad partes Sclavonie, amicis karissimis. Amici karissimi, tanquam fratres. Heri proclamatum fuit palam in exercitu Clipsii, quod quilibet persona libere possit dampnificare civitates nostri dominii, excepto Spaleto, et si non possunt dampnificare in animalibus, capiant personas, et non solum hoc factum fuit per Hungaros sed etiam per comitem Johannem. Predicta vobis notifficamus, ut sitis previsi. Hodie est tercia dies duo exiverunt de castro Clipsii, et venerunt ad nos, narantes nobis ex parte domini Palmani et Mersote, sicut vobis domino Mafeo et domino Dominico socio vestro miserat, videlicet de dando castrum dominacioni nostre, etiam quod per denarios exercitus removerent, ut etiam nobis disistis, que de prescriptis scripsimus domino Dominico socio vestro, et haberemus, quod esset bonum, si posset acurere. Petierunt etiam a nobis aliquas res sibi magis necessarias, silicet oleum, sardellas, vungneta, sulsum et alia lenia, et ipsis dedimus quantum potuerunt portare et heri proto receserunt; speramus, quod intraverint hac nocte ellapssa; per quos etiam scripsimus dicto domino Palmano et Mersote, ut nobis vissum convenire, in ortamine ipsorum et suorum, oferentes ipsis totum illud, quod poteramus, ad libitum sue voluntatis. Mintius, qui extrassit oleum de Spaleto, non portavit illud, quia dum esset in via, oviavit aliquibus, faciemus ipsi treonte dicentes eidem, tu es apostatus si cupieris civientes tibi oculli, portando aliquid; ex quo timore ipse dimissit oleum, et non portavit, et intravit vacuus; credimus quod fuerit aliqua mala persona de Spalato; etiam dixit, non intrasse illos castratos L, quos dixistis intravisse; habent bonam spem et bonum velle et palificavit, tantum si III centum boni homines intrant subito ab una parte, propterea dixerunt per animam eorum, exercitus ponerent in fugam; illud clarius persentiemus, faciemus vobis sire. Comes Gregorius Choriachouics ibat heri versus Clipsium; de exitu et introytu illorum non est bonum palificare.

Petrus Gradonico, natus clare memorie domini domini Bartolomei olim ducis incliti Veneciarum, comes Tragurii. Ubi datum die XV mensis decembris.

Izvornik na papiru u mletačkom arkivu.

CCCCXXXVI. God. 1355. 16 prosinca, u Mletcih.

Zapovieda se pomorskomu kapetanu, da se umah sa galijami uputi u Dalmaciju, i nastoji o obrani ondješnjih gradova.

1355. indictione IX, die XVI decembris. Quattuor consiliarii et sapientes Sclavonie. Capta: cum propter nova, que nunc habita sunt, requiratur subita provisio, propterea vadit pars, quod hac nocte mittatur una persona sufficiens ad capitaneum nostrum generalem ser Bernardum Justiniano, per quam ei significentur nova predicta, que habentur; et mandetur eidem capitaneo, quod cum galeis sibi comissis, non intelligendo galeas, que fuerunt ad mercatum, quam cicius poterit, vadat ad terras nostras Sclavonie, videlicet Spaletum, Tragurium et etiam Sibinicum, si ei videretur esse necesse illucire, et habita collatione cum rectoribus nostris illarum terrarum, et percepta ab eis omni informacione, quam poterit, super novis predictis et super provisionibus, que viderentur fiende, provideat per omnem modum et viam, quibus melius fieri poterit, cum suis consiliariis de dando subsidium et favorem, sicut dicto capitaneo et consiliariis seu maiori parti eorum videbitur, castris Clissii et Scardone, ut se sustinere possint, si hoc facere posse videbunt cum salvamento et securitate gentis nostre sibi comisse. Et si dicta loca seu castra habere possent vel per modum tractatus vel per alium modum cum securitate tamen gentis nostre predicte, ea suscipiant in protectione et custodia nostra; si vero non viderent posse succurere castris predictis, stent apud terras nostras predictas pro confortatione fidelium nostrorum illarum partium, providendo de omni subsidio et auxilio, quod esset opportunum terris nostris predictis; et licentiando armatas nostras a mercato, ut possint venire directe Venetias, et scribant nobis velociter, quidquid fecerint et habuerint, non recedendo de dictis partibus absque mandato nostro. Et provideatur nihilominus interim de hiis, que viderentur providenda pro honore nostro et conservatione terrarum et locorum nostrorum partium predictarum. Et portet dictus iturus licteras nostras continentes nova habita et hoc mandatum nostrum, et eas dimittat in qualibet terra et loco nostro, ad quam vel ad quem ibit, ut in casu quo non posset reperire capitaneum nostrum predictum, idem capitaneus per rectores nostros habere possit ipsa nova et dictum mandatum nostrum. 53.

Ser Mapheus Emo consiliarius vult partem suprascriptam sapientum cum ista condicione, quod provisores nostri sint cum capitaneo nostro et consiliariis suis, et conferrentes insimul, si viderint posse habere dicta castra cum securitate gentis nostre, ea suscipiant, habendo libertatem per maiorem partem ipsorum possendi promittere in facto peccunie pro habendo dicta castra usque ad quantitatem per nos alias eiusdem provisoribus nostris concessam, et inde infra, sicut melius facere poterunt. 48.

Dominus ser Nicolaus Contareno consiliarius: quod super istis negociis differratur usque ad diem crastinam in mane, et cras in mane vocetur istud consilium, et fiet, sicut videbitur. 5.

Misti XXVII. 49, u arkivu mletačkom.

CCCCXXXVII. God. 1355. 17 prosinca, u Šibeniku.

Knez šibenički i jedan providur šalju svoga poslanika u Mletke, da ustmeno izviesti vladu o ondješnjih dogadjajih, te mole, da jim se pošalje nješto bojne sprave za Skradin.

Illustri ac excelso domino suo, domino Johanni Gradonicho, dei gratia Venetiarum, Dalmatie atque Croatie duci, nec non domino quarte partis et dimidie tocius imperii Romanie. Serenissime domine noster. Transmitimus ad excelentiam vestram discretum virum magistrum Matheum de Perusio, de vestra iurisdictione, plenarie informatum tam de facto Scardonensi et Clisii quam de aliis occurrentibus in ipsis partibus, cui dignetur ducalis dominatio vestra credere ea, que ex nostri parte excelentie vestre exposuerit, tamquam nobis; litteras vero nobis missas per dominum Petrum Gradonicho super facto Clisii presentibus mitimus interclusas. Infrascripta vero sunt necessaria mittenda per dominationem vestram, sine quibus esse non possumus, pro facto Scardone; primo videlicet tabullis de tayella mille, trabescellos CC, traves mezane XXX, batillea III de acutis, II de supracentis, et I de sexana, baliste duo acueno cum veretonibus, baliste X ab uno pede, cassie IV veretonum, pavesii XX, sine quibus omnibus non potest stari ex necessitate.

Ego vero Mapheus infrascriptus suplico excelencie vestre, si vobis placet nos provisores in istis partibus amplius permanere, ut dignemini nobis provisoribus mitere per suprascriptum ser Mapheum *(sic)* saltem ducatos CC, quia omnino non habemus, nec hic recuperare possumus, et gentes sine quibus facere non possumus.

Marcus Justinianus de suo mandato comes Sibenici. Mapheus Contarenus de suo mandato provisor ad partes Sclavonie. Datum Sibenici XVII decembris.

Izvornik na papiru u mletačkom arkivu.

CCCCXXXVIII. God. 1355. 17 prosinca, u Mletcih.

Prima se, da se izaberu tri proveditura za Hrvatsku sa neograničnom vlasti, te se odobravaju njeki predlozi tičući se obrane ondješnjih gradova.

1355. indictione IX, die XVII decembris. Ser Jacobus de Lege caput de XL loco consil. Cum negocia Sclavonie per nova, que habemus, sint in maximo motu, et multi casus poterunt cotidie ibi occurrere, qui non possent previderi per nos, ita quod expedit, quod sint ibi persone, que habeant pro nobis plenum arbitrium et potestatem, et que presto providere possint casibus, qui occurrent: vadit pars, quod in nomine domini mittantur illuc tres solempnes provisores, qui eligantur per scrutinium in isto consilio, et habeant libras centum pro quolibet in mense de salario; qui euntes ad dictas partes tam in facto tractandi de habendo castra Clissii et Scardone et quodlibet eorum cum illa libertate expendendi, que data est provisoribus, quam in facto succurrendi eis, et in omnibus aliis tractatibus et negociis, que quomodocumque spectarent vel spectare possent pro honore et statu nostro in illis partibus, habeant plenam libertatem et auctoritatem et bayliam providendi, faciendi, disponendi et ordinandi quecunque eis vel maiori parti videbuntur cum illo pleno arbitrio, quod haberet

istud consilium; et rectores et fideles nostri illarum partium debeant eis in omnibus obedire, reducendo eis ad memoriam, quod in omni casu habeant bonam curam de securitate nostrarum terrarum, et specialiter Jadre et None. Et dehinc provideatur de armando et mittendo illuc usque duo vel tria ligna, et de mittendo ballistarios et alias gentes pro confortacione et subvencione dictarum terrarum quam cicius esse potest; et respondeant dicti provisores die, qua eligentur, et vadant usque dies VIII proximos, et non refutent sub pena ducatorum centum pro quolibet; et possint expendere in omnibus expensis ducatos tres in die pro quolibet, et habeant tres famulos; et possint accipi de omni officio, non perdendo officium, quod esset continuum. Et si capitaneus maris venerit ad illas partes, ipse et eius consiliarii sint cum dictis provisoribus, et fiant, que fuerint facienda per maiorem partem, donec dictus capitaneus ibi erit, et non elongetur eis terminus reccessus sub pena librarum C cuilibet ponenti partem in contrarium. 28, 23; non sinceri 2, 1; de non 2.

Tres sapientes, videlicet ser Marcus Justiniano, ser Marcus Celsi, ser Zacharias Contareno. Capta: quod capitaneo nostro maris et consiliariis suis scribatur, quod in casu quo castra Clisii et Scardone non possent habere per modos, quibus heri scripsimus, et viderent ea posse habere promittendo aliquam pecunie quantitatem, possint promittere et expendere pro habendo ambo ipsa castra cum fortaliciis suis usque ad libras C mille parvorum, et in casu que ambo haberi non possent, possint promittere pro quolibet ipsorum usque ad libras L mille parvorum. Verum si forte illi, qui tenent ipsa castra, recusarent illa dare nobis absolute, et vellent ea nobis dare ut ea conservaremus et teneremus nomine domini imperatoris Raxie, sumus contenti, quod ipsa recipere possint et recipiant modo predicto, quia quo modo cunque videtur, quod non vadant in manus Hungarorum, satis haberemus nostram intentionem. 29, 36.

Capta: quod in casu quo capitaneus noster nondum applicuisset ad dictas partes Sclavonie, comittatur provisoribus nostris et rectoribus nostris Spaleti, Tragurii et Sibenici, quod cum omni sollicitudine et diligencia opportuna per maiorem partem ipsorum exequantur hoc mandatum nostrum predictum. In casu vero, quo predicti provisores nostri iam de dictis partibus reccessissent, rectores nostri predicti per maiorem partem ipsorum exequantur dictum mandatum nostrum. Non sinceri 1, de non 13, alii de parte.

Omnes sapientes. Capta: ut non sustineatur gravitas expensarum propter moram galearum nostrarum in partibus Sclavonie: vadit pars, pro faciendo ipsas galeas nostras ad propria remeare, quod armentur cum illa sollicitudine, qua fieri potest, duo ligna subtilia cum illo soldo, quod dominio apparebit, pro mittendo ipsa ad partes Sclavonie predictas.

Capta: et cum omni sollicitudine et diligencia soldizentur usque VIII banderias peditum cum illo soldo et per illud tempus, quod dominacioni videbitur, accipiendo quam plures ballistarios haberi poterunt in numero ipsarum.

Capta: quod mittantur Jadram pro paghis et aliis expensis opportunis usque ducatos III mille.

Misti XXVII. 49, u arkivu mletačkom.

CCCCXXXIX. God. 1355. 19 prosinca, u Mletcih.

O načinu izbora načelnika domobranstva za Hrvatsku. Odpravlja se javni bilježnik sa srbskim poslanikom na zapovjednike u Dalmaciji u poslu predaje Klisa i Skradina, te se nalaže providuru Ivanu Delfinu, da se uputi k srbskomu kralju i da nastoji, da isti kralj odpusti republici za novac one tvrdjave.

1355. indictione IX, die XIX decembris. Sapientes Sclavonie ser Marcus Justiniano, ser Paulus Lauredano procurator, ser Marcus Celsy, ser Zacharias Contareno. Quod in bona gratia capitaneus fiendus paysenatici Sclavonie quantum pro istis duobus primis annis fiat per modum et cum condicionibus infrascriptis, videlicet: primo namque eligatur et fiat dictus capitaneus per scrutinium in consilio rogatorum et XL et per duas manus electionum in maiori consilio. Et sicut habere debebat libras XLV grossorum in anno, ita habeat libras LX grossorum. Et propterea teneatur dare duobus sociis suis, quos accipiat bonos et sufficientes, libras V grossorum in anno pro quolibet, et teneatur respondere die, qua eligetur vel sequenti ante terciam, et reccedere infra decem dies, postquam promiserit cum medietate suorum sociorum et equitatorum, et incipiat perservire soldum suum, videlicet libras LX grossorum die, qua de Veneciis reccedet. Et infra unum mensem, postquam de Veneciis reccesserit, teneatur facere reccedere equos suos et residuum sue familie, et incipiat perservire aliud salarium suum, quod habere debet pro equitatoribus suis die, qua equi sui et residuum predictum sue familie reccederit de portu sancti Nicolai. Reccedat namque capitaneus predictus cum uno ex lignis, que armari debent, vel alio ligno, prout dominacioni videbitur; et fiat dictus capitaneus per duos annos, hac condicione apposita, quod in fine novem mensium primi anni liceat ei, si voluerit, refutare dictam capitanariam absque aliqua pena et absque licencia alicuius consilii, ita quod non sit astrictus stare in dicta capitanaria ultra annum.

Et cum omni sollicitudine, qua fieri potest, provideatur de accipiendo dehinc tres banderias equitum cum illo soldo et per illud tempus, quod dominacioni videbitur; et committatur capitaneo predicto, quod accipiat unam banderiam de gentibus deinde, accipiendo de melioribus gentibus et aptioribus ad servicium ac fidelioribus, que sibi videbuntur; et si dicto capitaneo non videretur de accipiendo dictam banderiam de inde, rescribat nobis, quia de hinc providebitur de accipiendo banderiam predictam. 32, de non 0, non sinceri 0.

Capta: Dominus vult partem suprascriptam sapientum per totum cum hac addicione, quod dictus capitaneus non possit refutare sub pena librarum IV centum. 41.

Sapientes predicti. Capta: quod pro hiis, que exposuit ambassator domini regis Raxie, mittatur unus notarius noster plene informatus de ambaxata dicti domini regis simul cum dicto ambaxatore ad capitaneum nostrum generalem maris et consiliarios eius, vel ad rectores nostros Sibenici, Tragurii et Spaleti et provisores nostros, si capitaneus noster nondum applicuisset ad partes illas; per quem quidem notarium nostrum detur plena informatio ipsi capitaneo nostro et eius consiliariis, videlicet rectoribus nostris et provisoribus in casu quo idem capitaneus noster nondum illuc applicuisset, ut dictum est, de ambaxata predicta domini regis; et

comittatur eidem capitaneo nostro vel rectoribus et provisoribus predictis, quod cum omni sollicitudine et diligencia opportuna procurent et studeant de habendo et obtinendo castra Clissii et Scardone vel alterum eorum, si ambo haberi non possent; offerrendo tenere et custodire ac conservare ea nomine dicti domini imperatoris predicti, possendo promittere ob hoc isti ambaxatori, si erit causa faciendi obtinere hoc, et illis personis, que eis vel maiori parti ipsarum viderentur, usque ad libras III mille parvorum. Et viso fine istius negocii, tam si obtinuerint dicta castra quam non, deinde dictus noster notarius simul cum ambaxatore predicto vadat ad ser Jacobum Delphino ambaxatorem nostrum, cui informato primo de ambaxata predicta, comittat pro nostri parte, quod cum omni sollicitudine vadat ad presenciam domini regis predicti et procuret, quod ipse rex contentetur, quod castra predicta libere in manus nostras deveniant, possendo finaliter promittere pro habendo ambo ipsa castra cum burghis suis usque ad libras C mille parvorum, et si ambo haberi non possent, possit promittere finaliter pro Clissia cum burgo usque ad libras LX mille, et pro Scardona cum burgo usque libras XL mille cum condicione, quod dicta pecunia dari vel solvi non debeat, nisi primo dicta castra cum burgis assignata fuerint in manibus nostris. In casu vero. quo castra predicta essent subtracta de manibus regis Raxie, committatur dicto ser Jacobo Delphino, quod redeat Venetias. Et pro honore nostro, sicut etiam pro dando omnem bonam causam isti ambaxatori, comittatur predicto notario nostro, quod continue faciat expensas isti ambaxatori et comitive sue, quousque applicuerint ad predictum ser Jacobum Delphinum. Omnes de parte.

Misti XXVII. 50, u mletačkom arkivu.

CCCCXL. God. 1355. 22 prosinca, u Mletcih.

Gospodaru padovanskomu izkazuje se zahvalnost, što u svojih odnošajih s ugarskim kraljem ima obzir i na čast mlet. republike. Odredjeno, da se nješto vojske u Hrvatsku pošalje.

1355. die XXII decembri. Dominus, consiliarii, capita, ser Zacharias Contareno sapiens. Capta: quod respondeatur domino Padue super verbis dictis pro parte sua per dominum Johannem de Peraga, regratiando ei, sicut convenit, de eo quod predicta voluit participare nobiscum. Et quantum est de hiis, que sibi dixit Coradus Lupo super contrahenda parentela cum rege Hungarie, sumus certi, quod sibi responderit et respondebit sicut convenient honori suo et nostro. Verum si ei videretur, crederemus omne bonum, quia in omni responsione, quam sibi facit, subiungit, quod licet optaverit et optet amorem et benivolentiam domini regis Hungarie, ipsum tamen optavit et optat semper cum honore et bono dominii nostri Veneciarum, cuius statum reputat suum et reputaret in omni casu suum proprium, sicut e converso dominium Veneciarum fecit et faciet erga ipsum.

Ad factum gentium, quas sibi petit dominus Barnabos, dicatur, quod sumus certi, quod ipse est tam sapiens, quod fecit et faciet circa hoc talem responsionem, que conveniet honori et bono suo et nostro, et quod quicquid faciet, faciet cum tali provisione et consilio, quod merito apud deum et homines poterit commendari.

Capta: quod, quod hic debebat armari pro mittendo in Sclavoniam, furniatur de illis hominibus, qui haberi poterunt hic, et mittatur Jadram, ubi melius armabitur, ordinando, quod statim ibi armetur et mittatur ad partes Spaleti et aliarum terrarum nostrarum, ubi magis videbitur opus esse.
Misti XXVII. 51, u arkivu mletačkom.

CCCCXLI. God. 1355. 28 prosinca, u Mletcih.

Odpravlja se u Šibenik nješto bojne sprave za Skradin; a nalaže se načelniku domobranstva, da se umah uputi u Dalmaciju, te mu se naputak podieljuje.

1355. die XXVIII decembris. Sapientes Sclavonie. Capta: quod mittantur infrascripte res, quas comes noster Sibenici et provisor noster ser Mapheus Contareno instanter petunt, pro mittendo eas Scardonam, videlicet: tabulas de tayola M. trabessellas CC; item claves mezane C. item clavorum barillos III, videlicet duos de sexcentis et unum de sexena. Item balliste a turno II cum veretonibus, item balliste ab uno pede X., item capse veretenorum IV, item pavesios XX.

Item provideatur de mittendo pecuniam pro solucione banderie, que est in Scardona, pro mensibus tribus. Et in quantum fieri potest sollicitetur recessum capitanei nostri paysenatici Sclavonie, ut ipse reccedat omni occasione remota ad terminum ordinatum et cum conditionibus, cum quibus captum est, et provideatur de accipiendo quam solicicius fieri potest gentes ordinatas accipi, informeturque capitaneus noster predictus de hiis, que nobis miserunt dicendo rectores et provisores nostri partium Sclavonie, videlicet tam super frcto tractandi de faciendo removeri et recedere exercitum Hungarorum et Sclavorum, qui est in burgo Clissii cum promissione pecunie, quam etiam de tractando cum illis Ciprianicis et aliis Sclavis contrate, qui hostendunt se dispositi et affectuosi veniendi ad gratiam nostram etc. Et propterea ipsi capitaneo commitatur, quod, applicato ipso ad partes Sclavonie, provideat tractare per illum meliorem et cauciorem modum, qui sue prudentie apparebit tam cum bano quam etiam cum comite Johanne et aliis personis, que sibi viderentur, ut faciant removeri et recedere exercitum predictum de Clissia ita et taliter, quod dictus locus Clissii remaneat bene securus ab eis, et possit finaliter pro hoc obtinendo cum effectu promittere illis personis, qui sibi videbuntur, ut dictum est, usque ad libras X mille parvorum. Verum antequam faciat promissionem predictam per illum dextrum modum, qui sibi melior apparebit, procuret toto posse seu procurari faciat cum illo Palmano, qui est pro rege Raxie in castro Clissii, quod in casu, quo idem capitaneus noster obtinere valeat id, quod superius dictum est, scilicet de faciendo reccedere dictum exercitum cum promissione pecunie pro liberacione castri, ipse dominus Palmanus offerat et promittat dare et consignare libere in manibus ipsius capitanei nostri nomine nostro castrum predictum Clissie cum conditione, quod restituente nobis domino rege Raxie pecuniam predictam, restituemus sibi castrum predictum. Super facto vero illorum Ciprianicorum et aliorum Sclavorum, qui dicuntur, quod libenter adhererent nobis etc. committatur dicto capitaneo, quod per illum meliorem modum, qui sibi videbitur, det operam de conferrendo cum eis et ipsos audiat et trahat ab eis quicquid

poterit de disposicione eorum, et de his, que peterent. ac de cautellis, quas nobis prestare vellent, et scribat nobis quecunque habuerit et sibi videbuntur in his, dando eis omnem bonam spem et confidenciam de nobis. Procuret insuper capitaneus noster predictus, quod castrum Scardone libere remaneat in custodia et protectione nostra, et quod gentes regis Raxie, que sunt simul cum nostris in castro predicto, reccedere contententur. 3, de non 2, non sinceri 1.

Capta: dominus dux vult partem predictam cum ista additione: quod non possit prorogari terminus reccessus dicti capitanei sub pena librarum IV centum pro quolibet consiliario et capite vel alio, qui poneret seu consentiret partem in contrarium. 46.

Misti XXVII. 52, u arkivu mletačkom.

CCCCXLII. God. 1355. 28 prosinca, u Mletcih.

Obavieščuju se knezovi i providuri u Dalmaciji o dolazku načelnika domobranstva i o njegovom naputku. Ograničuje se svota novaca, koju je imao ponuditi poslanik srbskomu kralju za Klis i Skradin. Spljećani pozvani, da nedaju živeža ugarskoj vojsci ili Omišu, akoprem jim se ovi kao prijatelji izkazuju.

1355. die XXVIII decembris. Dominus ser Nicolaus Contareno consiliarius, ser Jacobus de Lege caput. Capta: qaod scribatur comitibus Sibenici, Tragurii et Spaleti et nostris provisoribus Sclavonie illud, quod captum est de mittendo capitaneo nostro super facto procurandi, quod exercitus Hungarorum et Sclavorum recedat de burgo Clissii, et de libertate expendendi, quam sibi concessimus super hoc, et quod si ante adventum dicti capitanei possent procurare, quod dictus exercitus reccederet, habeant per maiorem partem eorum libertatem illam expendendi, quam habere debet dictus capitaneus, et cum illis condicionibus. Et si capitaneus noster maris esset in partibus illis, ipse et consiliarii sui ac rectores et provisores predicti per maiorem partem habeant dictam libertatem. 50, de non 26, non sinceri 3.

Omnes sapientes. Capta: quia in partibus pridie captis inter alia captum fuit, quod ser Jacobus Delphino, ambaxator noster iturus ad dominum regem Raxie, finaliter posset promittere dicto regi pro habendo ambo castra cum burghis usque ad libras C mille parvorum, et quando ambo haberi non possent, haberet libertatem promittendi pro Clissia usque libras LX mille, et pro Scardona usque libras XL mille etc. vadit pars, quod tam pro eo, quod terminus rei variatus existit, quam etiam propter expensas, quas opportet nos ad presens et opportebit facere in futurum pro dictis locis, quod restringatur dicta libertas, et propterea mandetur dicto ser Jacobo, quod non possit promittere pro ambobus dictis castris cum burghis et omnibus iuribus et pertinenciis suis ultra libras LXV parvorum, videlicet pro Clissia ultra libras XL mille parvorum et pro Scardona ultra libras XXV mille parvorum, remanentibus firmis aliis condictionibus contentis in mandato predicto pridie sibi misso. Et si pro dictis quantitatibus pecunie ipsa castra vel ipsorum alterum habere non posset, rescribat, nostrum expectando mandatum. De non 1, non sinceri 1, alii de parte.

Omnes sapientes. Capta: cum habeatur per licteras missas per comitem nostrum Tragurii provisoribus nostris de proclamacione facta in exercitu Hungarorum, existente in Clissia, de damno et derobacione inferrendis terris nostris Sclavonie exceptata terra Spaleti etc., que quidem proclamacio nedum per Hungaros sed etiam per comitem Johannem facta fuisse videtur etc.: vadit pars, quod scribatur comiti et civitati Spaleti, quomodo intelleximus de proclamacione predicta facta in exercitu Hungarorum, in qua terra Spaleti exceptata fuit. Et propterea eorum fidelitati districte precipimus et mandamus, quatenus precaveant de dando seu mittendo palam vel occulte aliquam subvencionem exercitui predicto nec illis de Almisio tam de victualibus quam etiam de aliis, nec permittant, quod aliquis de Spaleto aliquid subvencionis predictis mittat, ut eorum fidelitas in hoc de obediencia apud nos possit merito commendari. Et nichilominus capitaneo nostro paysenatici committatur, quod existente ipso in partibus illis, diligenter mentem et cautellam apponat et apponi faciat, quod per dictos Spalatinos non mittatur aliqua subvencio exercitui ante dicto, neque predictis de Dalmisio.

Omnes sapientes. Capta: comiti vero Johanni notificetur pro parte nostra, qualiter intelleximus, quod ipse toto posse molitur et intendit ad dampnum nostrum et terrarum ac fidelium nostrorum, de quo multipliciter admiramur pariter et gravamur, et maxime, quia hucusque eum reputavimus et reputabamus pro carissimo amico nostro, sed propter opera et actus, que et quos operatur contra nostrum honorem et bonum et contra fideles nostros, ut dictum est, hostendit se non esse amicum nostrum, prout tenebamus, ut dictum est. Unde eum hortamur et rogamus instanter, quatenus cesset et se abstinere velit de faciendo, tractando vel operando aliquid contra honorem nostrum et contra statum terrarum et fidelium nostrorum et devotorum, ut possimus eum habere et tenere pro amico nostro, sicut fecimus, ut predicitur, usque nunc; quod si facere curabit, hoc habebimus valde gratum; alioquin eum cum bonis et gentibus suis habebimus et tractabimus sicut conveniens erit pro hoste nostro, et contra ipsum et bona sua providebimus et disponemus, sicut bene facere et disponere possumus, ut bene novit, in quantum honori nostro et indempnitati nostrorum fidelium videbimus convenire. Non sinceri 2, de non 2, alii de parte.

Capta: quod committatur capitaneo nostro paysenatici ituro, quod applicato ipso ad partes Sclavonie, et accepta plena informacione a provisoribus nostris de negociis et condicione, deinde ipsi provisores nostri Venecias revertantur, et postmodum ipse capitaneus noster sit cum capitaneo nostro generali maris et consiliariis suis, et conferrat cum eis, et si per maiorem partem ipsorum cognitum et terminatum fuerit, quod mora ipsius capitanei nostri cum galeis nostris de neccessitate non requiratur in partibus illis predictis, capitaneus noster maris cum predictis galeis deinde reccedat, et Venecias redeat. Omnes.

Capta: quod eligantur tres per dominum, consiliarios et capita, qui accipiant gentes pedestres et equestres, que ordinate sunt et ordinabuntur mitti in Sclavoniam, et alia faciant, que fuerint sibi per dominium commissa, et sint per totum mensem futurum, accipiendo comnestabiles equestres cum voluntate dominii. Electi: ser Fantinus de Pesaro, ser Henricus Ferro, et ser Petrus Gradenico sancti Canciani.

Misti XXVII. 52, u mletačkom arkivu.

CCCCXLIII. God. 1356.

Namjestnik patrijarhe gradskoga izviešćuje o razmirici obstojećoj medju biskupom osorskim i opatom sv. Petra u Osoru glede posjeda njekih ondješnjih ostrova.

Exemplum cuiusdam littere misse ducali dominationi per dominum Franciscum Bono, doctorem decretorum et vicarium domini patriarche Gradensis, super facto reverendi patris domini Mathei episcopi Absarensis questionis vertentis inter ipsum et abbatem sancti Petri de Absero, sibi commisse per olim bone memorie dominum Joannem Gradonico inclitum Venetiarum ducem et eius consilium.

Magnifice domine mi. Bone memorie domino Joanne Gradonico predecessore vestro in humanis agente, fuit per eum querele cuiusdam facte per venerabilem patrem dominum Matheum episcopum Absarensem coram eo examinatum, mihi commissa, cuius relationem facere non potui coram eo, quia morte preventus fuit, et usque nunc vestram dominationem cognovi maximis occupatum negotiis, et in hiis occupare plus nolui, sed propter meum reccessum, quod oretenus facere nequeo, facio per scripturam. Querela fuit episcopi, quod cum quedam insule Quarnerii, in quibus ducalis dominatio ius patronatus habet, pertinerent ad episcopatum Abserensem, et pacifice possedisset usque annos quasi presentes, videlicet insules Hye et Male, abbas sancti Petri de Absero earum partem usurpabat ab annis quasi quinque citra indebite et iniuste; quare petebat a ducali dominio, dictum abbatem compelli ad restitutionem eorum, que indebite possedebat. Partibus igitur coram me constitutis, videlicet episcopo et abbate, primo videre volui, quo iure istarum insularum dominium pertinebat ad episcopum abserensem, qui produxit quedam iustrumenta, per que sufficienter probavit, medietatem insule Hye ad episcopatum pertinere, et ita fuit confessus se possidere de presenti; de alia medietate insule, quam petebat per instrumenta producta per eum, non probavit plenum dominium; abbas autem produxit quodam instrumentum in formam privilegii, in quo continebatur, qualiter tempore Alexii imperatoris existente eius filio Cressimiro Croatie iam ellapsis ducentis annis per communitatem et homines Abserenses fuit facta donatio quarundam terrarum in insula Hye, que vocabatur Corona, et possessa, quas terras dicebat abbas esse illas, que per eum tenentur et possidentur ad presens, licet ista nomina non sint hodie in usu; preterea per instrumenta probavit, se possedisse medietatem istius insule Hye sex temporibus, videlicet, millesimo ducentesimo septuagesimo octavo, et nonagesimo quinto et nonagesimo octavo et millesimo tercentesimo quinto ac etiam trecentesimo quinquagesimo et ad presens possidere, et semper asserebat a primo tempore citra suum monasterium possedisse; episcopus vero statim obtulit se paratum probare hec vera non esse, saltem ab annis quadraginta citra usque ad annum tercentum quinquagesimum, quo tempore desiit possidere episcopatus, quia iura erant perdita tunc dicti episcopatus; et produxit ultra duodecim testes, qui examinati per me, omnes iurant et deponunt semper audisse, quod episcopus Absarensis erat dominus Hye integraliter, et tres ex eis depenunt, clare vidisse a quadraginta annis citra, episcopum in possessione insule totius diversis vicibus dictorum quadraginta annorum, nec unquam vidisse abbatem possidere. Ista sunt, que circa dominium et possessionem insule Hye recepi. Circa vero insulam Male, epi-

scopus produxit unam concessionem factam suo episcopatu per monasterium Portus Novi de Ancona de uno monasterio sancti Nicolai de Sansico cum donatione plena eidem facta de insulis Sataconi et Male, que, ut dicitur in ipsa concessione, pertinebant ad dictum monasterium, aliud non probat; abbas probat se possedisse millesimo tercentesimo trigesimo nono de mense iulii et ex tunc usque ad tempus istud. Circa ista sic confuse et contradictorie probata faciat vestra dominatio, ut iustum putabit, sed reputo difficile bene cernere verum, nisi fiat examinatio in ipso loco, ubi per limites antiquos et per homines continue incolas veritas apparebit. Vestram dominationem in prospero statu conservet altissimus, ut optatis.

Commemorialium V. 82, u mletačkom arkivu.

CCCCXLIV. God 1356. 4 siečnja, u Mletcih.

Dozvoljeno njekojim najmenikom, da se sdruže s načelnikom vojske odlazećim u Hrvatsku.

1355. die IV ianuarii, capta: quod concedatur istis tribus stipendiariis nostris equestribus Tarvisii, quod possint ire cum nobile viro Laurentio Celsi ituro nostro capitaneo Sclavonie, dimittendo personas sufficientes loco sui ad serviendum eorum portas ad beneplacitus potestatis usque ad reditum eorum, reservatis sibi eorum postis. Nomina eorum sunt: Lancinus de Regio, Guecello de la Frata, Symon Sclavus.

Misti XXVII. 52, u arkivu mletačkom.

CCCXLV. God. 1356. 9 siečnja, u Mletcih.

Zapovieda se pomorskomu kapetanu, da, ako ga netreba u Dalmaciji, dodje s galijami u Mletke.

1355. die IX ianuarii, capta: quod scribatur nostro capitaneo generali maris et consiliariis suis et capitaneo pasinatici Sclavonie, quod cum ipsa armata stet ibi cum magno sinistro hominum et expensas nostri communis, et speremus, quod cum lignis illuc missis per nos et que mittentur per Jadram et alias terras nostras fieri poterit sufficienter, quod fuerit faciendum, volumus, quod nisi aliud esset de novo, per quod omnibus eis vel maiori parti videretur, quod mora ipsarum galearum vel partis earum esset ibi neccessaria, debeat cum dictis galeis Venetias remeare.

Misti XXVII. 53, u arkivu mletačkom.

CCCCXLVI. God. 1356.

Predlozi kneginje kliške za odstup Skradina.

Capitula et petitiones comitisse Clissii pro facto Scardone, alias facte nobili viro Mapheo Aijmo provisori in partibus Sclavonie (1355).

Primo: quod dando castrum Scardone cum roca et aliis fortilitiis suis libere in manibus dominationis ducalis, usque ad terminum decem annorum dentur ei libre triginta millia parvorum, videlicet medietas in manus suas et alia medietas remaneat apud dominationem ducalem ad utilitatem ipsius domine et filii eo modo, quod deposita est pecunia comitis Joannis, cum condictione, quod in fine dictorum decem annorum dominatio teneatur eidem seu filio restituere dictum castrum cum iuribus suis, re-

stituentibus eis dictam quantitatem pecunie. Si vero casus acciderit, quod absit, quod ante complementum dicti termini decem annorum comes Mladinus, eius filius, decederet, et similiter post mortem filii accideret eam mori ante perfectionem dicti termini. dominatio teneatur restituere dictum castrum illi vel illis, quibus ipsa per testamentum suum ordinaverit, restituentibus eis pecuniam supradictam, et quod dicta domina habeat omnes eius redditus de Scardona libere et expedite. Verum de datiis et gabellis spectantibus Scardone et comitatui medietas sit et esse debeat dominationis ducalis et alia medietas dicte domine. Et quod sit licitum dominio facere in dicto loco omnem reparationem et fortificationem, quam voluerit, ita tamen, quod expense, que fierent hoc modo, non computentur sibi, nec de eis sentiat ullum onus; et quod dominatio possit etiam ponere in burgis Clisse gentes suas, sicut sibi videbitur et placebit.

Item quod per dominationem fiat munitio in castro Clisii de stariis mille millei sive frumenti vel ordei, sicut eidem dominationi videbitur, ad mensuram venetam et de mille galledis vini, de qua quidem munitione non accipiatur, nisi in casu necessitatis; et si oporteret accipi de ea, quod nihilominus refficiatur per dominationem ducalem, et teneatur semper in culmine. Verum dicta munitio reponatur et conservetur in Clissio sub duabus clavibus, quarum una sit apud illum, qui videbitur dominio, et altera remaneat apud dominam, ut de ipsa non accipiatur, nisi in casu evidentis necessitatis.

Item quod detur stipendium ab equo duodecim ex hominibus suis de Clissio pro anno uno futuro tantum ad libras decem parvorum pro quolibet in mense.

Item quod viginti quinque homines de pede ad expensas dominii semper et continue stent ad custodiam Clisse, et nihilominus in casu necessitatis provideatur per dominium de maiori quantitate, sicut sibi videbitur pro securitate loci.

Item si casus accideret, quod deus advertat, quod castrum Clisse amitteretur per vim, sive aliud ex fortium, et quod non possit teneri, facta omni deffensione et provisione necessaria et possibili cum auxilio dominationis, ita tamen quod non amittatur ex deffectu vel negligentia sua, detur sibi et filio perpetuo provisio ducatorum sexcentorum monete in anno, et reddatur eis Scardona, restituentibus ipsis pecuniam ante dictam.

Item quod de omnibus, que habet et possidet et olim habuit eius vir, et que recuperaret imposterum, dominatio nullo modo se impediat de iure vel de facto.

Item quod ipsa, filius et gentes sue tractentur ubique in locis dominii, sicut alii fideles dominationis, et in hiis, in quibus molestarentur seu damnificarentur quoquo modo ab aliquo, fiat eis ius sicut ceteris fidelibus dominationis predicte.

Item quod filius suus, comes Mladinus, sit civis venetus, et tractetur sicut olim pater suus comes Mladinus, et fiat ei privilegium.

Item quod capitaneus sive rector futurus in Scardona habeat iudicare in civilibus et criminalibus, exceptis in possessionibus et aliis iuribus domine, que spectarent ad eam solam.

Item quod si quo tempore dicta domina posset recuperare mediante auxilio dominationis aliqua sua bona vel iura, que occupantur per Sclavos

et alios quoquo modo, quod dominatio sit ei propitia et favorabilis in iuribus suis.

Commemorialium V. 42, u mlet. arkivu.

CCCCXLVII. God. 1356. 10 siečnja, u Skradinu.

Pogodba ob odstupu Skradina.

Instrumentum promissionis facte castellano castri Scardone pro traditione ipsius Castri. In Christi nomine anno nativitatis eiusdem millesimo trecentesimo quinquagesimo sexto, indictione nona, die decimo mensis ianuarii, in Scardona in ecclesia sancte Marie de dicto loco Scardone, presentibus venerabili viro domino Georgio archidiacono dicte ecclesie, et nobili viro domino Nicolao Justiniano de contrata sancti Pantaleonis de Venetiis, Matheo Faxuolo de Clugia, presbitaro Petro Venerio ecclesie sancti Raphaelis de Venetiis, Bartholomeo Thomasii de Sacillo, ser Mapheo Ardizono de Venetiis habitatore Sebenici et aliis. Nobilis et sapiens vir dominus Bernardus Justiniano procurator sancti Marci et maris capitaneus generalis pro dominatione Venetiarum, nec non nobilis et sapiens vir dominus Laurentius Celsi Sclavonie capitaneus generalis pro dominatione predicta, ac etiam nobiles et sapientes viri domini Fantinus Mauroceno et Joannes Dandulo, consiliarii domini capitanei maris, pro dicta dominatione, ac nobilis vir dominus Marcus Justiniano Sibenici comes. Hec nos nobiles et sapientes viri domini Dominicus Michael et Mapheus Contareno, in partibus Sclavonie provisores pro dicta dominatione, considerantes liberam reassignationem, quam eis nomine dicte ducalis dominationis recipientibus fecit dominus Jurases, filius quondam Helie de Raxia, castellanus in castro Scardone pro domino imperatore Raxie, de dicto castro Scardone nomine dicti domini imperatoris, promiserunt eidem domino castellano recipienti pro se et eius filius et familia ac vice et nomine Nicolai et Blandini eius fratrum et filiorum ipsorum, quod si casus occurreret quomodocumque, quod idem dominus imperator, si vivus esset, seu eius filius, si reperiretur mortuus, dictus dominus imperator gravaretur et indignaretur contra dictum dominum Iurases pro dicta reassignatione dicti castri, sic facere et curare, quod dicta dominatio Venetiarum eundem dominum castellanum cum filiis et familia eius ac dictos eius fratres cum filiis et familiis eorum recipiet in barchiis suis, ac eis et cuilibet eorum sic et taliter providebit, quod ex ipsa provisione vivere poterunt cum filiis et familiis eorumdem, et merito poterunt seu rationabiliter contentari debebunt. Et ad maiorem firmitatem omnium predictorum predicti domini capitanei, consiliarii, comes et provisores et quilibet ipsorum sacramento ad sancta dei evangelia tactis sacrosanctis scripturis prestito per eosdem firmaverunt dictam eorum promissionem, et dicto domino castellano stipulanti et recipienti ut supra obligaverunt omni modo et iure, quibus melius potuerunt, omnia bona dominationis ducalis ac etiam ipsorum et cuiuslibet eorum pro omnibus et singulis predictis attendendis et observandis.

Ego Lanzarotus de Contrariis de Ferraria, publicus imperiali auctoritate notarius, nec non notarius et cancellarius dicti domini capitanei Sclavonie, predictis omnibus et singulis interfui et rogatus scripsi et publicavi.

Commemorialium V. 48, u mletačkom arkivu.

CCCCXLVIII. God. 1356. 10 siečnja, u Skradinu.

Juras, zapovjednik grada Skradina u ime cara srbskoga, izručuje isti grad mletačkoj republici.

Instrumentum traditionis castri suprascripti Scardone. In christi nomine amen, anno nativitatis eiusdem millesimo trecentesimo quinquagesimo sexto, indictione nona, die decimo ianuarii, in castro Scardone apud portam ipsius castri, presentibus nobilibus viris dominis presbitero Petro Venerio ecclesie sancti Raphaelis de Venetiis, Nicolao Justiniano contrate sancti Pantaleonis, ser Matheo Faxuol de Clugia, ser Jacobello Barozi de Venetiis, magistro Hendrico de la Mota curayco quondam domini Gabrielis et aliis pluribus testibus. Cum dominus Juras Yscete, filius quondam Helie de Raxia, castellanus in castro Scardone pro serenissimo domino domino Stephano imperatore Raxie, habuerit in mandatis a dicto domino imperatore eius domino, cum sibi committeret custodiam dicti castri Scardone, quod, si casus occurreret, quod ipse dominus Jurases non posset tenere, regere et salvare ac deffendere dictum castrum Scardone nomine dicti domini imperatoris, quod ipse deberet dictum castrum ponere et dare in manibus dominationis et communis Venetiarum, de qua dominatione plenissimam fidem habebat idem dominus imperator, tenendum, custodiendum et salvandum per ipsam dominationem nomine dicti domini imperatoris. Et casus presentialiter instet talis, quod dictum castrum ipse castellanus dominus Jurases tenere, deffendere et salvare non potest nomine dicti domini imperatoris propter potentiam domini regis Hungarie et gentis eius, que est in castro Clisse, querentis et volentis occupare dictum castrum Scardone nomine dicti regis Hungarie. Et ideo dominus Jurases castellanus predictus considerans et videns ac cognoscens clare, quod non posset se et dictum castrum ab ipsa gente dicti domini regis Ungarie deffendere et salvare nomine dicti domini imperatoris, et vollens omne periculum evitare et mandatum dicti domini imperatoris fideliter observare, recepit in dictum castrum nobilem et sapientem virum dominum Bernardum Justiniano, procuratorem sancti Marci de Venetiis et generalem capitaneum maris pro dominatione ducali, et nobilem et sapientem virum dominum Laurentium Celsi dicte dominationis in partibus Sclavonie generalem capitaneum, nec non nobiles et sapientes viros dominos Fantinum Mauroceno et Joannem Dandulo dicti domini capitanei maris consiliarios pro dicta dominatione, ac etiam nobilem et sapientem virum dominum Marcum Justiniano comitem Sibenici et nobiles et sapientes viros dominos Dominicum Michael et Mapheum Contareno provisores in partibus Sclavonie pro dicta dominatione ducali, et ipsum castrum eisdem dominis capitaneis, consilio, comiti et provisoribus predictis, recipientibus vice et nomine dominationis et communis Venetiarum, tradidit et consignavit tenendum, custodiendum et salvandum pro dicta dominatione nomine dicti domini imperatoris ac ipsi domino imperatori seu eius filio per dictam dominationem restituendum quandocumque ipsi domino imperatori seu eius filio placuerit et voluerit, ita quod idem dominus imperator seu eius filius de ipso castro possit facere omnimodam voluntatem suam. Qui domini capitanei, consiliarii, comites et provisores prefati dictum castrum receperunt nomine suprascripto, ac etiam promiserunt eidem domino Juraxes castellano predicto, recipienti vice et

nomine dicti domini imperatoris ac eius filii, dictam restitutionem dicti castri facere eidem domino imperatori seu eius filio, quandocumque sibi placuerit, ut promissum est; et ad corroborationem dicte restitutionis et pro ipsa restitutione firmiter fatienda, ut promissum est, ipsi domini capitanei, consiliarii, comes et provisores predicti nomine dominationis et communis Venetiarum corporaliter iuraverunt ad sancta dei evangelia tactis scripturis eidem domino Jurases predicto castellano nomine dicti domini imperatoris seu eius filii dictum sacramentum petenti et recipienti dictam promissionem et restitutionem dicti castri Scardone libere facere, ut superius dictum est, domino imperatori vel eius filio.

Ego Lanzarotus de Contrariis de Ferraria publicus imperiali auctoritate notarius, nec non notarius et cancellarius dicti domini capitanei Sclavonie, predictis omnibus et singulis interfui et rogatus scripsi et publicavi.

Commemorialium V. 49, u mletačkom arkivu.

CCCCXLIX. God. 1356. u Mletcih.

Uvjeti za domobrance služeće u Hrvatskoj.

1355. Hec sunt pacta cum stipendio equestribus missis ad paysinaticum Sclavonie, facta per dominum ducem, consiliarios et sapientes infrascriptos, videlicet ser Henricum Ferro, ser Fantinum de Pesaro et ser Petrum Gradonico, ad hoc deputatos. In primis, quod quilibet eques cum uno bono et sufficienti equo ab armis et uno roncino habeat ducatos octo et grossos sexdecim in moneta in mense, et pro equo solo sine roncino ducatos sex et grossos duodecim in moneta in mense, ita quod roncinus semper computetur pro ducatis duobus et grossis quattuor in moneta.

Item quod comestabilis habere debeat cum uno bono et sufficienti equo ab armis et uno roncino et uno alio equo ab armis, super quo equitet suus banderarius, et uno alio roncino, super quo equitet suus tubeta, ducatos triginta quattuor et grossos sexdecim in monetis in mense, que poste computentur in numero page sue banderie.

Item quilibet eques habare et tenere debeat hec arma, videlicet curatiam, slapum curtum, manicas, celarium, scincheriam, ensem et cutellum et alia neccessaria.

Item quod in qualibet banderia sint sex caporales boni ultra personam comestabilis, et ipsorum quilibet habere debeat equum unum compertum, unum cimerium, lantiam et targam.

Item quod fiat firma de mensibus sex et paga de tribus, et pro imprestito dentur eis ducati ducenti, quod imprestitum debet eis teneri in secunda paga trium mensium, videlicet tertium omni mense.

Item quod dicti teneantur et ipsorum quilibet, si dominus dux et commune Venetiarum illos ad servitium suum amplius voluerint, eorum firma completa potius esse ad servitium predicti domini ducis et communis Venetiarum firma ipsorum, ut predicitur, completa, quam alterius persone de mundo.

Item comestabilis et equites incipiant pagam et lucrare soldum eo die, quo fecerint monstram suam cum omnibus suis sotiis, equibus et armis ad plenum, et facta monstra incipiant lucrare soldum.

Item quod comestabilis sit plezius pro omnibus suis sotiis et sotii pro comestabilibus, et etiam unus pro alio in solidum de soldo et de omnibus, que tenerentur et committerentur contra commune Venetiarum.

Item quod quilibet equus et roncinus debeat extimari et bulari sicut iuste valuerit, et dicta extimatione tertium deducatur, et de eo, quod restabit, ponatur pretium dicti equi in facto emende, que extimatio fieri debet per illos, qui ad hoc fuerint deputati per commune Venetiarum.

Item promittatur eis, quod per unum mensem ante complementum firme sue notificabitur eis, si dominus dux et commune Venetiarum eos amplius ad suum servitium voluerit.

Item quod comestabilis seu aliqui equitum premissorum non possit modo aliquo sive equitando ad suam portam sive ad portam capitanei facere aliquam derobationem, corrariam vel dampnum in personis vel rebus aliquorum et nisi primo hoc notum fecerint capitaneo et nisi habita licentia expressa a capitaneo memorato; et si contra fecerint aut ipsorum aliquis, de suo proprio dampnum factum seu derobationem emendare et satisfacere teneantur vel teneatur.

Item si equitabunt contra inimicos ad portam communis Venetiarum, et sui equi magagnerentur vel perderentur in ipsa eavalcata, debeant dicti equi emendari per commune Venetiarum, et lucrum, quod facient contra inimicos, sint illorum, qui equitabunt, exceptis personis, que caperentur in terris et locis, que et qui debeant esse communis Venetiarum.

Insuper quia dicti mittuntur Sclavoniam, debeant dicti mitti ad expensas communis Venetiarum navigiorum tantum, et similiter in eorum redditu Venetias reducantur ad expensas predicti communis navigiorum tantum.

Commemorialium V. 50, u mlet. arkivu.

CCCCL. God. 1356. 16 siečnja, u Mletcih.

Nalaže se knezu i sudcem u Rabu, da njekoga pažkoga liečnika stave u posjed baštinstva, koje mu po ženi pripadalo.

1355. indictione IX. die XVI ianuarii, capta: cum magister Margaritus medicus salariatus in Pago exponat, quod in millesimo CCCXLIX contraxit cum quadam domina in insula Arbi, que doctata erat de quibusdam territoriis sitis ibidem, que quidem territoria dicta eius uxor, dum vixit, quiete tenuit et possedit, sed post mortem ipsius, videlicet in millesimo CCCLIV quidam Franciscus Sertor de Arbo patruus dicte domine occupavit propria auctoritate omnia bona, que ipse Margaritus tunc temporis possidebat, partem quorum territoriorum idem Margaritus asserit de suo proprio exegisse, dum essent in pignore; dicatque dictus Margaritus, quod de predictis querellam deposuisset comiti et iudicibus Arbi, petens restitui in possessionem dictorum bonorum, quia post restitutionem predictam paratus erat unicuique respondere de iure. Et licet nobili viro . . . comiti nostro Arbi iustum et conveniens videretur, ut spoliatus primo in possessionem mitti deberet, tamen iudices Arbi ad hoc assentire minime voluerint: vadit pars, intellecta super his responsione prefati comitis nec non auditorum sententiarum, quod scribatur et mandetur comiti et iudicibus Arbi, quod dictum Franciscum Sertorem deponant a tenuta pos-

sessionum et bonorum predictorum, et predictum Margaritum restituant in possessione eorum, salvo et reservato quolibet iure dicti Francisci et cuiuslibet alterius persone.

Misti XXVII. 54, u mletačkom arkivu.

CCCCLI. God 1356. 16 siečnja, u Mletcih.

Šalje se zapovjedniku vojske u Hrvatskoj nješto bojne sprave.

1355. indictione IX, die XVI ianuarii, capta: quod de istis rebus, quas petit capitaneus Sclavonie, ille, que videbuntur domino, mittantur quamcicius esse potest, computando in eis ea, que pridie miserunt; et ordinetur, quod ea, que missa sunt et mittentur in posterum in Sclavoniam, ordinate et per se scribantur, ita quod omni tempore videri valeant rationes expensarum, quas fecerimus pro illis factis. Et dominatio pro executione istorum possit committere patronis arsenatus vel aliis officialibus nostris, sicut videbitur. Et scribatur capitaneo predicto et aliis nostris rectoribus et communitatibus, commendando eos et fidem suam, et hortando, et quod res petitas mittimus, et mittemus gentes in brevi, ita quod in omni casu nostrum honorem poterit procurare.

Misti XXVII. 54, u mletačkom arkivu.

CCCCLII. God. 1356. 21 siečnja, u Mletcih.

Občini rabskoj naloženo, neka njeku pogodbu točno izpuni.

1355. die XXI ianuarii, indictione IX, capta: quod scribatur illis de Arbo de ista compositione, que tractata est inter syndicos suos et illum Michoi de Arbo super appellatione per ipsum interposita a sententia lata per eos, et de allis querelis, quas ipse Michoi faciebat contra eos, mandando eis, quod cum dictum concordium sit conveniens pro utraque parte, ipsum debeant observare invariabiliter, et facere, sicut consulunt auditores. Et si consilium etc.

Misti, XXVII. 54, u mletačkom arkivu.

CCCCLIII. God. 1356. 23 siečnja, u Mletcih.

Piše se poslaniku u Srbiji, neka se kući vrati, ako je njegovo boravljenje u onih stranah poslje careve smrti bez koristi.

1355. die 23 ianuarii, indictione IX. Dominus, consiliarii et capita. Capta: quod scribatur ser Jacobo Delphino, quod si propter obitum domini imperatoris Raxie mora sua non possit esse ibi ulterius utilis, donec aliud videatur volumus et sic mandamus, quatenus Venecias revertatur.

Misti XXVII. 54, u mletačkom arkivu.

CCCCLIV. God 1356. 23 siečnja, u Mletcih.

Republika se izpričava sa milanezkim vojvodom, što mu nemože pružiti vojničku pomoć, pošto ju napao ugar.-hrv. kralj, te nje sama trebuje.

1355. die 23 ianuarii. Dominus, consiliarii, capita et sapientes. Capta: respondeatur domino Galeacio seu ambaxatori suo, quod novit deus, cum

nichil extat ocultum, si est in mundo aliquis princeps vel dominus, cui nostra communitas servire et complacere desideret in omni honore et bono suo, est ipse dominus Galeacius, et istud propter singularem benivolenciam et amorem, quem ostendit erga nos, sed sumus certi et certissimi, quod si status et conditiones nostre sibi fuissent manifeste, ipse a se evidenter cognovisset, quod de eo, quod requirit a nobis, nedum difficile, set quin impossibile foret nobis complacere sibi, nam communitas nostra, intenta pocius ad expeditiones maritimas quam ad aliud, non tenet huiusmodi gentes armigeras, quas petit, nec de ipsis habet aliquod furnimentum, nisi dumtaxat quantum est sibi necessarium pro custodia terrarum suarum. Insuper de novo emerxit nobis et statui nostro quedam notabilis novitas atque briga, quia magnus exercitus Hungarorum et Sclavorum manu armata et hostiliter descenderunt et sunt ad damnum terrarum et locorum nostrorum parcium Sclavonie, et cotidie augetur exercitus supradictus, ita quod dicte terre et loca nostra, nisi eis velociter succurratur, subiacent periculo manifesto, et pro hoc opportet per nos et nostras amicicias querere de huiusmodi gentibus armigeris, de quibus tamen data omni opera et sollicitudine per nos iam sunt duo menses et plures, paucos vel nullos invenire potuimus in tanta neccessitate et periculo terrarum nostrarum predictarum. Et etiam aliud, quia sicut notum est, nostra communitas, velut pacis et quietis amica, nunquam in discordiis amicorum et convicinorum suorum se voluit immiscere in faciendo uni contra alterum, sed libenter interponit se ad procurandum concordium et amorem inter discordes, et ad huc essemus libenti animo dispositi et parati in quantum crederemus cedere honori et bono dicti domini Galeacii; et ad non imiscendum nos in alienis discordiis per viam parcialitatis non solum voluntas set neccessitas nos compelit, quia cives et fideles nostri propter misterium mercandi, quod exercent plus quam aliqui alii de mundo, vadunt per diversa climata nt extraneas partes mundi, ita quod de neccessitate opportet, quod cum omnibus, in quantum possumus, amicabiliter transeamus, et quod sine legittima et neccessaria causa ad damnum vel iniuriam alicuius minime moveamur, quia posset gentibus nostris et honori suo maximum et notabile periculum et preiudicium generare. Quare rogamus eum tamquam amicum carissimum, cuius honestatem et sapientiam tantam scimus, quod nullo modo vellet, quod pro tam levi et parum utili sibi servicio incurremus tantum preiudicium et sinistrum, quatenus in hac parte nos vellit habere rationabiliter excusatos, quia sicut prediximus, teste deo, in omni alio casu, quod sibi honeste servire possemus, non est alius, cui plus nos et nostra communitas desiderent complaccre, quam sibi.

Misti XXVII. 55, u arkivu mletačkom.

CCCCLV. God. 1356. 26 siečnja, u Mletcih.

Poslan u Hrvatsku nadstojnik, da prima i dieli bojnu spravu.

1355. die 26 ianuarii, capta: quod dominus, consiliarii et capita possint providere de uno suprastante, qui vadat ad partes Sclavonie pro recipiendo et dispensando secundum mandatum capitanei bladum, fenum, paleas, et alia neccessaria, qui teneatur scribere ordinate et reddere rationem de receptis et datis, et sit cum illo salario et condicionibus, que dicto collegio videbuntur.

Misti XXVII. 55, u arkivu mletačkom.

CCCCLVI. God. 1356. 11 veljače, u Mletcih.

Zaključeno, da se pošalju zapovjedniku domobranstva u Skradinu njekoje zapitane stvari za obranu onoga grada i novac za vojničke plaće, a lukare neka odpusti.

1355. die XI mensis februarii. Dominus et sapientes Sclavonie. Capta: quod scribatur capitaneo paysinatici Sclavonie in hac forma: tres litteras vestras hiis diebus percepimus, unam data die XIII, alteram XVII et terciam XXV ianuarii, quibus visis et intellectis, statim providimus vobis mitti debere ea, que pro nescessitate castri Scardone requirebatis, videlicet lignamen, campanas duas et pecuniam neccessariam pro faciendis pagis stipendiariis, qui hucusque in dicto castro steterunt; et pro aliis expensis necessariis vobis eciam providebimus subvenire, sicut viderimus opus esse. Et ex nunc captum sit, quod predicta sibi mittantur quamcicius esse potest. Set volentes super aliis in ipsis licteris contentis ultra predicta habere deliberacionem et respectum, fidelitati vestre scribimus et mandamus, quatenus super ipsis super sedere debeatis per illum cautum et dextrum modum, qui vestre prudencie melior apparebit, donec a nobis aliud habueritis in mandatis. De parte 54, de non 1, non sineri 3.

Ser Luyxius Vitalis consiliarius vult, quod istud factum inducietur usque ad diem lune proximum post prandium, qua die vocetur istud consilium sub pena solidorum XL. De parte 19.

Supradicti. Capta: quia applicantibus stipendiariis nostris, nuper misis Scardonam, non est neccesse, quod illi ballistarii, qui dimissi fuerint per capitaneum generalem, stent ultra eorum terminum ibidem: vadit pars, quod dicti ballistarii, completo eorum termino, inde licencientur, cum habeant libras XX parvorum in mense. De non 4, non sinceri 1, alii de parte.

Misti, XXVII. 58, u mletačkom arkivu.

CCCCLVII. God. 1356. 18 veljače, u Mletcih.

Šalje se u Dalmaciju novac za izplatu domobranstva i vojnika u Ninu.

1355. die XVIII februarii, capta: quod pro pagis stipendiariorum et aliis expensis neccessariis mittantur capitaneo nostro paisanatici Sclavonie ducati III mille, comiti et capitaneo Jadre ducati III mille, et comiti None ducati mille.

Misti XXVII. 58, u mletačkom arkivu.

CCCCLVIII. God. 1356. 22 veljače, u Mletcih.

Daje se zadarski otok Melada dvama Mletčanima u najam za dvadeset godina.

1355. die 22 februarii, capta: cum alio tempore nobilis viri ser Thome Viadro comitis et capitanei Jadre Nicoletus et Zaninus de Medio cives et fideles nostri, prout exponunt, ob adversitates et sinistra, que eis diversimode evenerunt, ut possent se aliqualiter sustentare, acceperint ad affictum a communi nostro Jadre insulam Melade cum iuribus et pertinenciis suis usque ad decennium pro precio librarum V centum parvorum annuatim, et ipsam a dicto tempore citra tenuerint cum magna utilitate communis, meliorando eam et alia loca pertinencia dicte insule, et propterea

nobis supplicaverint instanter, quatenus eorum fidelitate pensata et quod dispositi sunt in posterum predictam insulam de bono in melius augumentare et meliorare, eisdem dictam insulam cum locis et iuribus sibi pertinentibus, sicut nunc tenent usque ad terminum XXIV annorum cum condicione renovandi cartam ad affictum concedere dignaremur: vadit pars, participato consilio cum comitibus et consiliariis Jadre, qui fuerunt per tempora, qui de magna fidelitate et laudabili dispositione, quam eorum progenitores et ipsi hactenus habuerunt et habent ad statum et honorem nostrum, eos recommendant, concedatur eisdem dicta insula cum pertinenciis suis ad viginti annos, solventibus eis pro affictu annuatim libras VI centum parvorum, vineando et meliorando eam, prout offerunt.

Misti XXVII. 59, u arkivu mletačkom.

CCCCLIX God. 1356. 26 veljače, u Budimu.

Ugar.-hrv. kralj Ljudevit izdaje provodnicu za mletačke poslanike njemu upravljene.

Exemplum licterarum domini regis Hungarie affidacionis ambaxiatorum nostrorum mittendorum ad ipsum, quas licteras aduxit secum Paulus de Bernardo notarius curie. Nos Lodovicus dei gratia rex Hungarie, vobis inclito principi domino Johanni Gradonico Veneciarum duci nec non communi civitatis eiusdem promittimus verbo regio absque omni dolo sine fraude, quod quocienscunque et quandocunque vobis placuerit, vestros ad nos ambaxatores seu nuncios destinare, libertate plenaria per omnes terras nostras et tenutas iidem tam in veniendo quam in recedendo pociantur et fruantur, nulla personarum aut rerum formidine habituri, presencium sub nostre maiestatis testimonio litterarum. Datum Bude mensis februarii die XXVI.

Commemorialium V. 55, u mletačkom arkivu.

CCCCLX. God. 1356. 1 ožujka, u Budimu.

Nova provodnica ugar.-hrv. kralja Ljudevita za mletačke poslanike.

Aliud exemplum aliarum litterarum eiusdem domini regis super facto predicto. Ludovicus dei gratia rex Ungarie. Noveritis, quod providur vir Paulus de Bernardo notarius vester nostram veniens ad presentiam nobis sub credentiam litterarum vestrarum resservavit, quod vos ambaxatores vestros ad nos in vestris legationibus transmittere modis omnibus intenderetis. Quare cum nos circa medium quadragesime in Zagrabia vellimus esse personaliter constituti, vestros ex tunc nuntios ad nos secure poteritis destinare. Datum Bude primo die mensis martii.

Commemorialiam V. 55, u arkivu mletačkom.

CCCCLXI. God. 1356. 13 ožujka, u Mletcih.

Republika traži mnienje rabske obćine o ustanovah od ondješnjega kneza predloženih na korist onoga otoka.

1356. indictione IX, die XIII marcii, capta: cum nobilis vir ser Jacobus Cornario comes noster Arbensis porrexerit aliquas provisiones in

scriptis, que erunt, prout dicit, utiles et fructuose pro bono statu dicte civitatis, et bonum sit audire illud, quod Arbenses volunt alegare et dicere super hoc: vadit pars, quod scribatur consilio et universitati Arbi, mittendo eis inclusam copiam provisionum ipsarum, et quod quamcicius esse potest mittant ad nos aliquas personas informatas sufficienter tam super predictis quam aliis, que spectarent ad reformacionem et bonum statum suum, ut venientibus eis, et examinatis hiis, que comes et ipsi dicere et proponere voluerint, providere possimus et facere illud, quod honori dei conveniat atque nostro.

Misti XXVII. 62, u mletačkom arkivu.

CCCCLXII. God. 1356. 14 ožujka, u Neretvi.

Tvrdko ban bosanski potvrdjuje Dubrovčanom povelje, koje jim podielio bješe njegov predšastnik i stric ban Stjepan.

Tuerco dei gratia Bosne banus una cum dilecto fratre suo comite Vulk ac komitissa matre nostra domina Helena, nobilibus viris Vitatio Barbadico comiti Ragusiensi, iudicibus, consiliariis ac universitati predicte civitatis salutem et gratiam ac favoris beneplacitum. Literas vestras suscepimus, in quibus nobis promititis et vestram communitatem obligastis servare iura, libertates, consuetudines, pacta, protectiones, que habuistis cum bone memorie Stephano olim bano Bosne karissimo patruo et predecessore nostro; vestre benevolentie vicissitudinem inpendere volentes, eodem modo nos vobis obligamus, quod omnes mercatores vestre civitatis cum suis mercantiis ad fidem et graciam, protectionem nostram sucipimus, et vestram communitatem servare in iuribus, libertatibus, consuetudinibus, protectionibus, prout a prefato Stephano bano predecessore nostro novimus vobis concessum et conservatum. In cuius rei testimonium sigilum pendens supra dicti Stephani bani, quia adhuc nostro proprio caremus, cum serico fecimus aponi. Data in curia nostra in Nerethva, feria secunda post dominicam primam quadragessime, anno domini MCCC quinquagesimo VI.

Izvornik na pergameni sa visećim pečatom u bečkom arkivu.

CCCCLXIII. God. 1356. 25 ožujka, u Mletcih.

Mnienje odbora, da se mletački poslanici odprave kralju Ljudevitu za ugovaranje mira i o Klišu i Omišu.

1356. indictione IX, die XXV marcii. Quatuor sapientes Sclavonie, videlicet ser Marcus Justiniano, ser Johannes Delphino procurator, ser Petrus Zane, ser Jacobus Mauro. Cum habite et obtente sint littere a domino rege Hungarie, per quas secure mitti potest nostra ambaxata ad ipsum, et ipse rex videatur satis bene dispositus ad pacem et concordiam, prout habetur ex verbis et relacione istius episcopi Pactensis et legati ab ipso noviter redeuntis: vadit pars, ut non deficiat a parte nostra, quin dicta pax sequatur, quod in nomine domini nostri fiant et mittantur ambaxatores solemnes ad ipsum dominum regem per illum modum et cum illa commissione et libertate, cum qua iverunt et missi fuerunt olim ser Marinus Faledro et ser Marcus Cornario, mutatis et correctis illis verbis, que fuerint mutanda et corrigenda. Verum super factis Clissie et Dalmisie postmodum, silicet antequam procedatur ad electionem ambaxatorum, fiet eis

illa commissio, que huic consilio melior et utilior apparebit. 39, 39, 41, 41, 42, 43.

Ser Marinus Grimani: quod fiant et mittantur duo ambaxatores cum uno iudice per modum et cum commissione, quam habuerunt predicti ser Marinus Faledro et ser Marcus Cornario; verum detrahatur eis libertas, quod non possint promittere regi summam C mille ducatorum, prout potuerunt predicti, sed tantum possunt facere promissionem V mille ducatorum annuatim et equi cohoperti de scarleto, et super ipsa tractare et etiam super facto Clissie et Dalmesie, prout eis per istud consilium committetur. 23, 34, 38, 40, 40, 40; de non 23, 18; non sinceri 9, 5, 15, 13, 12, 12.

Misti XXVII. 65, u arkivu mletačkom.

CCCCLXIV. God. 1356. 26 ožujka, u Mletcih.

Zadarskoj občini naloženo, da pruži nješto orudja ninskoj za izkapanje ondješnje močvare; a isto tako pozivlju se občine zadarsha, pažka i rabska, neka pošalju i svoje ljude u Nin, da pripomognu onu radnju dovršiti.

1356. die XXVI marcii, capta: quod scribatur comiti et consilio Jadre, quod aliqua instrumenta neccessaria nostro comiti None pro cava, quam fieri facit, sibi debeant mittere quam cicius esse potest. Et insuper scribatur eis et comitibus et communi Arbi et Pagi, quod ad requisitionem dicti comitis None mittant illuc de gentibus et hominibus suis pro auxilio dicti laborerii, scribendo comiti None, quod eis provideat pro labore suo, sicut viderit convenire.

Misti XXVII. 65, u arkivu mletačkom.

CCCCLXV. God. 1356. 26 ožujka, u Mletcih.

Stavlja se namet na vino u Zadru.

Examinatis licteris comitis et consiliariorum Jadre, respondent et consulunt viri nobiles ser Justinianus Justiniano et ser Petrus Zane, olim comites et capitanei Jadre, quod pro aleviacione expensarum, quas fieri opportet pro Jadra fiant provisiones infrascripte.

Capta: primo, quod de toto vino, quod nascitur in districtu Jadre, de quo nichil solvitur ad presens, a modo solvatur 1 grossum de dacio pro quolibet modio, quod deveniat in commune; verum videtur eis iustum, quod ab ista solucione dacii exemptum sit vinum, quod percipiunt de suis redditibus moniales monasteriorum sancte Marie et sancti Nicolai et Dimitrii, silicet illud vinum, quod est neccessarium ipsis dominabus religiosis pro usu suo tantum attenta paupertate eorum.

Capta: quod eciam vinum, quod venditur ad spinam in Jadra, sicut solvit de quinque denariis unum, ita decetero solvat de tribus denariis unum, nam ex hoc propterea non sencient gravitatem, nisi persone bibentes vinum in tabernis.

Misti XXVII. 66, u arkivu mletačkom.

CCCCLXVI. God. 1356. 26 ožujka, u Mletcih.

Primljeno, da se pošalju poslanici k ugar.-hrv. kralju, te se opredieljuje i njihov naputak.

1356. indictione IX, die XXVI marcii. Dominus, ser Alexius Cornarius et ser Andreas Justiniano consiliarii, ser Marcus Justiniano, ser Johannes Delphino procurator, ser Jacobus Mauroceno, sapientes. Capta: quod in nomine domini Jesu Christi et gloriose virginis matris eius et beati Marci evangeliste protectoris nostri fiant et mittantur ambaxatores solemnes ad dominum regem Hungarie per illum modum et cum illa commissione et libertate, cum qua iverunt et missi fuerunt olim ser Marinus Faledro et ser Marcus Cornario, mutatis et correctis illis verbis, que fuerint mutanda et corrigenda. Verum super factis Clissii et Almisii commitatur ambaxatoribus predictis, quod primo et principaliter procurent et instent obtinere ab ipso rege dicta castra et loca, possendo promittere pro ipsis locis vel Clissia tantum, quando Almisium obtineri non posset, et pro iuribus aliarum terrarum et locorum Sclavonie, a VI mille usque VII mille ducatos auri annuatim, et equum cohopertum de scarleto, vel inde infra, ut melius poterunt, sicut poterant promittere solum V mille. Et si aliquem ex locis predictis ipse dominus rex concedere nollet, tunc ipsi ambaxatores redeant ad tractandum super primis promissionibus, procurando semper obtinere in quolibet casu dictarum primarum promissionum Clissiam, et possendo finaliter promittere pro ea dicto regi ducatorum M annuatim, sicut alias oblatum fuit. In casu vero, quo Clissiam obtinere non possent, rescribant, nostrum expectando mandatum. 35. 47.

Ser Marinus Grimani sapiens: quod in bona gratia fiant et mittantur duo ambaxatores solemnes cum uno iudice ad dominum regem Hungarie, quibus committatur, quod procedentibus ipsis ad tractatum cum ipso rege vel deputatis ab eo super factis, que cum ipso facere habemus, instent et procurent principaliter de obtinendo et habendo ab ipso rege cum illis verbis et racionibus, que eorum prudencie videbuntur, castra et loca Clissii et Almisii, possendo ei promittere pro ipsis et pro aliis iuribus aliarum terrarum et locorum Sclavonie, quas et que tenemus, usque ad ducatos VIII mille vel inde infra annuatim quam melius facere poterunt, et equum cohopertum de scarleto; et si ambo ipsa loca obtinere non possent, possint promittere finaliter, quando melius finaliter obtinere non possent, pro Clissia et pro iuribus aliarum terrarum et locorum, quas tenemus, usque ad quantitatem predictam VIII mille ducatorum annuatim, et dando similiter equum cohopertum. Si vero rex non posset aliquo modo induci ad dandum aliquem ex locis predictis, ipsi ambaxatores possint ei promittere pro iuribus, que haberet vel habere diceret in quatuor civitatibus nostris Dalmacie, silicet Sibenici, Tragurii, Spaleti et None, et generaliter in aliis omnibus terris et locis Sclavonie, quas et que tenemus per modos et cum condicionibus notatis in commissione olim data aliis ambaxatoribus ultimo missis ad eum, usque ad quantitatem ducatorum VI mille annuatim et equum cohopertum et inde infra, sicut melius poterunt facere et procurare.

Et in casu quo predicta obtinere non possent, quia multa alia possent occurrere circa tractatus predictos de novo, remaneat in discretione ipsorum ambaxatorum illa, que sibi dicerentur aut peterentur de novo ultra predicta, scribere nobis, et nostrum expectare mandatum. 16.

Ser Petrus Zane sapiens vult partem suprascriptam domini, duorum consiliariorum et trium sapientum, et tantum plus, quod in casu, quo rex contentaretur concedere Clissiam pro ducatis M annuatim, et peteret solucionem ante XX annorum per modum, quo petiit centum mille ducatos, de hoc ipsi ambaxatores contenti sint. Verum ubi dicitur, quod in casu, quo non posset obtineri Clipsium, rescribant, expectando mandatum, vult quod in casu predicto, si rex contentabitur de primis promissionibus, silicet V mille ducatorum aut de centum mille, ipsi ambaxatores procedant ad affirmandum tractatum, non obstante, quod Clissiam non potuerint obtinere. 3, de non 21, 27, non sinceri 13, 14.

Capta: quod scribatur domino regi et archiepiscopo Strigoniensi et aliis, quibus videbitur, de missione ambaxatorum nostrorum, excusando, si forte tam cito non essent ad eum propter moram, quam nuncii fecerunt ad veniendum, sed quod ipsos eligemus et mittemus quamcicius poterimus.

Dominus, ser Fantinus Mauroceno, ser Alexius Cornaro, ser Mapheus Emo, ser Andreas Justiniano, consiliarii. Capta: quod isti ambaxatores, ituri in Hungariam, sint tres cum salario et condicionibus aliorum duorum, qui proxime iverunt, et possint accipi de omni loco, non perdendo officium, si esset continuum, et etiam si essent electi in regimine, ad quod nondum ivissent. non perdendo ipsum regimen, et non refutent sub pena ducatorum centum pro quolibet. 48.

Ser Thomas Maripetro, ser Zaninus Baduario, capita de XL, volunt partem suprascriptam, sed quod pena sit solum de libris C, et sint duo ambaxatores. 18.

Ser Marcus Justiniano, ser Marinus Grimani, sapientes: quod in bona gratia ambaxatores ituri ad dominum regem Hungarie sint duo cum uno iudice, qui eligantur, fiant et vadant per illum modum electionis et cum illo salario et familia et condicionibus omnibus, cum quibus electi et missi fuerunt nunc ultimo ser Marinus Faledro et ser Marcus Cornario, et teneantur reccedere ad beneplacitum dominacionis. 17.

Ser Johannes Delphino procurator, ser Petrus Zane, ser Jacobus Mauro, sapientes: quod dicti ambaxatores sint tres cum uno iudice cum conditionibus omnibus suprascriptis. 3, de non 0, non sinceri 0.

Misti XXVII. 66, u mletačkom arkivu.

CCCCLXVII. God. 1356. 28 ožujka, u Mletcih.

Odredjeno, da se za sada potroši do 200 duk. za stvari ugarske.

1356 die 28 marcii, capta: quod pro bono agendorum, que habemus facere cum rege Hungarie, possint expendi pro nunc usque ducati CC. Et si consilium etc.

Misti XXVII. 66, u arkivu mletačkom.

CCCCLXVIII. God. 1356. 29 ožujka, u Mletcih.

Opredieljuje se koliko mogu na dan trošiti poslanici iduči u Ugarsku.

1356. die XXIX marcii, capta: quod isti ambaxatores ituri ad regem Hungarie possint in omnibus expensis quomodocumque occurrentibus

expendere ducatos quinque auri pro quolibet in die, et pro expensis iudicis et famulorum suorum ducatos duos in die.

Misti XXVII. 67, u arkivu mletačkom.

CCCCLXIX. God. 1356. 31 ožujka, u Mletcih.

Odobreno izpričanje dvaju plemića izabranih za poslanike k ugar.-hrv. kralju.

1356. die ultimo marcii, capta: quod nobilis vir ser Marcus Justiniano, electus ambaxator ad dominum regem Hungarie, propter defectum persone absolvatur ab ipsa ambaxata, iurante ipso, causam esse veram.

Capta: quod simili modo nobilis vir Johannes Delphino procurator sancti Marci, electus ambaxator ad ipsum dominum regem Hungarie, propter deffectum persone absolvatur ab ipsa ambaxata, iurante ipso, causam esse veram.

Misti, XXVII. 68, u arkivu mletačkom.

CCCCLXX. God. 1356. 2 travnja, u Mletcih.

Da miesto tri upute se samo dva poslanika u Ugarsku, pošto treći jošte nije izabran bio.

1356. die II aprilis. Dominus, consiliarii et capita et sapientes excepto ser Petro Zane. Capta: quod isti duo ambaxatores, qui sunt facti, ad dominum regem Hungarie, non obstante tercio, qui non est factus, vadant et prosequantur viam suam cum illa libertate, quam debebant facere tres.

Misti XXVII 68, u mletačkom arkivu.

CCCCLXXI. God. 1356. 5 travnja, u Mletcih.

Izabran savjetnik za hrvatske poslove. Zabacuje se predlog o novačenju vojske za obranu Dalmacije. O odlazku poslanika u Ugarsku preko Senja.

1356. die quinto aprilis. Electus sapiens super factis Sclavonie ser Andreas Erizo procurator. Ser Petrus Zane: quod pro conservacione honoris nostri et pro custodia et deffensione terrarum nostrarum Sclavonie habito in omnem partem respectu soldizentur et fiant quam velocius fieri potest XII banderie peditum pro tribus mensibus, quibus soldatis, postmodum de ipsis disponetur, et ordinabitur in mittendo, prout melius apparebit. 20.

Capta de non 30; non sinceri 4.

Capta: quod ex nunc ordinetur, quod ambaxatores nostri ituri in Hungariam faciant viam de Segna, et quod teneantur reccedere et prosequi viam suam directe usque diem XVIII huius mensis omni causa remota sub pena ducatorum centum pro quolibet in suis propriis bonis, quam exigant advocatores habentes partem ut de aliis penis sui officii, et non possit revocari vel terminus elongari sub pena librarum centum pro quolibet consiliario, capite et alio ponente partem in contrarium. Et declaretur, quod si farerent aliquas expensas pro scortis, non intelligantur in taxacione expensarum sibi facta. Et si consilium est contra etc.

Misti XXVII. 69, u mletačkom arkivu.

CCCCLXXII. God. 1356. 14 travnja, u Mletcih.

Ukida se njeki namet postavljen od Ninjana na marvu pažku pašuću u ninskom kotaru proti starom običaju.

1356. die XIV aprilis. Dominus et consiliarii. Capta: considerata fidelitate nostrorum fidelium de Pago, quibus noviter fieri videntur novitates insolite per homines et commune None in pasculando animalia sua super puncta Ure districtus None, accipiendo ab eisdem, quod non est solitum pro animalibus suis tam minutis quam grossis in eorum maximum damnum et preiudicium manifestum: vadit pars, habito consilio nobilium virorum Marci Calbo, Johannis Justiniano et Hermolai Darmerio, olim comitum civitatis nostre None, hoc consulentium, quod scribatur comiti et universitati None in hac forma infrascripta, videlicet:

Fideles nostri de Pago nuper nobis fecerunt exponi cum querela, quod ab eis pro pasculando animalia sua super punctam Ure districtus None accipitur pecunia ultra debitum et consuetudinem hactenus observata in eorum maximum damnum et preiudicium manifestum. Quare volentes nostros fideles et subditos in suis iuribus conservare, et sibi facere, quod est debitum; cernentes, quod iustum non esset predictis de novo pro dicto pasculo datium augeri, fidelitati vestre mandamus, quatenus ab eis non accipiatur nec accipi permittatis decetero pro pasculando animalia sua super puncta predicta Ure nisi id, quod soliti sunt solvere tempore, quo datium exigitur nomine communis None de pasculo Ure predicto tam de animalibus minutis quam grossis, ut dicti nostri fideles causam non habeant pro predictis deponendi amplius querimoniam coram nobis; facientes has nostras litteras in cancelaria vestri regiminis ad futurorum memoriam registrari. Datum etc.

Misti XXVII. 72, u arkivu mletačkom.

CCCCLXXIII. God. 1356. 15 travnja, u Mletcih.

Izpravlja se stranom naputak podieljen poslanikom idućim k ugar.-hrv. kralju. Ti se poslanici imenuju.

1356. indictione IX, die XV aprilis. Dominus, consiliarii, capita et sapientes. Capta: quia in commissione alias data duobus ambaxatoribus missis ad regem Hungarie continebatur de facto concordandi comitem Paulum et nepotes suos, et hoc ad presens non habeat locum, quia loca exiverunt de manibus eorum, et de ipsis facta est sufficiens mencio in partibus captis: vadit pars, quod de ipso capitulo non fiat alia mentio.

De facto Jadratinorum, de quibus alias fuit commissum ambaxatoribus predictis, quod possent contentari, quod amore regis Romanorum restitueremus ad gratiam nostram videlicet, quod, remissis eis iniuriis omnibus et offensionibus nobis factis per eos usque ad presens, gauderent bonis suis, stantibus ipsis Veneciis vel in aliis terris nostris Sclavonie in fidelitate nostra, et non facientes contra nostrum honorem, commiltatur, quod possint ad predicta contentari, ostendendo, quod hoc faciant vel amore regine vel alterius persone, quam regis Hungarie.

Facti fuerunt sindici nobiles viri ser Marcus Cornario miles et ser Marinus Grimani ambaxatores ituri ad regem Hungarie, et quilibet eorum

in solidum, ad tractandum, conveniendum et paciscendum cum dicto domino rege super omnibus differrenciis hinc inde vertentibus cum clausulis et solemnitatibus opportunis, et de hoc rogati fuerunt notarii infrascripti, videlicet: ser Amadeus, Desideratus, Nicoletus de Laurencio et Stephanus Ziera, notarii curie, et quilibet eorum.

Misti XXVII. 72, u arkivu mletačkom.

CCCCLXXIV. God. 1356. 15 travnja, u Mletcih.

Punomoćje podieljeno poslanikom idućim k ugar.-hrv. kralju.

Sindicatus in personas ambaxatorum ad dominum regem Hungarie. In christi nomine amen. Pateat omnibus evidenter, quod illustris et magnificus dominus dominus Johannes Gradonico dei gracia Veneciarum, Dalmacie atque Crohacie dux, dominus quarte partis et dimidie totius imperii Romanie, de voluntate et consensu suorum consiliorum minoris, rogatorum et XL ad infrascripta ad sonum campane et voce preconia more solito congregatorum, in quibus interfuerunt plus quam due partes dictorum consiliorum, et cum eis et homines dictorum consiliorum de auctoritate et consensu dicti domini ducis et cum eo unanimiter et concorditer nemine discrepante suis nominibus et pro se ipsis et eorum successoribus ac nomine et vice communis Veneciarum fecerunt, constituerunt et ordinaverunt nobiles viros dominos Marcum Cornario militem et Marinum Grimani honorabiles concives Veneciarum absentes tanquam presentes suos et dicti communis sindicos, procuratores, actores et nuncios speciales, et quemlibet eorum in solidum, ita quod non sit potior conditio occupantis, sed quod unus eorum inceperit, alter mediare possit, prosequi et finire; specialiter ad eundum et conveniendum tam cum serenissimo et illustre domino Lodovico dei gratia rege Hungarie, quam cum quibuscumque tractatoribus, sindicis, nuntiis et procuratoribus deputandis ab eo, et ad tractandum, faciendum, complendum et firmandum legiptime pacem, pacta, compositiones, declarationes, conventiones, concordiam et transactionem pro ipso domino duce et commune Veneciarum et eorum successoribus perpetuo et pro suis complicibus subditis, adherentibus, sequacibus et amicis de omnibus et singulis littibus, querellis, petitionibus, controversiis et questionibus, discordiis, differentiis, damnis et offensionibus quibuscumque hinc inde illatis et factis, realibus et personalibus et mixtis, quomdocumque, ubicumque, qualitercumque et per quoscumque illata et facta extiterint, et quocumque tempore, et ad faciendum in et pro predictis et quolibet predictorum omnem promissionem, remissionem, finem et liberationem, que eis vel eorum alteri videbuntur, et ad obligandum ipsum dominum ducem et commune Venetiarum et suos successores et eorum bona pro adimplendis et servandis omnibus et singulis, que dicti sindici vel eorum alter promiserint et fecerint, et de predictis et quolibet eorum cum omnibus et singulis solempnitatibus, stipulationibus, obligationibus, renuntiationibus, iuramentis, penis, adiectionibus et aliis clausulis quibuscunque consuetis vel opportunis; et ad recipiendum a dicto domino rege seu constitutis vel constituendis ab eo pro ipso domino rege et successoribus suis in perpetuum nomine transactionis vel quocumque nomine dictas, tradiciones, cessiones, concessiones, promissiones, fines, quietationes, liberationes, remissiones et obligationes

quascumque super omnibus et singulis antedictis et connexis et dependentibus ab eisdem et quolibet eorumdem, cum omnibus et singulis solempnitatibus, stipulationibus, obligationibus, renunciationibus, iuramentis, penis, adiectionibus, promissis et aliis clausulis quibuscumque consuetis vel opportunis; et generaliter ad predicta omnia alia et singula tractandum, firmandum, fatiendum, promittendum et complendum, que eis vel eorum alteri pro bono pacis et concordie convenientia, utilia seu necessaria videbuntur, etiam si talia forent, que mandatum exigerent speciale; dantes et concedentes prefatus dominus dux et consilia supradicta eisdem suis sindicis et procuratoribus et cuilibet eorum plenam, liberam et generalem administrationem et mandatum tractandi, faciendi, firmandi, promittendi et complendi omnia et singula supradicta, que ipsi vel alter eorum fecerit in predictis et quolibet predictorum et conexa et dependentia ab eisdem, et in eorum animas iurandi de observando et attendendo omnia et singula, que ipsi vel alter eorum fecerint in predictis et quolibet predictorum, et que idem dominus dux et commune Veneciarum facere possent, si personaliter interessent; promittentes ipse dominus dux et consilia supradicta pro se et successoribus suis modis et fermis et nominibus supradictis michi notario infrascripto tanquam publice persone stipulanti et recipienti nomine et vice dicti domini regis et suorum successorum et omnium et singulorum, quorum interest vel interesse posset, perpetuo firma, rata et grata habere et tenere et inviolabiliter observare omnia et singula, que idem sindici vel eorum alter in predictis et eorum singulis tractaverint, firmaverint, promiserint, compleverint aut duxerint facienda, et in nullo contrafacere vel venire de iure vel de facto, aliqua ratione vel causa, sub obligatione bonorum omnium communis Veneciarum presentium et futurorum. In cuius rei fidem et evidenciam pleniorem prefatus dominus dux mandavit, presens instrumentum publicum fieri per notarium infrascriptum, et eius bulla pendenti plumbea communiri. Actum in ducali palatio communis Veneciarum anno a nativitate domini MCCCLVI, die quintodecimo mensis aprilis, none indictionis, presentibus sapiente viro domino Benentendi Veneciarum cancellario, Amadeo de Bunguadagnis et Stephano Ciera notariis eiusdem ducatus et aliis ad hoc vocatis specialiter et rogatis.

L. S. Ego Bartholomeus de Gallarate notarius, condam domini Jacobi, publicus imperiali auctoritate notarius et ducatus Veneciarum scriba, predictis rogatus interfui, et eadem prefato mandato dicti incliti domini ducis tradidi, scripsi et me subscripsi.

Nota, quod similis sindicatus factus fuit in persona predictorum absque titulo.

Sindicatus I. 67, u arkivu mletačkom.

CCCCLXXV. God. 1356. 18 travnja, u Mletcih.

Prilog k naputku za poslanike iduće u Ugarske.

1356. die XVIII aprilis, capta: quod committatur ambaxatoribus nostris ituris ad dominum regem Hungarie, quod cum rex Hungarie seu aliqui subditi sui habeant unum nepotem et unam filiam olim comitis Pauli in manibus suis pro obsidibus, debeant, cum fuerint expediti de factis aliis nostri communis procurare et facere illud boni, quod poterunt cum honore nostro pro relaxacione predictorum. Et si consilium etc.

Capta: item committatur ambaxatoribus predictis, quod in hiis, que facere habebunt deinde, conferrant et sint cum Marino de Gocio in quantum sibi videbitur cum honore nostro, ut habeat causam procurandi fidelius bonum nostrum.

Misti XXVII. 72, u arkivu mletačkom.

CCCCLXXVI. God. 1356. 26 travnja, u Mletcih.

Odobrava se odluka vrh. zapovjednika u Dalmaciji, da, akoprem je primirje isteklo, držat će se u miru, dokle ga Ugri prvi nenapadnu.

1356. die XXVI aprilis. Dominus, consiliarii, capita et sapientes Sclavonie. Capta: quod scribatur capitaneo paysenatici Sclavonie, quod illud, quod nuper nobis scripsit, videlicet, quod non obstante, quod treugua inter Hungaros et ipsum et alios nostros fideles completa sit, nichilominus non faciet novitatem contra eos, nisi primo ipsi facerent contra nostros, placet nobis et sic volumus, quod observet, quia si adeo datum erit, quod pacem haberi possimus, nollemus ex parte nostra dare causam turbandi vel impediendi eam, quia similiter dominus rex videtur dispositus ordinare suis, sicut per licteras Marini de Gocio habuimus, quarum copia sibi mittatur. Et mittatur sibi pecunia convertenda solum pro soldatorum expensis, et de rebus petitis per eum in ea quantitate et parte, que videbitur dominio.

Misti XXVII. 73, u arkivu mletačkom.

CCCCLXXVII. God. 1356. 28 travnja, u Mletcih.

Izabran odbor, da razvidi predloge podnešene od rabskoga kneza, tičuće se dobrostanja one obćine.

1356. die XXVIII aprilis. Dominus, consiliarii et capita. Capta: cum illi de Arbo miserint huc ambaxatores suos secundum nostrum mandatum pro capitulis, que porexit nobis comes eorum: vadit pars, quod eligantur tres sapientes per electionem in isto consilio, qui examinantes capitula supradicta et audientes ipsum comitem et illos de Arbo, examinent et dent nobis suum consilium in scriptis, cum quo erimus hic, et fiet, sicut videbitur; et quilibet possit ponere partem, et habeant terminum per totum mensem maii futuri, et vocetur consilium omni vice ad petitionem eorum sub pena solidorum XX, et possint accipi de omni loco, non accipiendo ultra unum pro officio.

Electi sapientes: ser Pangracius Georgio, ser Petrus Zane, ser Petrus de Lafontana.

Misti XXVII. 73, u mletačkom arkivu.

CCCCLXXVIII. God. 1356. 5 svibnja, u Mletcih.

Riešeno, da se obavieste načelnici gradova i vojske u Istri i Dalmaciji o nakanah ugar.-hrv. kralja, čega radi neka se na obranu priprave.

1356. die V maii. Ser Johannes Delfino sapiens Sclavonie. Quod occasione novorum, que habentur de Hungaria, quantum velociter fieri potest expediatur ista galea, que est itura Nigropontem, et mittatur ad capita-

neum nostrum paysanatici Sclavonie, et soldentur usque quatuor banderie peditum cum illo soldo, firma et condicionibus omnibus, quibus facti fuerunt alii, qui missi fuerunt ad capitaneum, que banderie mittantur cum dicta galea illuc quam citius esse potest; non tardante propterea galea, quin vadat, quam cito habuerit tempus, cum illa gente, quam poterit habere de istis stipendiariis, totam vel partem, sicut melius fieri poterit, et depositis istis stipendiariis, dicta galea, si videbitur sibi, prosequatur viagium suum. Et nichilominus mittantur per unam barcham hac nocte hec nova capitaneo et rectoribus nostris Sclavonie et Istrie, ut possint de securitate illorum locorum habere sufficientem provisionem. 36.

Ser Andreas Erizo et ser Jacobus Mauro, sapientes. Capta: volunt, quod pro nunc significentur tantum hec nova capitaneo et rectoribus nostris Sclavonie et Istrie, ut de terris sibi commissis habere debeant cautelam et provisionem sufficientem, donec habebuntur nova certa de ambaxatoribus nostris. 52.

Ser Petrus Zane. Quod ista nova statim notificentur rectoribus nostris per unam barcham vel plures, scribendo eis, quod de locis sibi commissis habeant bonam custodiam; et sollicitetur, quod galea, cum qua vadit ser Johannes Dandulo, recedat quam citius esse potest, que se presentet capitaneo nostro paysanatici Sclavonie, qui illam possit pro aliquibus diebus retinere, si sibi videbitur expedire. Et nichilominus illuc mittantur L homines pro sexterio, qui habeant grossos IV in die pro quolibet, et III nobiles vadant pro capitibus eorum cum solidis XL grossorum pro quolibet in mense, eligendi in isto consilio per duas manus; et fiat paga predictis de uno mense; et nichilominus soldizentur banderie XII peditum, qui illuc mittantur quam cicius esse potest, quibus applicantibus, predicti nobilcs cum dictis hominibus Venecias revertantur. 6, non 1, non sinceri 1.

Misti XXVII. 78, u arkivu mletačkom.

CCCCLXXIX. God. 1356. 12 svibnja, u Mletcih.

Piše se papi i kardinalom na korist Dubrovčana u poslu otoka Mljeta.

1356. die XII maii. Quod in favorem illorum de Ragusio scribantur domino pape pro insula Melite littere nostre, recomendantes domino pape et cardinalibus in illa forma, que videbitur dominio.

Misti XXVII. 80, u arkivu mletačkom.

CCCCLXXX. God. 1356. 12 svibnja, u Mletcih.

Odboru za rabske poslove dozvoljeno, da čuje kneza i poslanike rabske o novih predlozih podnešenih od istoga kneza, i svoje mnienje izreče.

1356. die XII maii, capta: cum super quibusdam capitulis porrectis per comitem nostrum Arby, fuerint electi tres sapientes, qui audirent comitem et Arbenses, et darent nobis suum consilium; et nunc ipse comes velit ultra illa capitula proponere coram dictis sapientibus aliqua, que credit spectare ad honorem nostrum et bonum regiminis et statum quietum dicte insule, et sapientes recusent ipsum audire, dicentes, quod sua libertas non extenditur ad hec: vadit pars, quod committatur dictis sapientibus, quod ipsum comitem et Arbenses, qui huc venerunt, audiant in predictis et circa

predicta, etiam si sint ultra capitula porrecta alias, et examinent et dent nobis suum consilium cum illa libertate, modis et condicionibus, quibus fuerunt eis commissa alia negocia. Et si consilium est contra etc.

Misti XXVII. 80, u mletačkom arkivu.

CCCCLXXXI. God. 1356. 17 svibnja, u Mletcih.

Namet stavljen na vino, koje se na zadarskih otocih prodavalo. Urečeno vieće za rabske poslove.

1356. die XVII maii, IX indictionis, capta: intellectis licteris comitis nostri Jadre, per quas consulit, quod ponatur dacium super vino, quod venditur ad spinam in insulis Jadre, consulitur per viros nobiles ser Justinianum Justinianum et ser Petrum Zane, olim comites Jadre, et sic vadit pars, quod de cetero de vino, quod venditur ad spinam in insulis predictis, solvatur de dacio de tribus denariis unus, sicut de vino, quod venditur ad spinam in Jadra, pridie captum fuit.

Pars hec fuit posita per dominum, consiliarios et capita. Facte fuerunt lictere comiti et consiliariis Jadre.

Capta: quod die crastina post nonam vocetur istud consilium pro negociis illorum de Arbo sub pena solidorum XL, et legetur consilium.

Misti, XXVII. 78, u arkivu mletačkom.

CCCCLXXXII. God. 1356. 19 svibnja, u Mletcih.

Predlozi i mnienje odbora izabrana za rabske poslove.

1356. die XIX maii. Dominus dux, ser Stephanus Belegno, ser Johannes Fuscareno, ser Johannes Quirino caput, ser Nicolaus Faledro caput, ser Nicolaus Premarino caput. Capta: quum consideratis condicionibus temporis moderni utile est et salubre transire cum nostris fidelibus dulciter et generose, nec aliquam novitatem inducere inter eos: vadit pars, quod pro nunc supersedatur de procedendo in capitulis et querelis comitis Arbi, et dicatur istis ambaxatoribus, qui sunt hic, et scribatur communitati sue cum illis efficacibus verbis, que videbuntur, quod debeant erga nostrum comitem sic obedientes et reverentes se habere, et sic recte, iuste et equaliter disponere ad racionem et iusticiam faciendam cuilibet, quod nos et dictus comes possimus merito contentari; quod si fecerint, multipliciter gratum nobis erit, et eos et statum suum habebimus, sicut semper habuimus, favorabilius commendatum; si autem aliter facerent, provideremus omnino, sicut honori nostro et bono statui dicte civitatis viderimus utilius convenire. 41.

Hoc est consilium sapientum etc. Nota, quod de partibus infrascriptis per sapientes consultis, non ivit certum nisi primum capitulum cum parte domini suprascripta, que capta fuit.

Super VI et VII capitulis porectis per comitem Arbensem continentibus:
cum officiales sui et rectores fiant etc.
cum pro eo, quod curia Arbi est in pari numero etc.

Sapientes: ser Pangracius Zorzi, ser Petrus Zane, ser Petrus dela Fontana. Quod pro expedictione litium et aliorum negociorum, que debent terminari per comitem et iudices, pro removendo omnes errores et scan-

dala, que inter ipsos orriri solent, quando reperiuntur tot in una oppinione quot in alia, ac eciam pro aleviacione hominum de consilio, quos non sit neccesse convocare pro omni differencia vestente inter ipsos, neque ponere partem in consilio pro talibus minimis differenciis. Decetero eligantur et esse debeant quatuor iudices, et quod dictum regimen comitatus Arbensis regatur et exerceatur per ipsum comitem et dictos quatuor iudices; et ea, que per tres predictos adminus acta et sententiata fuerint tam in criminalibus quam in civilibus, valida et firma sint.

Nota, quod dicta pars ivit cum suprascripta parte domini et aliorum. Non sinceri 10, de non 5, de parte 25, de parte domini 41.

Quorum quidem iudicum electio fiat per hunc modum, silicet, quod comes et iudices, qui presencialiter sunt, eligere debeant quatuor electores, qui electores eligere debeant quatuor iudices, et ab ista vice in antea dicti quatuor iudices debeant eligere dictos quatuor electores, et sic successive continuare, et dicta electio dictorum electorum confirmetur per maiorem partem eorum quinque, videlicet comitis et iudicum. Similis autem modus et ordo servetur, si talis diffecentia orriretur in electionibus fiendis de iudicibus per electores.

Super primo capitulo, quod incipit: cum multa furta et alia maleficia criminalia etc.

Quod ad hoc, ut iusticia non depereat, set tribuatur unicuique ius, ut dictum est, eciam ut malefactores de eorum delictis debitam paciantur penam, ita quod ipsorum pena aliis transeat in exemplum, de cetero si ad audienciam seu noticiam domini comitis seu iudicum perveniet aliquod maleficium vel delictum fore commissum in civitate vel comitatu Arbensi, cuiuscumque condicionis delictum sit, de quo forte facta non fuerit accusacio, vel si fuerit facta, debeat ipse comes requirere iudices terre, qui ad ipsius comitis requisicionem venire teneantur, et una cum ipsis vel maiori parte eorum, aut saltim cum duobus ex ipsis, inquirere et examinare dictum crimen commissum, et super inde recipere et examinare testes, et processum ordinare super ipsis crimine vel delicto, non procedendo in ipsis processibus per modum causarum civilium sed per modum causarum criminalium, in quo quidem processu vel delicto non possit esse advocatus neque placitare, ut dictum est. Et visis processibus et aliis contentis in eo per tres eorum adminus, iudicium fieri debeat, ut est expressum in precedenti capitulo, secundum ordines dicte terre Arbi. Et quod omnes sentencias latas, ut dictum est, tam in criminalibus quam in civilibus comes teneatur execucioni mandari facere. Insuper si aliquod delictum enorme committetur in Arbo vel eius districtu, propter quod videretur ipsi comiti et iudicibus expendere de denariis communis Arbi pro habendo malefactores, possit comes cum ipsis iudicibus vel maiori parte ipsorum, aut cum duobus ex ipsis expendere usque libras qninquaginta parvorum. Si vero delictum esset tam enormissimum, quod videretur eis, ut est dictum, expendere maiorem summam pro habendo malefactores, tunc possint venire ad consilium Arbi, et cum licencia consilii tantum expendere, quantum fuerit terminatum.

Super tercio, quod sic incipit: quod ad scribendum et faciendum officium in criminalibus etc.

Cum diu captum fuerit in consilio Arbensi, quod acciperetur unus notarius in Arbo pro coaiuctore cancelarii et nundum fuerit acceptus, quod esse videtur contra intencionem et ordinamenta eiusdem civitatis consilii, et ad removendum talem negligenciam accipiatur unus notarius ad salarium communis Arbi, cuius quidem notarii electio et salarii taxactio fiat per dominum ducem et consiliarios eius.

Item quod precones, qui ad presens sunt in officio preconarie, sint et esse debeant obedientes et reverentes dicto comiti, et in factis spectantibus ad dictum regimen exercere et facere, sicuti ipse comes Arbi mandaverit, quod quidem, si facere recusaverit vel recusaverint, aut averter inobedientes essent, ipse comes habeat libertatem privandi et cassandi eos et eorum quemlibet, et illos alios, quos duxerit eligendos, qui eidem in exequendis negociis spectantibus ad dictum regimen servire teneantur, et habeant salarium solitum a communi Arbi.

Misti XXVII. 82, u mletačkom arkivu.

CCCCLXXXIII. God. 1356. 23 svibnja, u Mletcih.

Pozivlju se načelnici u Istri i u Trevisanskoj, neka nastoje saznati nakane i kretanja ugar.-hrv. kralja, i neka paze na obranu svojih gradova.

1356. die XXIII maii, capta: quod scribatur rectoribus nostris Istrie et Tervisane, recommendando solicitudinem suam pro novis, que nobis nuper scripserunt, et mandando eis, quod solicite dent operam de persenciendo de novis, mittendo nuncios ad omnes partes, ad quas eis videbitur, pro sentiendo de novis et motibus regis Hungarie, notifficando nobis quecumque sencient et invenerint, ac hortando eos, quod de terris et locis eis commissis habeant vigilem et solicitam custodiam atque curam, ita quod concedente domino de ipsis sinistrum nequeat avenire. Et insuper mandetur eis, quod examinent condicionem et municiones ipsarum terrarum et locorum nostrorum, et si viderint, aliqua fore neccessaria pro salute et conservacione et defensione ipsorum, solicite provideant fulcire se municionibus, que sibi deficerent, et nobis scribant de illis, que eis defficerent, ut de hinc per nos provideri possit, sicut pro honore nostro videbimus expedire.

Misti XXVII. 83, u arkivu mletačkom.

CCCCLXXXIV. God. 1356. 26 svibnja, u Mletcih.

U poslu razmirice obstojeće medju Ninjanom i Pažanom radi paše.

1356. die 26 maii, indictione IX. Dominus, consiliarii et capita. Capta: intellectis hiis, que voluit dicere et exponere ambaxator communis None super facto differencie, que est inter commune None et commune Pagi, et habita bona examinacione super hoc, ut consulunt viri nobiles ser Franciscus Bono, ser Hermolaus Darmario, ser Johannes Justiniano in forma inscripta, videlicet scribatur.

Cum per informacionem pridie datam ser Marco Calbo, ser Hermolao Darmario er ser Johanni Justiniano, deputatis ad audiendum quendam ambaxatorem Pagi conquerentis, quod commune None agravabat homines Pagi in pasculando animalia sua super puncta Ure districtus None ultra solitum et debitam consuetudinem hactenus observatam, scripte fuissent lictere pre-

dicto communi None, quatenus dictis de Pago pro pasculando animalia sua super puncta Ure predicta non deberent accipere nec permittere accipi ultra id, quod soliti erant solvere tempore, quo dacium exigitur per commune None, et ut habuerunt per quendam ambaxatorem Nonensem ipsa informacio data per ambaxatorem Pagi videtur esse alterius nature, quam dictus ambaxator Pagi dixerat, et volentes, quelibet indebita reformare, et fideles suos in pacifica pace et quiete conservare, consulunt, quod scribatur dictis comiti et communi None, quod dictas licteras sibi missas suspendant sic et realiter, quod non sint alicuius vigoris, efficacie vel valoris, donec aliud admodo habuerint in mandatis.

Item pro aleviacione expensarum, quibus subiacent predicta communia in mittendo suos ambaxatores huc, sive eos substinendo hic, et pro meliori examinacione et neccessariis scripturis accipiendis comitatur et mandetur comiti et capitaneo Jadre et suis consiliariis, significando eis discordiam predictam dictorum communium, quod cum omni diligencia, cura et solicitudine examinent predicta, et audiant nuncios sive ambaxatores dictorum communium, et quid voluerint alegare et opponere, qui ambaxatores debent comparere coram eis, et facta bona et decenti examinacione, quidquid invenerint, dominio mittant cum eorum consilio sub suo sigillo ad hoc finis talis possit imponi dicte discordie, qui sit honor noster et reformacio dictorum communium. Et scribatur predictis de None et Pago, quod suam discordiam commisimus examinari comiti et consiliariis Jadre, et quod quam velocius fieri potest mittant suos nuncios sive ambaxatores bene informatos suorum iurium ad predictos comitem et consiliarios Jadre, qui examinatis suis iuribus, alegacionibus et opposicionibus, totum id, quod habuerint, debeant mittere dominio, quod postea dabit eis expeditum complementum iurium suorum, et istud fit pro aleviacione expensarum, quas substinent hic. Alii de parte, vel non 0, non sinceri 3.

Misti XXVII 84, u mletačkom arkivu.

CCCCLXXXV. God. 1356. 28 svibnja, u Mletcih.

Prodavaju se konji poslanika dolazećih iz Ugarske. Obaviešćuje se pomorski kapetan o pogibelji, koja prieti brodovom, te neka pazi na njihovu obranu; i neka pošalje dvie galije u jadransko more, da štite čast i brodove mletačke.

1356. die XXVIII maii, capta: quod de equis nostri communis, quos nostri ambaxatores, qui venerunt de Hungaria, relinquerunt in Arbo, possint vendi et consentiri capitaneo pasinatici ituro et aliis, qui de ipsis vellent pro precio, quo constiterunt communi, mittendo eos acceptare suis expensis, et respondendo hic usque duos dies; et sic consulunt ambaxatores.

Capta: quod, ut sinistrum nequeat evenire navigiis nostris, notificentur capitaneo nostro culphy quam velocius fieri potest nova, que nuper nobis scripta fuerunt de Pisis, mandando eidem, quod bonam et vigilem custodiam habeat circa salutem galearum nostrarum et deffensam navigiorum nostrorum, ut sinistrum aliquod, quod absit, sibi vel navigiis nostris non occurrat.

Insuper ordinetur, et sic scribatur, quam velocius fieri potest, quod ille due galee, quas pridie ordinatum fuit debere venire ad partes Sclavonie pro deffensione terrarum nostrarum, recepto nostro mandato non obstanti-

bus aliis mandatis nostris sibi missis, statim redeant ad culphum nostrum ad hobedientiam capitanei nostri culphy, ut possint, si neccessarium fuerit, deffendere honorem nostrum, et procurare salutem et deffensionem navigiorum nostrorum. Omnes de parte.

Misti XXVII. 84, u arkivu mletačkom.

CCCCLXXXVI. God. 1356. 29 svibnja, u Mletcih.

Naredba u poslu sjegurne plovitbe po jadranskom moru.

1356. die XXIX maii, capta: quod scribatur duche et consiliariis Crete, quod studeant parare et fulcire velociter galeas ordinatas etc.

Barcha vero itura, primo vadat ad capitaneum et provisores Sclavonie, quibus mandetur, quod remittant ligna ad custodiam culphy; postmodum vadat ad capitaneum culphy, et sibi presentet litteras nostras, quas sibi assignabimus, et postea sequatur viam Mothoni, quo accedat quam cicius esse poterit.

Sapientes ordinum navigandi. Capta: quod scribatur comiti et capitaneo Jadre, et sic mandetur, quod ad omnem requisitionem capitanei nostri culphy dessignet galeam, quam habet ibi, cui ipse capitaneus duxerit ordinandum, retinendo illam, cuius loco assignabit suam, et remittendo ipsam quam cicius poterit ad nos, Venecias; denotando eidem, quod de hoc noster capitaneus culphy nos requisivit per suas litteras speciales.

Capta: ceterum ordinetur, quod illa galea de mensura galearum culphy, quam patroni arsenatus habent paratam in arsenatu, mittatur Jadram quam cicius esse potest; et mandetur comiti Jadre, quod ipsam galeam vel suam, utra magis placuerit, capitaneo, vel cui ordinaverit ipse capitaneus, debeat assignare. In casu vero, ut predicitur, quod fieret requisitio galee sue per capitaneum non applicata galea, quam mittemus Jadram, debeat nichilominus ipse comes ipsam galeam sibi vel cui ordinaverit, facere penitus assignari.

Misti XXVII. 84, u mletačkom arkivu.

CCCCLXXXVII. God 1356. 28 lipnja, u Mletcih.

Izabran odbor od 25, koj će skupa sa malim viećem riešavati sve poslove tičuće se razmirice obstojeće s ugar.-hrv. kraljem.

1356. indictione IX, die XXVIII iunii, capta: quoniam ista facta, que facere habemus cum domino rege Hungarie, sunt magna et ardua, et in eis occurrent multi tractatus, qui requirerent de sui natura minorem numerum aliquarum electarum personarum: vadit pars, quod in nomine Jesu Christi eligantur XXV sapientes, qui cum domino, consiliariis et capitibus de XL super dictis factis et omnibus dependentibus ab eis habeant plenam auctoritatem, libertatem et arbitrium providendi, expendendi, faciendi et terminandi in omnibus et per omnia, sicut haberet istud consilium. Et teneatur venire omni die mane ad palacium ad locum constitutum ad campanas et horas ordinatas sub pena solidorum XX pro quolibet exceptis festis solemnibus et occasionibus exceptatis, quam exigant advocatores habentes partem, ut de aliis penis sui officii. Et possint accipi de

omni loco et officio, exceptis iudicibus palacii, pagatoribus, consulibus et patronis, non accipiendo nisi unum pro officio et unum pro domo. Et duret per sex menses, in fine quorum veniatur ad istud consilium, et fiet, sicut videbitur. Et non intelligatur congregatum ipsum consilium nisi due partes fuerint congregate. Et teneantur convenire etiam aliis diebus et horis, quando vocabuntur, sub dictis penis. Et si steterint octo diebus de non veniendo ad consilium, sint extra, nec exeant de terra sine licentia dominationis; et si eligerentur ad regimen vel ad aliud, sint extra quindecim diebus ante, quam ire debeant. Et si consilium etc. Et capta ista parte, ponetur postea de modo electionis dictorum sapientum.

Capta: quod isti sapientes, fiendi nunc primo usque ad numerum de XXV, fiant una manus per scrutinium in rogatis et duo manus electionum in maiori consilio. Et decetero si quis defecerit, fiant per quatuor manus electionum in isto consilio.

Maius Consilium. Novella 44, u arkivu mletačkom.

CCCCLXXXVIII. God. 1356. 29 lipnja, u Mletcih.

Produljen rok savjetovajućemu odboru.

1356. die penultimo iunii, capta: quod isti sapientes, qui facti sunt usque nunc, non obstante, quod numerus non sit completus, possint et debeant convenire et facere ea, que fuerint facienda, sicut si essent omnes facti. Et illi duo, qui restant fieri, fiant per IV manus electionum. Et si consilium etc.

Maius consilium. Novella 44, u mletačkom arkivu.

CCCCLXXXIX. God. 1356. 17 srpnja, u Villa nova.

Papa nagovara Mletčane, neka se odreku saveza, o kom se govorilo, da su ga sklopili sa srbskim kraljem proti ugarskomu, drugčije da ga on za nevaljana proglasuje i odsudjuje.

Exemplum quarundam litterarnm papalium, destinatarum ducali dominio pro factis regis Hungarie. Innocentius episcopus servus servorum dei. Dilecto filio nobili viro Johanni Gradonico duci Veneciarum salutem et apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram pervenit, quod tu et dilecti filii commune Veneciarum cum dei et fidei catholice inimicis et hostibus, rege aliisque Rasensibus sismaticis et hereticis manifestis confederationem inistis et ligam, illamque iuramenti interpositionibus et penarum adiectionibus roborastis. Quod licet attenta sinceritate devotionis et fidei, quam tu et dicti commune semper ad deum, qui eiusdem fidei actor at capud est, habuistis, credere facile non posimus, tamen tuis et dictorum communis super hoc fame et saluti consulere paterna solicitudine cupientes, et attendentes, quod huiusmodi liga inter carissimum in christo filium nostrum Ludovicum regem Hungarie illustrem, qui Rasenses eosdem ad extirpandum de partibus illis pravitatem hereticam favente domino expugnare proponit, et te invicem disidentes, ad quorum pacem procurandam enitimus, seminarium maioris disidii esse posset, nobilitatem tuam attente requirimus et hortamur, illam attente rogantes, tibique suadentes paternis consiliis et tue salutis intuytu expresius iniungentes, quot ab omni consilio,

auxilio, favore, ac adiutorio hereticis et scismaticis ipsis occasione huiusmodi confederationis seu lige aut alterius cuiuslibet paccionis, quocunque titulo seu nomine censeatur, prestando prorsus abstineas, et subditos tuos omnino compescas. Nos enim ligam, confederationem et quascunque pactiones alias inter te seu predecessores tuos duces Veneciarum et dictos commune initas, factas et habitas cassamus et irritamus, et nullius esse decernimus roboris vel momenti, penas et iuramenta huiusmodi relaxantes. Ceterum huiusmodi precibus nostris adicimus, ut ea, que venerabilis frater noster episcopus paccensis apostolice sedis nuncius, lator presentium, tibi super hoc pro parte nostra retulerit, credas indubie, illaque ad effectum votive consumationis adducas.

Datum apud Villam novam Avinionensis diocesis XVI kal. augusti, pontificatus nostri anno quarto.

Commemorialium V. 79, u mletačkom arkivu.

CCCCXC. God. 1356. 18 srpnja, u Beču.

Albert, austrijski vojvoda, zahvaljuje se republici, što ona, usprkos njezinoj zavadi s ugar.-hrv. kraljem, njegovim rodjakom, brani njegove trgovce, te se obvezuje, da će i on njezine štititi.

Exemplum quarundam litterarum missarum dominio per dominum ducem Austrie, pro securitate mercatorum. Albertus dei gratia dux Austrie, Stirie et Carintie etc. nobili ac magnifico domino Joanni Gradonico duci Veneciarum amico suo dilecto sincerum animum complacendi. De exhibitione securitatis prefate per vos nostris mercatoribus cum suis mercationibus per terras vestras, non obstantibus novitatibus inter dominum regem Hungarie et vos motis, grates refferentes, vestros etiam homines per terras et districtus nostros securitate potiri volumus, sicut hactenus est consuetum, preterquam pro eis, qui ad presens in eiusdem regis Hungarie, fratris nostri carissimi, obsequio, in exercitu commorantur. Data Vienne decimo octavo die mensis iulii.

Commemorialium V. 73, u mletačkom arkivu.

CCCCXCI. God. 1356. 21 srpnja, u Mletcih.

Radi uzapćenja trgovine mletačkih podanika u Olgunu prima se, da se o tom piše vrhovnomu kapetanu pomorskomu, neka se za oštećenike zauzme.

1356. die XXI iulii, capta: cum mercatores et fideles nostri in partibus Avelone conversantes conquesti fuerint noviter dominationi de quodam ser Lucha de Climo de Dolcegno, qui per quemdam eius factorem nomine Cerzo de dicto loco nomine doaneriorum deinde accepi fecit eisdem per violenciam tot pannos, qui valere poterant ducatos CC auri, fingendo se, quod huiusmodi pannos accipi faciebat occasione doane mercationum, quas portaverant Avelonam, et inde extraxerant contra antiquam consuetudinem, cum hactenus semper fuerint in dictis partibus franchi, et nichil solverunt occasione predicta, et sicut fuit et est intencio domini imperatoris, et de predicta violencia fuerint protestati et probaverint hec legitime, sicut plene constat provisoribus nostri communis: vadit pars, quod scribatur nostro

capitaneo culfi in eorum favorem in illa forma, que videbitur dominacioni, non sinistrando armatam.

Misti XXVII. 89, u mletačkom arkivu.

CCCCXCII. God 1356. 31 srpnja, u Mletcih.

Odlučeno, da općina spljetska izplati svoga kneza u dukatih zlatnih. O dužnosti jednoga Zadranina stanujućega u Spljetu u pogledu gradskih robota.

1356. die ultimo iulii, capta: cum comes Spaleti habere debeat de salario a communi dicte terre libras MCC ad racionem parvorum XXXII pro quolibet grosso, et dicatur, quod sepe oriuntur dubia et differentie inter comitem et illos de Spaleto super facto dicti salarii: vadit pars, quod declaretur, quod dictum salarium precise sit ducatorum quingenti auri in auro.

Capta: cum Gallus condam Georgii de Jadra habitet Spaleti, et dubium fiat, ubi debeat facere factiones in Jadra vel Spaleto: vadit pars, quod si iste Gallus facit factiones in Jadra, tam de possesionibus et bonis suis quam de persona non gravetur in Spaleto. De eo vero, quod non faceret in Jadra, faciet in Spaleto. De non 17, non sinceri 13.

Misti XXVII. 89, u mletačkom arkivu.

CCCCXCIII. God. 1356. 4 kolovoza, u Mletcih.

Piše se kapetanu pomorskomu, neka svoju pomoć pruži njekomu Mletčaninu, koj povjerio bješe svoje trgovačke poslove u istoku skoro umrvšemu Ivanu Gunduliću.

1356. indictione IX, die quarto mensis augusti. Dominus, consiliarii, capita st sapientes. Capta: cum Marinus de Gozi commiserit iam bono tempore facta sua cuidam Zive de Gondola et Marco Lovarno in partibus Gazarie, et dictus Zive de Gondola sit defunctus, pro quo dubitat, quod negotia sua sint impedita in dictis partibus: vadit pars, quod committatur capitaneo nostro generali Romanie, quod pro expeditione et recuperatione rationum dicti Marini operetur, quicquid boni poterit, dando nuntiis dicti Marini circa hoc auxilium et favorem.

Misti XXVII. 91, u mletačkom arkivu.

CCCCXCIV. God. 1356. 10 kolovoza, u Villa nova.

Papa pozivlje Mletčane, neka privole, da on rieši njihovu razmiricu, koju su s ugar.-hrv. kraljem imali.

Innocentius episcopus servus servorum dei. Dilecto filio, nobili viro Johanni Gradonico duci Veneciarum, salutem et apostolicam benedictionem. Sicut per alias litteras nostras et venerabilem fratrem nostrum Boniohannem episcopum firmanensem, apostolice sedis nuncium, significavimus tibi, nuper discordia, quam inter carissimum in Christi filium nostrum Ludovicum regem Hungarie illustrem et te pacis emulus suscitavit, molesta nobis est admodum et eo tediosior redditur, quo dei negotiis presertim partium orientis amplius est nociva. Ad succidendum itaque illam vias et modos solicite perquirentes, a quibusdam nunciis dicti regis apud sedem

apostolicam constitutis nuper audivimus, quod idem rex paratus est in manibus nostris ponere libere omnem, que inter eum et te vertitur, questionem, et omnem, quem super terras tuas tenet, exercitum removere. Quapropter nobilitatem tuam attente requirimus et hortamur, illam attentius deprecantes, ac tibi tue salutis intuitu expressius ingiungentes, quot ipsius regis in hac parte considerans voluntatem, viam pacis et concordie non refugias, sed acceptes, nosti enim, quod guerrarum prosecutio, preter sumptuum onera, tristes et plurimum exitus parere consuevit, cum nunc illum ferrum perimat, nunc gladius hunc assumat, et nunc subducat, alius illum casus. Super quo, quia, sicut discretio tua novit, in talibus est periculosa dilatio, intentionem tuam nobis cum celeritate rescribas, crediturus hiis, que venerabilis frater noster Petrus episcopus paccensis apostolice sedis nuntius lator presentium tibi pro parte nostra retulerit in premissis.

Datum apud villam novam Avinionensis diocesis IV. idus augusti, pontificatus nostri anno quarto.

Commemorialiam V. 79, u arkivu mletačkom.

CCCCXCV. God. 1356. 15 kolovoza, u Mletcih.

Naputak Nikoli Loredanu imenovanu ninskim knezom.

Commissio nobilis viri Nicolai Lauredano comitis None. Nos consiliarii rectores Veneciarum etc. comittimus tibi nobili viro Nicolao Lauredano dilecto fideli nostro, quod in comitem None de nostro mandato vadas Nonam, et ipsam civitatem et homines ipsius terre et districtus regere debeas, et rationem et iusticiam facere et manu tenere ad honorem nostrum, secundum formam capitulorum, que in hac tua commissione inferius sunt inserta.

In quo quidem regimine esse et morari debes usque ad duos annos et tantum plus, quantum successor tuus.

Quam quidem civitatem et homines ipsius terre regere debeas cum iudicibus et sententiariis, qui deputabuntur per maius consilium ipsius civitatis per maiorem partem eorum, secundum consuetudines, ordines, libertates et statuta civitatis eiusdem, facta vel fienda, dummodo non sint contra nostrum honorem et civitatis Veneciarum, promulgando et sententiando causas et questiones per maiorem partem eorum. Salvo quod tu comes solus habere debes liberum arbitrium in homicidio, violatione mulierum, incendiis fraudulentis et robariis manifestis, secundum tuam bonam conscienciam debeas in dictis factis procedere et terminare.

In quo quidem regimine habere debes a communi None anno quolibet pro tuo salario libras sexcentas venetialium parvorum, recipiendo solutionem in Venetis grossis ad rationem de denariis Venet. parvorum XXXII pro quolibet grosso, videlicet de precio seu affictu insule nostre civitatis None, vel ab ipso communi None, et nichil aliud habere potes; salvo, quod si stares plus vel minus dictis duobus annis, recipias solucionem pro rata. Sed omnes redditus et introitus communis None ac iurisdictiones et banna et condemnationes deveniant in dictum commune None.

Verum ad petitionem comitis et communis None captum fuit in consiliis maiori, rogatorum et XL, quod comites omnes debeant recipere libras IV grossorum in anno a dicto communi None loco redituum vinearum et mo-

lendini, quos redditus soliti erant recipere comites, qui nunc remanent in communi None.

De bonis tamen communis nostri tibi dari fecimus pro additione tui salarii libras ducentas ad grossos in anno, et sic habebis in secundo anno, et debes ire et redire ad ipsum regimen omnibus tuis expensis, et tenere duos equos et unum famulum.

In quo quidem regimine habere et tenere debes tecum omnibus tuis expensis unum socium et quatuor servitores.

Item non potes nec esse debes ad aliquod convivium alicuius civis None in dicta terra None, nec potes aliquos de Nona convitare, clamare seu clamari facere ad comedendum tecum in dicta civitate.

Preterea inhibitum est tibi et inhibemus, quod tu seu aliquis de familia tua non possitis per vos vel per alios recipere seu recipi facere dona aliqua vel presentes ab aliquo cive seu habitatore None modo aliquo vel ingenio, nisi uvas et recentes fructus.

Item non potes nec debes per te vel alium fieri facere mercationes nec mercationibus uti, vel uti facere de denariis tuis, per te vel alium, modo aliquo vel ingenio, in partibus dicti regiminis, donec fueris in regimine supradicto.

Item est ordinatum, quod homines None possunt sine dacio extrahere de Veneciis lignamen, lapides coctos et cuppos pro eorum domibus, et conducere Nonam, dummodo illi, qui volent de predictis rebus conducere, presentent litteras nostre curie missas a suo comite et sigillatas sigillo communis None, quomodo res, quas requirent, sunt eis necessarie pro usibus suis et suorum domorum.

Et omnia illa que continentur in istrumento facto de submissione nobis facta de dicta civitate, scripto manu Marinelli de Benedicto notarii curie nostre, quod ipsi de Nona penes se habent, attendes et observabis bona fide, nisi per nos fuerint revocata.

Lignum vero cum suis corredis per nos concessum eisdem de Nona pro securitate eorum, teneri debet per ipsos in concio.

Scias insuper, quod per nos et nostrum consilium rogatorum captum est, quod nullum havere subtile, exceptis auro, perlis, et eo quod intelligitur havere capselle, nullo modo conduci Venecias possit cum navigio disarmato vel contra ordines, sub pena perdendi totum, quod contra hoc adduceretur, sine ulla remissione; et propterea committimus tibi, quod in omnibus navigiis disarmatis, que ad partes tui regiminis declinarent, diligenter facias inquiri et circhari, si in eis aliquod adduceretur de dicto havere subtili. Et si inveneris aliquod contra predicta, illud accipies et divides per tercium, videlicet tercium erit tuum, tercium dabis accusatori, si inde fuerit, et tenebis eum de credentia, et tercium mittes nostris camerariis, quibus commisimus, quod illud in Rivoalto publice faciant incantari et vendi cum licentia nostra. Et si accusator non esset, duas partes eius, quod inveneris, mittes camerariis antedictis. Et de predictis non potest fieri gratia, donum, suspensio, provisio vel compensatio, aut revocatio sub pena librarum mille pro quolibet consiliario, capite de XL vel alio, qui posset ponere partem, in quam penam incurrant omnes, qui consentirent poni partem predictam.

Et si uxor tua vel heredes masculus aut femina a XVI annis supra vel sotius facerent aliquid, quod tibi sit vetitum per tuam commissionem, et accusatio facta fuerit nobis seu advocatoribus communis, debes esse responsator et pagator de omni eo, quod advocatores convincerent in illo consilio, in quo placitabunt.

Sciendum est, quod quicumque de cetero ibit, seu modo est in regimine, ambaxariis, capitaneariis, vel aliquo alio officio pro communi Veneciarum, et convictus fuerit per dominum ducem et eius consilium de XL vel per XL cum domino duce et eius consilio, vel per maius consilium aut pro placitariis advocatorum communis, quod fuerit furatus de bonis et havere communis, vel aliter ab aliis contra suam commissionem et suum capitulare acceperit libras L illi de extra, et libras XXV illi de intra, debeat solvere id quod terminatum fuerit et duplum usque ad octo dies tunc proxime, et si non solverit capitale et penam dupli, non possit habere officium in Veneciis nec extra, nec de maiori consilio esse usque ad V annos tunc proximos, et nichilominus dominus dux et consiliarii teneantur exigere et capitale et penam ab eis. Et quicumque donaverit et dederit de bonis communis contra suum capitutare vel commissionem, debeat restaurare de suo proprio infra octo dies tantum quantum dederit, et si non solverit, cadat in dictas penas dupli et privationis officiorum et maioris consilii, ut dictum est. Preterea si illi de ratione dixerint, quod de predictis, facta eorum ratione, habeant de havere communis libras XXV, illi de extra, vel in supra, et libras X illi de intra vel in supra, precipiant eis, quod solvant usque ad VIII dies, et si non solverint, cadant in penam dupli, et non possint usque ad VIII annos habere officium communis nec esse de maiori consilio. Salvo in omnibus officio advocatorum communis; et hec omnia debeant addi in commissione rectorum.

Preterea scire debes, quod captum est in nostris consiliis minori, rogatorum et XL, quod committatur rectoribus nostris Sclavonie, quod teneantur et debeant aponere diligentem curam et custodiam, ne sal extrahatur de suis terris pro eundo contra ordines nostros, et ob hoc, quando aliquis voluerit extrahere salem de terris suis, debeant accipere plezariam, quod non ibunt contra ordines nostros, et quod facient venire contraliteras a rectoribus locorum, ubi detulerint dictum salem, sub pena librarum XXV. Et si aliquid extractum fuerit de dictis terris, et iverit contra banna nostra, debeant dicti rectores notificare officis nostris de Catavere, intromittendo nichilominus personas et bona tam principalium quam fideiussorum illorum, qui fecerint contrabanna, usque ad integram satisfactionem eius, quod commisserint. Et dicti rectores, inventores et accusatores habeant illam partem, quam in similibus casibus habent rectores et custodes nostri a Grado usque caput aggeris. Et insuper committatur rectoribus Sclavonie predictis, quod faciant et ordinent sub illis penis et modis, qui sibi videbuntur, quod illi, qui levant vel levari faciunt salem in terris et regiminibus suis, teneantur et debeant sibi dare in scriptis totam quantitatem salis levati, et de ipso non vendere sine licentia rectorum nostrorum.

Item observabis formam infrascripti consilii capti in consilio rogatorum et XL millesimo CCCLIV, indictione VII, die primo iulii, que talis est: quod committatur rectoribus nostris infrascriptis terrarum Sclavonie, et communitatibus earum, videlicet comiti et consiliariis Jadre, comiti et ca-

merario Pagi, comiti None, et comitibus Vegle, et comiti Kersi et Auseri, quod debeant tunc et de cetero facere diligenter scribi et notari totam quantitatem salis, qui levabitur in eorum regiminibus, et facere publice omni anno cridari, quod nullus audeat de ipso sale vendere aut mittere extra sine licentia et consensu dictorum sub pena perdendi salem vel valorem. Et quandocumque aliquis voluerit extrahere salem, accipiant sufficientem plezariam, quod de ipso non portabitur ad aliquem locum infra confinia Polmentariarum et Arimini versus Venecias, et quod infra certum terminum faciant venire contralitteras de locis, unde portatum fuerit dictum sal, qualiter illuc portatus fuerit, sub penis predictis, scribendo nomina patronorum et marinariorum navigiorum, cum quibus portabitur, et etiam mercatorum, qui emerint salem, ut sciri possit continue de commitentibus ista contrabanna, et exigant a contrafacientibus penas, habentes quartum earum, et reliquum sit communis, et si accusator fuerit, per quem habeatur veritas, habeat etiam quartum.

Ceterum cum Zaninus Vidal condam ser Clementis sancti Raphaelis enormia delicta commisserit in civitate nostra, captum fuit in nostris consiliis minori et XL 1353 mensis novembris, quod sit banitus de omnibus terris et locis subiectis nostro dominio. Et propterea tibi committimus, quod, si in partibus tui regiminis reperiri contigerit, eum capi facias, et ad nos sub fida custodia in catenis ferreis mittas Venecias, ut de ipso fieri possit iusticia ordinata.

Et non potes sub debito sacramenti per totum tempus tui regiminis et per unum annum post contrahere vel contrahi facere matrimonium nec impetrare seu impetrari facere aliquam prebendam vel beneficium in locis tui regiminis pro te, filiis, aut aliis, nec procurare aut tractare, quod hec fiant pro te vel aliis ullo modo.

Scire etiam debes, quod propter horrendum excessum commissum in personam Hermellini de Musto civis nostri ex tractatu Zanini Superancio campsoris sancti Severi, qui diabolico spiritu instigatus, ipsum assassinari et occidi nequiter fecit per Blasium Marangonum, de quo Blasio iam debita iusticia facta est. Captum est per nos et nostra consilia, minus et XL, quod dictus Zaninus banniatur perpetuo de omnibus terris et locis subiectis nostro dominio, et quod, quicumque ipsum dabit vivum in fortiam dominationis, habeat a nostro communi ducatos quatuor centum auri. Quare committimus tibi, quod dare debeas operam ad ipsum Zaninum capi faciendum in partibus tui regiminis, et ipsum sub bona custodia in catenis ferreis mittas ad nos secundum iusticiam puniendum.

Jurasti proficuum et honorem Venetiarum eundo, stando et redeundo.

Datum sub sigillo mei Francisci Lauredani maioris consiliarii. Millesimo CCCLVI, indictione nona, die quintodecimo augusti.

Marciana. Manoscritti latini, classe XIV. n. 71. Izvornik na pergameni.

CCCCXCVI. God. 1356. 16 kolovoza, u Mletcih.

Nalaže se knezu dubrovačkomu, da njeke zločince uhvati i u Mletke odpravi.

1356. die XVI augusti. Quod scribatur comiti Ragusii de his, que scripsit nobis capitaneus culphi contra Victorem Valentino patronum unius condure et suum nautam, et quod inquirat diligenter de facto predicto quam

caute et secrete poterit, et nobis, quicquid invenerit, rescribat quamcicius esse poterit: et in casu quo inveniat ipsos vel eorum aliquem culpabiles de predictis, debeat, si contingerit eos in reditu vel aliter declinare ad partes sui regiminis, ipsos retinere et nobis mittere sub bona custodia.

Cons. X. Misti IV. 53, u arkivu mletačkom.

CCCCXCVII. God. 1356. 11 rujna, u Mletcih.

Nalog pomorskomu kapetanu glede njeke promjene bojnih brodova u Dubrovniku.

1356. die XI septembris, ind. X, capta: quia alias scriptum fuit capitaneo galearum culphy, quod unam de suis galeis mitteret Ragusium ad cambiendum se cum bucentauro, qui debet ire cum galeis Cipri, et forte posset occurrere, quod deus advertat, quod galea culphy et bucentaurus ibi non essent ad terminum ordinatum: vadit pars, quod committatur capitaneis armatarum nostrarum, quod cum fuerint Ragusii, si bucentaurus et galea fecerint cambium iuxta ordinem datum, in bona gratia prosequantur viam suam. Si vero ibi non forent, et videretur eis, quod usque unum vel duos dies ad longum possent adimplere nostram intencionem, tunc pro adimplendo eam dent omnem operam et studium opportunum, ut nostrum propositum adimpleatur. Elapsis vero uno vel duobus diebus, ut est dictum, debeat prosequi viam suam. Verum capitaneus galearum Cipri eundo Ragusium procurare debeat suo posse, si invenerit bucentaurum, de non dimittendo ipsum retro se, sed procuret, quod vadat secum Raguxium omni causa remota. Et mandetur comiti Ragusii, quod, si galee recesserint, et postea bucentaurus illuc applicuerit non facto cambio, mittere debeat ipsum Venecias, accipiendo nabulum et omnem maiorem utilitatem quam poterit nostri communis.

Misti XXVII. 96, u arkivu mletačkom.

CCCCXCVIII. God. 1356. 12 studenoga, u Mletcih.

Izabran odbor, da razvidi razmiricu, koja je nastala bila medju knezom i obćinom korčulanskom.

1356. die XII novembris, capta: quo eligantur tres sapientes per dominum, consiliarios et capita, qui audiant istos ambaxatores Curzole, qui sunt hic occasione differenciarum existencium inter comitem Curzole et ipsos, et ipsas querellas examinent, et similiter audiant illos, qui coram eis pro dicto comite comparere voluerint, et faciant poni suum consilium in scriptis, cum quo venietur ad istud consilium, et fiet, sicut videbitur; et quilibet eorum possit ponere partem.

Sapientes: ser Johannes Lauredano iuvenis, ser Johannes Morexini sancti Fantini, ser Marinus Bono.

Misti XXVII. 101, u mletačkom arkivu.

CCCCXCIX. God. 1356. 8 prosinca, u Kotoru.

Na tužbe mletačke glede neobdržavanja pogodbe i zlostavljanja mletačkih podanika. Kotorani se izpričavaju, te obećavaju republici, da će na skoro odaslati svoje poslanike u Mletke.

Exemplum litterarum missarum ducali dominio per parte iudicum, consilii et communis Cattari. Excellentissimo et potenti viro domino Joanni Delphino dei gratia Venetiarum, Dalmatie atque Croatie duci, domino quarte partis et dimidie totius imperii Romanie, iudices, consilium et commune civitatis Cattari cum reccomandatione se ipsos et animos ad gratum paratos. Ducalis excellentie litteras reverentia consueta nos noveritis recepisse, inter alia continentes, quod per precessores vestros nobis pluries scriptum fuit super novitatibus et molestiis, quas a nobis asseritis factas, et que fiunt vestris civibus et fidelibus conversantibus in partibus nostris contra formam pactorum, que habuimus vobiscum, efficaciter requirentes, quattenus a molestiis supradictis cessare deberemus et refformare quecumque indebite facta erunt, ac nuntios nostros ad vos mittere informatos intentione nostra, utrum scilicet vollemus eam confirmare; super quibus dicitis nullam responsionem habuisse a nobis: immo ubi putabatis predicta refformata fuisse, sicut per consulem et mercatores vestros istarum partium habuistis, dicitis peiora prioribus successisse, quia vostri quotidie gravamina et iniurias recipiunt, et debentur a nostris concivibus magnam pecunie sumam recipere, consequi non possunt a nobis iustitiam, sed potius petentes suum, offensas in personis notabilibus receperunt. Quare nos vestris litteris duxistis requirendos, quattenus a molestiis et gravaminibus vestrorum abstinentes, quecumque contra eos minus debite facta sunt, curaremus effectualiter et celleriter refformare, et sibi talem et sic expeditam iustitiam facere contra debitores suos, quod suum valeant rehabere, rescribentes vobis, si predicta fecerimus, et si pacta, que olim habuimus vobiscum, intendebamus amplius confirmare vel non, cum non intendebatis tantam iniuriam et damnum vestrorum sub dissimulatione transire, immo absque alia requisitione providebitis contra personas et bona nostra, sicut pro honore vestro et indemnitate vestrorum fidelium cognoveritis expedire. Quarum tenore plenius intellecto, breviter duximus respondendum, quod precessorum vestrorum litteris tunc reverenter ex parte vestra litteratorie datum fuit responsum, sicut iustum putavimus et honestum, quas illi dedimus, qui nobis ipsas litteras presentavit, nec nostra culpa est sed illius, qui eas malitiose taliter occultavit; vestris autem litteris taliter reverentius respondemus, quod vestri Veneti in nostris partibus conversantes nullam novitatem nec molestiam receperunt, immo quamvis nulla fides de pactis factis predictis legitime facta fuisset. Nos vestro volentes dominio complacere, districte mandavimus, pacta predicta de ipsorum tempore contractus efficaciter observare pro ut nobis in una cidula bambucina ostenderunt, ac ipsis fidelibus vestris cellerem et expeditam iustitiam ministrare, ipsosque caritative tractare in omnibus velut fratres et amici carissimi; et teste deo, nullus notabilis nec alter, ut informati estis, recepit offensam, nec de cetero permittemus, quod aliquam iniuriam paterentur, et ad hoc, ut vestra celsitudo nostram innocentiam et informantium vos contra veritatem clara luce cognoscat, occasionibus supradictis et aliis pro ducali

honore et nostro, nostrum ambaxatorem et nuntium nostre intentionis informatum in brevi, auctore deo, intendimus destinare serenitati ducali, devotissime supplicantes, quatenus nullam contra personas nostras vel bona velitis interim facere novitatem, cum nos semper promptos invenietis ad omnia rationabilia et honesta. Nam et hoc omnibus clarum est, quod Venetis semper facta fuit iustitia expedita, et sic de levi pondere ducales scientie se movere non debent, maxime contra nos, qui vellud Veneti reputamur. Facta Cattari die octavo decembris, none indictionis.

Commemorialium V. 83, u mletačkom arkivu.

D. God. 1356. 20 prosinca, u Mletcih.

Naredba, po kojoj bilo je zabranjeno voziti trgovinu iz mletačke u apuljsku državu i obratno.

1356. indictione X, die XX mensis decembris, capta: cum per determinationem huius consilii pridie fuerint revocati consul et mercatores nostri de omnibus partibus regni Apulee, et fuerit prohibitum, quod nullus ex nostris auderet illuc ire, mittere, vel etiam conversari, et ista prohibitio modicum vel parum valeret ad intentionem nostram nisi totaliter stringantur res et mercimonia deinde, ymo esset damnosum nostris et aliis fructuosum: vadit pars, quod ex nunc prohibeatur, quod aliquibus mercimoniis vel rebus cuiuscumque condicionis existant, natis vel laboratis in aliqua parte totius regni Apulee, non possit ullo modo vel ingenio per aliquam personam, civem vel forensem conduci ad civitatem Veneciarum nec ad aliquas partes intra culphum a Duracio citra, et quod nullus Venetus vel fidelis noster possit per se vel alium illuc aliquid mittere vel inde extrahere vel extrahi facere pro conducendo in aliquam partem modo aliquo sive forma; et insuper quod nulla persona ab hoc die in antea audeat vel presumat ingenio aliquo vel colore per se vel alium extrahere vel extrahi facere de Veneciis nec de locis aliquibus subiectis nostro dominio aliqua mercimonia vel res pro conducendo ad partes Apulee supradictas vel ad aliquam earumdem; contrafacientes etc.

Nota, quod dicta pars fuit proclamata, et etiam fuit scriptum rectoribus, videlicet Jadre, Scardone, Sibenici, Tragurii, Spalati, Farre et Ragusii ac capitaneo lignorum Istrie et maris.

Misti XXVII. 103, u arkivu mletačkom.

DI. God. 1356. 23 prosinca, u Mletcih.

Mnienje odbora izabrana u poslu razmirice obstojeće medju knezom i obćinom korčulanskom.

1356. indictione X, die XXIII mensis decembris. Capta in consilio rogatorum. Infrascripte sunt querelle et exposiciones facte per nobilem virum ser Michaletum Georgio, filium nobilis viri domini Johannis Georgio comitis civitatis Curzole ac nomine et vice dicti domini comitis patris sui coram nobilibus et sapientibus viris ser Johanne Lauredano, ser Marino Bono, electis sapientibus a ducali dominio ad audiendum, examinandum et consulendum super exposicionibus et querellis predictis. Quas quidem querellas et exposiciones dictus Michaletus exposuit in presencia Syrachi civis

Cruzole procuratoris et procuratorio nomine infrascriptorum quinque hominum de Cruzola.

Super primo capitulo dictus ser Michaletus nomine dicti domini comitis Cruzole patris sui conqueritur et exponit, quod infrascripti de Cruzola, videlicet Lourinaz Bosinaviz, Pernoe Culissa, Gunoe Pervoslaviz, Syncho et Ivanus fratres indebite et iniuste et contra libertatem et honorem dicti domini comitis et sui comitatus violenter expullerunt et spoliaverunt ipsum dominum comitem ab infrascriptis terris, vineis et possessionibus, ad ipsum et comitatum eius spectantibus iustis titulis et causis, et de quibus erat et fuit antiquitus ipse et sui predecessores in vera et pacifica possessione et tenuta, in eius et suorum predecessorum preiudicium et iacturam.

Super presenti capitulo, audita responsione dicti Syrachi, procuratoris ut supra, et respondentis, quod predicti quinque cives Cruzole tenent et possident dictas terras, possessiones et vineas, et tenuerunt et possiderunt ipsi et eorum progenitores antiquis temporibus iuste, directe et cum plenissimo iure, consulunt concorditer sapientes predicti, quod statuatur per ducale dominium certus terminus ser Michaleto Georgio nomine predicto, infra quem terminum debeat et possit probare, qualiter dictus dominus comes erat et fuit in tenuta et possessione dictarum terrarum, vinearum et possessionum, ut asseritur per eundem Michaletum predicto nomine, et ad faciendum omnes alias probaciones, quas voluerit, super sua intencione predicta. Et predicta occasione mittatur unus sufficiens notarius Cruzolam ad expensas partis perdentis, qui possit ponere penam et penas, et personas ad sacramentum, et examinet et audiat diligenter omnes probaciones et iura, que voluerit hostendere dominus comes predictus. Qui notarius cum hiis, que habuerit super inde, quam cicius comode poterit Venecias revertatur. Et similiter mandetur partibus predictis, ut in reditu dicti notarii compareant legittime coram ducali dominio ad deffendendum iura sua, et audiendum diffinire et terminare questiones et differrencias supradictas. Terre, vinee et possessiones sunt hee, de quibus dictus dominus comes dicit se esse spoliatum. Prima lo teren, che Lovrinaz Bosinoviz che sta occupa, si e per nome Luca, lo qual e in le pertinencie de Blata pizola aprovo la vigna de miser lo conte. Lo terren, che per Pernoie Culissa me sta occupa, a nome Masliniza, aprovo el campo de san Zanne andando a Lombarda. Lo terren, che per Gunoie Pervosclaviz me sta occupa, e per nome Sline in le pertinencie de Blata grande da cavo del isola da ponente. Le vigne, che per Sinco e Pervian Bogoseniz fradelli me sta occupa in le pertinencie de Lombarda, la che vien dito Bus. Lo terren, che per Zorzi Prodaniz dito Menda me sta occupa, e per nome Udoviza luca aprovo la fossa del commun in le pertinencie de Zernoa.

Super secundo capitulo conqueritur et exponit dictus ser Michaletus nomine predicto, quod iudices et illi de consilio Cruzole fecerunt imponi quandam collectam, octo libras grossorum vel circa, in comunitatem dicte terre et utilitatem et favorem dictorum quinque hominum dicte terre et ipso comite non convocato nec requisito, sed contra honorem et libertates ipsius et sui comitatus.

Super presenti capitulo, audita responsione dicti Sirachi procuratorio nomine predicto, qui dicit, quod dicta collecta imposita et exacta fuit cum voluntate hominum dicte terre: consulunt sapientes predicti, quod inqui-

ratur diligenter per dictum notarium iturum illuc, et si per inquisitionem dicti notarii reperietur, aliquam pecuniam esse acceptam vel extortam ab aliquibus hominibus dicte terre contra voluntatem eorum sub nomine et occasione dicte collecte, ex nunc totum id, quod reperiretur esse extortum vel acceptum aliquibus ipsorum, eisdem cum integritate restituatur per illos quinque, qui extorquissent vel accepissent pecuniam antedictam.

Super tercio capitulo conqueritur et exponit Michaletus prefatus nomine predicto, quod secundum antiquas et bonas consuetudines dicte terre nullus potest esse nec fieri de maiori consilio dicte terre nisi habuerit patrem vel avum, qui fuerit de dicto consilio, et quod illi de consilio Cruzole contra bonas et antiquas consuetudines predictas nunc contra voluntatem et libertates dicti comitis elligerunt et elligunt, quos volunt, de eorum maiori consilio, et postea ipsos faciunt in dicto maiori consilio confirmari.

Super presenti capitulo, audita responsione dicti Syrachi ambaxatoris dicentis et alegantis inter alia, quod antiqua consuetudo fuit et est, quod illi de consilio Cruzole elligerunt et potuerunt elligere, quos volunt, de dicto consilio, et postea faciunt ipsos ellectos in dicto consilio confirmari; consulunt sapientes predicti, quod in hoc serventur consuetudines antiquate, de quibus consuetudinibus dicto diligenter inquirat et examinet notarius iturus illuc. Et si consuetudines notario defficere viderentur, quod illi, qui fient de cetero de dicto consilio, fiant solum illi vel de illis, qui habuerunt de dicto consilio patrem vel avum.

Super quarto capitulo exponit et conqueritur Michaletus predictus nomine sepedicto, quod maior pars hominum Cruzole relinquerunt domos et habitaciones eorum, quas habebant in civitate, et iverunt habitatum per insulam et per alias partes territorii Cruzolani sic et in tantum, quod dicta civitas est ultra debitum depopulata gentibus et per consequens posset leviter, quod deus avertat, occurrere periculum et sinistrum propter paucitatem gencium predictarum remanencium in civitate.

Super presenti capitulo consulunt sapientes concorditer, audita responsione ambaxatoris predicti, quod dominus comes prefatus cum tribus iudicibus, quos habet, et cum aliis tribus per suum maius consilium elligendis de melioribus et sufficientioribus provideant et examinent diligenter possibilitates et condiciones hominum et personarum deinde, et faciant penitus cum illa via, modo et cum illis penis, et in illa quantitate, sicut eisdem vel maiori parti ipsorum conveniens videatur, quod persone deinde diffuse per insulam, redeant habitatum ad civitatem, dantes talem ordinem in predictis, quod ipsa civitas taliter depopulata reformetur et augeatur pro securitate, honore et conservacione ipsius, sicut eis vel maiori parti eorum, ut supra, melius et abilius apparebit.

Super quinto capitulo conqueritur et exponit ser Michaletus prefatus nomine predicto in presencia dicti ambaxatoris, quod dum ipse dominus comes pater eius esset cum suis iudicibus in casu racionis reddende, quidam civis Cruzole, qui vocatur Redetico Misitich, cum aliquibus aliis Cruzole supervenerunt cum magnis clamoribus coram dicto comite, occupantes et deviantes ipsum comitem et eius iudices a iudicio incoato per ipsos, propter quod ipse comes mandavit sub certa pena predicto, quod deberet cessare ab huiusmodi novitatibus et clamoribus; qui tanquam inobediens sprevit mandata dicti comitis, nec eidem voluit in aliquo obedire, quod est contra honorem suum et sui regiminis supradicti.

Super presenti capitulo consulunt sapientes, quod per ducale dominium scribantur littere toti communitati Cruzole, agravando se de inhobediencia supradicta, et mandando predictis de Cruzola, quod debeant a talibus novitatibus abstinere, sed cum reverencia debita debeant dictum comitem honorare et eidem obedire, sicut decens et conveniens est, aliter contra inobedientes procederetur a dicto ducali dominio, ut iusticia suaderet.

Misti, XXVII. 104, u arkivu mletačkom.

DII. God. 1313—1356.

Prisega rabskoga kneza u pogledu svoje službe.

Capitulare sive comissio comitis Arbi. Juro ad sacra dei evangelia ego comes Arbensis, quod semper ero fidelis domino meo domino . . . dei gratia glorioso duci Veneciarum, Dalmatie atque Chroacie et quarte partis et dimidie totius imperii Romanie domino et eius successoribus. Et quod bona fide sine fraude regam et tenebo civitatem Arbensem ad honorem domini ducis et communis Veneciarum et salvationem Arbi et ipsius comitatus. Et, dum stetero et ero in regimen dicti comitatus et civitatis, tractabo et operabo in recta fide sine fraude proficuum et honorem Veneciarum; operam dabo sine fraude et faciam, quod commune Veneciarum omnes rationes, quas habet, in toto comitatu Arbensi cum integritate percipiat. Et infra dies XV, ex quo homines Arbi venerint pro me aut miserint, vadam cum illis, nisi remanserit per dominum ducem vel per illam personam, que in loco eius erit, et maiorem partem consilii. Et postquam ibi ero, manebo ibi per octo menses completos, omni anno usque dum ero in regimen civitatis Arbensis et comitatus, nisi remanserit per dominum ducem vel per illam personam, que loco eius erit, et maiorem partem consilii; vel nisi mihi et illis, qui preelecti erunt in dicto regimine civitatis ad consulendum mihi et civitati Arbensi, aliquo ire bonum apparuerit pro utilitate illius comitatus sine detrimento Veneciarum. Juro preterea, quod nunquam fidelitatem feci alicui coronate persone, neque faciam, donec in ipsius regimine civitatis manebo, et quod nullam conventionem feci pro ipso comitatu habendo, nec pretium inde dedi nec dari feci, vel dari promisi. Hec omnia, que superius scripta sunt, secundum ordinem superius comprehensum bona fide sine fraude *(observabo)*. Hec autem, que recipere et habere debet commune Veneciarum, sunt hec: quod recipere et habere debet de comitatu Arbi libras CLXX anno quolibet in festo sancti Georgii, de quibus sunt libre CL pro insula de Colle et Arte et viginti pro regalia. Item non possum nec debeo tractare nec tractari facere per me vel alium aliquo modo vel ingenio de aliqua electione facienda de comite futuro, neque facere fieri ex hoc aliquam obligationem seu promissionem per commune Arbense; et si aliqua promissio seu obligatio aliqua occasione fieret per dictum commune pro aliqua electione fienda de aliquo comite, non teneat nec valeat, sed sit nullius valoris vel momenti. Item non possum emere nec habere ullo modo aliquam possessionem in insula Arbi neque in eius districtu, salvo quod possum, que hodie sunt Venetorum in comitatu et districtu Arbensi, possum emere ab ipsis Venetis. Item non debeo ego nec mea familia se intromittere aliquo modo vel ingenio de aliqua re emenda, que ad incantum vadat. Item non possum facere vel

fieri facere aliquam mercationem per me vel per alium in insula Arbi nec in districtu; et familia mea quantum ad mercationes faciendas modo simili sit astricta.

Marciana. Cod. LXXI, cl. XIV, n. 24.

DIII. God. 1357. 24 siečnja, u Mletcih.

O izboru zadarskoga kneza.

1356. indictione X, die XXIV ianuarii, capta: quod comes et capitaneus Jadre, quantum pro ista vice, fiat per quatuor manus electionum in maiori consilio, approbando electos ad unum ad unum, et qui habuerit plures ballotas, habendo maiorem partem consilii, sit firmus. Et si aliquis non transiret medietatem consilii, illi duo, qui habuerint ballotas plures, vadant unus per medium alterius. Et si consilium etc. Et est capta per V consiliarios, XXV de XL et duas partes maioris consilii.

Maius consilium. Novella 50, u mletačkom arkivu.

DIV. God. 1357. 28 siečnja, u Mletcih.

Odgovor na molbe podnešene od Graciana Gjorgja gospodara sv. Mavre na otoku Delikatos.

1356. die XXVIII ianuarii, indictione X. Sapientes ordinum ser Nicolaus Justiniano, ser Lucas Justo, ser Pantaleo Barbo. Capta: examinata et intellecta peticione ducali dominio porrecta pro parte nobilis viri ser Gratiani Georgio civis nostri, domini castri sancte Maure in insula Delicatos, consulunt sapientes ordinum navigandi:

Et primo super eo, quod continetur in ipsa peticione, videlicet, quod quando capitaneus noster galearum culphy transit per partes illas, ire debeat ad visitandum castrum et insulam suam ad accipiendum refrescamentum et palmizandum, si erit necesse, ac faciendum alia sibi neccessaria etc.

Quod relinquatur in libertate et arbitrio dicti capitanei culphy eundi illuc, si sibi videbitur, non sinistrando viagium suum, et accipiendi illud refrescamentum, quod erit sibi necessarium pro galeis sibi commissis.

Super eo vero, quod continetur in ipsa peticione, videlicet quod dictus ser Gratianus offeri se paratum facere fieri staria mille biscoti et ultra boni et optimi pro pretio, quo habetur in Veneciis, et isto modo commune Veneciarum aleviabitur a nabulo, quod est grossorum III pro stario: consulunt dicti sapientes, quod pro bono nostri communis ordinetur, quod dictus ser Gratianus primo faciat fieri solum staria VI centum boni biscoti pro precio, quo constaret Veneciis, sicut petitur. Et si capitaneo videretur, quod sit bonum, sit in libertate sua accipiendi vel fieri faciendi usque mille staria, computato eo, quod accepisset.

Super eo vero, quod continetur in ipsa peticione, videlicet, quod si pirate ad locum suum venirent, et ipsum ser Gratianum vel sua damnificarent, quantum in hoc tractetur tanquam Venetus, sicut est, videlicet, quod venientibus dictis piratis in fortiam capitanei, faciat de eis, sicut faceret, si alios nostros venetos offendissent. Consulunt, quod sit in libertate dicti capitanei culphi, quando talis casus occurreret, examinandi et inquirendi negocium, et facta bona et diligenti examinatione, habendo respectum

ad condicionem personarum, que fecissent damna, et ad honorem nostrum, procedendi et terminandi, sicut dicto capitaneo videbitur et placebit.

Quod omnia supradicta durent solum, donec presens capitaneus culphy stabit extra; quo veniente et redeunte Venecias, habita ab ipso informatione, qualiter predicta responderint, postea poterit provideri et procedi in predictis pro tempore futuro cum maiori deliberatione et maiori avantagio nostri communis.

Misti XXVII. 109, u mletačkom arkivu.

DV. God. 1357. 2 ožujka, u Mletcih.

Občini creskoj dozvoljeno, da stara njezina galija bude popravljena ili novom izmienjena, i da može iz Mletaka izvesti lesa, koliko joj treba.

1357. indictione X, die II marcii. Consiliarii et capita de XL. Capta: cum ducali dominio porecta fuisset petitio infrascripti tenoris, videlicet: ducali emminentie reverenter exponit Yvanus de Lippa, nuntius et ambaxator comitis et communis Kersii, quatenus cum uno galea alias concessa per nostrum dominium dicto communi Kersi, que fuit armata per ipsum commune contra Jadrenses, et postea tempore guerre, Januensium silicet, fuit armata et missa ad portus Segne pro obviando ipsis Januensibus ne discurrerent inter portus premissos tempore ser Johannis Caravello comitis dicti loci. Et in novitatibus Hungarorum tempore domini Hermolai Coppo fuit missa in Ystriam ad obviandum inimicis, qui per mare illud discurrebant, que galea multa et maxima dampna fecit inimicis antedictis, et nisi esset dicta galea, que continue stat parata, multa illicita comitterrentur in bucca Quarnerii in insula Chersii, ita quod male navigia irent secura, propter quod dici potest, quod est securitas totius illius contrate, et potest dici, quod sit parata continue ad mandatum dominii. Verum cum dicta galea sit multum vetusta propter multa exertitia, que fecit, in tantum quod non est abilis ad ducendum, sicut erat solita, et quantum sit utile et bonum pro nostro dominio et comodo totius illius contrate habere galeam unam bene dextram in dictis partibus, satis comprehendi potest per supradicta, dignetur vestrum dominium ordinare et comittere, quod dicta galea cambietur et renovetur in aliam meliorem, sicut videritis opus, et sicut consuetum est facere fieri in similibus, que galea semper stabit parata ad omne mandatum vestri dominii, sicut stetit temporibus retroactis. Insuper dignetur vestrum dominium pro reparacione palatii dicti loci concedere dicto communi, quod possit extrahere de Veneciis tabulas centum et sexaginta, sicut comes loci predicti vestro dominio per suas litteras denotavit. Item dignetur vestrum dominium dicto Yvano procuratori cuiusdam ecclesie de Kerso pro reparatione ipsius, que vadit in ruinam, concedere de gratia, quod possit extrahere tabulas XL de gratia speciali.

Capta: visis et examinatis hiis, que continentur in petitione predicta, consultum fuit, et sic vadit pars, quod scribatur comiti et communi Kersii, quod illam galeam, quam ibi habent, debeant transmittere Venetias cum omnibus suis coredis, et quod comittatur patronis arsenatus, quod quando erit huc conducta, debeant videre et examinare, si dicta galea videretur eis ita sufficiens, quod possit reaptari, ipsam reaptari faciant, et eam dicto comiti transmittant, sin autem, debeant ipsi communi dare unam aliam

sufficientem galeam illius mensure vel alterius mensure cum omnibus suis coredis loco illius, cum illis modis et condicionibus omnibus, cum quibus data et concessa fuit galea predicta, quam habent in presenti.

Item quod concedatur eis licentia portandi illam quantitatem lignaminum, quam petunt pro reparatione palatii comitis Kersii et ecclesie supradicte. De non 1, non sinceri 1, omnes alii de parte.

Misti XXVII. 112, u arkivu mletačkom.

DVI. God. 1357. 15 ožujka, u Mletcih.

Dozvoljeno fratru Nikoli, da se u Mletke povrati, i da bude na službi poslanika ugarskoga nitranskoga biskupa, kako ovaj želi.

1357. 15 marcii, capta: quod frater Nicolaus ordinis Heremitarum, olim prior sancti Stephani, qui ab aliquo tempore citra fuit extra Venecias propter aliqua commissa per eum, possit cum gratia nostra reverti et stare ad conventum suum, sicut antea poterat, tenendo illum modum, qui videbitur dominio, ut ponatur in magno servicio . . . episcopo Nitriensi ambaxatori regis Hungarie, qui hoc petit. Non 0, non sinceri 2, alii de parte.

Cons. X. Misti IV. 57, u arkivu mletačkom.

DVII. God. 1357. 27 travnja, u Mletcih.

Predlog, da se ograniči moć novoga savieta, koj se izabrati morao u poslu rata obstojavšega s ugarskim kraljem, u koliko se ticalo sklapanja primirja ili mira, bude odbačen.

1357. indictione X, die 27 aprilis. Quia facta, que presentialiter habentur expediri in consilio sapientum, sunt ardua et ponderosa, et requirunt bonam et maturam deliberationem et credenciam; et propterea pro nobis et statu nostro faciat celeriter providere, quia ipsum consilium in proximo complet; vadit pars in christi nomine, ut facta nostra de bono in melius deo auctore prosperentur, quod consilium sapientum confirmetur usque sex menses proxime futuros, elligendo alios quinquaginta sapientes loco eorum hoc modo, videlicet, quod ex nunc elligantur dicti L sapientes per quatuor manus ellectionum in maiori consilio, non accipiendo ultra unum pro offitio, ut offitia non portent deffectum, et duos pro domo, quibus comittatur, quod simul cum domino duce, consiliariis et capitibus de XL provideant in omnibus factis occurrentibus occasione dicte guerre cum illa libertate, auctoritate et conditionibus, quibus est ad presens consilium sapientum, salvo quod in casu pacis vel treugue dictum consilium L sapientum elligendorum nullam habeat libertatem firmandi pacem vel treuguas sine consilio rogatorum, in quo dominus, consiliarii et capita cum dicto consilio sapientum omnino venire teneantur, et tunc quicquid in dicto consilio rogatorum et sapientum insimul congregatorum fuerit terminatum per maiorem partem, sit firmum, et firmitatem obtineat; intelligendo, quod hii, qui sunt ad presens, possint reeligi de ipso consilio cum ordine supradicto. Et quia sapientes predicti non possent omnes elligi usque ad complementum presentis consilii sapientum, quod in proximo expirat, ordinetur ex nunc, quod dictum consilium sapientum, quod est ad presens, durare debeat, donec fuerint ellecte et facte tres partes dictorum quinqua-

ginta sapientum; de quibus ellectis, quando congregabuntur due partes, consilium intelligatur esse ad plenum, cum condicione tamen, quod non possit firmare pacem vel treuguam, nisi per modum predictum. Et si consilium etc. Capta in XL. In maiori consilio de parte 178, de non 273 capta, non sinceri 64.

Dominus et tres consiliarii et duo capita: quod fiat in totum ut supra, sed quod dicti sapientes habeant libertatem in pace et treuguas, sicut habet presens consilium. 67.

Duo consiliarii: quod fiat ut continetur in parte domini, sed non possit esse aliquis in dicto consilio, qui habeat possessionem vel feuda in Paduana, Tervizana vel Cenetensi. 133.

Unum caput XL. Quod fiat in totum secundum partem nunc positam per capita de XL, sed non possit aliquis esse de consilio sapientum, qui habeat possessionem vel pheuda in Paduana, Tervisana vel Cenetensi, et similiter exeant isti de consilio rogatorum, quando tractabitur de pace vel treuguis. 134, 243; capta de non 181, 272, non sinceri 21, 25.

Maius Consilium. Novella 52, u arkivu mletačkom.

DVIII. God. 1357. 29 travnja, u Mletcih.

Dopušća se knezu rabskomu, da radi bolesti dodje u Mletke.

1357. die penultimo aprilis, capta: quod concedatur comiti nostro Arbi, pro deffectu persone sue, quod possit venire Venetias, et stare ad beneplacitum dominationis non obstante sua commissione.

Misti XXVIII. 2, u arkivu mletačkom.

DIX. God. 1357. 11 svibnja, u Mletcih.

Za godinu dana dozvoljeno obćini pažkoj, da može svoju sol spremiti.

1357. indictione X, die XI maii, capta: quod communi et hominibus Pagi fidelibus nostris concedatur, sicut petunt, quod pro sublevatione sue debilis condicionis possint incanipari salem eorum in Pago, videlicet tam ipsi quam emptores ipsius salis, et sicut eis concessum fuit anno elapso; et hoc duret per unum annum. Et si consilium etc.

Misti XXVIII. 2, u arkivu mletačkom.

DX. God. 1357. 14 svibnja, u Olgunju.

Obćina olgunjska piše u poslu nasilja počinjena mletačkomu podaniku, te se očituje, da je spravna slušati zapoviedi republike samo ako nevriede njezinu gospodaricu, srbsku caricu.

Exemplum litterarum iudicum et civium civitatis Dulcegni pro facto ser Pauli Quirino. Egregie domine, recepimus octavo die madii unam litteram a dominatione vestra, in qua continebatur, quod quidam nobilis civis vester dominus Paulus Quirini conquestus est dominationi vestre, qualiter quidam civis noster quondam ser Luce de Chinio derobavit eum, et fecit eum in custodia detineri, et exegit ab eo, si volebat inde liberari, ducatos quattuorcentum, et quod de hiis debemus dominationi vestre respondere. Certe, egregie domine, missis nostris litteris, humiliter inclinavimus, pa-

rati semper non solum in hiis obedire, sed omnibus preceptis et mandatis vestris, et maxime in hiis, que non cederent in detrimentum et damnum *dominationis nostre domine imperatricis Sclavonie.* Congregavimus statim consilium totius nostre civitatis, et diligenti examinatione habita, invenimus, quod prefatus ser Luce in predictis damnis dicti domini Pauli nullam culpam habuit, nec de predictis rebus aliquid habebat facere in doana fluminis Dimi. Et pro certo, domine egregie, si invenissemus vel quandoque inveniremus esse vera, que dictus dominus Paulus dominationi vestre retulit, iustitiam parati essemus facere de heredibus et rebus prefati ser Luce de Chinio et de omnibus aliis, qui aliquid displicentie inferret alicui civi veneto, sicut vestri servitores et fideles. Veruntamen volentes servare statuta nostra, veniat dictus dominus Paulus vel suum legiptimum procuratorem mittat, ut clarius inveniatur veritas, quia bene secundum nostrum posse benigne recepiemus eum; sed etiam quicquid de iure pertinet, faciemus et per conseques contentabimus dominationem vestram. Data Dulcigni die dominico quartodecimo mensis madii.

Commemorialium V. 94, u arkivu mletačkom.

DXI. God. 1357. 21 svibnja, u Mletcih.

U poslu prodaje vina u Zadru potvrdjen njeki Mletčanin u službi, da u javno ime sa gradskimi komornici nadzira.

1357. die XXI maii. Cum Johannes Botarius sancti Moysi, civis et fidelis noster, fuerit per comitem et consiliarios Jadre constitutus extimator vini in Jadra cum salario ducatorum quinquaginta in anno, ut esset cum camerariis nostris Jadre ad ipsum officium exercendum: vadit pars, quod pro meritis fidelitatis sue, de qua multipliciter commendatur, confirmetur ipse Johannes in dicto officio cum salario suprascripto de gratia speciali usque ad beneplacitum nostrum, ita quod quando extimabit unus camerariorum, semper sit secum, et sic scribitur dictis camerariis, quod unus eorum continue intersit, quando dictus Johannes extimabit. +.

Misti XXVIII. 5, u arkivu mletačkom.

DXII. God. 1357. 13 lipnja, u Mletcih.

Uz umolbeno vieće odredjeno, da se imenuje još 50 savjetnika s pravom, da mogu predloge činiti u istom vieću i svoje mnienje izreći u stvarih tičućih se rata s Ugri.

1357. indictione X, die XIII iunii. Dominus, ser Franciscus Lauredano, ser Petrus Caravello, ser Andrea Fusculo, ser Jacobus Bragadeno, consiliarii. Capta: quia ea, que presentialiter pro factis Hungarie tractare habemus, sunt arduissima, et tangunt vehementissime factum nostrum, et super ipsis expediat procedere cum bono et maturo consilio: vadit pars, quod eligentur per scrutinium in consilio rogatorum L de extra consilium rogatorum, possendo accipi tres pro domo et de omni loco et officio, et de iudicatu petitionum et aliis offitiis, que opporteret specificari, non perdendo aliquid, quod haberent; qui debeant esse in dicto consilio rogatorum, quando tractabitur de his, et possint dicere oppiniones et consilia eorum, possendo etiam capere partem. Et sapientes utriusque manus, scilicet Tervisane et

Istrie et Sclavonie, qui sunt X, possint etiam capere partem cum libertate possendi ponere partem, sicut possunt ad presens. Et hec additio duret per octo dies, et tanto plus, donec deliberatum erit de faciendo responsionem ambaxatoribus. Et si consilium etc. 314, de non 57, non sinceri 15.

Maius Consilium. Novella list 56, u mletačkom arkivu.

DXIII. God 1357. 17 lipnja, u Mletcih.

Šalje se poslanik despotu Romanije, da radi na korist Graciana Gjorgja i brata mu, ali bez ikoje odgovornosti od strane republike u toj stvari.

1357. indictione X, die XVII iunii. Dominus, consiliarii et capita, capta: quod ad instantem supplicationem nobis factam pro parte ser Gratiani Georgio et fratris possit mitti unus de notariis curie suis expensis ad dominum despoti Romanie ad procurandum cum eo et aliis, ubi esset expediens, libertatem et reformationem suam cum ea honestate et modestia, que conveniet honori et bono nostro, et cum illa commissione et verbis circa hoc, que dominio convenientia videbuntur; intelligendo semper, quod non possint dici verba nec operari aliquis actus, qui possit inducere nobis scandalum vel sinistrum aut brigam aliquam nobis ista de causa.

Misti XXVIII. 6, u mletačkom arkivu.

DXIV. God. 1357. 18 lipnja, u Mletcih.

Providur u Hrvatskoj Andrija Geno izabran za savjetnika, nepotvrdjen.

1357. indictione X, die XVIII iunii. Si videtur vobis, quod ser Andreas Geno, qui est provisor in partibus Sclavonie, et habet salarium ac transivit confinia, possit aprobari consiliarius Veneciarum.

Dominus et tres consiliarii. Prima, quod possit aprobari. 164; capta, quod non possit probari 288; non sinceri 42.

Maius consilium. Novella 53, u arkivu mletačkom.

DXV. God. 1357. 19 lipnja, u Mletcih.

Potvrdjuje se kazan u novcu, koju je izplatiti morao Leonard Contareno izabran za providura u Hrvatskoj zato, što nije htjeo tu službu primiti.

1357. die XIX iunii. Cum sit quoddam consilium imponens penam ambaxatoribus recusantibus ire ad nostra servicia, et quod non valeat eis excusatio nisi per infirmitatem proprie persone, patris, matris, uxoris aut filii et fratris, et pridie nobilis vir ser Leonardus Contareno, electus provisor ad eundum in Sclavoniam, fuerit coram dominio dicens, quod propter aliqua sua negocia, que habebat facere pro galeis Flandre in proximo tunc ituris nullo modo ire poterat, et etiam quia de novo uxor sua et unus ex filiis infirmati erant, et quod erat paratus solvere penam C ducatorum, que fuerat imposita provisoribus predictis refutantibus; et nunc compareat coram dominio dicens, quod non debet solvere, quia ignorabat dictum consilium, et si ipsum scivisset, allegasset principaliter infirmitatem uxoris et filii, et ipsam iurasset, et cum ea se excusasset: vadit pars, si videtur, quod debeat haberi pro excusato, iurando, quod solummodo pro illa causa infirmitatis uxoris et filii remanserit et non alia, vel non.

Dominus, ser Nicolaus Nani, ser Franciscus Bembo, ser Petrus Erizo, consiliarii. Prima, quod non debeat haberi pro excusato, sed potius debeat solvere dictam penam. 40, 46, 47, 47, 47.

Ser Nicolaus Barbadico, ser Johannes Fuscareno, ser Marcus de Priolis, consiliarii. Secunda, quod debeat haberi pro excusato, iurando ut supra. 30, 26, 25, 25, 25. Non sinceri 24, 22, 22, 22, 22.

Misti XXVIII. 6, u arkivu mletačkom.

DXVI. God. 1357. 15 srpnja, u Mletcih.

Šalje se bilježnik gospodaru padovanskomu s molbom, neka nepravi novosti radi štete učinjene njegovu podaniku, pošto je republika pripravna po pravici o stvari suditi.

1357. die XV iulii, capta: quia occassione novitatis, que videtur fueri per dominum Padue nostratibus et habitatoribus suis pro damno Gutici, mittatur unus de nostris notariis Paduam, qui, recapitulando domino Padue de honestis responsionibus pluries et nunc ultimo factis ei per nos super dicto facto, ostendat, quod miramur de novitate predicta, cum nunquam recusaverimus nec recusare intendamus ius, et similiter credamus, quod ipse non velit nec debeat recusare. Et propterea roget ipsum, quatenus a predicta vel alia novitate inferenda nostris vel suis habitatoribus placeat abstinere et facere abstineri, et si qua facta est, revocari faciat, cum non intendamus sibi deficere in eo, quod ius voluerit, sicut semper obtulimus, Et cum eo, quod habuerit, redeat Venecias. (*In margine*). Vacat, quia alibi scripta est in *libro guerre*. [1]

Misti XXVIII. 8, u mletačkom arkivu.

DXVII. God 1357. 27 srpnja, u Mletcih.

Primljen predlog, da državni odvjetnici povedu iztragu proti knezu hvarskomu radi smaknuća Marka de la Fontana.

1357. indictione X, die 27 iulii, capta: si per ea, que dicta et lecta sunt, videtur vobis, quod copia processus et scripturarum, que sunt apud dominos de nocte super homicidio comisso in personam ser Marci de la Fontana, de quo inculpatur ser Aloysius Michael, detur advocatoribus communis, sicut petunt pro offitio suo, quod intendunt facere contra ser Andream Paradiso olim potestatem Lesne, que copia statim quando advocatores fecerint suum officium, restituatur dominis de nocte. Prima, quod detur, et fuit capta 196; secunda, de non 120; non sinceri 35.

Maius consilium. Novella 53, u mletačkom arkivu

DXVIII. God. 1357. 29 srpnja, u Mletcih.

Upućuje se pomorski kapetan, kako da obrani Hrvatsku i more od neprijatelja.

1357. die 29 iulii. Dominus, consiliarii et capita, capta: quod mandetur capitaneo presenti galearum Romanie, quod si capitaneus culphy nundum applicuisset in Sclavonia, debeat expectare et se nutrire inter aquas Jadre et Sibenici, donec venerit capitaneus antedictus; cui capitaneo scribatur, quod, veniente ipso, det expeditionem ipsis galeis Romanie, dando

[1] Žalibože sva je knjiga propala.

eis bucentaurum et duas galeas, que debent eas sociare. Si vero haberent nova maris talia, per que videretur ei, quod ipse galee irent cum evidenti periculo, vel in Sclavonia esset tam stricta nova de factis nostris, quod de necessitate videretur retinere ipsas galeas aliquibus diebus, hoc remaneat in sua discretione, habita colatione cum provisoribus et capitaneo ipsarum galearum providendi, sicut honori nostro ei videbitur utile, habendo semper respectum ad dandum eis expeditionem, ita quod prossequi possint suum viagium quam cicius cum securitate poterunt, rescribendo nobis nova, que habuerit, et quicquid fecerit.

Misti XXVIII 10, u mletačkom arkivu.

DXIX. God. 1357. 30 srp., u Novom Miestu kod Avinjona.

Uslied tužbe opata manastira sv. Kuzme i Damiana kod Zadra papa Inocent poziva Mletčane, da škode istomu opatu učinjene, nadoknade.

Peticio porrecta per fratrem Gregorium abbatem monasterii sanctorum Cosme et Damiani, Jadrensis diocesis, domino summo pontifici. Significat santitati vestre humilis orator vester frater Gregorius abbas monasterii sanctorum Cosme et Damiani, Jadrensis diocesis, ordinis sancti Benedicti, quod ex quo habuit dictum monasterium, quod habuit a felicis recondationis domino Clemente papa VI predecessore vestro, dominium Venetorum, qui consueverunt illi patrie dominari, ex culpa malorum officialium eiusdem communitatis, nunquam habere potuit dictum monasterium suum in pace, sed etiam bona et iura ad ipsum pestinentia, ymo semper contra omnem iusticiam atque humanitatem fuit ipse abbas ab officialibus de illis partibus dicte communitatis pessime pertractatus; de ipsorum officialium expresso mandato ecclesia dicti monasterii cum omnibus domibus et hedificiis suis funditus subversa fuit et est hodie, iura et privilegia antiqua dicti monasterii offensa, romanam ecclesiam non verentibus, ab aliquibus privilegiis ipsi monasterio indultis per felicis recordationis dominum Clementem III predecessorem vestrum, bulle plumbee fuerunt levate, et in tantum fuit dictus abbas offensus, quod compulsus fuit habere recursum ad pedes sanctitatis vestre, qui de anno proxime preterito accessit ad vestram sanctam sedem, et prefatas huiusmodi iniurias fecit coram dicta sanctitate vestra proponi. Et tunc eadem sanctitas vestra sibi concessit litteras dirigendas in eiusdem abbatis et monasterii favorem domino duci Veneciarum, cum quibus litteris ad eumdem dominum ducem se transtulit, non tamen quod precamina et mandata vestra et dicte senctitatis vestre sibi profuerint, ymo obfuerint, qui statim, quod idem dux vestras litteras super hoc sibi dirrectas recepit, et aliqui sui officiales ipsum abbatem in contemptum dei, sanctitatis vestre et sedis apostolice duris carceribus manciparunt, et aliquandiu detinuerunt mancipatum, ac etiam eo reverso ad partes, officiales prelibati in despectum sanctitatis vestre et sancte sedis apostolice contemptum fecerunt dirrui quasdam domos, quas ipse abbas de novo pro sua et suorum monachorum habitatione fecerat hedificari, ita quod breviter sibi non remansit locus neque habitatio, ubi possit caput reclinare. Quamobrem iterato compulsus est dictus abbas ad pedes sanctitatis vestre habere recursum. Et ideo supplicat humiliter idem sanctitatem vestram, quatenus pio et paterno affectu sibi compaciendo dignemini dare vestris in

mandatis reverendo domino legato vestro in partibus illis, ut de premissis omnibus se informet, et si premissa invenerit vera esse, aut eo pro notorio haberi, et de ipsis esse publice difamationis, communitatem Veneciarum et Venetorum et locorum eisdem subiectorum supponat ecclesiastico interdicto, et singulares personas excomunicet seu denunciet publice excomunicatos et faciat excomunicatos, et dictum interdictum publice nunciari, ac in contradictores et rebelles et dictam comunitatem et dicta loca ac singulares personas eorundem, que in premissis reperti fuerint culpabiles et condigni predictorum, et donec de premissis fuerit plenarie satisfactum. Tamen sanctitati vestre et isti sancte sedi ac dicto abbati et monasterio et suo et omnibus, quorum interest et danna passis ex premissis et occasione premissorum (*hic in margine legitur:* ut reperi, ita scripsi), invocato ad hoc, si expedierit pravitas malefactorum predictorum et eorum contumacia et rebellio, auxilio brachii secularis.

Modificata fuit premissa peticio in subsequenti forma et continentia magistro Napoleone et me Desiderato procurantibus cauto modo.

Innocencius episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Androyno abbati monasterii Cluniacensis, Matisconensis dyocesis, apostolice sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem. Peticio pro parte dilecti filii Gregorii abbatis monasterii sanctorum Cosme et Damiani ordinis sancti Benedicti, Jadrensis dyocesis, nobis exhibita continebat, quod ipse propter culpam nonnullorum malorum officialium dilectorum filiorum communitatis Venecie castellanensis dyocesis, que in partibus illis dominari consueverat, administrationem et regimen dicti monasterii, cui tunc vacanti dudum de persona cuiusdam Gregorii per felicis recordationis Clementem papam VI predecessorem nostrum provisum fuerat, ac bonorum et iurium ipsius monasterii nunquam pacifice habere potuit, quinymo ab ipsis officialibus contra iusticiam omni humanitatis debito relegato pessime tractatus, et de ipsorum expresso mandato ecclesia ipsius monasterii cum omnibus domibus et hedificiis suis funditus subversa, ac eius iura et privilegia sublata a nonnullis officialium predictorum ex eisdem privilegiis bulle apostolice sedis abstracte fuerint, et quod licet nos olim super premissis per nostras litteras duci Veneciarum, qui tunc erat, preces direximus et mandata, tamen nonnulli officiales dicti ducis, presentatis eis per dictum abbatem eisdem litteris, et per eum penitus obauditis, peiora malis addentes, dictum abbatem capere et carceribus mancipare et aliquandiu eisdem carceribus mancipatum detinere, et quasdam domos, quas idem abbas pro sua et monachorum dicti monasterii habitatione rehedificari fecerat, dirrui in divinam offensam et dicte sedis contemptum ausu sacrilego presumpserunt adeo, quod ipsi abbati locus seu habitatio non remansit, ubi capud suum valeat reclinare. Super quibus omnibus idem abbas apostolice sedis remedium humiliter imploravit. Nos itaque eiusdem abbatis in hac pacte supplicationibus inclinati discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus per te vel alium seu alios, vocatis qui fuerint evocandi, et auditis simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicis hincinde propositi, quod canonicum fuerit, appellatione remota, decernas, faciens, quod decreveris, per censuram ecclesiasticam firmiter observari, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam appellatione cessante com-

pellas veritati testimonium perhibere, non obstante si aliquibus comiter vel divisim a dicta sede sit indultum, quod interdici, suspendi vel excomunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum apud Villam novam Avinionensis dyocesis II kallendas augusti, pontificatus nostri anno sexto.

Commemorialium VI. 16, u mletačkom arkivu.

DXX. God. 1357. 6 kolovoza, u Mletcih.

Veliko vieće izabire odbor od 35, i daje mu punomoć u riešavanju državnih poslova tičućih se borbe s ugar. kraljem.

1357. indictione X, die sexto augusti Dominus, consiliarii et capita. Capta: quia super istis negociis, que habemus facere cum domino rege Hungarie, et que sunt ita magna et ardua, sicut plus esse possunt, possent occurere multi tractatus, qui necessario requirent strictissimam credenciam et deliberacionem solempnem: vadit pars, quod sicut in similibus casibus semper tantum est solita facere, in nomine domini nostri Jesu Christi elligantur XXV sapientes, qui sint cum domino, consiliariis et capitibus de XL, ita quod sint in totum XXXV, qui super ipsis et omnibus dependentibus quoquomodo ab eis habeant plenam libertatem providendi, expendendi et faciendi in omnibus et per omnia, sicut haberet istud consilium. Et teneantur venire omni die de mane ad palacium ad locum constitutum ad campanas et horas ordinatas sub pena solidorum XX pro quolibet, exceptis festis solennibus et occasionibus exceptatis, quam exigant advocatores communis habentes partem ut de aliis sui officii. Et possint accipi de omni loco et officio, exceptis pagatoribus et patronis arsenatus, iudicibus de palacio et consulibus, non accipiendo ultra unum pro officio et unum pro domo. Et durent per tres menses, in fine quorum veniatur ad istud consilium, et fiet, sicut videbitur. Et non intelligatur congregatum ipsum consilium nisi due partes fuerint congregate. Nec possint facere aut complere pacem aliquam vel treuguam, nisi due partes eorum, qui fuerint congregati, fuerint concordes. Et teneantur convenire etiam aliis diebus et horis, quando vocabuntur, sub dictis penis; et etiam si expediret stare et non recedere de palacio, sicut inter eos captum et ordinatum foret. Et si starent octo diebus de non veniendo ad consilium, sint extra. Nec exeant de terra absque licencia dominationis. Et si elligerentur ad regimen vel ad aliud, sint extra XV diebus antequam vadant. Et fiant nunc una manus per scrutinium in rogatis et due per ellectionem in maiori consilio. Et illi, qui amodo deffecerint, completo nunc numero, fiant per quatuor manus ellectionum in maiori consilio. Et si consilium etc. 242, non 175, non sinceri 21.

Maius consilium. Novella 54, u mlet. arkivu.

DXXI. God. 1357. 7 kolovoza, u Mletcih.

Veliko vieće pristaje, da senat rieši stvar tičuću se kneza hvarskoga.

1357. die 7 augusti. Cum pro aleviatione istius consilii advocatores communis intendant ducere factum ser Andree Paradiso potestatis Lesine in consilio rogatorum, vadit pars, quod ipsum consilium vocetur, quando-

cunque voluerint pro dictis factis sub pena librarum trium pro quolibet non veniente, quam exigere ipsi advocatores debeant, habentes tertium, tertium scribe et famuli, et aliud tertium sit communis, et non valeat eis excusatio nisi persone et alie cause exceptate.

Maius consilium. Novella 128, u mletačkom arkivu.

DXXII. God. 1357. 14 kolovoza, u Senju.

Nikola knez krčki obvezuje se duždu mletačkomu, da će mu izplatiti sve, što mu u ime danka duguje.

Exemplum literarum comitis Nicolai de Vegla missarum domino duci pro regalia, datarum XIV augusti. Magnifice domine. Intellectis dominationis vestre literis, quas michi hodie XIV augusti vester nuntius presentavit, magnificentie vestre respondeo, quod, quicquid iuridice debeo vobis aut teneor quoquo modo, ex nunc me offerro, qualibet dilatione postposita, soluturum. Sed quia honorem et statum meum amisisse videor, quo mortem potius affectarem, supplico magnitudini vestre, quatenus super me non dignemini processum novitatis extendere, nisi, equitatis examine procedente. Data Segnie die predicto, XI (?) indictionis. Nicolaus comes Vegle.

Commemorialium VI. 8, u mletačkom arkivu.

DXXIII. God. 1357. 17 kolovoza, u Mletcih.

Radi počinjena zločina odredjuje se kazna knezu hvarskomu.

1357. indictione X, die XVII augusti. Advocatores. Capta: si per ea, que dicta et lecta sunt, videtur vobis de procedendo contra nobilem virum ser Andream Paradiso potestatem Fare et Brace, eo quod noluit facere inquisitionem et iustitiam de ser Aloysio Micaele olim potestate Lesne, qui interfecit ser Marcum de la Fontana in Lesna. 73, de non 10, non sinceri 15.

Dominus: quod dictus ser Andreas Paradiso privetur perpetuo regimine Farre et Braze, et quinque annis omnibus regiminibus et capitaneriis communis Veneciarum, et duobus annis omnibus officiis et beneficiis intus et extra, excepto maiori consilio, et solvat libras CC, et non possit revocari sub pena librarum mille pro quolibet ponente vel consentiente partem in contrarium. 19.

Consiliarii: ser Petrus Memo, ser Nicolaus Contareno, ser Franciscus Bembo, ser Jacobus Moro; ser Franciscus Moro caput: quod ipse ser Andreas Paradiso privetur perpetuo regimine Farre et Braze, et quinque annis omnibus regiminibus et capitaneriis communis Veneciarum, et solvat libras ducentas, et de predictis seu predictorum aliquo non possit fieri gratia sub pena librarum mille pro quolibet consiliario, capite, vel alio ponente vel consentiente partem in contrarium. 32, 61.

Ser Franciscus Mauroceno caput XL: quod dictus ser Andreas privetur perpetuo regimine Lesne, et solvat libras trecentum, et non possit revocari ut supra, 32, 32.

Advocatores: quod iste ser Andreas privetur perpetuo omnibus regiminibus communis Veneciarum, et duobus annis omnibus officiis et beneficiis communis Veneciarum intus et extra, exceptis consiliis, et condem-

netur in libris trecentis, et de predictis seu predictorum aliquo non possit fieri gratia, ut supra. 9, non sinceri 4, 4.

Capta: si videtur vobis per ea, que dicta et lecta sunt, quod procedatur contra Dismam Tolisclavi iudicem Lesne occasione predicta 61, non 29, non sinceri 13.

Dominus, consiliarii et capita. Capta: quod dictus Disman nunquam possit esse iudex Lesne.

Advocatores: qurd iste Desma stet Veneciis, donec guerra durabit, et presentet se omni die advocatoribus communis sub pena librarum XXV, et privetur omnibus officiis et beneficiis Lesne. 6, non sinceri 1.

Advocatores. Capta: si videtur vobis per ea, que dicta et lecta sunt, quod procedatur contra Bolce Stanai, iudicem Lesne occasione predicta. Non 5, non sinceri 4.

Dominus, consiliarii et capita. Capta: quod nunquam possit esse iudex Lesne. Omnes.

Advocatores: quod sit ad condicionem contentam in parte posita per eos contra Dismam sotium suum. Non sinceri 0.

Misti XXVIII. 11, u mletačkom arkivu.

DXXIV. God. 1357. 25 kolovoza, u Mletcih.

Nedozvoljeno, da njeki iz Pavie, dvornik ugar. palatina i učetnik njeke urote osnovane proti republici, bude u zatvor bačen.

1357. die XXV augusti. Advocatores communis. Quod iste de Papia, familiaris comitis palatini, qui videtur fuisse conscius huius tractatus facti contra nostrum statum per Marcum Sertorem, retineatur et examinetur per colegium, quod fiat secundum usum, et cum eo quod habebitur, venietur huc et fiet sicut videbitur, et similiter retineatur famulus, qui est cum eo. 5, de non 10, non sinceri 1.

Cons. X. Misti IV. 61, u mletačkom arkivu.

DXXV. God. 1357. 28 kolovoza, u Mletcih.

Obećava se dar njekomu, ako predade glavnoga osnovatelja urote proti državi. Primljeno, da njeki iz Pavie, bude ulovljen.

1357. die XXVIII augusti. Capta: quod ex nunc sit captum, quod si iste Christoforus Cimator fecerit venire Marcum Sertorem Venetias in manus nostras, ita quod per eum veritas facti, quod nobis manifestavit, habeatur, habeat a nostro communi ducatos V centum, et insuper habeat propterea licentiam armorum. Alii de parte, de non 3, non sinceri 1.

Capta: quod si Jacobinus de Papia, inculpatus de isto pacto, inveniatur hic nunc vel alias, retineatur.

Cons. X. Misti IV. 61, u mletačkom arkivu.

DXXVI. God. 1357. 31 kolovoza, u Mletcih

Prima se, da mletački gradjani mogu primiti čast kneza ili druge oblasti u Valoni.

1357. indictione X, die ultimo augusti. Si per ea, que dicta et lecta sunt, videtur vobis, quod locus Avalone et alia loca despotatus subiaceant

parti olim capte in maiori consilio 1356. 27 novembris, per quam prohibetur, quod nostri non possint ire rectores vel capitanei aut officiales in aliqua terra vel loco non subiecto communi Veneciarum sub pena ducatorum II mille, in qua parte continetur, quod dicta strictura non extendat se ad terras vel loca de extra culphum. Vel quod non subiaceant dicte parti et stricture, et per consequens, quod nostri possint ire illuc pro rectoribus et officialibus absque pena.

Capta: quod non subiacent dicte parti et stricture, et per consequens, quod nostri possint illuc ire pro rectoribus sine pena. 206. Quod subiaceant dicte parti et stricture. 48. Non sincerl 23.

Maius consilium. Novella 54, u arkivu mletačkom.

DXXVII. God. 1357. 5 rujna, u Mletcih.

Republika odgovara na molbe po poslanicih podnešene joj od epirskoga despota.

1357. indictione X, die V mensis septembris. Dominns, consiliarii et capita. Capta: quod respondeatur ambaxatori domini despoti, regratiando ei cum verbis decentibus de bona disposicione, quam erga nos habere videtur, et quod ad ea, que ipse requisivit a nobis, providimus et declaravimus cum nostris consiliis ob amorem specialem, quem habemus ad ipsum, quod possit accipere unum ex nobilibus nostris pro rectore locorum suorum, licet hoc sit prohibitum omnibus aliis circavicinis nostris, ita quod super hoc potest disponere et providere, sicut ei videtur, quia ulterius in petione sua non possumus nos intromittere. De facto levandi insignia nostra sancti Marci non oportet, quod sibi concedamus vel prohibeamus, quia est civis noster et est sapiens, et potest in hoc facere, sicut ei videtur. De ligno autem et corredis, que petit a nobis pro sua pecunia, concedatur ei, sicut ipse petit, si erit in arsenatu, res, que faciat pro eo cum condicione, sicut ipse offert, quod quandocumque nos seu capitanei et rectores nostri ipsum lignum requirerent pro nostris serviciis, ipsum mittere et dare debeat secundum requisicionem eorum, solventibus nobis precium ipsius de tempore, quo stetisset ad nostrum servitium.

Misti XXVIII. 13, u mletačkom arkivu.

DXXVIII. God. 1357. 5 rujna, u Mletcih.

Iztraga povedena proti hvarskomu knezu radi ubojstva.

1357. die V septembris. Advocatores. Capta: quod pro habenda veritate inquisitionis et processus facti falso per ser Alvisium Micaelem, olim potestatem Fare et Brace, contra Jacobum Todescum eius famulum super morte Marci de la Fontana, committatur ser Nicolao Cornario, ituro potestati Fare et Braze, quod statim, cum fuerit ad suum regimen, intromittat et capi faciat Vivianum cancellarium Fare, qui inculpatur scienter, pensate ac dolose scripsisse dictum processum, et ipsum mittat Venecias sub bona custodia, quo veniente, examinetur per advocatores, qui cum eo, quod habuerint, veniant ad istud consilium vel ad aliud, quod melius videbitur ipsis advocatoribus, et fiet, sicut videbitur. De non 3, non sinceri 3, alii omnes.

Advocatores. Capta: cum ser Alvisius Micael olim potestas Farre et Brace, ut clare habetur, interfecerit ser Marcum de la Fontana in Lesna,

dum esset ipse ser Aloysius ibi potestas, et post mortem ipsius recesserit de Lesna, extra quam terram stetit per tres dies vel quatuor, post quos redivit Farram faciens et exercens suum regimen in dicta terra, ut faciebat ante mortem ser Marci predicti, et snbduxerit iudices dicte terre Lesne ad faciendum inquistionem falsam una cum ipso ser Aloysio Micaeli, inculpante quemdam Jacobum Todescum famulum ipsius ser Aloysii, quod interfecisset dictum ser Marcum da la Fontana, subduxerit quoque et contaminaverit certos testes falsos, quos ipse ser Aloysius et iudices predicti admiserunt ad probandum in inquisitione predicta, quod ipse Jacobus Todescus interfecerat ser Marcum predictum, prout in dicta inquisitione falso facta in actis curie de ipsius ser Aloysii mandato evidenter apparet, que quidem omnia et singula sunt contra honorem et famam nostri dominii: vadit pars, ut fiat, quod spectat honori nostro et fame, quod committatur auctoritate huius consilii comiti et capitaneo Jadre, quod debeat ipsum Aloysium publice facere clamari, quod debeat comparere coram eo infra unum mensem ad se excusandum de omnibus supradictis, quibus est inculpatus, non intelligendo in hoc culpam homicidii, infra quem, si non comparuerit, scribat dominio de proclamatione predicta et de termino sibi dato, et tunc per advocatores communis venietur huc, et fiet, sicut videbitur. Verum si comparuerit coram ipso potestate, faciat poni ipse potestas in scriptis, quicquid ad sui excusationem dicere voluerit, et similiter probationes, quas voluerit producere super sua excusatione, et dominationi transmittat sub suo sigillo dictam suam excusationem cum eius probationibus, quibus venientibus similiter venietur huc, et fiet contra ipsum, ut videbitur esse iustum. 54, de non 7, non sinceri 2. Processus factus contra eum est in libro 26 de XL ad carta 80.

Misti XXVIII. 13, u arkivu mletačkom.

DXXIX. God. 1357. 7 rujna, u Mletcih.

Riešeno, da se njeki urotnici pohvataju.

1357. die VII septembris, capta: quod ser Nicolaus Aurio vadat Clugiam, et simul cum vicepotestate provideat de faciendo capi Christoforum Cimatorem et socium eius, et dent ordinem eciam de capiendo Jacobum de Papia, si venerit, et conducantur ad nostram presenciam quam cisius esse poterit. Omnes de parte.

Cons. X. Misti IV. 61, u mletačkom arkivu.

DXXX. God. 1357. 15 rujna, u Mletcih.

Odsudjen na smrt njeki Mletčanin, koj se dogovarao s ugarskim palatinom o uništenju mletačke države.

1357. die XV septembris, indictione XI, capta: si videtur vobis per ea, que dicta et lecta sunt, quod procedatur contra Marcum de Donado sertorem olim de contrata sancti Silvestri ca Venerio, qui habuit tractatum cum comite palatino regni Hungarie, et cum Jacopino de Papia, famulo dicti comitis, de subvertendo dominium et statum civitatis Veneciarum. + 12, vel non 0, non sinceri 1.

Dominus; ser Nicolaus Contareno, ser Nicolaus Nanni, consiliarii: quod dictus Marcus hodie post nonam ducatur per canale secundum usum usque ad sanctam Luciam, clamante continue uno precone culpam suam, in hec verba, videlicet: iste est proditor, qui tractaverat cum aliquibus personis extra Venecias de subvertendo dominium et statum Veneciarum, et propterea est dignissimus morte, et postmodum deinde reducatur per canale usque ad sanctum Marcum, clamante iterum dicto precone culpam ipsius per modum predictum, et ibi suspendatur per gulam super furchis inter duas columpnas taliter, quod moriatur, super quibus furchis stare debeat usque ad diem dominicam proxime post terciam campanam.

Ser Franciscus Bembo, ser Jacobus Mauro, consiliarii; capita de X: capta: quod dictus Marcus extrahatur de carceribus et directe ducatur ad duas columpnas sancti Marci, et ibi super furchis ibi fiendis suspendatur per gulam taliter, quod moriatur, clamante uno precone culpam suam ut supra, et stet super ipsis furchis, ut supra dictum est. 7.

Advocatores communis. Volunt partem domini ducis et duorum consiliariorum suprascriptorum per totum, salvo quod volunt, quod dictus Marcus reducatur a sancta Lucia usque ad sanctum Marcum per terram, et postmodum fiat, ut in dicta parte continetur per totum.

Cons. X. Misti IV. 62, u mletačkom arkivu.

DXXXI. God. 1357. 18 rujna, u Mletcih.

Odgovori mlet. vlade na pojedine molbe po poslanicih podnešene od Pažana.

1357. indictione XI, die XVIII octubris in san Luca. Pro factis illorum de Pago. Hec sunt illa gravamina, de quibus conqueruntur Pagenses dominio ducali cum humili reverentia et prompta fidelitate cum provisionibus seu reformationibus factis superinde iuxta consilium provisorum communis, quibus commissa fuit examinatio eorumdem, prout capte sunt in consilio rogatorum et XL.

I. Primo supplicare dominio, quod gratia incanipandi salem in Pago per mercatores libera sit perpetuo vel saltem ad longum tempus.

Capta: super hoc capitulo videretur de concedendo eis illud, quod petunt ad beneplacitum dominii, et hoc in casu, quo dominatio nolit emere salem ipsum, sicut consuevit per tempora retroacta.

II. Item quia continue dant Pagenses ad custodiam None homines LXXV, quod gravamen est insupportabile terre Pagi, velit dominatio ita compartiri et reliquos gravare suos subditos circumstantes, vel providere aliter superinde.

Capta: super isto capitulo videretur, quod illi de Pago dare teneantur in casibus necessariis XXX bonos homines electos, qui placeant comiti None, et nichilominus plures, secundum casus apparentes, prout videbitur comiti Pagi.

III. Item supplicant dominio, quod ordinamenta confirmata per ipsum dominium terre obmitti non debeant nec frangatur, secundum quod in multis factum est per rectores elapsos, et de cetero observentur. Et quia illa, que tangunt in facto comitum Jadratinorum, irrita sint et exclusa de statutis Pagi.

IV. Item cum fuerit consuetudo terre, quod cancellarius communis acciperet unum denarium pro termino venientes, notarii comitum acceperunt aliqui XII denarios, aliqui VIII, quod esse non debet; et fuerit consuetudo, quod cancellarius communis accepirit ad plus grossos II pro carta publica, silicet pro breviario, supervenientes notarii comitum acceperunt aliqui grossos XII, aliqui ducatos II, aliqui ducatos VI, et de aliis scripturis nullam limitationem, sed arbitralem solutionem receperunt et recipiunt, quod ante non fuit.

Capta: super hiis capitulis scribatur comiti Pagi et successoribus suis, quod statuta et ordinamenta illorum de Pago studeant observare effectualiter, sicut continet eorum commissio, nec in eis faciant aliquam novitatem indebitam; et quod permittant cancellarium eorum in civilibus et aliis cartis et instrumentis civilibus eorum officium exercere, sicut continetur in eorum statutis, ita quod notarii comitum non impediant se nisi in criminalibus secundum formam commissionum suarum.

V. Item de castratis, ex quo Pagienses gravantur in dando unum castratum singula die carnium ad IX parvulos libr., et quandoque fuerit presentatus macer castratus, et fuerit proinde homo carceratus per rectores, solveritque pro carcero et pro carnibus unius castrati ad supplementum ab alio solidos II plus, velit dominium, quod, quia hoc est contra ordines et res predictas et usum in gravamentum terre, super hoc providere.

VI. Item de animalibus bovinis, que fiunt ad beccariam, accipiuntur lingue et lumbi per rectores, non solvendo nisi ad parvulos VI pro libra, quod deviavit mercatores carnes mazellantes in macello, et hoc nunquam fuit terre consuetudo.

Capta: super hiis capitulis consulitur, quod in casu tantum, quo non reperiantur carnes sufficientes ad macellum, illi de Pago teneantur dare singulis diebus carnium comiti unum castratum, verum tamen pro precio, quo vendentur carnes huiusmodi comiter ad macellum, detracto nichilominus dacio, si quod propterea solvitur, et sic debeat observari per rectores sub debito sacramenti. Similiter etiam de linguis et lumbis, quos accipiunt rectores ad pondus pro danar. VI libr., declaretur, quod de huiusmodi linguis et lumbis solvatur per rectores ad racionem precii, quo vendentur carnes animalium, quorum fuerint lingue et lumbi predicti per modum dictum superius, dummodo illa accipiantur pro usu suo et familie sue, et non pro aliis ullo modo.

VII. Item cum fuerit aliquis rector, qui penam imposuit alicui, quod castratos X vel circa in die presentaret, et nichil solvendo, quinque plures, quinque pautiores, velit dominatio super hoc gravamen providere.

VIII. Item quia fuit rector, qui singulo sero misit pro lacte ad stanos ...homines de custodia, in toto suo tempore nichil solvendo pro dicto lacte.

IX. Item cum multis vicibus esset casus portare ligna a ripa in comitatum, et capti fuerint homines et spoliati mantellis et capellis, et missi in carcerem, huic dominatio ducalis velit providere.

X. Item semel factum fuit preceptum in beccaria, quod carnes alie non venderentur, donec agni cuiusdam Petri Flabastri ferent venditi et quedam carnes vacine, qui Petrus erat socius milex comitis.

XI. Item fuit unus comes, cui furtive accepta fuit una equa, non possendo sibi solvere contra furem, solutionem proinde de denariis com-

munis accepit et de aliquo frumento communis, vendito etiam lib. XXIV parv. accepit de denariis communis.

Super hiis quinque capitulis scribatur districte comiti Pagi et successoribus suis, quod servant formam commissionum suarum et statutorum deinde, et ab hiis et aliis violenciis et extorsionibus indebitis debeant se penitus abstinere, ita quod de hiis querela ulterius non veniat coram nobis, et non debeant aliquem angariare absque solutione mercedis sub debito iuramenti.

XII. Item cum ordo sit custodio nocturne terre datus sitque dandus per dominum comitem, iudices et consilium, et fuerit rector, qui preceptum fecerit custodibus, quod ire foras de logia non deberent in pena librarum X pro custode, et quod sola familia comitis vadat per terram, faciendo que velit, et forte inhonesta, velit super hoc dominium modum dare.

Super capitulo isto scribatur comiti Pagi presenti et futuris, quod taliter dent ordinem familiis suis, quando vadunt circum per terram ad custodiam, quod nullam gravitatem vel molestiam inferrant contra ius tam custodibus deputatis per terram quam aliis quibuscumque.

XIII. Item cum iudices terre multis vicibus pecierint ambaxatores fieri pro communi ad dominium ducale, et noluerint aliqui rectores, et solo suo velle denegaverint, velit dominium, quod hoc non fiat, et quod continue ambaxata non possit denegari.

XIV. Item fuerunt aliqui rectores, qui in aliquo statuto terre observarunt, et in aliquo non, et quando eis dicebatur, respondebant: ite ad ducale dominium, et nunquam voluerunt ambaxatam concedere.

Super hiis capitulis consulitur, quod mandetur comitibus Pagi presenti et futuris, quod, quociens illi de Pago cum consiliis suis voluerint mittere ambaxatam ad presentiam dominii pro aliquibus agendis, nullo modo impediant ambaxatores predictos, exprimendo tamen comiti causam ambaxate.

XV. Item cum fuerint aliqui rectores, qui fecerunt incidi boschum in insula in loco prohibito causa conservandi animalia pauperum personarum, et choartando homines sibi facere ipsa ligna et portare, quod aggravamentum nunquam fuit ante, velit dominatio providere, cum tempore dominationis Jadre nunquam fuerit factum.

Ad istud capitulum ordinetur, quod rectores teneantur et debeant servare et servari facere, quod ligna non incidantur de dicto nemore contra consuetudines eorum sub penis, que continentur in statutis suis ordinamentis factis super hoc per illos deinde.

XVI. Item fuerunt aliqui rectores, qui accipientes iurisdicionem iusticiariorum terre de mensuris iustandis, eam libertatem et officium in suam familiam converterunt, et ubi solvebatur iusticiariis solid. 1 pro familia, accipiebant grosso II.

XVII. Item fuit bannum, quod nemo terrigena vel forensis auderet vendere vinum ad tabernam, donec familia comitis bullaret vassiellos vini, accipiendo pro vaxello parvulos IV, quod ante nunquam fuit.

XVIII. Item fuit bannum comitis, quod nullum vinum auderet vendi nisi in una taberna, que esse dicebatur comitis; hoc nunquam fuit ante.

Super hiis capitulis mandetur rectoribus, quod permittant iusticiarios seu alios officiales deputatos per terram exercere officium suum libere

iuxta formam ordinamentorum suorum. Verum liceat comitibus deputare socium suum vel alium de familia sua, sicut videbitur sibi, qui semel cum dictis iusticiariis et officialibus aliis debeant officium exercere tam in iustando mersuras, quam in bullando vaxellos vini, qui vendeatur ad spinam, et alia faciendo, que ad dictum officium pertinebunt; non permittendo propterea accipi per familiam suam seu illum, qui deputabitur ad hoc, aliquod ultra id, quod continetur in statutis sive ordinibus eorumdem; remanente tamen arbitrio comitibus de faciendo circari mensuras et pondera, et si fraudes repperiretur, de procedendo in eis, sicut videbitur sibi.

XIX. Item fuit rector, qui bannum fecit, ut piscatores pisces non auderent vendere sine licencia sui socii vel sui seneschalchi, stando usque ad horam tercie quandoque in damnum piscatorum et civium, qui emere expectant. Hoc fit contra consuetudines terre.

Super isto capitulo ordinetur, quod comites nullo modo impediant piscatores vendere pisces suos, sicut in eorum commissione continetur expresse, sed permittant illos vendere pisces suos in locis solitis, sicut volunt, et ad horas debitas absque impedimento quocumque.

XX. Item fit bannum per comites in Pago, quod nullus audeat portare cultellum usque ad certam mensuram, et hoc de nocte, sub pena librarum XXV, et de die librarum V, quod est contra libertatem et consuetudinem nostram, et hoc ideo, ut utilitatem ex hoc consequerentur familie sue.

Ad istud capitulum ordinetur, quod Pagienses possint portare quelibet arma de die usque ad terciam campanam, salvo si propter causam rixe sive aliud periculum terre videretur aliter comiti possit facere, sicut videbitur sibi. Verum sit in arbitrio comitum condemnandi portantes arma de nocte, sicut videbitur ei. 21, de non et sic est captum 21, non sinceri 1.

XXI. Item cum aliquando occurrat casus, quod pro provisione boni status terre sit opportunum fieri consilium, et aliqua ordinari et reformari cum honore dominii, velit dominatio providere, quod ad requisitionem iudicum et bonorum hominum terre consilium omni vice in omni re opportuna possit convocare et providere de remediis opportunis. Et quia nulla provisio possit fieri preter consilium, et quod quelibet peticio audiri possit et debeat in consilio.

Super isto capitulo scribatur comitibus, quod in vocando consilium ad requisitionem iudicum, et audiendo petitiones, et in servando alias consuetudines suas in quantum respiciant honorem nostrum et bonum eorum debeant complacere eisdem, ita quod habeant super hoc materiam et causam contentandi.

XXII. Item quia ad cameram dacii salis sunt multa ordinamenta et confusa, et continue alia superaddantur, et proinde pauperes homines damnum incurrunt et gravamen, nullum peccatum committentes, velit dominatio, quod illa ordinamenta talier ordinentur, quod homines possint pertransire.

XXIII. Item cum sit postarolus ad cathenam pro custodia dacii salis, et faciat novitates et molestias multas omnibus exeuntibus et intrantibus, velit dominatio ordinare, quod nullum super hoc fiat gravamen.

Super hiis capitulis committatur camerariis Pagi, quod non debeant ultra ordines officii sui privare aliquem vel molestare indebite; et quod deputetur ad cathenam persona sufficiens pro iuribus communis, que non

gravet aliquem contra ius, ita quod homines non habeant causam conquerendi.

Misti XXVIII. 19, u mletačkom arkivu.

DXXXII. God 1357. 20 rujna, u Mletcih.

Progonstvom kažnjen još jedan urotnik, a drugi da se na sud pozove.

1357. die 20 mensis septembris, capta: si videtur vobis, quod procedatur contra Petrum, filium olim Marci Sertoris de Donato predicti datum pridie pro obscide per patrem suum predictum in manus comitis palatini hostis nostri, ut idem pater suus melius posset eidem pravum conceptum producere ad effectum. Prima, quod procedatur 9, secunda de non 1, non sinceri 3. *(fuit bannitus in vita sua ex omnibus terris venetis).*

Capta: quod supersedeatur pro modo usque ad XV dies proximos de clamando Jacobinum de Papia inculpatum de aliquibus, que tractabantur contra statum et honorem dominationis, quo termino elapso, venietur huc, et fiet sicut videbitur. — 9.

Cons. X. Misti IV. 63, u arkivu mletačkom.

DXXXIII. God. 1357. 10 listopada, u Mletcih.

Odredjuje se jedan poslanik i creski knez, neka podju u Krk, i povedu iztragu o tužbah od Krčana podnešenih proti svojim knezovom.

1357. indictione XI, die decimo octubris. Dominus, consiliarii et capita. Capta: cum ambaxatores universitatis et hominum Vegle comparnerint noviter coram nobis, deponentes certas querelas contra comites Vegle et filios et familiam suam super nonnullis excessibus, violenciis, molestiis, extorsionibus et aliis damnis, que illata sunt fidelibus nostris deinde, et continue inferruntur per eos indebite et contra formam concessionis dicte insule, sicut in capitulis porrectis per dictos ambaxatores plenius continetur; et pro honore nostro conveniat providere super dictis querelis secundum iusticiam et contentacionem nostrorum fidelium predictorum: vadit pars, secundum consilium provisorum communis, quod mittatur unus nobilis, sicut dominio videbitur, qui simul cum comite nostro Chersi et Abseri, cui superinde scribatur, ire debeat Veglam ad inquirendum et examinandum super dictis excessibus, sicut videbitur ei pro bono negocii, habendo libertatem providendi et reformandi quidquid ipsi ambaxatori videbitur indebite fore factum, et faciendi emendari et restitui omnia damna et violencias et alia, que minus debite illata fuissent, et procurent pacificare et quietare partes invicem, sicut melius poterunt. Si vero aliqua essent, que non viderentur eis reformare posse deinde, tunc recepta informacione super omnibus differenciis, assignare debeant ambabus partibus certum terminum, qui videbitur illis, ut coram nobis debeant comparere per se vel procuratores suos, ut superinde, quod iustum fuerit, facere valeamus.

Et habeat dictus ambaxator pro tota ista via ducatos XX auri, et possit expendere in omnibus expensis ducatum unum in die, et ultra hoc solvatur ei nabulum barcharum per commune.

Electus ambaxator secundum formam dicte partis ser Constantinus Nani, plezius ser Franciscus Diedo.

Misti XXVIII. 17, u mletačkom arkivu.

DXXXIV. God. 1357. 11 listopada, u Mletcih.

Njekomu urotniku ustanovljena doba, do kada se ima sudu prikazati.

1357. die 11 octobris, capta: quod iste Jacobinus de Papia, inculpatus de aliquibus tractatibus factis et habitis contra statum et honorem dominationis, clametur secundum usum, quod usque VIII dies proximos debeat coram dominatione presentialiter comparere ad faciendum suam excusationem de predictis, alioquin elapso dicto termino, procedatur contra eum ipsius abscentia non obstante. + 11, non 2, non sinceri 2.

Cons. X. Mitsi IV. 64, u arkivu mletačkom.

DXXXV. God. 1357. 25 listopada, u Mletcih.

Dozvoljeno dojaviteljem urote, da mogu oružje nositi za svoju obranu.

1357. die 25 octubris. Quod istis duobus, silicet Jacobo Sertori sancti Pauli et Nigro Sertori sancti Apolinaris, civibus nostris, qui fuerunt cum Christoforo Sertore, quando venit ad revelandum tractatum Marci Sertoris, concedatur licencia armorum per istud consilium sine plezaria, sicut concessa fuit illis de consilio. + 4.

Capta: quod concedatur eis, dando plezariam + 12, non 0, non sinceri 0.

Cons. X. Misti IV. 64, u arkivu mletačkom.

DXXXVI. God. 1357. 29 listopada, u Mletcih.

Predlog, da se izabere vieće od pedeset, koj bi sve poslove s ugar.-hrv. kraljem riešavao, odbačen.

1357. indictione undecima, die XXIX octubris. Dominus dux, consiliarii et duo capita de XL, videlicet ser Johanne Polani et ser Petro Mauroceno. Cum negotia, que habemus agere cum domino rege Hungarie, sint maxima et summe tangentia statum nostrum, et propterea sit exquirenda omnis via, ut in ipsis cum bono et solenni consilio procedatur: vadit pars, quod in bona gratia ordinetur, quod sicut numerus consilii sapientum usque nunc fuit de XXV, sic a complemento ipsius consilii in antea sit de XL, qui sint cum domino, consiliariis et capitibus ita, quod sint in totum L, et iste numerus totus eligatur de novo per illos modos et cum illis libertatibus et condicionibus omnibus, quibus electi fuerunt illi de consilio de XXV cum modificationibus et addicionibus infrascriptis, videlicet, quod possint eligi duo pro domo, et unum pro offitio; et illi, qui nunc sunt de consilio de XXV, reeligi possint, nec possint facere aut complere pacem aliquam aut treuguam nisi due partes eorum, qui fuerint congregati, fuerint concordes; et illi sapientes, qui fient de numero XL, si non erunt de isto consilio de XXV, intrent et sint statim de ipso consilio. Et teneantur dicti sapientes convenire et congregari diebus et horis ordinatis, sicut tenentur illi de consilio de XXV, et sub illis penis; et si compleret terminus consilii de XXV antequam facta foret electio omnium L sapientum, possit nichilominus congregari, si reperirent esse facti a duabus partibus supradicti consilii, et tam ante complementum XXV, quam post, non intelligatur consilium congregatum, nisi due partes ad minus eorum, qui electi fuerint, congregati. Et fiant dicti sepientes in tribus vicibus ad

minus. Et si a complemento ultime electionis defficerent ad predictum numerum L quatuor vel inde infra, et similiter, completo numero, aliqui defficerent, fiant per IV manus eleccionum in maiori consilio. Et duret dictum consilium per tres menses, et per XV dies ante complementum dicti consilii veniatur ad istud consilium, et fiet, sicut videbitur. 161; capta de non 279; non sinceri 42.

Maius Consilium. Novella 55, u arkivu mletačkom.

DXXXVII. God. 1357. 16 studenoga, u Mletcih.

Ustanovljeno doba, kada se mora molbeno vieće sakupiti u poslu rata; te riešeno, da se zajam učini za nabavu vojske.

1357. indictione XI, die XVI novembris, capta: quod consilium rogatorum possit vocari diebus lune, mercuri et veneris de mane pro factis huius guerre, quando foret expediens, non obstantibus aliquibus consiliis in contrarium loquentibus.

Capta: quod fiat imprestitum de una pro C de illis tribus pridie consultis, que non possit expendi in alio, quam in soldatis equestibus et pedestribus ordinatis accipi, et qui ordinabuntur tam in Tervisana, quam in Istria et Sclavonia, et pro condictis eorum et executione partis heri capte in consilio rogatorum. Et si de aliis denariis communis expensatis fuissent vel expenderentur in posterum pro executione partis heri capte, restituatur de ista 1 pro C. Capta in XL, et fuerunt non sinceri 0, de non 5, de parte 25.

Maius consilium. Novella 56, u mletačkom arkivu.

DXXXVIII. God. 1357. 20 prosinca, u Mletcih.

Nalaže se poslaniku odpremljenu u Krk, neka se kući vrati.

1357. die XX decembris, capta: cum nobilis vir ser Constantinus Nani, destinatus ambaxiator Veglam, tanto tempore ibi fuerit, quod amodo debuisset finem imposuisse negociis: vadit pars, quod scribatur ei, quod receptis presentibus Venetias redeat cum plena informatione agendorum, pro quibus ivit. Et si forte aliqua expedienda restarent, possit stare per octo dies a receptione presentium.

Misti XXVIII. 23, u arkivu mletačkom.

DXXXIX. God. 1357, u Mletcih.

Mletčani kupe vojsku proti ugarskom kralju i njegovim saveznikom.

Pacta tractata per dominum Raynerium de Musto potestatem Mothone et correcta per dominum Benedictum Aymo et dominum Bertutium Ziuranum capita consilii sapientum, iuxta que assumpti fuerunt ad stipendia et servitia dominationis quidam Collenzius cum postis triginta etc. *In istis pactis legitur*: Antedicte gentes et quilibet gentium huiusmodi teneantur et debeant guerrizare regem Hungarie, committatus Pisini, Patriarchatum Aquilegiensem, Angelum de Stayn, Angelum de Postoine, omnes Carsos ac omnes et singulos sequaces, complices et adherentes regis Hungarie in

Istria, Foroiulio et ubique locorum preciperet eis et alicui predictorum potestas Mothone (*valjda* Montone) vel alius, qui pro dominio esset.

Commemorialium V. 112, u mletačkom arkivu.

DXL. God. 1357. [1]

O dogovorih medju mletačkimi i ugarskimi poslanici o miru.

Ad hec fuit pro parte dominorum Venetorum responsum, quod partes non erant super hoc in iudicio, nec ut iudiciario procedere convenerant, imo ut de discordia, que propter hoc erat orta, amicabiliter convenirent, et ideo iura ostendere necessarium non erat. Post hec ambaxiatores prefati petiverunt dominos Venetos, quatenus considerato, quod modicum ante fuerant in Hungaria ambaxatores eorum pro concordia tractanda pro domino rege, qui supra certis remanserant diferentiis, supra quibus ipsorum dominorum Venetorum ambaxatores dixerunt se nolle neque potestatem habere firmare seu concedere, que per dominum regem in Hungaria petebant, et maxime supra libertate Jadrensium, supra quo dominus rex pacem optans, ne videretur per ipsum remanere, proposuerat Venecias, ubi erat totaliter potestas voluntatis domini ducis, transmittatur, petentes ambaxiatores domini regis supradicti, ut ipsi domini Veneti responderent, postquam de Hungaria veniant ipsorum intentionem ad petita per dominum regem in Hungaria, supra quibus habere potuerant voluntatem domini ducis communis predicti.

Ad hec, prefatis ambaxiatoribus domini regis Hungarie multipliciter instantibus, quatenus supra predictis suam dicerent voluntatem domini Veneti supradicti, nihil habere potuerunt, quia domini Veneti respondebant, quod domini Hungari peterent quidquid vellent, eisdem bene responderetur per eosdem.

Tunc domini Hungari petiverunt modis satis honestis per dominos Venetos domino regi restitui totam Dalmatiam cum omnibus civitatibus et pertinentiis suis, quam dicebant dominos Venetos indebite possidere, et ad dominum regem debite spectare.

Ad hec pro parte dominorum Venetorum fuit responsum, quod petitio ista erat nimis generalis, et postquam fuerat orta questio inter dominum regem et dominos Venetos, sepius fuerat ista petitio facta, que propter ipsius generalitatem nunquam fuerat admissa, et ideo ad specialia et particularia fuerat ipsa petitio reducta, sed dicebant domini Veneti, quod si volebant domini Hungari tractare supra hiis, supra quibus in Hungaria tractaverant, erant parati respondere, et animum domini regis iuxta posse contentare.

---

[1] Ovaj spomenik, koj se u izvorniku čuva u pokrajinskom biljeźničkom arkivu videnskom pod br. 23 poviestničkih listina, na početku je manjkav, te tako mu se pravo nezna godine. Bje pisan svakojako prije god. 1406, u kojoj prestade Kararovo vladanje u Padovi, a bez dvojbe i prije 18 veljače 1358, jer ovoga dana Mletčani ustupiše Ljudevitu I ugar.-hrv. kralju sva svoja prekomorska posjedovanja od Karnera do Drača, niti jih opet dobiše tja do g. 1409. Nego pošto se u ovom spomeniku spominje Skradin kao tada u mletačkoj vlasti, a poznato je iz ovih naših listina, da su oni prvo dobili ovaj grad koncem god. 1355, s toga i iz drugih podataka, koji se u njem prikazuju, može se slobodno zaključiti, da je ovo pismo sastavljeno g. 1356-7.

Ambaxiatores autem domini regis responderunt, quod non erat expediens tractare supra hiis, supra quibus in Hungaria tractaverant, quia si dominus rex fuisset contentus in Hungaria de tractatis et oblatis sibi per dominos Venetos, utique pacem in Hungaria firmasset, sed quia plura volebant a dominis Venetis, quam illa, que fuerant sibi oblata in Hungaria; igitur ambaxiatores suos miserat Venecias, maxime quia dum in quadam petitione tractatus Hungarie nollet dominus rex contentari, ambaxiatores dominorum Venetorum responderunt se supra hoc potestatem non habere.

Super hiis facta inter partes aliquali altercatione, dominis Venetis nollentibus in effectu aliter respondere, ambaxiatores domini regis predictam suam generalem petitionem restrinxerunt ad sex civitates de omnibus civitatibus, castris et insulis Dalmacie, dicentes, quod si predicta domino regi darentur, erat contentus de istis, et perpetuam pacem firmaret cum eisdem, et amicum haberent pro amico et inimicum pro inimico, et obmitetur velle, quidquid fuerat per ambaxiatores dominorum Venetorum in Hungaria oblatum domino regi.

Verum quod in sex civitatibus predictis, que erant: Jadra, Nona, Spaletum, Scardona, Sibenicum et Tragurium, Jadra et Nona civitates predicte libere petebantur pro parte dominorum Venetorum, fuit responsum, quod licet pacem optarent cum domino rege, tamen dominium Jadre et None a se nollebant ullatenus abdicare, sed si de civitatibus predictis contentari vellent ambaxiatores domini regis modo in Hungaria raciocinato, erant parati pacem firmare, sed illas duas civitates domino regi libere dare ullo modo facerent neque possent, quia hoc esset eis intollerabile.

Tunc ambaxiatores domini regis Hungarie multum honeste respondebant, quod si primam petitionem per eos factam non admiserant, videlicet de tota Dalmacia, quia generalem nimis, et secundam de dictis civitatibus non admittebant, quia intollerabilem, petebant ipsos dominos Venetos, quatenus dicerent ipsis, quod domino regi facere vellent.

Pro parte autem dominorum Venetorum respondebatur, quod ubi domini ambaxiatores Hungarie tractare vellent supra articulis, supra quibus in Hungaria tractabant et diferentiis eorumdem, parati erant tractare, et iuxta eorum posse dominum regem supra hiis facere contemptari.

Ad hec ambaxiatores prefati respondebant, quod ullatenus spe vana deciperentur domini Veneti, quia dominus rex plura intendebat habere ab ipsis, quam sibi in Hungaria oblata fuissent, eo quod si ibidem de oblatis contentus fuisset, pacem firmasset, sed quia contentus non fuerat de oblatis, ideo pacem non firmavit.

Et sic supra hiis aliquibus diebus partes steterunt, instantibus dominis ambaxiatoribus prefatis, ut postquam petitiones ipsorum generales et particulares non admittebantur, saltem offerentur per dominos Venetos quicquid placeret. Qui domini Veneti curialibus semper verbis se semper referebant ad predicta.

Tandem ambaxiatores domini regis, ulterius habere non valentes a dominis Venetis, dixerunt ad species descendere velle, et supra VII firmare pacem articulis suprascriptis, videlicet quod petiverunt primo Spalatum seu Traguriensem, Sebenicum, Scardonensem ac Nona civitate de regno Dalmacie, que per dominum ducem detinentur domino regi libere restitui.

Ad quam primam petitionem responsum fuit per dominos Venetos, quod contentabantur, quod Spalatenses, Tragurienses et Scardonenses ac Sibinicenses ad dominium domini regis deveniant modo et forma in Hungaria raciocinatis, sed dominium None omnino intendunt retinere modo declarando in responsione, que sequitur.

Secundo petiverunt domini Hungari, quod pro civitate Jadre ac toto alio regno Dalmacie, quod possidetur per dominos Venetos, recognosceretur possideri per dominum ducem a domino rege, cui in signum recognitionis certum quod daretur singulis annis in certo loco, et quod civitas Jadre cum omnibus insulis et pertinentiis reintegraretur ad statum, in quo erat tempore mote guerre. Et quod castrum edificatum in civitate Jadre destrueretur.

Ad quod fuit responsum, quod pro Nona, Jadra et alia Dalmacia, et pro iuribus, que dominus rex habet in ipsis, si qua habet, quod tamen dominus dux non confitetur, est paratus ipse dominus dux, salvo tamen iure suo ac sine pregiudicio iuris, quod habet in ipsis, singulis annis dare in tali loco et termino domino regi tale quod. Et de istis intelligatur de hiis, que fuerunt in Hungaria declarata. Reintegrationem quoque civitatis Jadrensis cum insulis et pertinentiis aliis, quo ad illam, que destructa sint per guerram, solus deus facere posset. Castrum autem non destrueretur, quia esset pregiudicio civitatis, que de voluntate domini regis et etiam Jadrensium presuponitur debere apud dominum ducem remanere.

Tercio petiverunt Hungari, quod cives Jadrenses adherentes et sequaces domini regis, ad civitatem Jadrensem libere reintroducerentur, remissis iniuriis et bonis eorum restitutis, et que civitas et cives servarentur in libertatibus et pactis factis et initis inter dominos Venetos et Jadrenses tempore bani Mladini.

Ad istam terciam petitionem responsum fuit, quod dominus dux omnes Jadrenses intrare et ibidem habitare in perpetuum, ipsosque recipiet ad gratiam et amorem suum, ac eis restituet bona et possessiones suas, eos tractabit dulciter et benigne sicut facit alios cives suos, iurantibus ipsis fidelitatem domino duci et perseverantibus in fidelitate, et omnes iniurie et offense eis remittentur, et libertates, in quibus declarabit cives prefatos, declarabiliter in alia cedula.

Quarto petiverunt, quod dominus dux suis expensis daret duo corpora galearum domino regi per unum annum in guerra, quam facere intendit dominus rex contra sismaticos Raxie.

Ad istam quartam petitionem responsum fuit, quod si contingat, dominum regem Hungarie ire contra regem Raxie cum cruce, dominus dux sibi dabit corpora galearum cum coredis suis et aliis fulcimentis, et stipendium pro armando ipsas pro sex mensibus.

Quinto petiverunt centum milia florenos pro expensis factis per dominum regem.

Ad istam quintam petitionem fuit responsum, quod domino regi XL milia florenos infra talem terminum faciet dominus dux assignare integraliter et perfecte.

Sexto petiverunt per dominum ducem dari X galleas per unum annum suis expensis domino regi, si eum contingat sepulcrum dominicum manu armata velle visitare.

Ad istam sextam petitionem fuit responsum, quod si fiet passagium generale ex ordinatione domini summi pontificis, dominus dux X galleas mittat ad dictum passagium, si dominus rex illuc personaliter ibit, et dominus papa modum inveniat, quod expensa possit fieri pro galeis et armatura ipsarum.

Septimo potiverunt adherentes et sequaces domini regis in pace includi.

Ad quam septimam petitionem responsum fuit, quod omnes illi, qui fuerunt adherentes domini regis, in pace includentur. Obtulerunt insuper domini ambaxiatores predicti propter predicta restituere velle occupata per dominum regem in comitatu Tarvisino et Cenetense, et velle habere amicum pro amico et inimicum pro inimico, salvo honore domini supremi pontificis et sancte matris ecclesie. Et predictum dixerunt eorum et domini regis Hungarie ambaxiatores ultimam et finalem esse intentionem et etiam domini regis antedicti.

Ad hec pro parte dominuorum Venetorum fuit responsum, quod considerato, quod alias et maxime nunc ultimo in Hungaria fuerant diversi tractatus habiti supra concordia, supra qua devenientium non fuerat ad petitiones ita altas et magnas, credebantur, quod considerata domini regis constantia, petitiones predicte non essent faciende nec poterant ullo modo per ipsos admitti, quia eis intollerabiles erant, unde si supra hiis insistere vellent totaliter, non erat expediens ulterius tractare supra ipsis, quia erat perditio temporis, sed ubi vellent petitiones ipsas reducere domini Hungari ad formam in Hungaria petitam, parati erant domini Veneti respondere, et supra hiis tractatum facere; et domini Hungari respondebant, ut prius, quod pro domino rege plura volebant et maiora quam sibi in Hungaria fuissent oblata, finaliter domini Hungari videbantur contenti:

Quod Spalatenses, Sibinicenses, Scardonenses et Tragurienses civitates domino regi restituerentur, et quod Nona recognoscatur a domino rege pro certo quod annuo, et quod pro Jadra et alia Dalmatia certum quod daretur domino regi certis monetis, et per duas galeas darent domino regi ut supra per unum annum, et centum millia florenos pro expensis, et servicio illarum X galearum, ita quod Jadra et alia Dalmatia remanerent dominis Venetis, dummodo Jadrenses in illis libertatibus tempore bani Maladini concessis contentarentur.

Nobiles autem de Jadra exhibuerunt trascriptum predictarum libertatum. Et quia libertates ipse non placebant dominis Venetis, Jadrenses pacem optantes, libertates ipsas restrinserunt, et maxime quoad electionem comitis et salarium ipsius, de quo etiam domini Veneti non visi contenti, ipsi nobiles etiam restinserunt, de qua restintione domini Veneti et Jadrenses insimul convenerunt, salvis quatuor:

Primum videlicet, quod Jadrensi volebant castrum destrui, et custodiam civitatis apud se habere, et insula Pagi, nec gravari custodia aliquali sicut nec fiebat ante presentem guerram. Et finaliter dicti Jadrensi, dominis Venetis multipliciter instantibus, quod castrum non destrueretur, consenserunt, quod castrum principaliter deberet remanere, ita quod principaliter tres remanserunt diferentie sole, scilicet supra custodia civitatis apud se habere, et insula Pagi, et pro expensis faciendis pro custodia castri non gravari. Supra quibus nullatenus potuerunt concordare, quia omnino do-

mini Veneti volebant habere custodiam civitatis et Jadrensi insulam Pagi, sicut habebant ante motam guerram.

Obtulerunt tamen Jadrensi XV nobiles pro obsidibus in Venetiis moraturos pro securitate eorum, si castrum vellent destruere et custodiam civitatis eis dimittere.

Petentes insuper dicti nobiles Jadrensi, quod si usque ad decem nobiles Jadrenses ex estrinsecis, qui volent intrare sub illis pactis, quod remissis iniuriis uti possint ubilibet in terris dominorum Venetorum, ita tamen quod eis solvatur precium possessionum suarum, sicut valebant tempore mote guerre.

Domini autem ambaxiatores libenter ultimatam responsionem et intentionem dominorum Venetorum supra quibuslibet articulis ex predictis petitis per eosdem libenter habuisse voluissent. Sed hoc dicti Veneti nullatenus facere voluerunt, nisi ut supra fecerant, asserentes quod frustra declararent alias responsiones et aliam ulterius voluntatem eorum, nisi responsionem et intentionem haberent dominorum Hungarorum et Jadrensium supra articulis et differentiis antedictis.

Ambaxiatores autem predicti in Venetiis supra factis Jadrensium concordare non volentes cum domino duce in discussis et in determinatis aliis principalibus articulis pertinentibus ad dominum regem, licentiam recedendi receperunt, qua habita, Paduam venerunt, ubi habebant equos suos, versus Hungariam intendentes prosequi iter suum.

Accedentibus igitur ambaxiatoribus predictis Paduam, reverendus pater dominus Paretensis episcopus etiam Paduam accessit, et dominus civitatis Padue voluit scire causas, propter quas concordia remanserat, ab ambaxiatoribus antedictis. Unde cupiens partes iterato ad concordiam reducere, vicarium suum cum certis aliis militibus de confidencia ambaxiatorum domini regis Venetias destinavit. Et dominus Paretensis episcopus reversus fuit cum eisdem.

Nuncii autem domini civitatis Padue predicti presente domino Paretense episcopo inter cetera domino duci dixerunt ambaxiatoribus domini regis Hungarie, qui in discordia recesserant de Venetiis, Paduam applicuisse ad Hungariam reverti volentes, cum autem ipse ob honorem partium optaret pacem et concordiam, et etiam pro suo comodo, quia vicinus est, ubi dominis Venetis placeret sibi notificare diferentias, in quibus tractatus concordie remanserat cum ambaxiatoribus antedictis, ipse erat paratus laborare cum nunciis apostolicis, ut supra diferentiis ipsis partes concordaret, et propterea ambaxiatores domini regis remanere faceret per aliquos dies.

Domini Veneti, qui videbantur dolere, quod pax facta non fuerat, gratam habuerant ambaxiatam domini civitatis Padue, sed quadam usi cautella nec verbo dicere, nec in scriptis dare voluerunt ambaxiatoribus predictis domini Paduani articulos habitos supra tractatu concordie, nec diferencias easdem, sed responderunt, quod per nuncios suos, quos Paduam destinarent, domino responderent Paduano, et sic ambaxiatores domini Padue de Venetiis Paduam sunt reversi.

Post hec cancellarius dominorum Venetorum Paduam venit cum duobus notariis asserens, quod per dominum ducem fuerat missus ad dominum civitatis Padue causa narandi sibi totum tractatum habitum supra concordia fienda inter dominum regem Hungarie et dominos Venetos, prote-

stans, quod nichil aliud habebat in mandatis causa predicta referendi et audiendi, formandi aliquid de tractatu, conveniendi supra diferentiis aliquibus et concludendi in aliquo potestatem sibi fore, asserens totaliter interdictam; quod dominus Padue ambaxiatoribus domini regis minime notificare curavit, quia ipsi credidissent se delusos. Erant enim ambaxiatores domini regis tunc optime dispositi ad pacem firmandam, quia eos penitebat, quod in Venetiis alium modum non servaverant in eorum tractatu, quia videbatur eis errasse, quod indiscussis totaliter negotiis propter discordiam negotiorum Jadrensium de Venetiis recessissent, et imo dicebant expresse ambaxiatores domini regis, quod ubi concordare possent supra principalibus negotiis tangentibus dominum regem, scilicet supra facto Dalmacie, quam partem videlicet dominus rex deberet habere et que pars remaneret dominis Venetis et sub qua condictione, quia propter hoc principaliter orta est guerra, ambaxiatores domini regis prefati, si super hoc concordare possent, supra aliis accessoriis, si concordiam habere non valerent, erant parati treuguam prorogare per mensem, et unus ex ipsis ambaxiatoribus mittere ad dominum regem alio hic expectante, ut dominus rex eis licentiam daret concordandi supra accessoriis antedictis.

Sed Jadrensi, qui erant in ambaxiata, hic usi fuerunt magna cautella conati omnium fuerunt in Venetiis, obmissis negotiis principalibus tangentibus dominum, negotia ipsos Jadrenses tangentia facere usque ad ultimam limam ruminari. Et in tantum, quod supra factis eorum, ut predictum est, negotiis regiis indiscussis, ambaxiatores de Venetiis recesserant, unde perpendebant hoc ipsos ambaxiatores ferre moleste, et videbant, quod a dominis Venetis habere non poterant ipsi Jadrensi quod optabant, et videbant dominos Hungaros dispositos ad pacem, si concordare possent supra articulis tangentibus dominum regem, et ideo Jadrensi, quia in eorum articulis nullatenus habere poterant quod volebant, pacem nolebant, et dolebant, quod negotium remaneret in tali statu, quod propabile appareret concordiam remansisse propter Jadrensium negotia. Et imo audito cancellarii dominorum Venetorum adventu, cautelloxe subgesserunt, ut articulis ipsorum non firmatis, procederetur ad examinandum articulos tangentes principaliter dominum regem.

Convenientibus autem coram domino civitatis Padue ambaxiatoribus domini regis et cancellario dominorum Venetorum presentibus domino Paretense et Firmano episcopis, volens dominus Padue concordare diferencias antedictas, supra quibus remanserant discordes in Venetiis, partes posuerunt se propter cautellam supradictam ad examinandum primum articulum principale, videlicet de relasatione illarum quatuor civitatum fienda domino regi, et de restitutione illorum castrorum, que detipnentur per dominum regem fienda domino duci, et supra illo articulo concordare non volentes ex causis superius descriptis sepius recesserunt in discordia, unde domini ambaxiatores iverunt versus Hungariam ad castra, que detipnentur per dominum regem in comitatu Tarvisino, et cancellarius dominorum Venetorum ivit Venetias, et reverendus pater dominus Paretensis episcopus Venetias fuit reversus, ubi invenit cocham seu navim, cum qua alias in Constantinopoli voluerat ire, recessisse. Igitur expensis suis apreciavit unum lignum causa eundi in Constantinopolim.

Episcopus autem Firmanus remansit Padue, et associando ambaxiatoribus domini regis, dum de Padua recederent, obtinuit per ipsos in scriptis redigi omnem finalem intentionem ipsorum supra omnibus articulis tractatus et modis tenendis ad executionem ipsorum, quod nunquam domini Hungari nec in Hungaria nec in Venetiis facere voluerant, et ut maior fides illi scripture daretur, unus ex ambaxiatoribus domini regis agendi prepositus, videlicet se subscripsit propria manu, asserentes ipsi ambaxiatores, quod si supra predictis per eos scriptis responderetur totaliter, erant parati pacem firmare; et si supra omnibus non plene responderetur, utpote accessoriis, si supra principalibus tangentibus dominum regem taliter responderetur, quod dominus rex posset numero contentari, unius eorum iret in Hungariam et alter remaneret, et treugua prorogaretur per mensem quousque veniret responsio domini regis, cui intendebant taliter persuadere, quod sperabant pacem totaliter formari.

Cum predicta cedula sic subscripta reversus fuit episcopus Firmanus Paduam, quem post modicam horam dominus Gregorius custos Varadiensis decretorum doctor fuit secutus. Qui quidem custos licet non esset principalis ambaxiator, tamen quia consiliarius domini regis fuerat in istis tractatibus, et dixit dicto episcopo Firmanensi, quod quia ambaxiatores ipsi in campo et in itenere predictam cedulam subscripserant, non potuerant eam ad plenum examinare. Ideo ipsam examinandam, corrigendam et declarandam commiserant sibi domini ambaxiatores predicti; et quod responsionem dominorum Venetorum expectarent ambaxiatores domini regis in castris, que detipnentur per dominum regem per duos dies.

Episcopus Firmanus cum dicta cedula et cum vicario domini civitatis Padue ivit Venetias, ubi erat reverendus pater dominus Paretensis episcopus, et exposito negotio dicte cedule domino episcopo prefacto, ipse dominus episcopus Paretensis, vicarius domini Padue et episcopus Firmanus iverunt ad dominum ducem, quem invenerunt in quodam consilio certorum nobilium forte numero quadraginta deputatorum ad providendum supra guerra. Qui dominus dux voluit, quod illis presentibus exponeretur factum cedule et etiam legeretur, et ideo lecta fuit et etiam exposita, supra quo dominus dux cum nobilibus antedictis aliquali habito consilio, responsionem fecit talem, quod pacem semper optaverunt et optant, et ubi placeret ambaxiatoribus domini regis tractare et procedere supra hiis, que dicta et proposita Venetiis erant, dominus dux cum suo consilio similiter tractare et procedere erat in tractatu paratus, et alia responsio habere non potuit.

Erant enim domini Veneti in magna prepresitate positi, quia finis treuguarum instabat, et pacem non habebant, et inter eos opinio erat divulgata, quod ambaxiatores domini regis non venissent causa firmandi pacem, sed causa investigandi de voluntate ipsorum, et hoc ex quadam presupositione tenebant propter modos servatos semper in isto tractatu ubique per partem dominorum Hungarorum, pluribus enim vicibus convenerant partes ad tractandum, et in principio semper illa per dominos Hungaros petebantur, que sciebant sibi non concedi, et que fuerant semper denegata, et licet in tractatibus ipsis descensum fuerit ad articulos et species, si in uno tractatu propter certas diferencias non conveniebant, et tractatus ipse continuebatur supra diferenciis ipsis, ipsi domini Hungari in principio tractatus non se ponebant ad concordandum differencias, sed petebant a prin-

cipio ac si se nunquam vidissent, et sic domini Veneti talem opinionem habentes crediderunt nunc ultimo in facto istius cedule sicut crediderunt in aliis, dicentes: si respondebimus ad cedulam articulatim nostram intentionem, ipsi pacem non firmabunt, et ideo aliter respondere noluerunt, quam ut supra dictum est, de quo non dubito dolebunt, imo iam dolent, quia si respondissent, saltem supra principalibus, supra quibus est satis modica diferentia, aut ambaxiatores domini regis firmassent pacem aut treuguas prorogassent quousque uterque ipsorum ivisset ad consulendum et subgerendum domino regi de pace.

Dicta responsio facta per dominum ducem ad cedulam suprascriptam fuit missa dictis ambaxiatoribus, qui erant in Corneglano ipsam expectantes, qui per suas litteras responderunt, quod gratias deo refferebant, quod dicta evenisse dignoscebantur sic ipsi cogitaverant, postquam de Venetiis recesserant, quia facta Venetorum non erat nisi seducio temporis et delusio amborum, ideo aliud non respondebant nisi quod cum accelleratione iter areptum peragentes deo dante exitum rei deo . . . . promittentes. Et hec responsio per dictos ambaxiatores data fuit die quinta mensis aprilis in Corneglano, quam recepit episcopus Firmanus die sexta prefati mensis aprilis.

DXLI. God. 1358. 18 veljače, u Zadru.

Pogodba mira medju ugarskim kraljem Ljudevitom I i republikom mletačkom.

Pax cum domino rege Hungarie. Lodovicus dei gratia Hungarie, Dalmacie, Croatie, Rame, Servie, Bulgarie, Comanieque rex, princeps Salermitanus et honoris, montis sancti angeli dominus. Universis christi fidelibus presentes nostras litteras inspecturis salutem in domino sempiternam. Rex pacificus pro redemptione generis humani de suppremis celorum ad yma mundi descendens, et tandem mortem subiens temporalem, dominus noster Jesus Christus post gloriosam resurectionem suam ascensurus ad patrem, pacem, que caritatis est vinculum, in suo natali glorioso celestium agminum multitudine nunciatam suis prebuit fidelibus et reliquit sibi subditos pacis instruens amatores, ut relegato odio fraterne invidie amor regnaret, et quod novercha discordia seiunxisset, mater concordia pacis amica solidaret. Proinde ad universorum noticiam presentium literarum serie volumus pervenire, quod cum inter quosdam predecessores nostros illustres reges Hungarie et nos demum ex una parte, ac inclitos duces et commune Veneciarum ex altera, procurante hoste antiquo humani generis inimico, multe discordie, rixe, contentiones, derrobationes, oppressiones, offensiones, strages et damna orte fuissent temporibus retroactis occasione regni Dalmatie, quam iidem duces et commune ab olim tenuerant et tenebant. Tandem inclitus dominus Johannes Delphyno Veneciarum dux et tota comunitas civitatis antedicte post quamplures ambaxatas factas hinc inde, honorabiles viros Petrum Trivisanum et Johannem Gradonico ac Benintendi ducatus Veneciarum cancellarium, cives civitatis prelibate, ad nos cum pleno et sufficienti mandato, ut apparet ex forma instrumenti manu scripti Raphayni de Carisinis publici auctoritate imperiali notarii et ducatus Veneciarum scribe sub millesimo trecentesimo quinquagesimo septimo die vigesimo octavo mensis novembris, decime indictionis, dum in civitate nostra Jadre fuissemus, transmiserunt, et nos declaratis ipsorum voluntatibus ad per-

petue pacis et concordie vinculum amicabiliter invitarunt per eosdem. Nos igitur, qui cum christianis quibuslibet et potissime cum Venetis antiqua amicitia regno nostro coniunctis, pacem optavimus et optamus, ad infrascriptam pacem et concordiam, deo propicio perpetuo duraturam, devenimus cum eisdem in hunc modum, videlicet, quod idem dux et comunitas Veneciarum, et in eorum personis ac vice et nomine eorundem ambaxatores, nuncii, procuratores et sindyci prelibati, habentes ad infra dicenda plenam et liberam potestatem vigore instrumenti iamdicti, quod penes nos retinuimus ad cautelam, contenti fuerunt renunciare et effectualiter renunciaverunt de facto in manibus nostris, nostro et successorum nostrorum regum nomine, toti Dalmacie a medietate silicet Quarnerii usque ad confines Duracii, omnibus civitatibus, terris, castris, insulis, portubus et iuribus, que habuissent et tenuissent, et habebant et tenebant in eisdem quoquo modo, et specialiter civitatibus None, Jadre, Scardone, Sibenici, Tragurii, Spaleti et Ragusii in terra firma existentibus. Item civitatibus et terris Obseri videlicet et Chersi, Vegle, Arbi, Pagi, Brachiani, Lesne et Corcule cum insulis et omnibus utilitatibus et pertinenciis eorundem ac titulis Dalmatie et Croatie, quibus uti consueverant duces antedicti, et totum ipsorum ius et dominium ac proprietatem, si quos habuissent, in nos et successores nostros sponte, deliberate et animi maturitate transferrentes, renunciantes insuper omni actioni et omni iuri et legis beneficio, quibus ullo unquam tempore possent contra predicta vel predictorum aliquod se iuvare, et promittentes solemniter sub vinculo sacramenti pro se et dictis duce et communi corporaliter prestiti de ipsa Dalmacia, civitatibus, terris, castr s, locis, insulis, iuribus et titulis ac ipsorum dominio seu possesione nullo unquam tempere per se vel per alios se intromittere vel aliquatenus impedire usque confines antedictos. Obligantes se, omnes civitates, terras, castra, loca, portus, insulas atque iura infra dicta confinia existencia, que sunt pro nunc in mera potestate ipsorum, libere, pure et simpliciter nobis vel quem ad hoc deputavimus absque omni dolo sive fraude infra spacium viginti duorum dierum a tempore date litterarum presentium resignare. De terris autem et locis, que in ipsorum potestate non essent, sed regentur per rectores eorundem, revocare et extrahere quoslibet rectores et officiales et gentes quaslibet eorum nomine ibidem residentes, et quod eis in posterum contra nos vel nostros aliquod auxilium vel iuvamen non dabunt; supplicantes ex nunc, quod ipsas civitates, terras, castra et loca, cum ad nostram obedientiam deveniant, dignaremur sub favoribus et graciis nostris recipere, sicut soliti sumus esse aliis gratiosi. Et versa vice nos volentes ipsos ducem et commune habere perpetuo in amicos carissimos, promittimus, quod omnes terras, castra et loca, quas ipsi seu eorum subditi et sequaces tenebant in partibus Trivisane et Cenetensis ac Istrie seu alibi, que ad nostras manus devenissent vel devenirent vel nostrorum et nomine nostro tenerentur aut nostrorum, sibi et dictis suis subditis et quorum erant faciemus tradi, restitui et libere assignari infra terminum vigintiduorum dierum predictorum seu quibus duxerint deputandos. Nec de ipsis locis et terris ullo unquam tempore per nos, successores nostros vel alios nos intromittemus vel impediemus. Renuntiantes ac in eos transferrentes ius, si quod acquisivissemus in eis. Ita tamen quod ipsas terras, castra et loca et subditos earum, nec non omnes amicos, adherentes et sequaces

nostros tam nobiles quam ignobiles tractent dulciter et benigne, remissis omnibus iniuriis et offensis, et sicut faciebant ante novitates presentis guerre, et sicut si nobis nunquam adhesissent. Et e converso nos promittimus facere et servare de omnibus amicis, adherentibus et sequacibus suis tam nobilibus quam ignobilibus. Item quod captivi ex utraque parte libere relaxentur. Item quod ex utraque parte remittantur et ex nunc remisse intelligantur omnes offense, iniurie et damna preterita, non intelligendo debita quibus sibi invicem tenerentur speciales persone, de quibus fiat iusticia hinc inde. Item quod bona fide prohibebimus et ordinabimus cum effectu, quod in aliqua terrarum seu insularum aut locorum, que perventure sunt ad nostrum dominium, et que iam pervenerunt, non armabitur in cursum, neque exercebitur piratica seu damnum aut violentia aliquibus navigantibus, nec receptabuntur in eorum portubus cursarii et malefici, sed pocius turbabuntur et arcebuntur, sicut decet regiam iusticiam et honorem; et e converso in eorum terris et insulis ipsi promiserunt se facturos illud idem. Preterea promittimus verbo nostro regio universos et singulos cives, subditos et fideles ipsius domini ducis et communis Veneciarum venientes ad terras, portus et insulas et loca queque subdita presentialiter et in futurum maiestati nostre, habere et haberi facere salvos et securos cum personis, bonis et navigiis atque rebus eorundem; quod secure et quiete possunt ire, stare et redire ac transire per dictos portus, terras et loca cum navigiis, personis et mercimoniis suis; ymo ipsos tractabimus et tractari volumus dulciter et benigne sub favore et gratia nostra, et e contra idem dominus dux et commune tractabit nostros tali vinculo interiecto in predictis omnibus et singulis. Quod si parcium aliqua huic ordinationi et dispositioni, concordie atque paci, niteretur contraire, et eam infringere vel violare conaretur, aliquas terras, castra, insulas aut portus de hiis, que renunciata sunt, occupando vel aliter paci contrafaciendo, extunc pars altera id sedi apostolice intimare debeat, et dominus papa vigore omologationis et potestatis date per nos et per ipsos tenore presentium litterarum teneatur et velit infra spacium unius mensis simpliciter et de plano absque strepitu et figura iudicii, solum recepta fide et certificatione violationis et infractionis antedicte, in personas vel communitatem contrafacientem sententias videlicet interdicti et excomunicationis proferrendo, a qua nullatenus absolvantur, donec per partem predictam infrangentem vel infrangere procurantem parti alteri observanti satisfiat, prout erit iustum, illum vel illos nichilominus denunciando fidefragos et periuros. Si autem aliqua damna vel iniurie aut offensiones committerentur per subditos utrorumque alterutri, ex tunc per nos vel nostros officiales locorum ipsorum et rectores pertinentibus ad eosdem, et per ipsos vel eorum rectores et officiales, pertinentibus ad nos, infra spacium unius mensis a tempore deposite querele plenaria satisfactio impendatur, nec per hoc ordinatio et dispositio, concordia et pax intelligantur violate, sed in sua firmitate debeant permanere, ad que nos et ipsi spontanea nos obligamus voluntate. Premissa autem omnia et singula cum infrascriptis nostris baronibus et proceribus regni nostri iuravimus ad sacrosanta dei evangelia tactis scripturis per nos et successores nostros et omnes pertinantes ad nos inviolabiliter et integraliter, observare et non contrafacere vel venire per nos vel alios de iure vel de facto, directe vel indirecte, palam vel occulte, quovis

ingenio vel colore, sub indignatione dei omnipotentis et omnium sanctotorum suorum; et similiter dicti ambaxatores et sindici nomine ipsorum ducis et communitatis et successorum eorum et pertinencium ad eos in eorum animas solemniter iuraverunt, presentium sub nostre maiestatis testimonio litterarum. Nomina autem baronum nostrorum, qui nobiscum iuraverunt, sunt hec: dominus Stephanus episcopus Zagabriensis; dominus Petrus episcopus Bosnensis; dominus Ladislaus electus Vesprimiensis; dominus Baudonus Cornuti prior Aurane; dominus Nicolaus iudex curie nostre; dominus Johannes banus Dalmacie et Crohacie; dominus Nicolaus magister tavernicorum reginalium; dominus Stephanus comes de Posaga et de Zala, dominus Leuchus magister dapiferorum et pincernarum nostrorum; dominus Stephanus comes Liptoviensis; dominus Nicolaus comes castellanus de Vilagusforti; dominus Dominicus castellanus de Dragun comes Huntensis; dominus Nicolaus secretarius notarius noster; dominus Gillelmus consiliarius noster; dominus Franciscus de Georgio miles, prelati, barones et consiliarii nostri.

Datum Jadre in monasterio sancti Francisci ordinis fratrum minorum, in sacristia ecclesie sue, presentibus venerabili viro domino Gregorio custode varradiensi decretorum doctore, domino Nicolao filio condam domini Stefani voyvode, domino Bonifacio de Lupis milite parmensi, Chetho de Leon cive paduano, et provido viro ser Bartholomeo Urso notario ducatus Veneciarum, testibus rogatis et aliis. Anno domini MCCCLVIII, indictione XI, die dominico XVIII mensis februarii feliciter amen.

Pactorum V. 159, u mletačkom arkivu.

DXLII. God. 1358. 18 veljače, u Zadru.

Ljudevit I ugarsko-hrvatski kralj proglasuje, da mir s Mletčani utanačen vriedi takodjer i za dotične saveznike u ratu.

Item de pace super facto adherentium et sequatium utriusque partis. Ludovicus dei gratia rex Hungarie etc. Cum in guerra et discordia, quam dudum olim habuimus cum domino duce et communitate Venetiarum, de qua divina disponente clementia ad pacis unitatem et amicitiam perpetuo devenimus cum eisdem*, plures et plures nobis adheserint contra eos et specialiter infrascripti, videlicet: reverendus in christo pater dominus Nicolaus aquilegensis patriarcha, magnifici domini Franciscus de Cararia dominus Padue, Albertus et Maynardus comites Gorricie, venerabilis pater Gaspertus episcopus Cenetensis, et nobiles viri Biachinus de Porciliis, Franciscus de la Parte, nobiles de Vonico, Guezellonus de Camino, et magnifici viri comites de Collalto, item civitates imperiales domino patriarche commisse, videlicet Feltrum et Bellunum cum predictorum omnium et singulorum adherentium et sequatium nostrorum, civitatibus, castris, terris, villis, possessionibus, subditis, servitoribus, subiectis et sequacibus, districtualibus ac omnibus aliis, qui in guerris, quas habuimus cum dicto domino duce et communi nobis quomodolibet adhesissent vel adhesisse declararentur; et versa vice aliqui eis adheserint contra nos, et specialiter infrascripti, videlicet Vlaicus de Bayfimberg et Colentius, et si qui alii adhesissent vel adhesisse declararentur. Idcirco volentes, ut dicta pax et concordia sincere perficiatur et fiat, quodque removeantur de medio cuncta scrupula et errores, qui causa possent quomodolibet perturbare cum predictis domino duce

*

et communitate seu cum honorabilibus viris dominis Petro Trivisano, Johanne Gradonico et Beneintendi ducatus et communis Veneciarum cancellario, ambaxatoris et syndicis suis habentibus ad hoc plenum mandatum sicut constat publico instrumento scripto manu Raphayni de Carisinis publici imperiali auctoritate notarii et ducatus Veneciarum scribe sub MCCCLVII, die XXVIII novembris, decime indictionis, super facto dictorum adherentium, composuimus et convenimus in hunc modum, videlicet, quod predicti omnes et singuli adherentes et sequaces nostri et sui et alii, si qui fuissent, sint et ex nunc esse intelligantur in pace et concordia supradicta et benefico ipsius pacis plenarie gaudeant et fruantur, remissis omnibus iniuriis, damnis et offensionibus hinc et inde, non intelligendo in hac remissione debita specialium personarum, que sibi invicem teneantur, de quibus hinc inde ius et ratio reddi debet, et quod per ipsum dominum ducem et communitatem prefati nostri adherentes et sequaces cum terris, locis et subditis suis et per nos et successores nostros, prefati adherentes et sequaces ipsius domini ducis et communitatis cum terris, locis et subditis suis restituantur in eo statu et sic tractentur dulciter amicabiliter et benigne, et in ea pura ac sincera benivolentia et amore et sub illis favoribus et libertatibus, quibus erant et tractabantur ante adhesiones prefatas, et sicut si nunquam alicui partium adhesissent ipsis versa vice facientibus. Preterea convenimus et concordes fuimus, quod omnes et singuli cives, subditi et fideles dicti domini ducis et communitatis Veneciarum habentes domos, terras aut alias quaslibet possessiones sibi quomodolibet pertinentes in aliquibus civitatibus, terris vel locis presentialiter vel in futurum subditis maiestati nostre seu earum districtibus, ipsis gaudere, uti et frui possint libere pacifice et quiete sine contradictione vel molestia alicuius, et similiter fiat nostris per eos, eo excepto, quod ad tollendum omne scandalum illi Veneti, qui haberent domos vel possessiones intra muros civitatum nostrarum Jadre et None, ipsas dare teneantur et debeant per extimationem iusto et largo modo fiendam per duos viros ydoneos eligendos pro parte nostra et duos eligendos pro parte eorum iuramento astringendos, quam extimationem seu precium extimationis faciemus eis solvi infra duos menses postquam ipsa extimatio facta fuerit cum integritate, que quidem extimationes fieri debeant hinc ad sex menses computandos a die datarum presentium litterarum. Similiter etiam convenimus, quod duobus civibus Jadrensibus, qui modo sunt Veneciis, videlicet Marino de Canaruto et Zove de Pizolo, restituantur integre omnia bona sua, que haberent in Jadra vel alia aliqua parte nostri dominii, et quod ipsis gaudere, uti et frui possint libere pacifice et quiete abque impedimento vel turbatione cuiusquam, dummodo cum personis suis stent et habitent extra civitatem Jadre et eius districtum. Que omnia et singula supradicta per nos et successores nostros et omnes pertinentes ad nos promittimus et iuravimus cum infrascriptis nostris baronibus ad sancta dei evangelia tactis scripturis inviolabiliter et bona fide servare et facere observari et non contravenire per nos vel alios de iure vel de facto dirrecte vel indirrecte sub indignatione omnipotentis dei et omnium sanctorum suorum ac sub penis, solemnitatibus et conditionibus omnibus, que continentur in litteris utriusque partis et instrumentis publicis confectis super pace et concordia principali firmata inter partes easdem. Et similiter dicti ambaxatores et syndici nomine ipsorum

domini ducis et communitatis et successorum suorum et pertinencium ad eos in eorumdem animas solemniter iuraverunt presentium sub secreto nostro sigillo testimonio litterarum, quam dum nobis reportate fuerint sub sigillo nostro dupplici faciemus privilegialiter emanare. Nomina autem baronum nostrorum, qui nobiscum iuraverunt, sunt hec: dominus Stephanus episcopus Zagabriensis, dominus Petrus episcopus Bossinensis, dominus Ladislaus electus Vesprimiensis, dominus Baudonus Cornuti prior Aurane, dominus Nicolaus iudex curie nostre, dominus Johannes bannus Dalmatie et Croacie, dominus Nicolaus magister tavernichorum reginalium, dominus Stephanus comes de Posaga et de Dezala, dominus Leuchus magister dapniferorum et pincernarum nostrorum, dominus Stephanus comes Liptoviensis, dominus Nicolaus comes de Zemlimo et castellanus de villa Gufforte, dominus Dominicus castellanus de Dragul comes Huntensis, dominus Nicolaus secretarius notarius noster, dominus Villialmus consiliarius noster, dominus Franciscus de Georgio miles. Datum Jadre decimooctavo die mensis februarii, anno domini millesimo trecentesimo quinquagesimo octavo.

Pactorum V. 160, u mletačkom arkivu.

DXLIII. God. 1358. 18 veljače, u Zadru.

Ljudevit I ugar.-hrv. kralj s jedne a poslanici mletački s druge strane potvrdjuju mir isti dan medju njimi utanačen, te se isti poslanici obvezuju kralju, da će ga i sam dužd sa svojimi velikaši potvrditi i prisegom učvrstiti.

Contractus pacis predicte inter dominum regem et ambaxatores domini ducis et communis Veneciarum. In Christi nomine amen. Cum super discordia, que vertebatur inter serenissimum dominum dominum Lodovicum dei gratia illustrem regem Hungarie ex una parte et dominum ducem et commune Veneciarum ex altera precedentibus multis tractatibus inter ipsum dominum regem seu barones et consiliarios suos et honorabiles vivos dominos Petrum Trivisanum, Johannem Gradonico et Beneintendi ducatus et communis Veneciarum cancellarium, cives civitatis prelibate, ambaxatores et syndicos dicti domini ducis et communis Veneciarum ad hec specialiter destinatos sicut constat in instrumento publico scripto manu Raphayni de Carisinis publici imperiali auctoritate notarii et ducatus Veneciarum scribe sub MCCCLVII die XXVIII mensis novembris, decime indictionis, volente divina clementia ad pacem et concordiam sit deventum, secundum quod distinctius continetur in quibusdam litteris regiis emanantibus exinde, quarum tenor infra describitur; idcirco dictus dominus rex ex una parte per se et successores suos et omnes pertinentes ad eum et ipsius ambaxatores et sindici nomine dicti domini ducis et communis et pertinentium ad eos ex altera, predictam pacem et concordiam et omnia contenta in ea approbaverunt, ratificaverunt et corporaliter iuraverunt in omnibus et per omnia secundum tenorem dictarum litterarum regiarum, promittentes solemniter, ipsam pacem et concordiam et omnia contenta in ea observare et observari ac adimpleri facere sine deffectu, nec contrafacere vel venire modo aliquo seu forma, et quod dominus dux et suum consilium iurabunt corporaliter tactis scripturis ad sancta dei evangelia dictam pacem in manibus nunciorum vel nuncii dicti domini regis ad hoc deputati, et literas suas patentes sua bulla munitas dabunt in manibus dictorum

nunciorum eiusdem tenoris in omnibus et per omnia mutatis mutandis, cuius erunt littere regie, ipsis nunciis regiis assignantibus eidem domino duci et communi dictas litteras regias. Tenor autem predictarum litterarum regiarum per omnia talis est. Lodovicus dei gratia rex Hungarie etc. Rex pacificus pro redemptione humani generis de suppremis celorum etc. prout superius descriptum etc. Actum Jadre in monasterio sancti Francisci ordinis fratrum minorum in sacristia ecclesie sue, presentibus venerabili viro domino Gregorio custode Varradiensi, domino Nicolao filio voyvode, Stefano condam domino Bonifatio de Luppis milite parmense, Francesco de Leone cive paduano, et provido viro ser Bartholomeo Ursio notario ducatus Veneciarum, testibus vocatis et aliis, anno domini MCCCLVIII, indictione XI, die dominico XVIII mensis februarii, feliciter amen.

Et ego Johannes Caspus Radozlai canonicus ecclesie Zagrabiensis publicus apostolica auctoritate notarius premissis omnibus et singulis dum sic agerentur et fierent una cum prenominatis testibus presens fui, audivi et vidi et rogatus per partes utrasque premissa in hanc publicam formam fideliter et legaliter, nil addens vel minuens, quod substantiam rei immutet, redegi signoque meo consueto signavi in testimonium omnium premissorum; et de predictis omnibus rogatus similiter fuit Paulus de Bernardo condam domini Johannis imperiali auctoritate notarius et ducatus Veneciarum scriba, ut faceret aliud simile instrumentum, et utrique parti unum daret, videlicet presens antedictis dominis ambaxatoribus, et aliud scriptum manu Pauli predicti dicto domino regi. Et ego Paulus de Bernardo condam domini Johannis imperiali auctoritate notarius et ducatus Veneciarum scriba premissis omnibus et singulis presens fui et simile instrumentum de verbo ad verbum confeci, quod remansit apud dominum regem.

Pactorum V. 160, u arkivu mletačkom.

DXLIV. God. 1358. 18 veljače, u Zadru.

Ljudevit I ugar.-hrv. kralj i mletački poslanici potvrdjuju medju sobom isti dan sklopljenu pogodbu za svoje dotične saveznike u ratu.

Contractus super facto adherentium et sequacium utriusque partis inter dominum regem ex una parte et dominos ambaxatores Venetiarum ex altera. In Christi nomine amen. Cum super discordia, que vertebatur inter serenissimum dominum dominum Ludovicum dei gratia illustrem regem Hungarie ex una parte et dominum ducem et commune Veneciarum ex altera, precedentibus multis tractatibus inter ipsum dominum regem seu barones et consiliarios suos et honorabiles viros dominos Petrum Trivisano, Johannem Gradonico et Beneintendi cancellarium ducatus et communis Veneciarum, cives ipsius civitatis, ambaxatores et syndicos dicti domini ducis et communis Veneciarum ad hoc specialiter destinatos, sicut constat publico instrumento scripto manu Raphayni de Caresinis imperiali auctoritate notarii et ducatus Veneciarum scribe sub MCCCLVII die XXVIII mensis novembris, decima indictione, volente divina clementia ad pacem et concordiam sit deductum, et inter alia super facto amicorum adherentium et sequatium utriusque partis sit provisum secundum quod distintius continetur in quibusdam litteris regiis emanantibus exinde, quarum tenor inferius describetur. Id circo prefatus dominus rex ex una parte per se et successores suos et omnes pertinentes ad eum, et ipsi ambaxatores et syn-

dici nomine dicti domini ducis et communis Veneciarum et pertinentium ad eos ex altera predictam conventionem et concordiam et omnia eontenta in ea super facto dictorum amicorum, adherentium et sequatium approbaverunt, ratificaverunt et corporaliter iuraverunt in omnibus et per omnia secundum tenorem dictarum litterarum regiarum, promittentes solemniter ipsam concordiam et omnia contenta in ea observare et observari ac adimpleri fecere sine deffectu, nec contrafacere vel venire modo aliquo seu forma, et quod dominus dux et suum consilium iurabunt corporaliter ad sancta dei evangelia tactis scripturis dictam concordiam in manibus nunciorum vel nuncii dicti domini regis ad hoc deputatorum, et litteras suas patentes sub bulla munitas dabunt in manibus nunciorum predictorum eiusdem tenoris in omnibus et per omnia mutatis mutandis, cuius erunt littere regie, ipsis nunciis regiis assignantibus eidem domino duci et communi Veneciarum dictas litteras regias. Tenor autem predictarum litterarum regiarum per omnia talis est. Lodovicus dei gratia rex Hungarie etc. Cum in guerra et discordia, quam dudum olim habuimus cum domino duce et communitate Veneciarum, de qua divina disponente clementia ad pacis unitatem et amicitiam etc prout superius in littera regia continetur.

Et ego Johannes Crispus Radezlai canonicus ecclesie Zagabriensis publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius predictis omnibus et singulis presens fui et rogatus a dictis partibus una cum Paulo de Bernardo condam domini Johannis imperiali auctoritate notario publico et ducatus Veneciarum scriba, qui similiter debuit conficere et confecit simile instrumentum de premissis dandum domino regi, scripsi et in hanc publicam formam redigi signumque meum apposui consuetum in testimonium omnium premissorum. Et ego Paulus de Bernardo condam domini Johannis imperiali auctoritate notarius et ducatus Veneciarum scriba predictis interfui et simile instrumentum confeci, quod remansit apud dominum regem,

Pactorum V. 161, u mletačkom arkivu.

DXLV. God. 1358. 20 veljače, u Zadru.

Ljudevit I ugarsko-hrvatski kralj odredjuje svoje poslanike s naputkom, da uslied pogodbe mira prime od dužda mletačkoga prisegu na nju, da mu izruče kraljevo pismo, kako je sam kralj istu prisegu položio, i da mu predadu gradove i mjesta, koja se u kraljevoj oblasti nalaze a po istoj pogodbi u mletačku preći imadu.

Procuratorium domini regis Hungarie in personas domini episcopi Zagrabiensis et domini Nicolai iudicis curie regie ad restituendum loca nostra etc. Nos Lodovicus dei gratia rex Hungarie etc. universis et singulis presentes litteras inspecturis fieri volumus manifestum, quod cum inter nos ex una parte et dominum ducem et commune Veneciarum seu ambaxatores et syndicos suos honorabiles viros dominos Petrum Trivisano, Johannem Gradonico et Beneintendi cancellarium ducatus et communis Veneciarum ex altera inita sit pariter et firmata pax, concordia et amicitia deo propicio perpetuo duratura super omnibus et singulis differentiis hinc inde vertentibus, sicut in litteris nostris regiis et instrumentis publicis secutis exinde plenius continetur; idcirco nos volentes adimplere ea, que pro parte nostra sunt circa ipsum concordium adimplenda, fecimus, constituimus et ordinavimus fideles nostros consiliarios, venerabilem in christo

patrem dominum Stephanum Zagrabiensem episcopum et magnificum virum dominum Nicolaum curie nostre iudicem nostros procuratores, actores et nuncios speciales et quemlibet eorum in solidum ad comparendum coram inclito domino duce Veneciarum et suo consilio ad recipiendum ab ipsis approbationes, iuramentum et litteras super concordia antedicta, et ad dandum eis litteras nostras patentes bullatas super ipsa concordia, nec non ad restituendum et libere resignandum dicto domino duci seu deputandis ab eo nec non adherentibus et subditis suis omnia castra, terras et loca promissa per nos restitui, et ad alia omnia et singula facienda circa observationem dicti concordii et contentorum in eo, que fuerint opportuna, et que nos, si personaliter adessemus, facere possemus, cum omnibus promissis, libertatibus, obligationibus et renunciationibus opportunis, dantes eis plenum, liberum et generale mandatum cum plena, libera et generali administratione in predictis et omnibus predictorum independentibus et connexis, promittentes firma et rata habere, quecumque per eos vel eorum aliquem acta fuerint in premissis, et non contrafacere vel venire sub obligatione omnium bonorum nostrorum presentium et futurorum. In cuius rei fidem presentes litteras sigillo nostro secreto fecimus communiri. Datum Jadre XX die mensis februarii, anno domini MCCCLVIII.

Pactorum V. 161, u mletačkom arkivu.

DXLVI. God. 1358. 25 veljače, u Mletcih.

Duždo mletački potvrdjuje mir od mletačkih poslanika 18 veljače u Zadru s ugarsko-hrvatskim kraljem utanačen, i uz prisutnost kraljevih poslanika kune se, da će ga sveto izvršiti i uzdržati.

Forma litterarum domini ducis super pace, traditarum nunciis domini regis Hungarie. Johannes Delphino dei gratia dux Veneciarum etc. Rex pacificus pro redemptione generis humani de suppremis celorum ad yma mundi descendens, et tandem mortem subiens temporalem dominus noster iesus christus post gloriosam resurectionem suam ascensurus ad patrem pacem, que caritatis est vinculum, in suo natali glorioso celestium agminum multitudine nunciatam suis prebuit fidelibus et reliquit sibi subditos pacis instruens amatores, ut relegato odio fraterne invidie, amor regnaret, et quod noverca discordia sevinxisset, mater concordia pacis amica solidaret. Proinde ad universorum noticiam presentium literarum serie volumus pervenire, quod cum inter quosdam predecessores regios et demum excelsum dominum Ludovicum dei gratia Hungarie regem ex una parte et inclitos predecessores nostros duces Veneciarum etc. et nos ac commune Veneciarum ex altera procurante hoste antiquo humani generis inimico multe discordie, rixe, contentiones, derrobationes, oppressiones, offensiones, strages et damna orte fuissent temporibus retroactis occasione regni Dalmatie, quam predeccessores nostri duces et nos ac commune Venetiarum ab olim tenuimus et tenebamus, tandem nos et tota communitas Veneciarum postquam plures ambaxatas factas hinc et inde, honorabiles viros dominos Petrum Trivisanum, Johannem Gradonico et Beneintendi ducatus et communis Veneciarum cancellarium cives nostros ad prefatum illustrem dominum Lodovicum Hungarie regem cum pleno et sufficienti mandato, ut apparet ex forma instrumenti scripti manu Raphayni de Caresinis publici

publici imperiali auctoritate notarii et ducatus nostri scribe sub MCCCLVII die XXVIII mensis novembris X indictionis, dum prelibatus dominus rex in civitate Jadre fuisset, transmisimus, et ipsum, declaratis nostris voluntatibus, ad perpetue pacis et concordie vinculum amicabiliter invitavimus per eosdem. Nos igitur, qui cum christianis quibuslibet et potissime cum regno Hungarie, antiqua amicitia ducatui nostro coniuncto, pacem optavimus et optamus ad infrascriptam pacem et concordiam deo propicio perpetuo duraturam cum prefato domino rege devenimus in hunc modum, videlicet: quod nos et communitas Veneciarum et in nostris personis ac vice et nomine nostro ambaxatores, nuncii et syndici prelibati habentes ad infradicenda plenam et liberam potestatem vigore instrumenti iamdicti contenti fuimus renunciare et effectualiter renunciavimus de facto in manibus suprascripti domini regis suo et successorum suorum regum nomine toti Dalmatie a medietate silicet Quarnarii usque ad confines Duracii omnibus civitatibus, terris, castris, insulis, portibus et iuribus, que habuissemus et tenuissemus et habebamus ac tenebamus in eisdem quoquomodo, et specialiter civitatibus None, Jadre, Scardone, Sibenici, Tragurii, Spaleti et Ragusii in terra firma existentibus; item civitatibus et terris Absero videlicet et Cherso, Vegle, Arbo, Pago, Brachie, Lesne et Curzole cum insulis earumdem, cum omnibus pertinenciis et utilitatibus earumdem, ac titulis Dalmatie et Croatie, quibus uti consueveramus, et totum ipsorum ius et dominium ac proprietatem, si quos habuissemus, in ipsum dominum regem et successores suos sponte, deliberate et cum maturitate transferrentes; renunciantes insuper omni actioni et omni legis et iuris beneficio, quibus ullo unquam tempore possemus contra predicta vel predictorum aliquod nos iuvare, et promittentes solemniter sub vinculo sacramenti pro nobis et communi Veneciarum corporaliter prestiti de ipsa Dalmacia, civitatibus, terris, castris, locis, inribus et titulis ac ipsorum possessione seu dominio nullo unquam tempore per nos vel alios nos intromittere vel aliqualiter impedire usque ad confines antedictos; obligantes nos omnes civitates, terras, castra, loca, portus, iusulas atque iura infra dicta confinia existentia, que sunt pro nunc in mera potestate nostra, libere, pure et simpliciter eidem domino regi vel quem ad hoc deputaverit absque omni dolo, sine fraude, infra spacium viginti duorum dierum a tempore dattarum litterarum eiusdem domini regis factarum nobis in eodem forma resignare. De terris autem et locis, que in nostra potestate non essent, sed regerentur per rectores nostros, revocare et retrahere quoslibet rectores et officiales et gentes quaslibet nostro nomine ibidem existentes seu residentes, et quod eis in posterum contra ipsum dominum regem vel suos aliquod auxilium vel iuvamen non dabimus; supplicantes ex nunc, quod ipsas civitates, terras, castra et loca cum ad suam obedientiam devenerint, dignaretur sub favoribus et graciis regiis recipere, sicut ipse dominus rex solitus est esse aliis gratiosus; et versa vice ipse dominus rex, volens nos ducem et commune habere perpetuo in amicos carissimos, promisit, quod omnes terras, castra et loca, quas nos seu subditi nostri et sequaces tenebamus in partibus Tervisanis et Cenetensibus ac Istrie seu alibi, que ad dicti domini regis manus devenissent vel devenirent vel suorum, et suo nomine tenerentur aut suorum, nobis et dictis nostris subditis et quorum erant faciet tradi, restitui et libere assignari in terminum viginti duorum dierum predictorum, seu quibus duxeramus

deputandos, nec de ipsis locis et terris ullo unquam tempore per se successores suos vel alios intromittet vel impediret, renuncians ac in nos transferens omne ius, si quod acquisivisset in eis, ita tamen, quod ipsas terras, castra et loca et subditos earum nec non omnes amicos, adherentes et sequaces ipsius domini regis tam nobiles quam ignobiles tractemus dulciter et benigne, remissis omnibus iniuriis et offensis et sicut faciebamus ante novitates presentis guerre, et sicut si domino regi nunquam adhesissent. Et e converso promisit prefatus dominus rex facere et servare de omnibus amicis, adherentibus et sequacibus nostris tam nobilibus quam ignobilibus. Item quod captivi ex utraque (parte) libere relaxentur. Item quod ex utraque parte remittantur et ex nunc remisse intelligantur omnes offensiones, iniurie et damna preterita, non intelligendo debita, quibus sibi invicem tenerentur speciales persone, de quibus fiet iusticia hinc inde. Item quod dictus dominus rex bona fide prohibebit et ordinabit cum effectu, quod in aliqua terrarum seu insularum aut locorum, que perventure sunt ad dominium dicti domini regis et que iam pervenerunt, non armabitur in cursum nec exercebitur piratica seu damnum aut violentia aliquibus navigantibus, nec receptabuntur in suis portubus cursarii et malefici, sed pocius turbabuntur et corcebuntur sicut decet regiam iusticiam et honorem. Et e converso in nostris terris et insulis promisimus nos facturos illud idem. Preterea promisit dominus rex prefatus verbo suo regio universos et singulos cives, subditos et fideles nostros et communis Veneciarum venientes ad terras, portus, insulas et loca queque subdita presentialiter et in futurum maiestati sue habere et haberi facere salvos et securos cum personis, bonis et navigiis ac rebus eorumdem, et quod secure et quiete possint ire, stare, redire et transire per dictos portus, terras et loca cum navigiis, personis et mercimoniis suis, ymo ipsas tractabit et tractari vult dulciter et benigne sub favoribus et graciis suis. Et e contra nos dux et commune tractabimus subditos et fideles dicti domini regis, tali vinculo interiecto in predictis omnibus et singulis, quod si partium aliqua huic ordinacioni, dispositioni, concordie atque paci niteretur contraire et eam infrangere vel violare conaretur, aliquas terras, castra, insulas aut portus de hiis, que renunciata sunt, occupando vel aliter paci contrafaciendo, ex tunc pars altera id sedi apostolice intimare debeat, et dominus papa vigore emologationis et potestatis date per ipsum dominum regem et nos tenore presentium litterarum teneatur et velit infra spacium unius mensis simpliciter et de plano absque strepitu et figura iudicii, solum recepta fide et certificatione violationis et infrictionis antedicte ad observantiam dicte dispositionis et ordinationis illum aut illos astringere censura ecclesiastica mediante in personas vel communitatem contrafacientem, videlicet sententiam interdicti et in syngulares personas excomunicationis proferrendo, a qua nullatenus absolvatur, donec per partem predictam infrangentem vel infrangere procurantem parti alteri observanti satisfiat, prout erit iustum, illum vel illos nichilominus denunciando fideifragos et periuros. Si autem aliqua damna vel iniurie aut offensiones committerentur per subditos utrorumque alterrutri, ex tunc super illos per ipsum dominum regem vel suos officiales et rectores locorum ipsorum pertinentibus ad nos et per nos vel nostros rectores et officiales, pertinentibus ad ipsum dominum regem infra spatium unius mensis a tempore deposite querele plenaria satisfatio im-

pendatur, nec quo facto ordinatio et dispositio, concordia et pax intelligatur violate, sed in sua firmitate debeant permanere, ad que ipse dominus rex et nos spontanea obligamus voluntate. Premissa autem omnia et singula cum infrascriptis nostris nobilibus iuravimus ad sacrosancta dei evangelia tactis scripturis per nos et succesores nostros et omnes pertinentes ad nos inviolabiliter et integraliter observare et non coutrafacere vel venire per nos vel alios de iure vel de facto, dirrecte vel indirrecte, palam vel occulte, quovis ingenio vel colore sub indignatione dei omnipotentis et omnium sanctorum suorum, quod quidem iuramentum prestavimus in manibus venerabilis in christo patris domini Stephani Zagrabiensis episcopi et magnifici viri domini Nicolai regie curie iudicis, ambaxatoribus et procuratoribus dicti domini regis, ad hec specialiter constitutorum sicut constat per litteras regias scriptas Jadre sub anno domini MCCCLVIII, die vigesimo februarii sigillatas sigillo suo secreto. Nomina autem nostrorum nobilium, qui nobiscum iuraverunt, sunt hec: domini Franciscus Lauredano, Petrus Karavello, Johannes Mozenigo, Andreas Fusculo, Laurentius Dandulo et Marcus de Priolis consiliarii nostri Veneciarum, ac domini Petrus Steno, Marcus Barisano, et Daniel Victuri capita consilii de XL, domini Marcus Cornario miles, Symon Dandulo, Petrus Gradonico filius condam domini ducis, et Franciscus Bembo, domini Andreas Gazo procurator sancti Marci et Nicolaus Faletro, dominus Marcus Lauredano procurator ecclesie sancti Marci et dominus Pangratius Georgio advocator communis Veneciarum, domini Petrus Baduario miles, Bernardus Justinianus procurator sancti Marci, Petrus Memo, Berthucius Grimani et Marcus Maurocenus, omnes honorabiles cives nostri Veneciarum pro se ac heredibus et successoribus eorum et tota communitate Veneciarum predictum iuramentum prestantes. Actum Veneciis in ecclesia sancti Marci presentibus reverendo patre domino Raymundo electo Patracensi archiepiscopo, venerabili viro domino Neapoleone de Tibertis ordinis sancti Johannis Jerosolimitani priore Veneciarum, domino Paulo cantore et canonico Zagrabiense et domino Ladislao canonico Budensi, testibus rogatis et aliis, anno domini MCCCLVIII, indictione XI, die dominico vigesimoquinto mensis februarii feliciter amen.

Pactorum V. 161, u arkivu mletačkom.

DXLVII. God. 1358. 25 veljače, u Mletcih.

Dužd mletački proglašuje, da mir s ugar.-hrv. kraljem utanačen vriedi takodjer i za dotične saveznike u ratu.

Alia forma litterarum ducalium traditarum nunciis dicti domini regis super amicorum adherentium et sequatium. Johannes Delphino dei gratia dux Venetiarum etc. Cum in guerra et discordia, quam dudum olim habuimus cum serenissimo principe domino Lodovico dei gratia rege Hungarie etc. de qua divina disponente clementia ad pacis unitatem et amicitiam duraturam perpetuo devenimus cum eodem, plures et plures sibi adheserint contra nos et specialiter infrascripti videlicet: Reverendus in christo pater dominus Nicolaus acquilegensis patriarcha, magnifici viri domini Franciscus de Carraria dominus Padue et Albertus et Maynardus comites Goricie, venerabilis pater dominus, episcopus cenedensis, et nobiles viri Biachinus de Porciliis, Franciscus de la Parte, nobiles de Vonico, Gue-

zellonus de Camino et magnifici viri comites de Collalto. Item civitates imperiales domino patriarche commisse videlicet Feltrum et Bellunum cum predictorum omnium et singulorum adherentium et sequatium suorum, civitatibus, castris, terris, villis, possessionibus, subditis, servitoribus, subiectis et sequatibus, districtualibus et omnibus aliis, qui in guerris, quas habuimus cum dicto domino rege et sibi quomodolibet adhesissent vel adhesisse declararentur. Et versa vice aliqui nobis adheserint contra eum et specialiter infrascripti, videlicet Ulricus de Rayfinbergo et Colentius, et si qui alii adhesissent vel adhesisse declararentur; idcirco volentes, ut dicta pax et concordia sincere proficiatur et fiat, quoque removeantur de medio cuncta scrupula et errores, qui eam possent quomodolibet perturbare, cum predicto domino rege super facto ditorum adherentium et sequatium composuimus et devenimus in hunc modum, videlicet quod predicti omnes et singuli adherentes et seguaces sui et nostri et alii, si qui fuissent, sint et ex nunc esse intelligantur in pace et concordia supradicta, et beneficio ipsius pacis plenarie gaudeant et fruantur, remissis omnibus iniuriis, damnis et offensionibus hinc et inde, non intelligendo in hoc debita specialium personarum, que sibi invicem tenerentur, de quibus hinc inde ius et ratio reddi debet. Et quod per nos et comunitatem nostram prefati sui adherentes et sequaces nostri et comunitatis nostre cum terris, locis et subditis suis restituantur in eo statu et sic tractentur dulciter, amicabiliter et benigne, et in ea pura ac sincera benevolentia et amore et sub illis favoribus et libertatibus, quibus erant et tractabantur ante adhesiones prefatas, et sicut si numquam alicui partium adhesissent, ipsis versa vice fatientibus. Preterea convenimus et concordes fuimus, quod omnes et singuli cives, subditi et fideles nostri habentes domos terras aut quaslibet possessiones sibi quomodolibet pertinentes in aliquibus civitatibus, terris vel locis presentialiter vel in futurum subditis dicto domino regi seu earum districtibus, ipsis gaudere uti et frui possint libere pacifice et quiete sine contradicione vel molestia alicuius, et similiter fiat suus per nos, eo excepto, quod ad tollendum omne scandalum illi Veneti, qui haberent domos vel possessiones intra muros civitatum Jadre vel None, ipsas dare teneantur et debeant per extimationem iusto et largo modo fiendam per duos viros ydoneos eligendos pro parte domini regis et duos eligendos pro parte nostra, iuramento astringendos, quam extimationem seu pretium extimationis faciet ipse dominus rex eis solvi infra duos menses postquam ipsa extimatio facta erit cum integritate, que quidem extrimationes fieri debent usque ad sex menses a die dato litterarum regiarum computandos super presenti concordia. Similiter etiam convenimus, quod duobus civibus Jadrensibus, qui modo sunt Veneciis, videlicet Marino de Canaruto et Zove de Pizolo, restituantur integre omnia bona sua, que haberent in Jadra vel alia aliqua parte dominii domini regis, et quod ipsis gaudare, uti et frui possint libere pacifice et quiete, sine impedimento vel turbatione cuiusquam, dummodo cum personis suis stent et habitent extra civitatem Jadre et eius districtum. Que omnia et singula supradicta per nos et successores nostros et omnes pertimentes ad nos promittimus et iuramus cum infrascriptis nostris nobilibus ad sancta dei evangelia tactis scripturis inviolabiliter et bona fide servare et facere observari et non contravenire per nos vel alios de iure vel de facto dirrecte vel indirrecte, sub indignatione omnipotentis

dei et omnium sanctorum suorum, et sub penis, solemnitatibus et conditionibus omnibus, que continentur in litteris utriusque partis et instrumentis publicis confectis super pace et concordia principali firmata inter partes easdem. Quod quidem iuramentum prestavimus in manibus venerabilis in cristo patris domini Stefani Zagrabiensis episcopi et magnifici viri domini Nicolai regie curie iudicis, ambaxiatoribus et procuratoribus dicti domini regis, ad hoc specialiter constitutorum sicut constat per litteras regias scriptas Jadre sub anno domini MCCCLVIII, die XX februarii, sigillatas sigillo suo secreto. Nam e converso prefatus dominus rex similiter iuramentum prestitit in manibus honorabilium virorum dominorum Petri Trivisano, Johannis Gradonico et Beneintendi ducatus et communis Venetiarium cancellarium civium sindicorum et ambaxiatorum nostrorum. Nomina autem nostrorum nobilium qui nobiscum iuraverunt sunt hec: dominus Franciscus Lauredano, dominus Petrus Karravello, dominus Johannes Mocenigo dominus Andreas Fusculo, dominus Laurentius Dandulo et dominus Marcus de Priolis nostri consiliarii Venetiarum, ac domini Petrus Steno, Marcus Barisano et Daniel Vituri capita consilii de XL domini Marcus Cornario miles, Petrus Gradonico condam domini ducis et Franciscus Bembo, domini Andreas Gazo procurator sancti Marci et Nicolaus Faledro, domini Marcus Lauredano procurator ecclesie sancti Marci, Pangracius Georgio advocator nostri communis Venetiarum, domini Petrus Baduario miles, Bernardus Justinianus procurator sancti Marci, Petrus Memo, Bertucius Grimani et Marcus Maurocenus omnes honorabiles cives Venetiarum. Datum in nostro ducali palatio Venetiis die XXV mensis februarii, anno domini MCCCLVIII.

Nota quod ambaxiatores prefacti domini regis, qui venerunt Venetiis pro iurando pacem, declaraverunt et dixerunt dominationi, quod dominus Canis grandis de la Scala et eius fratres erant de segnacibus et adherentibus dicti domini regis, et propterea petebant, ipsos debere includi in ea, et sic de mandato daminationis inclusi fuerunt in pace predicta, et facte fuerunt sibi littere, sicut aliis amicis et sequacibus ipsius domini regis.

Pactorum V. 162, u mletačkom arkivu.

DXLVIII. God. 1358. 8 ožujka, u Mletcih.

Knez zadarski Mihovil Faletro kažnjen što izgubi Zadar.

1358. indictione XI, die VIII martii, capta: si per ea, que dicta et lecta sunt contra ser Michaelem Faletro olim comitem et capitaneum Jadre, occasione amissionis dicte terre, videtur vobis, quod procedatur contra eum. Prima, quod procedatur 445; secunda quod non 45; tercia non sinceri 61.

Dominus, ser Franciscus Lauredano, ser Andrea Fusculo, ser Johannes Mozenigo, consiliarii. Capta: quod dictus ser Michael Faletro stare debeat uno anno in uno carcerum inferiorum, et sit perpetuo privatus omnibus consiliis, regiminibus, capitaneriis, officiis et beneficiis communis Veneciarum intus et extra. Et hoc non possint revocari sub pena ducatorum MM cuilibet consiliario, capiti et alii ponenti vel consencienti partem in contrarium. 193, 304.

Consiliarii: ser Petrus Caravello, ser Marcus de Priolis; capita de

XL: ser Bertuzius Georgio, ser Bartholomeus Quirino, ser Laurentius Superancio: quod dictus ser Michael Faletro sit perpetuo privatus omnibus consiliis, regiminibus, capitaneriis, officiis et beneficiis communis Veneciarum iutus et extra. Et hec non possit revocari sub pena duc. MM cuilibet consiliario, capiti et alii ponenti vel consentienti partem in contrarium. 247, 270.

Advocatores: quod iste ser Michael Faledro condempnetur ad standum duobus annis in uno carcerum inferiorum, qui sibi statim capta parte deputetur per dominum, consiliarios, capita de XL aut per maiorem partem eorum ad bussolos et ballotas. Et si causa infirmatatis vel alia de causa poneretur in leniori carcere ad tempus, id tempus, quod staret in carcere leviori, non computetur sibi in eo tempore duorum annorum, quibus stare debet carcere deputato per dictum consilium et capita, ut est dictum; et ultra hoc banniatur quinque annis continuis de Venetiis et eius districtu, videlicet a Grado usque ad Caput ageris; hoc addito, quod si evadet de caneribus ante terminum predictum, seu frangeret confines sibi datos, videlicet si intraret Venecias vel eius districtum, ex tunc banniatur perpetuo de Veneciis, et ex nunc prout ex tunc intelligatur esse in banno perpetuo de Venetiis et eius districtu. Et ultra hoc privetur perpetuo omnibus regiminibus Veneciarum. Et de predictis omnibus et singulis non possit ei fieri gratia, donum, recompensatio, suspensio modo vel ingenio sub pena privationis omnium offitiorum, consiliorum et benefitiorum Veneciarum intus et extra cuilibet consiliario, capiti, vel alio ponenti vel consentienti partem in contrarium, et heredibus illius, qui poneret vel consentiret partem in contrarium. 113.

Si videtur vobis de procedendo contra Simeonem de Ferraria, olim sotium ser Michaelis Faletro, cui comissa erat custodia illa nocte, qua amissa fuit Jadra. Capta: prima, quod procedatur 282; secunda, quod non, 219; tercia non sinceri 62.

Dominus, consiliarii et capita. Capta: quod iste Simon stare debeat medio anno in uno carcerum inferiorum, et sit perpetuo privatus omnibus offitiis et beneficiis communis Veneciarum, nec possit unquam habere aliquod stipendium, salarium vel provisionem communis Venetiarum vel alicuius recepti vel officii communis Veneciarum intus vel extra. 431.

Advocatores communis: quod iste Simon stet medio anno in uno carcerum inferiorum, et perpetuo banniatur de Veneciis et districtu et de omnibus terris et locis subditis communi Veneciarum; et si permitteret se reperiri in Veneciis vel aliqua terrarum et locorum nostrorum, stare debeat medio anno in dicto carcere; et hoc toties servetur, quoties se permitteret reperiri. 42, non sinceri 42.

Maius Consilium. Novella 55, u arkivu mletačkom.

DXLIX. God. 1358. 13 ožujka, u Mletcih.

Mletčani zahtjevaju, da jim ogladski patrijarh povrati njeki grad, a glede izplaćivanja danka i povraćanja svetih tielesa neka sam kralj sudi. Can de la Scala uvršćen medju ugovornike mira.

1358. die XIII marcii, indictione XI. Dominus, consiliarii, ser Bertucius Georgio caput XL, et ser Petrus Tervisano sapiens. Capta: quod respondeatur ambaxatoribus domini regis Hungarie, quod sicut pridie per

nos dictum fuit eis, amiramur de responsione domini patriarche in recusando de restituendo nobis Camatam cum illis verbis et racionibus, que videbuntur, et quod, quando dictus patriarcha vellit nobis libere restituere dictam Camatam, prout de iure denegare non potest ex forma pacis, in qua ipse acceptavit includi, et etiam pro reverencia dicti domini regis, contentamur, quod dominus rex predictus pro aliis differenciis existentibus inter ipsum dominum patriarcham et nos, silicet pro facto regalie solite per nos sibi dari, et pro asportatione corporum sanctorum nostrorum, que quidem diffecencie sunt extra facta dicte pacis, sit iudex, et super ipsis determinet et cognoscat, prout seu maiestati videbitur esse iustum. 56.

Capita de XL ser Bartholus Quirino, ser Laurentius Superancio. Cum responsio facta pro parte domini patriarche Aquilegiensi super facto Camate non videatur honesta nec racionabilis istis ambaxatoribus domini regis, sicut ostenderunt per verba sua, et ipsi ambaxatores procurare obtulerint cum effectu apud dominum regem, ut omnino dictus locus restituatur per dominum patriarcham predictum: vadit pars, quod supersedeatur de faciendo aliquam responsionem super dicto facto, donec a domino rege habebitur responsio superinde. 2.

Ser Nicolaus Faletro sapiens. Ut appareat per effectum, quod de domino rege Hungarie plenam assumamus in omni casu confidenciam atque spem, et quod eidem sumus dispositi in omnibus possibilibus complacere: vadit pars, quod respondeatur ambaxatoribus domini regis, quod restituta nobis Camata per dominum patriarcham, prout ex forma pacis restitui debet, contentamur restituere sibi regaliam pecunie per nos sibi debende, contentante ipso patriarcha de differenciis corporum sanctorum nostrorum stare iudicio et determinacioni domini regis, de quo confidimus, quia in hoc dicet et determinabit id, quod fuerit conveniens atque iustum. 5, de non 0, non sinceri 2.

Dominus, consiliarii, capita, et ser Petrus Trevisano et ser Nicolaus Faletro consiliarii. Capta: cum sicut audivistis per dominum, ambaxatores domini regis Hungarie requisiverint, quod dominus Canis de la Scala includatur in pace facta, hostendentes super hoc recepisse mandatum expressum a domino rege, quod mandatum venit infra terminum XXII dierum, infra quos exequi debent promissa in pace; et ipse dominus Canis licet dicat aliqua verba de extra, nollens tamen contradicere voluntati domini regis, finaliter contentatur et vellit includi in dicta pace: vadit pars, quod complaceatur requisicioni dictorum ambaxatorum, silicet quod dictus dominus Canis includatur una cum aliis in pace, sicut petunt. 54, de non 6, non sinceri 5.

Misti XXVIII. 33, u arkivu mletačkom.

DL. God. 1358. 18 ožujka, u Pažinu.

Albert knez gorički i tirolski kao knez pazinski potvrdjuje mir medju ugar.-hrvatskim kraljem Ljudevitom I i Mletčani utanačen.

Exemplum litterarum missarum domino duci per comitem Pisini pro aprobatione pacis. Glorioso principi domino Joanni Delphino excelso duci Veneciarum Albertus Goritie et Tirolis comes salutem et ad quevis beneplacita se paratum. Ambaxatores domini nostri regis Hungarie, videlicet

domini Stephani Zagrabiensis episcopi et domini comitis Nicolai litteras recepimus, continentes, quod nuntios nostros ad approbandum pacem et concordiam inter dictum dominum nostrum regem et vos factam mittere debeamus. Unde celsitudini vestre fideles nostros Valchonum de Musch et Pertheoldum de Antignana exhibitorem presentium dirigimus, qui loco nostri pacem approbent antedictam; rogantes, quattenus verbis ipsorum ex parte nostra propositis dignemini fidem credulam adhibere. Datum Pisini decima octava die mensis martii (1358).

Commemorialium V. 115, u mletačkom arkivu.

DLI. God. 1357-1358 lipnja, u gradu Levia.

Knez Grgur Kurjaković moli mlet. republiku, neka ono njegovo imanje, koje se kod nje nalazilo, nedaje njegovim sinovom, dokle on o njem konačno neodluči.

Exemplum quarundam litterarum comitis Gregorii Curiachy missarum domino duci. Viro magnifico et potenti domino Johanni Dulvini duci ac Venetiarum *(sic)*, suo domino et amico, comes Gregorius Curiachy salutem cum omni reverentia et honore. Cum nostra nequissima pecata in viam mortalem nos induxit, in quam nunc incumbentem scitis, ut nostra bona scilicet mobilia et immobilia, ac insuper noster capud, quod est maius, perdidimus, et in nichillum per nostros infideles amicos, induximur, que omnia nostra illicita et perpetrata realiter, tamquam vos scitis, cui adiutor preter deum nullus est, de quibus nostris bonis omnibus nichil habemus nisi ea, que apud vos et vestras manus existunt, quos pervenere, dum nos volente domino ab hac luce decederimus, nullis ex nostris filiis, specialiter Georgio, dare per nullum casum vellitis, de quibus autem amodo condecenti dispositionem testamentariam nos iuxta legem vestram facere vellemus, si taliter esset, set quia nos de hiis omnibus caremus, ideo aliud facere non possumus, nisi dum venerit tempus, vocemus viros unum vel duos de capitulis ydoneos et canonicos, et inde iuxta consuetudinem istius regni facere testamentariam dispositionem possimus. Si apud vos aliquid prodesset et adiuvaret nobis, super quo vestram dominationem diligenter presentibus postulamus reverenter, quatenus intuitu nostre peticionis et causa servicii, pro ut nos apud vos fore fatebamur, dictos proventus nostros apud vos et in vestri medium in communitate habitos, donec vos, cui voluerimus resignare, nullis ex nostris filiis dare vellitis. Insuper quicquam nobis cum vestris consiliis bonis super omnibus hiis facere iubetis, nos ad ea prompti sumus et parati, quia de aliis proventibus nullum remedium seu iuvamen habemus nisi de hiis, quos vos habetis. Sigillum autem nullum habemus preter istum anullare, cum quo sigilamus presentibus nobis, et eumdem, donec vivimus, volumus conservare, cum etiam nos nullum famulum nisi Jabon Vrana, non habemus, qui adhuc inter alios non relinquit nos, qui omnia in corde nostro consilia scire dignoscitur, dum ad vos ex parte nostri pervenerit propter piissimum deum et beatam virginem eidem tamquam nostre proprie persone fidem credulam adhibeatis, qui nobis omnino fideliter procurabit aliud in premissis intuytu nostre peticionis et causa dei facere non vellitis. Data in castro Levia in nostro statu sexta feria proxime ante festum nativitatis beati Johannis baptiste.

Commemorialium VI. 17, u mletačkom arkivu.

DODATAK

k listinam u knj I—III.

(1116—1347.)

domini Stephani Zagrabiensis episcopi et domini comitis Nicolai litteras recepimus, continentes, quod nuntios nostros ad approbandum pacem et concordiam inter dictum dominum nostrum regem et vos factam mittere debeamus. Unde celsitudini vestre fideles nostros Valchonum de Musch et Pertheoldum de Antignana exhibitorem presentium dirigimus, qui loco nostri pacem approbent antedictam; rogantes, quattenus verbis ipsorum ex parte nostra propositis dignemini fidem credulam adhibere. Datum Pisini decima octava die mensis martii (1358).

Commemorialium V. 115, u mletačkom arkivu.

DLI. God. 1357-1358 lipnja, u gradu Levia.

Knez Grgur Kurjaković moli mlet. republiku, neka ono njegovo imanje, koje se kod nje nalazilo, nedaje njegovim sinovom, dokle on o njem konačno neodluči.

Exemplum quarundam litterarum comitis Gregorii Curiachy missarum domino duci. Viro magnifico et potenti domino Johanni Dulvini duci ac Venetiarum *(sic)*, suo domino et amico, comes Gregorius Curiachy salutem cum omni reverentia et honore. Cum nostra nequissima pecata in viam mortalem nos induxit, in quam nunc incumbentem scitis, ut nostra bona scilicet mobilia et immobilia, ac insuper noster capud, quod est maius, perdidimus, et in nichillum per nostros infideles amicos, induximur, que omnia nostra illicita et perpetrata realiter, tamquam vos scitis, cui adiutor preter deum nullus est, de quibus nostris bonis omnibus nichil habemus nisi ea, que apud vos et vestras manus existunt, quos pervenere, dum nos volente domino ab hac luce decederimus, nullis ex nostris filiis, specialiter Georgio, dare per nullum casum vellitis, de quibus autem amodo condecenti dispositionem testamentariam nos iuxta legem vestram facere vellemus, si taliter esset, set quia nos de hiis omnibus caremus, ideo aliud facere non possumus, nisi dum venerit tempus, vocemus viros unum vel duos de capitulis ydoneos et canonicos, et inde iuxta consuetudinem istius regni facere testamentariam dispositionem possimus. Si apud vos aliquid prodesset et adiuvaret nobis, super quo vestram dominationem diligenter presentibus postulamus reverenter, quatenus intuitu nostre peticionis et causa servicii, pro ut nos apud vos fore fatebamur, dictos proventus nostros apud vos et in vestri medium in communitate habitos, donec vos, cui voluerimus resignare, nullis ex nostris filiis dare vellitis. Insuper quicquam nobis cum vestris consiliis bonis super omnibus hiis facere iubetis, nos ad ea prompti sumus et parati, quia de aliis proventibus nullum remedium seu iuvamen habemus nisi de hiis, quos vos habetis. Sigillum autem nullum habemus preter istum anullare, cum quo sigilamus presentibus nobis, et eumdem, donec vivimus, volumus conservare, cum etiam nos nullum famulum nisi Jabon Vrana, non habemus, qui adhuc inter alios non relinquit nos, qui omnia in corde nostro consilia scire dignoscitur, dum ad vos ex parte nostri pervenerit propter piissimum deum et beatam virginem eidem tamquam nostre proprie persone fidem credulam adhibeatis, qui nobis omnino fideliter procurabit aliud in premissis intuytu nostre peticionis et causa dei facere non vellitis. Data in castro Levia in nostro statu sexta feria proxime ante festum nativitatis beati Johannis baptiste.

Commemorialium VI. 17, u mletačkom arkivu.

DODATAK

k listinam u knj I—III.

(1116—1347.)

I. God. 1116.

Dužd mletački potvrdjuje povelju od hrvatskoga kralja Kriesimira podieljenu manastiru sv. Ivana u Biogradu.

Anno domini et salvatoris nostri Jesu Christi millesimo centesimo sextodecimo, indictione nona. Ego Ordilaffus Faletrus gratia dei dux Venetiarum, Dalmaticorum atque Chroaticorum privilegium sancti Joannis Belgradensis monasterii a Cresimero rege factum ego colaudo, et in sua stabilitate confirmo, ita ut nullus episcopus aut comes vel civis predicti monasterii libertatem violare audeat, quam non solum a nobis confirmandum esse dicimus, sed a beato G. G. (sc. Gregorio) romane urbis papa sancitam in suis decretis esse cognovimus. Volo igitur ducali et regali auctoritate firmare, ut si quis libet huius libertatis concessionem temerario ausu infringere temptaverit, libram auri regali fisco persolvat. Similiter ecclesiam sanctorum Cosme et Damiani laudo et confirmo ideo, ut agnosco, veraciter fuisse propriam monasterii beati Joannis evangeliste belgradensis monasterii ex donatione episcopi illius civitatis, Pristantius nomine, et aliorum episcoporum et cives illius civitatis et romane sedis aprocrisariorum confirmationem et clero ac populo collaudo et confirmo eam habendam in perpetuo. Quicumque autem episcopum aut aliorum hominum hoc decretum infringere temptaverit, et alia illius ecclesie privilegia violaverit, omnia, que possidet, in phisco ducali et regali deveniant. Hec decreta silicet libertatis monasterii beati Joannis evangeliste tibi Fusco abbati omnibusque successoribus tuis firmiter et iure perpetuo tenenda.

Ego Marcus Michael comes Jadre manu mea subscripsi, meoque sigillo pendenti ad pleniorem fidem communiri feci.

Ego Marinus Barbadico presens scrivo in meam presentiam fideliter ad autenticum ascultavi, et quia utrumque concordare inveni, manu mei testis subscripsi.

Ego Petrus Meso presens scriptum in mei presencia fideliter auctenticatum ascoltavi, et quia utrumque concordare inveni, me in testem subscripsi.

Ego Nicolaus Benedicti de Matafaro examinator presens scriptum in mei presencia ad autenticum fideliter legi, audivi, et quia utrumque concordare inveni, manu mea scripsi.

Ego Gregorius de Zandolinis, iudex examinator, presens scriptum in mei presentia ad autenticum fideliter legi, audivi, et quia utrumque concordare inveni, manum misi.

Ego Egidiollus de Predalata de Cremona imperiali auctoritate publicus notarius hoc exemplum ad autenticum scriptum manu Blasii Michaelis Leonardi notarii infrascripti diligenter et fideliter ascultavi una cum in-

frascriptis notariis, et quia utrumque concordare inveni, me in testem subscripsi.

Ego Nicolaus condam Johannis de Jadra, imperiali auctoritate notarius, hoc exemplum ad suum autenticum scriptum diligenter et fideliter ascultavi una cum notariis predictis piedicto et subscripto, et quia concordari utrumque inveni, me subscripsi in testem.

Ego Blaxius Michaelis Leonardi Jadrensis iuratus notarius hoc instrumentum sive exemplum ad autenticum fideliter exemplavi, nichil addens vel minuens, quod sensum vel sententiam mutet aut variet intellectum, et postmodum in presentia predicti domini comitis et eius curie diligenter et fideliter cum ipso autentico ascultavi, et quia utrumque concordare inveni, de ipsius comitis et eius curie mandato ad eiusdem exemplum plenam fidem et testimonium me subscripsi et publicavi, meoque consueto signo signavi currentibus annis domini MCCCXXIV, indictione VII, die XXVI mensis augusti, Jadre, temporibus equidem domini Johannis Superantio incliti ducis Venetiarum et domini Johannis de Butovano de Jadra venerabilis Jadrensis archiepiscopi ac domini Marci Michaelis egregii comitis. L. S.

Pactorum I. 110, u mletačkom arkivu.

II. God. 1189. 29 kolovoza, u Dubrovniku.

Kulin, bosanski ban, sklapa mir i prijateljstvo s Dubrovčani, te jim podieljuje njeka trgovačka prava u svojoj zemlji.

+ In nomine patris et filii et spiritus sancti amen. Ego banus Culinus Bosene iuro comiti Gervasio et omnibus Raguseis rectum amicum fore perpetuo, et rectam vobiscum pacem manutenere et amicitiam veram, et omnes Raguseos, per totam terram nostram ambulantes, mercatores seu habitatores ut transeuntes, recta fide et conscientia vera recipere absque ulla datione, nisi quot suam per voluntatem mihi donum dare voluerit; et apud nos dum fuerint, manutenere et consilium eis prebere, ut nostre persone, ad nostrum posse, absque fraude et malo ingenio. Sic me deus adiuvet et hec sancta IV evangelia.

Reperitur sic scriptum in capite duorum apographorum serbicorum in c. r. archivio Viennae. V. Miklosich monum. Serb. pag. 2.

III. God. 1199. travnja, u Mletcih.

Vid, krčki knez, za se i za svoju braću Ivana i Enrika obvezuje se točno se držati pogodbe, kojom jim bi od mletačke vlade ustupljen otok Krk.

In nomine domini dei salvatoris nostri Jesu Christi, anno incarnationis eiusdem millesimo centesimo nonagesimo nono, mensis aprilis, indictione secunda, Rivoalti. Post concessionis cartulam factam anno incarnacionis millesimo centensimo nonagesimo octavo, mensis iunii, indictione prima, quam Johanni consanguineo meo et mihi fratrique meo Henrico fecistis, per quam prefato Johanni et mihi dictoque fratri meo concessistis et dedistis comitatum Vegle et tocius insule cum omnibus introitibus et honorificenciis eius et collectam pariter cum insula de Perdichi ante quam continetur, quod hec nobis, que dicta sunt, concessistis potestate plenissima

habendi, tenendi, fruendi, disponendi, donandi et omnes provenientes redditus recipiendi cum omni rationis integritate ad suprascriptum comitatum spectantis, videlicet et cum nominata collecta et cum predicta insula de Perdichi et cum universis rationibus comitatus iamdicti, et de suprascriptis redditibus, quicquid nostre voluntatis fuerit, faciendum usque dum vixerimus alterutrum succedentibus regalia vestra in totum et per omnia salva, propter que nos comitatum ipsum regere, conservare, nanutenere et defensare debemus ad vestrum et communis Veneciarum honorem et ipsius terre utilitatem secundum consuetudinem bonam ab omnibus, videlicet hostibus et communi gente sine vestro vestrorumque successorum et communis Veneciarum adiutorio, exceptis coronatis personis et eorum exercitu manifesto, sine omni fraude et ingenio malo. Et debemus annuatim omni festo sancti Michaelis communi vestro persolvere bizantini auri romanatos bonos veteres trecentos quinquaginta, quos habere debetis vos domine Henrice Dandulo dei gratia inclite Veneciarum, Dalmacie atque Chroacie dux per cartam concessionis, quam inde nobis suprascriptum commune fecit. Debemus quoque nuncios vestros omnes honorifice recipere, tractare et deducere, et galeas similiter vestras. Nec debemus compagniam vel societatem cum ullo habere cursalium vel aliorum, qui essent manifesti predones seu draubatores, qui homines Venecias offenderent, vel alios ad Venecias venientes aut redeuntes ab ea; nec debemus eos recipere, nec fiduciam vel securitatem aliquam eis prestare nec consilium neque auxilium eis impendere, nec in aliquo necessaria ministrare, nec aliquid horum per ullum ingenium fieri facere, que omnia supradicta suprascriptus consanguineus meus Johannes et ego Guido filius condam Bartholomei Vegle comitis in integrum observare debemus usque ad menses tres, ex quo dictus frater meus Henricus prius venerit ad etatem, infra quod spacium trium mensium si ipse in eum modum, quo per hanc promissionis cartulam vobis et suprascripto communi sum obligatus pro sua parte simili in suprascripto communi se obligaverit pro comitatu iam dicto comiter et equaliter in omnibus comites esse debemus, et ab inde non debeo teneri de solucione predictorum bizantinorum nisi in quantum mihi pro mea parte advenerit. Si vero infra dictum spacium trium mensium non, quod est supradictum per eum, nos videlicet suprascriptus Johannes et ego soli comites esse debemus, et soli equaliter omnia debemus, que suprascripta sunt, observare. Si autem, quod in domini potestate consistit, nos obire (*contin*) gerit ante quam suprascriptus frater meus Henricus ad etatem secundum ordinem suprascriptum veniret, et per eum omnia, que suprascripta sunt, fuerint observata, ipse comes esse debet in omnibus superius nominatis, promissionem vobis faciens serdati (***secundum***) ordinem comitatus, et si non ita conservaretur per omnia comitatus, ipse in vos et commune Veneciarum cum omnibus supra concessis redire debet cum omni plenitudine rationis ad faciendum de omnibus, quicquid vestre fuerit voluntatis, et ipse insuper vobis et suprascripto communi quinquagintas marcas argenti debeat emendare. Nec est pretermittendum, quod pro eorum omni observatione, que sunt superius per ordinem comprehensa, unus noster semper obses in Veneciis stare debet, aut de propinquis proximioribus, quos habemus, nisi vestro successorumque vestrorum verbo remaneat. Que omnia supradicta ego suprascriptus Vido cum suprascripto Johanne comite vobis suprascripto domino duci vestris-

que successoribus et communi Veneciarum me observaturum secundum ordinem supradictum promitto, et ita confiteor me ad evangelia sancta dei firmasse; et si omnia hec non observavero, que sunt superius, ut denotatum est, comprehensa, comitatum predictum cum omnibus supra concessis auferre mihi debetis cum omni plenitudine potestatis; et insuper cum meis heredibus vobis vestrisque successoribus et suprascripto communi marcas argenti quinquagintas debeam emendare.

† Ego Vido Veglensis comes manu mea subscripsi.

† Ego Rugerius Premarino testis.

† Ego Marinus Storlado testis.

† Ego Paternianus de Putheo subdiaconus et notarius complevi et roboravi.

† Ego Pascale Mauro subdiaconus et notarius sicut vidi in matre ita testifico in filia.

† Ego Bartholameus Gradonicus iudex ut vidi in matre testis sum in filia.

L. S. Ego Andreas Conrado presbiter et notarius hoc exemplum exemplavi anno domini millesimo ducentesimo primo, mensis octubris, indictione quinta, minui nec ampliavi, complevi et roboravi.

L. S. Ego Conradus de Johanne sacri palacii et ducalis aule Veneciarum notarius, ut in predictis instrumentis reperi, sic legi et scripsi et roboravi, nil addens vel minuens, nisi forte punctum vel litteram, quod sentenciam mutet, currente anno domini millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto, indictione XV, menso februario.

Izvornik na pergameni u arkivu mletačkom.

IV. God. 1208. 19 lipnja, u Omišu

Obnova mira medju Mletčani i Omišani.

In nomine dei eterni amen. Anno incarnationis redemptoris nostri millesimo ducentesimo octavo, mensis iunii die duodecimo exeunte eodem mense, indictione undecima, in Almisio. Hoc scriptum ad presentium notitiam et futurorum memoriam constat esse factum. Cum pax et amicitia inter nos et Venetos actenus deo mediante composita fuisset et ordinata, non post multum temporis discordie auctor sua instigatione ipsam invecordiam transtulit, quam ego comes Sebenna, una cum fratribus et propinquis meis affectuose cupiens reformare, Sincam, fratrem nostrum, nobili viro L. Quirino Ragusino comiti transmisi, qui coram eo pro nobis vobiscum pacem habere iuravit, et que Venetis citra festum s. Luce ablata forent, redere constituit. Unde dominum episcopum Farensem venerabilem virum legatum nostrum ad vos egregie domine P. Ziani Venetiarum, Dalmatie atque Chroatie dux, quarte partis et dimidie totius Romanie imperii dominator, direximus, qui ea, que acta fuerant cum dicto comite, vobis notificaret, et insuper vobiscum confirmaret; quem prout vestre decuit excellentie, velut ipse nobis suo demonstravit eloquio, honorifice suscepistis, et, que dicta sunt, confirmastis. Placuit ad hec itaque celsitudini vestre ad nos mittere d. Suavem plebanum sancti Johannis evangeliste nuntium vestrum, ut pacem et amicitiam nobiscum statueret et confirmaret, et eadem per iuramenta a nobis exigeret, quem lete suscepimus, volentes omnimode

vestre voluntati parere, pari voluntate et communi concordia omnium nostrorum propinquorum et totius populi nostri dominii. Vobis dicto domino P. Ziani duci Venetie vestrisque successoribus et cuncto vestro dominio, scilicet insularum hominibus, et ubicumque vestra ac Venetorum dominatio est, nos videlicet comes Sebenna, Dessisclavus, Rados, Dragan, Bogodanus et Sinca comites, Savinus, Maurus, Sifante, Damianus, Gervasius, Matheus Raguseus, Chodissa, Gardogna, Braynech, Tulcus, Poelad, Drasi Zoto, Matheus Catarinus, perpetuam pacem et firmam amicitiam semper observare in hunc modum iuramus, quod amodo in antea omnes Venetos et eos, qui ex eorum dominio sunt, per terram et per mare et ubicumque nostra vel nostrorum virtus fuerit, pura animi intentione in personis et eorum rebus diligere debeamus, nunquam vero per nos vel per alios adversus eos ire vel aliqua eis nociva tractare aut alicuius persone ad offendendum eos nos iungere, vel consilium et auxilium prestare debeamus a Samsico autem usque Venetias, a Fano etiam et usque Venetias omnes generaliter euntes Venecias et inde redeuntes, sive sit Venetus, sive extraneus in personis et rebus, a nobis et nostris debet amari, custodiri, auxiliari et in nullo ledi. Si vero interveniente aliqua ignorantia aliquis Venetus alicubi vel extraneus infra dictos terminos a nostris fuerit depredatus, post factam querimoniam infra unum mensem aut per iudicium vel per concordiam ablatum a nobis integrari debet; quod si res ante proclamationem nobis nota fuerit, ablata congregare, et ad eorum utilitatem, quorum fuerint, conservare debeamus. Et si aliquis eorum in pertinentiis nostris vel ubicumque ab aliquo persecutus vel lesus fuerit, secundum vires nostras adiuvare, et eius ablata recuperare bona fide debeamus. Hec autem omnia, que supradicta sunt a nobis et nostris posteris semper sine fraude debeant inviolata conservari, sic nos deus adiuvet et hec quattuor sancta dei evangelia. Et dictum iuramentum semper ad decem annos debeat renovari. His autem presentes et testes fuerunt dictus episcopus farensis, presbiter Oto Venetus, Nichola Jadertinus, presbiter Stantius, diaconus Dragogna, Matheus Marinus toti tres de Kerso.

Ex tergo: 1208. Almisii. Pax et amicitia inter dominum Petrum Ziani ducem Venetiarum et comites Almisii inita.

Izvornik na pergameni br. 54 u mletačkom arkivu, o kom vise dva pečata; na jednom sa biskupovom slikom čita se: ✠ SIGILLVM MICHE PHAR (ensis) EPISCOPI; *na drugom sa kitóm* .... OMITVS COMITIS MAT.

V. God. 1222. kolovoza, u Mletcih.

Povlastice od mletačke vlade podieljene otoku Rabu.

Exemplum quorundam ordinamentorum et concessionum datarum hominibus Arbi per dominum Petrum Ziani ducem Veneciarum, et bullatarum sua bulla plumbea, que ordinamenta sic bullata data fuerunt domino Andree Michaeli comiti Arbi. Hec sunt ordinamenta, que dominus dux cum maiori parte sui consilii minoris et maioris dat hominibus Arbi, silicet, quod insule Collum et Arta usque ad octo annos sint hominum Arbi et viri nobilis Marci Mastropetri Arbensis comitis, de quibus insulis usque ad dictum terminum medietas sit communitatis de Arbo et reliqua medietas sit comitis suprascripti, qui comes communi Veneciarum pro ipsa

medietate solvat in mense martii libras Veneciarum LXXV annuatim, et commune Arbi pro sua medietate solvat similiter annuatim communi Veneciarum usque ad ipsum terminum alias libras Veneciarum septuaginta quinque. Quibus octo annis completis dicte insule veniant in commune Veneciarum sine omni conditione. Et de Nevalia sic dicunt, quod quicquid inde olim tenuit communitas Arbi, et filii comitis Rogerii, veniat in potestate suprascripti comitis Arbi nomine communis Veneciarum, et ipse comes illud intromittat, et eius redditus et omnia teneat, quousque fuerit decisum, quid iuris commune Veneciarum et filii dicti Rogerii atque communitas Arbi in eisdem habeant vel habuerint. De Petro Bozoli dicunt, quod infra dies XXX, quibus in insula Arbi adiunxerit, de ipsa exire debeat, abinde in antea in eandem non reversurus, nec ad ea ad minus viginti quinque milliariis adproximaturus usque ad annos IV nisi per licentiam domini ducis et maioris partis sui consilii, vel per licentiam suprascripti comitis Arbi. Dicunt etiam, quod omnes illi viri, qui tempore, quo dominus Petrus Ziani Veneciarum dux regebat comitatum Arbi comes existens, erant sibi reddentes, sic ducetero dicto comiti Marco Mastropetro reddere teneantur. videlicet si de illo redditu inordinate exiverunt, vel ab eo redditu se contra iustitiam subtraxerunt. Item de hiis, que dari debebant dicto comiti Marco in insula Arbi pro redditu, et ea petita sibi dare noluerunt, dicimus, quod in duplum sibi ab illis restituatur, que ea sibi dare noluerunt. De bannis vero iudicatis eidem comiti Marco Mastropetro, que habere non potuit, et de eis bannis, de quibus iusticia habere nequivit, dicunt et volunt, eidem comiti in dumplum restitui debere ab illis, qui ex ipsis bannis ceciderunt. Item de Symone de Bertaldo, quantum dare debebat comiti, in duplum dare teneatur. Item de Scrata danda comiti, eidem dari debeat secundum bonam et antiquam consuetudinem. Item si ullam conventionem fecerunt vel fecerint sine comite vel suo misso, nichil valere debeat. — Juro ad evangelia sancta dei, quod si sum in aliqua comulitate aut conspiratione facta tam contra dictum comitem Arbensem, quam contra omnes homines alios, tam per fidantiam vel sacramentum aut per promissionem, quam per aliquod aliud ordinamentum, eam non tenebo nec observabo, nec de cetero ad similia me obligabo, nec in huiusmodi ero, nisi de voluntate comitis pro manutenere honorem civitatis Arbensis. Et dabo operam, quod omnes homines insule Arbi, habentes ab annis quatuordecim supra usque ad LXX et ab annis LXX et infra, istud idem faciant iuramentum, renovantes illud et renovari illud facientes omni decimo anno usque in perpetuum; auxilium et fortium dabo comiti eidem et eius misso ad racionem et iustitiam conservandam, et formam dabo, quod homines Arbenses simile faciant iuramentum. Hec omnia attendam bona fide sine fraude, nisi remanserit per dominum ducem et maiorem partem sui consilii. Anno domini MCCXXII mense augusti, indictione X.

Commemorialium II. 145, u mletačkom arkivu.

VI. God. 1223. 20 studenoga, u Mletcih.

Uzapćeni novci i drugo imanje nalazeće se kod njekih Mletčana a spadajuće na sestru ugar.-hrv. kralja.

Anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo tercio, die XI exeunte mense novembris, indictione duodecima. Introductum fuit

per dominum ducem et maiorem partem sui consilii minoris ex parte communis Veneciarum Quirino Vendelino de confinio sancti Jacobi de Luprino et Pangrato Dauro de confinio sancti Salvatoris omnes denarios et res omnes generaliter, quos vel quas per sese vel per aliquam personam huius scilicet habent vel dare debent alicui persone de racione domine imperatricis, sororis domini regis Ungarie usque dum fuerit preceptum et voluntas domini ducis et eius consilii, et specialiter eidem Pangrato interdictum fuit omnes denarios et res, quos vel quas habuisset vel habet a Jacobo de sancto Andrea de racione dicte domine imperatricis sororis prefati regis Ungarie, absolutus fuit dictus Pangratus.

Liber Plegiorum, list 22, br. 190, u mletačkom arkivu.

VII. God. 1223. 21 prosinca, u Mletcih

Dobra Spljećana uzapćena.

Die XI exeunte mense decembrio, indictione XII, Antolinus Lugnanus de confinio sancti Mafei de Rivoalto et Petrus Carrarinus de confinio sancti Johannis evangeliste steterunt plegios et principales pagatores versus dominum ducem ad partem communis Veneciarum de dandis et solvendis sibi libras DC Veneciarum de . . . ad VIiI dies proximos post proximum Pasca . . . . vel tantum minus, quantum inventum fuerit minus valere res omnes, que fuerant intromisse per vicedominos ex parte communis . . . . . de confinio sancti Mathei de Rivoalto occassione illorum de Spalanto, quorum re . . lle o . . . . esse et que fuerant intromisse pro Dominico Querino aut res illas ei dabunt . . . . . . partem illarum, quam non vendidissent simul cum omnibus illis denariis, quos habuerint de illis rebus . . . parte earum quam vendidissent, et totaliter haberet, quod dominus (dux) et eius consilium per omnia adtendet et observabit . . . quod infra quartum diem ante prefixum terminum debent se presentare ante presentiam domini ducis et eius consilii, dicentes et rogantes, ut illum finem inde ordinent, qualem videbitur eis fore iustum, et inde ipsi ambo per hec omnia observanda omnia eorum bona ubique pignori obligaverunt eidem. Quia iuravit Cernecha, nichil de rebus illis pertinere Spalantanis, absolverunt . . . . Idus precepto domini ducis sibi facto per legem pro advocatoribus.

Liber Plegiorum, list 1, br. 3, u mletačkom arkivu.

VIII. God. 1224. 19 ožujka, u Mletcih.

O njekoj kradji, počinjenoj na ugarskoj zemlji, posvjedočava solunski kralj.

Die XIII exeunte marcio. Voluntas fuit domini ducis et maioris partis eius consilii, ut Jacobus Acotanto, consiliarius domini ducis, iret colloquium habiturus cum domino Demetrio dei gratia Salanicense rege et aliis quibusdam militibus cum ipso rege existentibus pro veritate inquirenda et cognoscenda, videlicet, si aliquid scienter cognovisset dictus rex vel aliquis de robaria facta in terra regis Ungarie rerum et denariorum Petri Alberti, Donati Aulivo et Vidonis Penetuli, omnium Veneciarum. Qui Jacobus, cum recitationem verborum dicti regis et Ugonis militis domini Narzoli audiviset, silicet in Veneciis reversus fuit ad dominum ducem et eius consilium, dicens, se hore ad hos audivisse per singula dici eidem domino

Dimitrio regi et eidem Ugoni omnia, que in cartula ista facta per Hermacoram cito presbiterum et notarium continebatur, tenor cuius talis est. In nomine domini dei et salvatoris nostri Jesbu Christi anno domini millesimo CCXXIV. mense marcio, indictione XII, Rivoalto, testificamur nos Demetrius dei gratia rex Salaniki et Ugo miles domini Narzoli et in veritate dicimus, quod nos fuimus in illo loco silicet in terra regis Ungarie, ubi rex Bella filius domini Andree regis Ungarie cum suis militibus et quidam milites ducis Austrie per violentiam rapuerunt tantum inter aurum et argentum et zoias de Petro Alberto de Veneciis, quod fuerunt valentia marcas argenti sexcentas, etiam tantum inter argentum et aurum et zoias de Donato Aulivo de Veneciis, quod fuerunt valentia marcas argenti ducentas, et tantum de Vito Penetulo de Veneciis, quod fuerunt marcas argenti quatuor decim et quatuor marche auri Et hoc per verum dicimus testimonium. Signum subscriptorum domini Demitrii regis Salaniki et Ugonis militis, qui hec rogaverunt. + Ego Marinus Natale testis subscripsi. + Ego Marinus Pentulo testis subscripsi. + Ego Hermacoras cito presbiter et notarius complevi et roboravi.

Liber Plegiorum, list 26, br. 222, u arkivu mletačkom.

IX. God. 1224. 30 ožujka, u Mletcih.

Zadranin jamči za Zadranina pred mletačkom vladom u poslu brodarenja.

Die secundo marcio, indictione XII. Johannes de Jadra de confinio sancte Marie asumptionis stetit pregius et pagator domino duci ad partem communis Veneciarum sub pena librarum D Veneciarum pro domidio panzono pro Marino de Jadra; Nycolaus Greco de confinio sancte Margarite stetit plegius et pagator eidem domino duci pro uno quarterio ipsius banzoni, silicet pro Girardo de Rodulfo, sub pena librarum CCL Veneciarum; Michael de Rainerio de sancto Vito stetit plegius et pagator domino duci ad partem communis Veneciarum, ut dictum est, pro reliquo quarterio ipsius banzoni sub pena aliarum librarum CCL, silicet pro Marco Bono de sancto Raphaele, videlicet quod banzonus ille in isto vidagio, quo ituri sunt per hanc presentem mudam, in Alexandria neque terra Egipti ibunt, similiter neque predicti homines in terra Egipti ibunt, nisi prius panzonus ille in Veneciis fuerit reversus. Michael m. de Rainerio pagavit libras CXXV, pro quibus a domino duce et consilio finem habuit quantum pro plegeria ipsius Michaelis.

Liber Plegiorum list 10, br. 60, u arkivu mletačkom.

X. God. 1224. 5 srpnja, u Mletcih

Knez zadarski i četiri druga Zadranina jamče za galiju ustupljenu jim od mletačke vlade.

Die V intrante iulio, indictione XII. Marinus Dandulo de confinio sancti Pauli de mandato domini ducis comes Jadre et Cosma Panis de Milio et Stefanus de Picega et Cerna de Carbono atque Johannes Ragno steterunt plegii et pagatores dicto domino duci ad partem communis Veneciarum pro illa galea cum toto suo conredo, quam dominus dux cum suo consilio eis prestavit, amodo ad sanctum Michaelem proximum ventu-

rum et a sancto Michaele infra unum annum proximum venientem, videlicet sub pena librarum DCC venecialium tali modo, quod quandocumque dominus dux cum suo consilio intra dictum terminum ipsam galeam eis quesierit vel queri fecerit, quod dabunt et conducent eorum expensis ipsam galeam cum toto conredo; et si casus contigerit, de quo deus advertat, quod ipsam galeam perderent in aliquo proprio servicio eorum vel facto ipsorum vel alicuius facto seu negocio hominum Jadre, quod factum esset aliter quam in servicio communis Veneciarum vel communis Jadre, teneantur quisque ipsorum pro parte ad restitutionem ipsarum librarum DCC; et si pro servicio communis Veneciarum vel communis Jadre amitterent, non teneantur inde, ex quo liquidum esse videbitur, et ita quod quamvis dominus dux et eius consilium non eis quereret vel queri faceret ipsam galeam infra nominatum terminum, teneantur ipsi in capite dicti termini, ut est determinatum superius, ipsam galeam in Veneciis conducere et consignare domino duci, nisi per dominum ducem et eius consilium remanserit. Die VI exeunte iunio per indictionem XIII dominus dux et consilium eius elongaverunt terminum dicto comiti amodo ad pasca resurectionis ad faciendum et observandum totum, quod legitur superius, quod si galea ipsa reperiretur tunc bixata, restituere debet ipse comes dampnum arbitrio Jo. Boli.

Liber Plegiorum list 13, br. 84, u arkivu mletačkom.

XI. God. 1224. 28 kolovoza, u Mletcih.

Taoci rabski mletačkoj vladi izručeni.

Die IV exeunte augusto 1224. Isti sunt illi obsides, quos dominus dux et eius consilium ordinaverunt, quod Arbenses debeant dare in Veneciis usque ad voluntatem domini ducis et sui consilii: filius Petri Bozole, filius Galcegne, filius Petri Pelenga, filius filie Cristofori mali denarii, filius Mathei de Candi, filius Rofaldi.

Liber plegiorum list 33, br. 269, u mletačkom arkivu.

XII. God. 1224. u Mletcih.

O novcih za putni trošak poslanika idućega u Ugarsku.

Recordationem facimus nos quidam Petrus Ziani dei gracia Veneciarum dux etc. cum nostro consilio de illis libris CL venecialium, quas fecimus dari Dominico Pampulo nostro legato ad eundum ad regem Uugarie pro reccuperando habere pro Alberto et Donato aurifice; si ipse legatus dictum habere reccuperaret vel aliquam partem, quod de ipso havere dicte libre CL communi Veneciarum restituantur; et similiter si aliquo in tempore ipsum habere reccuperabitur in totum vel in partem, intelligendum est, quod de primis denariis inde reccuperatis, quod ille libre CL solvantur communi Veneciarum. In tempore domini ducis Ja. Teupuli mense iunii, indictione IV, fuerunt solute ille libre CL nostro communi a vicedominis fontici P. Contareno et Marco Cornario, qui eas dederunt verbo domini ducis et consilii Marco Trevisano.

Liber plegiorum list 33, br. 270, u arkivu mletačkom.

XIII. God 1224. 27 rujna, u Mletcih.

O njekom dugu ugar.-hrv. kralja mletačkim podanikom.

Die IV exeunte septembris (1224) ordinatum est per dominum ducem et suo consilio et per XL, quod debitum de Johanno Gisi et de filiis Natali Gisi, quod rex Ungarie debet eis dare, nos fuimus omnes concordes de dare pignorare eis usque ad marchas CCI argenti hominibus rex Ungarie in tempore reversionis domini Brixiani, quod ivit pro fato de Petro Alberto, quod commune debebat ei dare pignorare.

Liber plegiorum list 35, br. 285, u arkivu mletačkom.

XIV. God. 1224. 27 rujna, u Mletcih.

Upišuje se dug kralja ugar.-hrv. u državnoj knjizi.

Die IV exeunte septembris ordinatum fuit per dominum ducem et sui consilii, et pro XL per maiorem partem de debitum domini Johanni Gisi et de filiis Natali Gisi, quod regem Ungarie eis debebat dare, dominus dux et suo consilio et quadraginta et per maiorem partem de dare adpignorare eis supra hominibus Ungarie usque ad suum habere in tempore reversionis domini Jacobi Brixiani, quod ivit pro facto Petri Alberti et Donato Olivo, quod commune debebat eis dare adpignorare, et ideo preceperunt in libro communi scribi.

Liber plegiorum list 35, br. 286, u mletačkom arkivu.

XV. God. 1224. 27 rujna, u Mletcih.

Opet o istom dugu ugar.-hrv. kralja.

Ordinatum fuit per dominum ducem et per maiorem partem sui consilii et per maiorem partem quadraginta minorem et maiorem in anno domini MCCXXIV, indictione XIII, mense septembri, die quarto exeunte septembris de debitum, quod regem Ungarie debebat dare domino Johanno Gisi et filiis de Natali Gisi, fuit dominus dux cum maiorem partem sui consilii et per maiorem partem XL de dare adpignorare eis usque ad suum habere super hominibus Ungarie. In tempore reversionis domini Jacobi Brixiani, quod ivit pro facto Petri Alberti, quod commune debebat ei dare adpignorare, et propterea hoc preceperunt scribere in libro communi.

Liber plegiorum list 36, br. 290, u mletačkom arkivu.

XXVI. God. 1224. 12 prosinca, u Mletcih.

Mletčanin jamči za Zadranina, da je naime ovaj kupio nješto papra u Akonu a ne u Alesandriji.

Die XII intante decembris per indictionem XIV. D. Pampulo de Caprullis stetit plegius et pagator domino duci pro Elia de Jadra de dandis ei libris centum LXX Veneciarum parvulorum hinc ad pasca proxime resurectionis pro illa sporta piperis ipsius Elie, quam dominus dux et eius consilium intromitti fecit et auferri de domo, quam habitabat G. Birfo de Jadra, pro eo quod dicebatur, eam esse de calumpniis, videlicet si in ipsum terminum repeiriretur quoquo modo aliter, quam ipse Elias iuravit ad evan-

gelia dei, videlicet quod ipsam sportam piperis comperavit in Achon et duxit in Veneciis, et non de partibus Alexandrie. Testis maior pars consiliariorum et etiam omnes.

Liber plegiorum list 17, br. 140, u arkivu mletačkom.

XVII. God. 1225. prosinca, u Mletcih.

Nagrade za uvozenje hrane u Mletke.

Mense decembris per indictionem XIV dominus dux cum suo consilio minori et maiori et quadraginta statuit, ut amodo in antea usque sanctum Petrum proxime venientem de iunio omnibus venetis, qui frumentum portaverint ab aliqua terra, que sit ab Ancona supra vel a Jadra supra in Veneciis, silicet Rivo alto, debeat dari de denariis communis Veneciarum pro unoquoque stario venetico solidos II, et eisdem Venetis, qui de civitate Ancone vel de aliqua terra portabunt per ipsam ripam usque Rimanum aut de Jadra vel ex aliqua terra a Jadra usque orum Quarnarii, de quolibet stario delato Rivo alto debeat dari denarios XII.

Liber plegiorum list 43, br. 359, u mletačkom arkivu.

XVIII. God. 1226. siečnja, u Mletcih.

Poslanik mletački odpravljen u Dubrovnik i u Omiš.

In mense ianuarii (ind. XIV) ordinavit dominus dux cum suo consilio, ut si evenerit, quod barca Marci de Vicentia de confinio sancti Heustadii, in qua vadit Vitalis Conzabote legatus pro communi ad eundum usque Raguxium et Dalmisium, in ipso viatico perderetur, id est quod ab ullis gentibus per forcium ei tolleretur, quod commune Veneciarum eidem Marco debeat illam emendare secundum quod valuerit.

Liber plegiorum list 43, br. 360, u mlet. arkivu.

XIX. God. 1226. 17 listopada, u Mletcih.

Dva Mletčana jamče za jednoga Cresanina okrivljena sbog smrti creskoga kneza.

Die XV exeunte octubris, indictione XV. Andreas Truno de confinio sancti Jacobi de Luprio et Michael Sauro de Murano steterunt plegi et pagatores domino duci ad partem communis pro Dominico filio Mathei Marino de Cherso, qui venerat pro obside in Veneciis pro facto mortis comitis N. sub pena librarum D, modo et ordine et condictione suprascripta. Alibi scripta est pleieria ista.

Liber plegiorum list 81, br. 554, u arkivu mletačkom.

XX. God 1226. 13 studenoga, u Mletcih.

Dva Mletčanina jamče za jednoga Zadranina, koj je morao kao taoc prebivati u Mletcih.

Die XIII intrante novembrio, indictione XV. Ja. Michael de confinio sancte Sophie et Filipus Minoto de confinio sancti Luce steterunt plegii et pagatores domino duci ad partem communis Veneciarum de libris D pro Petrigna de Jadra, silicet pro libris CCL pro unoquoque, videlicet,

quod puella quedam nomine . . . pro obside morari debet pro eodem Petrigna, quousque alii obsides moram fecerint; et ad ipsum terminum, quem dominus dux et consilium per litteras mandabit ipsi Petrigne, ut veniat ad Venecias pro obside, veniet et stabit, dum alii steterint.

Liber plegiorum list 69, br. 432, u mletačkom arkivu.

XXI. God. 1227. 1 siečnja, u Mletcih.

Dva Mletčana jamče za jednoga. Zadranina, da ovaj niti tko drugi za njega neće svoj brod iz Mletaka izvesti bez dozvole mlet. vlade.

Die primo intrante februario, indictione XV. Adam Avonaro de confinio sancti Felicis et Johannes de Ymola de confinio sancti Martini de Gemin. steterunt plegii et pagatores pro Nycolao de Jadra sub pena librarum CCC, videlicet quod ipse Nycolaus nec alius per ullum ingenium extra Venecias non conducent banzonem ipsius Nycolay vocatum s. Blaxium, qui erat apud Clugiam minore absque mandato domini ducis et consilii. Testes: Petrus Dandolo et Aurius Barastro.

Liber plegiorum list 72, br. 459, u arkivu mletačkom.

XXII. God. 1227. 15 lipnja, u Mletcih.

Jedan Mletčanin jamči za dva Zadrana, da će se naime ova dva predstaviti duždu, kad jim ovaj zapoviedi, ili na njeko opredieljeno vrieme.

Die XV intrante iunii, indictione XV. Vetranus Balbo de confinio s. Marine stetit plegius domino duci ad partem communis Veneciarum pro filio Dese de Picega nomine . . . . . sub pena librarum D et pro filio Preste de Jadra sub pena aliarum librarum D Veneciarum, videlicet quod, quando dominus dux requiret ei aut requiri fecerit eos vel unum ipsorum hinc ad VIII dies ante festum s. Michaelis proximum septembris, faciet eos presentari coram domino duce, et licet requisiti non fuerint infra terminum, ut dictum est, tamen ad ipsum terminum sub eadem pena tenetur eos facere in eius palatio presentari die XVI intrante augusto, indictione prima in presentia An. Marigloni et D. Dalfini consiliariorum. Dictus Vetranus sub eadem condictione, ut supra dictum est, pleiavit dictos pueros tantum modo in pena librarum D de consignandis ipsis domino duci, ut dictum est, hinc ad festum omnium sanctorum.

Liber plegiorom list 73, br. 480, u arkivu mletačkom.

XXIII. God. 1227. 19 srpnja, u Mletcih.

Dva Mletčana jamče za jednoga Zadranina, da će ga naime izručiti duždu, kad ga ovaj zahtievao bude, i to pod kaznom od 1000 libara.

Die XIII exeunte iulii, indictione XV. Cum Desa de Piceca de Jadra captus in palatio ducatus retineretur, quum de morte quondam Jo. Ragni de Jadra suspectus reputabatur, quod ipsum fecerat interfici, venerunt coram domino duce et suo consilio Leonardus Gradonicus de confinio s. Silveri et Jo. Michael de confinio s. Cantiani, qui ipsum Desam pleiarerunt domino duci ad partem communis Veneciarum sub libris M. Veneciarum silicet Leonardus Gradenicus pro libris DCCLXVI minus tercia et dictus

Johannes pro aliis usque suplementum librarum M, videlicet quod ipsi, quandocumque dominus dux vel eius nuntius eis vel uni eorum requiret vel faciet requiri, hinc ad s. Michaelem proxime dictum Desam sibi dari et presentari, quod infra tercium diem post ipsam requisitionem eum sibi representabunt, et quambis eis vel uni ipsorum non requiret nec requiri faceret in die suprascripti termini vel antea, sub eadem pena suprascripta ipsum tenentur domino duci presentari; testes: Stephanus Betani et s. Badoaro consiliarii. Dictus Leonardus V die intrante septembris, indictione prima consignavit ipsum Desam coram domino duce eiusque consilio, quare de ipsa plegeria deiectus est, in palacio.

Liber plegiorum list 74, br. 483. u mlet. arkivu.

XXIV. God. 1227. 4 listopada, u Mletcih.

Dva Mletčana jamče za njekoga Zadranina, da će ga u opredieljeno vrieme ili kad jim to naloženo bude vladi predati.

Anno domini millesimo ducentesimo vigesimo septimo, die IV intrante octubris, indictione prima, existentibus consiliariis domini ducis M. Storlato, Andrea Mariliono, D. Dalfino, S. Justiniano, J. Mauroceno, J. Badovaro. Die suprascripto Jacobus Malaza de confinio sancte Marie Jubanici et Marinus Michael de confinio s. Sophie steterunt plegii domino duci ad partem communis Veneciarum recipienti pro Desa de Picega de Jadra, qui suspectus habebatur de morte quondam J. Ragni de Jadra, quod ipsum fecerat interfici, ut dicebatur, sub pena librarum D pro unoquoque ipsorum, videlicet quod hinc ad festum natalis proximi, quandocumque dominus dux requiret eis vel uni eorum, ipsum Desam coram eo representari, vel fecerit eis aut uni ipsorum requiri, quod ipsum coram domino duce facient representari, et quamvis non eum requireret vel requiri faceret infra ipsum terminum, tamen sub eadem pena tenentur in die suprascripti festi aut in vigilia natalis consignare ipsum; testes: Andreas Marilionus, D. Dalfinus, J. Maurecenus et S. Justinianus.

Liber plegiorum list 75, br. 490, u arkivu mletačkom.

XXV. God. 1227. listopada, u Mletcih.

(*Ovako počima spomenik 69. Listine I. str. 44.*)

Anno domini millesimo ducentesimo vigesimo VII, mense octubris, indictione prima, tempore quo erant consiliarii domini ducis M. Storlato, Andreas Mariglonus, Dominicus Dalfinus, S. Justinianus, J. Maurocenus et J. Badovaro. Recordationem etc.

XXVI. God. 1228. 4 ožujka, u Mletcih.

Zabranjeno ploviti dalje od Dubrovnika i Tronta.

Die IX intrante marcii, indictione prima, ordinatum est per dominum ducem et eius consilium maius et minus, et stridatum per Johannem Gressum in Rivoalto super scalas, atque datum per ordinem omnibus hominibus Veneciarum a Grado usque Caput ageris, quod nullus homo Veneciarum hinc ad octavam pasce resurectionis audeat exire de Veneciis cum

mercimoniis vel sine mercimoniis causa eundi per mare vel per terram ultra Trontum et ab altera rippa ultra Raguxium in pena perdendi totum suum habere, quod in hoc seculo haberet, nisi foret inde licentiatus a domino duce et consilio, et in pena etiam destructionis domorum eius et tocius possessionis eius. [1]

Liber plegiorum list 90, br. 627, u mletačkom arkivu.

XXVII. God. 1228. svibnja, u Mletcih.

Odredjuje se, gdje se hodočastnici krcati mogu.

Mense madio, indictione prima, huiusmodi ordinem statutum a patronibus navium observandum, videlicet quod nullum caricare vel levare debant peregrinum vel peregrinam absque precepto domini ducis et eius consilii, hoc est ab Arimano infra et ab oro Quarnarii infra. Verum tamen in Arimano ipsos possint caricare et levare et deinde usque montem s. Angeli, excepto in Ancona et eius pertinentiis, ubi nec ire neque aliquem levare debeant peregrinum et ab altera parte ripe, id est ab oro Quarnarii supra usque Raguxium, libere possint eos levare et deferre; ita tamen, quod tercia parte tocius nauli, quod recipient a peregrinis infra ipsa confinia, ut dictum est, teneantur ipsi patrones mandare nobis expeditam sine ullis expensis citius quam poterint bona fide per seccuros homines in testimonio bonorum hominum. Quos homines firmiter credant esse seccuros, et quod nobis vel vobis precipimus cum nostro consilio ipsam terziariam nauli assignent. Hunc ordinem dedimus primo patronibus navis Angeli et naute silicet Stefano Deho et Otoni de Raimero, et Matheo Bolgaro, et P. Pisano, et Matheo Padavino, et Dominico Adamo.

Liber plegiorum list 91, br. 634, u arkivu mletačkom.

XXVIII. God. 1228 12 kolovoza, u Mletcih.

Ustanova glede slobodnoga krcanja hodočastnika na užje granice stegnuta.

Die XII intrante mense augusto, indictione prima, ordinatum est per dominum ducem et eius consilium et stridatum Rivoalto et Brolio, atque per ordinem datum omnibus hominibus Veneciarum a Gradu usque Caput aggeris, quod nullus homo Veneciarum audeat de cetero per se vel eius missum per aliquod ingenium vel argumentum facere caricum peregrinorum in Ancona nec ab Ancona infra, nec in Veneciis nec in Jadra neque a Jadra infra absque precepto domino ducis et consilii, et quod ab Ancona supra usque montem s. Angeli et a Jadra supra usque Ragusium ubi voluerit, facere possit portum et caricum peregrinorum, ita quod quartariam solvere teneatur nostro communi, non computando in ipsa quartaria aliquod dispondium silicet nostro misso speciali vel mittere in Veneciis nobis aut ubi preceperimus per certum et confidentem hominem Voneciarum citius quam poterit.

Liber plegiorum list 93, br. 652, u mletačkom arkivu.

---

[1] Constitutio haec prorogata fuit die 21 martii et 15 aprilis e, a.

XXIX. God. 1228. 2 prosinca, u Mletcih.

Dva Mletčana jamče za dva Zadranina, koji su morali kao taoci prebivati u Mletcih.

Die secundo intrante decembris, indictione secunda. Cerna de Caibono et Josebus filius Laurentii steterunt plegii domino duci ad partem communis Veneciarum pro Lamprezo filio Preste et pro Preste filio quondam Miche Lodine de Jadra, qui pro obsidibus in Veneciis morabantur, sub pena librarum CC Veneciarum, quas liceat domino duci auferre ambobus vel uni quali voluerit ipsorum, videlicet quod si amodo in antea reperiretur, quod aliquis ex patribus ipsorum aliquid faceret vel pertractaret, quod redudaret ad dampnum vel contrarium domini ducis aut Veneciarum seu domini comitis M. Danduli ipsius civitatis vel eius vicecomitis aut terre Jadre, quod consignabunt domino duci in eius voluntate ipsos pueros, si pater Lamprezi vel mater dicti Presti in predictis ceciderint ambo vel alter in aliquo casu predictorum; quod si tantum Lamprezi pater fecerit contra, quod dictum est, solum modo ille puer, cuius pater vel mater offendisset in aliquo ex premissis, ab ipsis plegiis debet domino duci presentari in voluntate sua.

Liber plegiorum list 78, br. 533, u arkivu mletačkom.

XXX. God. 1228. 5 prosinca, u Mletcih.

Zabranjeno poći dalje od Zadra i Firma, niti u Jakin bez vladine dozvole pod kaznom.

Die V intrante decembris, indictione secunda, ordinatum est per dominum ducem et suum consilium minus et maius et XL et stridatum publice Rivoalto in scala, atque datum per ordinem omnibus hominibus a Grado usque Capud ageris, quod nullus Venetus amodo in antea usque sanctum Petrum proximum de iunio per se vel suum missum per ullum ingenium vel argumentum audeat ire vel mandare per terram vel per aquam a Jadra supra nec a civitate Firmi in antea, neque in Ancona quis Venetus vadat vel mittat, secundum quod stridatum alia vice fuit et ordinatum, nisi forte iret vel mitteret ultra loca predicta de consensu et voluntate domini ducis et consilii. Sciendum est, quod litteras mandavimus R. Geno Clugensi potestati X intrante decembris et tenorem dicti banni, rogantes et precipientes, ut dictum bannum in utraque Clugia faceret publice stridari.

Liber plegiorum list 97, broj 177, u arkivu mletačkom.

XXXI. God. 1228. - prosinca.

O ženitbenoj pogodbi medju Balduinom II iztočnim carem i kćerom kralja Ivana de Brienne, u kojoj je spomenut Ivan Asjen II car bugarski.

In nomine domini amen. In primis fiet contractus matrimonialis de Balduino cum filia regis Johannis, et consumabitur matrimonium, cum venerit ad etatem, et dominus rex Johannes habebit imperium et coronabitur imperator ad totam vitam suam, et plenariam habebit potestatem et plenarium dominium tamquam imperator ad totam vitam suam, et quicquid faciet tam in acquisitis quam in acquirendis, firmum et stabile in perpe-

tuum permanebit, salvis iustis tenentis, quas moderni Latini vel antecessores sui tenuerunt a tempore Latinorum et prius decessum regis. Futurus imperator habebit et tenebit dominium imperii plene et integre salvis donationibus, quas rex fecerit tam in feudis quam in aliis, videlicet in acquisitis et in acquirendis, et sālva hereditate assignata vel assignanda heredibus regis. Sane dominus rex tenebit Balduinum, et providebit ei honorifice ad honorem suum et ad honorem Balduini, donec Balduinus ad etatem XX annorum devenerit; et cum Balduinus venerit ad etatem XX annorum, idem Balduinus investietur de regno Niceno cum omnibus pertinentiis suis et de omni terra, quam ultra brachium tenuerunt umquam Latini, adiuncto adhuc ducatu novi castri, salva tenuta hominum Latinorum, quam habuerunt de iure a tempore imperatoris Henrici et eius heredum usque ad amissionem terre, excepto ducatu Nycodimiensi, qui remanebit in manu imperatoris. Et sciendum est, quod in voluntate regis erit capere, quod maluerit, pro heredibus sive vel totam terram, que ultra brachium sicut tenent vel umquam tenuerunt Greci et Latini, vel totam terram, quam tenent Comiano usque ad pertinentias de Dimos et de Adrianopoli, et totum ducatum de Filipople, quisque eum teneat, et totam terram de Sclave, et illam, que fuit de Straces, excepto illo, quod Assanus inde tenet, et excepto regno Thesaloniceno; tali modo quod heres faciet homagium ligium domino imperatori post decessum regis, et faciet servicium debitum pro terra sua sine periculo terre sue, hoc excepto, quod non tenebitur ire in exercitu, in quo persona imperatoris propria non erit, et si forte aliquis habebit feudum in terra ultra brachium et citra brachium in terris heredum regis et imperatoris, faciat ligietatem illi domino, in cuius terra maior pars feudi fuerit, donec habeat heredem de carne propria, quibus possit percipi feudum prius decessum, et hoc sic ne possit perdi feudum ab aliqua parte. Item quicumque tenebit feudum vel dominium ab imperio, immediate faciet regi Johanni homagium ligium ad vitam suam et fidelitatem contra omnes, qui possunt vivere atque mori, excepto Balduino, qui, cum venerit ad etatem XX annorum, regi tenebitur iuramenta ad servandum ipsum et suas conventiones superius annotatas, et ipse Balduinus tenebitur facere servicium debitum imperio de hominibus suis pro tercia sibi assignata, et homines Balduini istius terre, quam habebit, facient homagium ligium regi Johanni, et iurabunt ad servandum conventiones supradictas adhuc in terra, que acquiretur vel reacquiretur. Barones secundum valorem terre milites se feudabant. Item filie regi, que erit uxor Balduini, assignabitur pro dotalio XX milia yperperorum terre ad considerationem domini patriarche et quatuor baronum imperii. Porro regine videlicet uxori regis assignabitur dotalia in terra, quam rex eliget pro heredibus suis. Et si forte contiget, regem decedere prius quam terra heredum suorum fuerit aquista, providebitur regine de dotalicio in terra, quam prius acquiretur de consilio domini patriarce et IV baronum, istud condistionis inter posito, quod tam cito terra heredum regis erit acquisita, ipsa capiet dotalicium suum in eadem. Si inveniatur tantum, quod possit fieri ad arbitrium predictorum, et tunc terra illa ad imperatorem futurum revertetur absolute. Sane omnes feudati in imperio iurabunt, se tenere et servare omnes istas conventiones, et recipere regem in dominum et imperator quando ad terram veniet deo dante. Rex vero, quando coronabitur,

iurabit super sancta se servare, manutenere et deffendere imperium, iura imperii et honores et comprobatas consuetudines imperii bona fide. Salvis iuribus et honoribus Venetorum et ecclesiarum ista fiant.

Liber plegiorum list 97-8, broj 681, u mletačkom arkivu. Ovaj spomenik nema datuma, ali stoji upisan medju dva druga, koja ga imaju. Onaj, koj stoji pred ovim, nosi datum: die XI intrante decembris, indic. secunda; *a onaj, koj ga neposredno sliedi, ima ga ovako*: die ultimo exeunte decembris ind. secunda 1228. *Indikcija točno odgovara g. 1228.*

XXXII. God. 1248. 10 lipnja, u Zadru.

Pažka općina dozvoljuje zadarskoj, da za njeko vrieme na svoju korist stavi namet na sol, koja bi se iz pažkoga otoka izvažala.

Hoc est exemplum unius instrumenti autentici illorum de Pago, exemplatum de ducali mandato. In nomine eterni, amen. Anno ab incarnatione domini nostri iesu christi millesimo ducentesimo quadragesimo octavo, mensis iunii die decimo intrante, indictione sexta, Jadre. Urgente maxima necessitate communis Jadre propter varias obligationes et debita, et maxime propter promissiones factas illustri domino duci et communi Venetiarum ad instantiam nobilis viri domini Stephani Justiniano comitis Jadre, eiusque consiliariorum dominorum Johannis Gradonici, et Mathei Cornarii, et iudicum eius scilicet Joseph de Laurechina, Volzigne, Mathafari et Grisogoni de Mauro, et tocius consilii minoris et maioris, nos quidem Diminzi filius condam Hyvani, Desse Sclavus filius condam Desiz iudices, et Georgius diaconus filius Postigne, procuratores, sindici et actores communis Pagi in presentia omnium supradictorum in consilio maiori existentium propter reverentiam et dilectionem, quam erga commune Jadre hucusque habuimus et habemus, et propter instantem necessitatem, liberaliter et spontanee promittimus et gratuito concedimus nomine et vice communis Pagi in succursum, subsidium et auxilium dicti communis Jadre, ut omnis, qui extraxerit sal ab insula Pagi, sive sit Pagianus sive extraneus, solvat quinquaginta solidos denariorum Venetorum pro centenario modiorum illi vel illis, qui ad illos denarios recipiendum deputati fuerint a domino comite et communi Jadre usque ad quadriennium proxime venturum, cum tali tamen protestatione facta in presencia tocius dicti consilii, quod ista liberalis et gratuita temporalis concessio, finitis quatuor annis, nobis vel posteris nostris aliquod preiudicium generare non possit, nec contra quadrigenalis solutionis vel temporis prescriptio nobis vel posteris nostris in futurum aliquo modo obici possit vel in consuetudinem deduci. Unde nos Stephanus Justinianus dei gratia comes Jadre et consiliarii cum iudicibus et universo consilio minori et maiori firmiter promittimus, et vollumus istam protestationem robur et vigorem in futurum habituram, et istam liberalem, et gratuitam vestram concessionem nullum vobis vel successoribus vestris in posterum preiudicium generaturam, nec quadrienalis solutionis vel temporis prescriptionem vel consuetudinem vobis, vel posteris vestris aliquo modo obici posse, vel preiudicare in futurum, nec etiam nobis vel posteris nostris aliquod preiudicium possit generare in futurum. Et ad huius nostre responsionis confirmationem, robur et firmitatem precipimus instrumentum publicum conscribi, et manu propria roborari. † Ego

Stephanus Justiniano comes Jadre manu mea subscripsi. † Ego Johannes Gradonicus Jadre consiliarius manu mea subscripsi. † Ego Grisogonus de Mauro iudex manum meam misi. † Ego Jurisclavo de Stope examinator manu mea subscripsi. † Ego Grisogonus filius Duimi camararius manu mea subscripsi. † Ego Vitaza de Scolatura manu mea subscripsi.

L. S. Ego Petrus Schandolarius presbiter sancti Appolinaris Jadre notarius hiis predictis interfui rogatus per preceptum domini comitis, ut audivi hanc cartam scripsi et roboravi, et signo consueto signavi. Ego Marcus Zane notarius curie etc.

Commemorialium III. 183, u mletačkom arkivu.

XXXIII. God. 1251. 24 kolovoza, u Mletcih.

Zadrani sporedjeni Mletčanom u koliko se ticalo uvoženja trgovine iz napuljske države u Mletke.

In nomine dei eterni amen. Anno ab incarnatione domini nostri Jesu Christi millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, die octavo exeunte mense augusti, indictione nona, Rivoalti urbe felici, in palacio ducatus Veneciarum, presentibus testibus rogatis nobilibus viris Lampre filio quondam Preste de Daria, Yvano filio Petrici de Forte, Dimitrio filo Preste de Matafaro, Matheo filio quondam Theodori Thosaningi, Andrea filio Bende, Jadretinis, Johanne Barocio, Bartholomeo de Mugla, Henrico Fuscareno, Dominico Arimundo de Veneciis, et aliis multis, coram domino Marino Mauroceno dei gratia inclito duce Veneciarum. Nos Stephanus de Pizega et Zerne de Mergia, nuncii et ambaxatores comitis, consiliariorum et communis Jadre, habentes plenam commissionem ab eisdem, tenor cuius commissionis inferius continetur, concedentes concedimus et determinamus nomine et vice predictorum comitis, consiliariorum et communis Jadre, ut amodo Jadratini de mercibus, quas detulerint Venecias de regno Sicilie sive Apulie et de aliis partibus undecumque, illud datium communi Veneciarum in Veneciis dare et solvere debeant et teneantur, quod constitutum est vel de cetero fuerit constitutum per dominum ducem et commune Veneciarum dandi et solvendi ab hominibus Veneciarum in Veneciis communi Veneciarum pro datio dictorum mencimoniorum, quas Veneti Venecias apportarent, ita quod Jadratini in dictis dationibus equales esse debeant Venetorum. Tenor autem commissionis, cuius est habita superius mentio, talis est: In nomine dei eterni amen. Anno ab incarnatione millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, mense iulio, die quarto intrante, indictione nona, Jadre. Committentes committimus nos quidem Bauduinus Quirinus dei gratia comes Jadre et Johannes Delfinus ac Raphael Betani ambo consiliarii comitis cum nostris iudicibus Preste Matafari, Papo Petrogne, et Cosa Saladini, una cum nostro consilio universo ad sonitum campane in ecclesia sancti Petri novi more solito congregato per nos et universum nostrum commune Jadrense vobis namque nobilibus viris Stephano de Pizega et Zerne de Mergia dilectis nostris fidelibus et nunciis specialibus, quod ire pro nobis et nostro nomine debeatis ad pedes illustrissimi ac magnifici domini nostri Marini Mauroceni dei gratia Veneciarum, Dalmacie atque Chroatie incliti ducis nec non quarte partis et dimidie tocius imperii Romanie dominatoris strenuissimi ad petendum gratiam et miseri-

cordiam ab eodem de omnibus, que vobis videbitur conveniens atque decens, et in augendo sive minuendo ac corrigendo pactum inter Venecias et Jadram confectum; promittentes, firmum et ratum habere, quicquid in omnibus et per omnia super hiis duxeritis faciendum. Actum est hoc in maiori consilio et firmato omnibus presentibus in predicta ecclesia sancti Petri novi de Jadra. † Ego Balduinus Quirino comes Zadre manu mea subscripsi. † Ego Johannes Delfino consiliator Jadre manu mea subscripsi. † Ego Rafael Betano consiliator manu mea subscripsi. † Signum subscriptorum Preste et Cose iudicum, qui hec rogarunt. † Ego Papo Petrogne iudex manu mea subscripsi. † Ego Bartholomeus de Duman examinator manu mea subscripsi. † Ego Petrus Scandolarius, presbiter sancti Apollinaris Jadre notarius, hiis predictis interfui, rogatus, ut audivi, hanc cartam scripsi, roboravi et signo consueto signavi.

L. S. Ego Gabriel Paulinus, notarius et ducalis aule Veneciarum cancellarius, predictis interfui, rogatus scripsi, complevi et roboravi.

Izvornik na pergameni u arkivu mletačkom. Dipl. br. 55.

XXXIV. God 1256. 12 travnja, u Mletcih.

Mletčanom zabranjeno jamčiti u koliko se tiče zajmova ili trgovačkih pogodaba sklopljenih u Mletcih s ugarskimi ili nemačkimi podanici.

De non dandis pignoribus contra Hungaros et Theotonicos. Millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto, indictione XIV, die XII intrante aprili, capta fuit pars in consilio maiori et ordinatum: quod dominus dux et Venecie non debeant se intromittere de cetero modo aliquo ad dandum pignora alicui pro imprestitis aut mercatis, que facta sint in Veneciis cum hominibus Hungaris vel Alemanie, et quod hec pars non possit revocari nisi per sex consiliarios minoris consilii et XXX de XL et maiorem partem maioris consilii, et eciam quod dominus dux et consiliarii teneantur facere hoc addi in capitulari venturorum consiliariorum.

Liber communis I. 38, u mletačkom arkivu.

XXXV. God. 1256. 9 lipnja, u Mletcih.

Knez i savjetnici zadarski nesmiju primati darova.

Quod comes Jadre et consiliarii non recipiant donum vel presens. Millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto, indictione XIV, die IX intrante iunio, capta fuit pars: quod comes Jadre, nec consiliarii non debeant recipere nec recipi facere donum aliquod nec presens ab aliquo habitatore nec mercatore nec alia persona Jadre nec terrarum Sclavonie nec Dalmacie nec aliqua alia persona aliquo modo vel ingenio, excepto a suis parentibus et amicis de Veneciis transeuntibus inde quicquid eis transmissum fuerit vel datum in donis.

Zecca. Svezak I, u arkivu mletačkom.

XXXVI. God. 1256. 30 srpnja, u Korčuli.

Korčulani prisižu viernost svomu knezu Marsiliu Zorzi.

Juramento et sugetion delli Curzolani fatto a meser Marsilio Zorzi dappoi che la conquisto l' anno 1256 al penultimo de luglio.

Nos vero comitatus Curzule et Melete omnes et singuli bona fide et fraude postposita, sponte, vi aliqua non accedente, iuramus ad sacra dei evangelia, quod de cetero D. Marsilio prefacto tamquam nostro comiti in perpetuum fideles erimus, et ipsum habebimus a modo in antea pro nostro comite et domino in perpetuum, sicut iuravimus et habuimus et habere debuimus a principio, quando supposuimus sibi nos et terram, et quando ipse venit et cepit eam redificare nobiscum, et licere ei suo loco aliquem vicem comitem ponere, cum ipse ressidentiam non fecerit pro suo arbitrio voluntatis.

Ragusi. Scoglio della Caccia. Camera dei confini. Dalmazia, busta 4, u mlet. arkivu.

XXXVII. God. 1258. 22 svibnja, u Mletcih.

Zabranjeno knezovom rušiti pogodbe od njihovih predšastnika utanačene,

Quod nullus comes possit rumpere aliquod pactum factum per predecessorem suum. Millesimo ducentesimo quinquagesimo octavo, indictione prima, die XI exeunte maio, pars capta fuit: quod comes aliquis non possit nec debeat rumpere pactum nec contractum, quod factum sit per aliquem suum predecessorem cum aliqua terra vel cum aliqua persona sine voluntate et collaudacione maioris partis consilis dicte terre, et si comiti videretur rumpendi pactum aliquod vel contractum factum per aliquem ex suis predecessoribus, et maiori parti consilii dicte terre non videbitur, debeat comes hoc domino duci et suo consilio declarare, et inde fiat, sicut domino duci et consilio suo videbitur faciendum; et hec sint ad voluntatem domini ducis et sui consilii.

Zecca. Filza I, u mletačkom arkivu.

XXXVIII. God. 1269. 2 siečnja, u Mletcih.

Oporuka Marsilia Zorzi kneza korčulanskoga.

Testamento de meser Marsilio Zorzi fatto l' anno 1269 alli 2 gennaro. In dei eterni nomine amen. Anno ab incarnatione domini Jesu Christi millesimo ducentesimo septuagesimo primo, mensis februarii die quarta ineunte, indictione quinta decima, Rivoalti, productio et punctus unius testamentarie, et roborationis facte anno ab incarnatione domini nostri Jesu Christi millesimo ducentesimo sexagesimo nono, mense ianuarii, die secundo exeunte, indictione XIV, Rivoalti, quod fieri fecit d. Marsilius Georgio de confinio sancti Gervasii, comes perpetuus Curzule et Melete, in quo constitnit sue fidei commissarios dominos procuratores sancti Marci, qui nunc sunt vel erunt per tempora constitutos super commissariis solummodo in comitatu Curzule et Melite et eius pertinentiarum, et inter cetera continetur et legitur, quod ipse dominus Marsilius dimisit suum comitatum Curzule et Melete cum isto modo et ordine factis et conditione inferius denotatis, quicunque de sua prole seu parentela Georgiorum si presentaverit commissariis suis predictis dictum comitatum Curzule et Melite ad accipiendum infra unum mensem post suum dicessum, tamen etiam solvere debeat infra duos menses post suum obitum commissariis suis libras denariorum Venetorum mille, postmodum vero solvero debeat eisdem com-

missariis suis predictis omni anno libras denariorum Venetorum centum donec solverit libras denariorum venetorum duo millia predictis commissariis.

Ragusi. Scoglio della Caccia. Camera dei confini. Dalmacia, busta 4, u mletačkom arkivu.

XXXIX. God. 1270. 16 rujna, u Mletcih.

Opredieljena daća za srebro dolazeće iz Ugarske.

De dacio argenti. Millesimo ducentesimo septuagesimo, indictione XIV, die XVI intrante septembri pars capta fuit et ordinatum et revocatum fuit consilium de argento in tantum, quod dacium tollatur sicut antea tollebatur, salvo quod dictum est de Lucensibus sit firmum, et salvo quod de argento, quod veniet de Hungaria tam per terram quam per aquam tollatur solidi XIV pro centenario sicut antea tollebatur.

Liber communis II. 116, u mletačkom arkivu.

XL. God. 1271. 4 rujna, u Mletcih

Procuraturi sv. Marka imenuju Rugera Zorzi korčulanskim knezom.

Elettion fatta per li procuratori di S. Marco de meser Ruzier Zorzi in conte di Curzola in essecution del testamento de meser Marsilio Zorzi l' anno 127! alli 4 settembre. Cum igitur vos nobilis vir Rugerius Georgio de confinio s. Angeli presentavissetis vos nobis Jacobo Contareno et Antonio Superantio, procuratoribus s. Marci super commissarias constitutos commissariis suprascripti d. Marsilii Georgio de confinio s. Gervasii infra unum mensem post decessum suprascripti domini Marsilii Georgio ad accipiendum dictum comitatum Curzule et Melete secundum formam testamenti predicti d. Marsilii, et quod plus fiat ad ipsam vestram presentacionem confirmandam obtulistis nobis duodecim denarios pro libra secundum consuetudinem terre nostre, et similiter infra duos menses post obitum suprascripti d. Marsilii dedistis et solvistis libras denariorum venetorum mille, promittendo et obligando vos nobis, quod de cetero omni anno dabitis et solvetis nobis libras denariorum venetorum centum donec solveritis libras denariorum venetorum duo millia nobis predictis commissariis vel successoribus nostris sine illis predictis libris denariorum venetorum mille, quas iam nobis dedistis; et cum nullus alius preter vos de prole sive parentela Georgiorum se presentaverit nobis commissariis predictis ad accipiendum dictum comitatum Curzule et Melete quam vos presentavistis infra unum mensem pro predicto comitatu accipiendo, et infra duos menses post obitum supradicti d. Marsilii Georgio dedistis nobis libras denariorum venetorum mille, ut dictum est, ac et nobis ad sacra dei evangelia iurastis regere dictum comitatum, custodire et manutenere homines ipsius insule et eiusdem comitatus secundum modum et formam superius in testamento comprensam, plenam et irrevocabilem securitatem facimus nos Jacobus Contarenus et Antonius Superantius, procuratores sancti Marci super commissariis constituti commissarii supradicti domini Marsilii de confinio s. Gervasii cum nostris successoribus vobis domino Rugierio Georgio de confinio sancti Angeli, ac vestris heredibus secundum formam et

modum in testamento predicti d. Marsilii de Georgio denotatam, ubi conditio ipsius comitatus, qualiter devenire debet de herede in heredem plenius continetur de iam dicto comitatu Curzule et Melete, et omnibus honorificentiis, homagiis, feudis ac omnibus rationibus, iurisdictionibus, iuribus et pertinentiis ad supradictum comitatum Curzule et Melete spectantibus, de quo toto predicto comitatu Curzule et Melete, et omnibus, que ad ipsum comitatum pertinent etc.

Ragusi. Scoglio della Caccia. Camera dei confini. Dalmazia, busta 4, u mletačkom arkivu.

XLI. God. 1274. 25 kolovoza, u Zadru.

Mir utanačen medju republikom mletačkom i omiškom občinom.

In nomine domini dei eterni amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, indictione secunda, die vicesimo quinto mensis augusti, in palacio, ubi nunc comites Jadre morantur, ubi consilia Jadre fiunt, presentibus viris nobilibus Lumpre de Nichola, Pasca Varicassi, nunc iudicibus Jadre, Cosa Saladini, Micha Bochez et Vulcigna de Grinano, omnibus civibus Jadre, et aliis pluribus. Temporibus equidem magnifici viri domini Laurencii Teupoli illustris Veneciarum ducis, et magistri Laurencii archiepiscopi Jadrensis, ac viri nobilis domini Albertini Mauroceno egregii comitis Jadre. Ut in statu pacifico et quieto prefatus dominus Laurencius Teupolo dux, commune et homines predicte Veneciarum civitatis una cum suis fidelibus specialiter cum circumvicinis suorum fidelium maneant in eternum. Idcirco noverint universi presentem paginam inspecturi, quod ad presenciam predicti domini Albertini egregii comitis Jadre nec non dominorum Johannis Cornarii et Nicolai Minio, consiliariorum civitatis presentis, viri nobiles comes Rados et Bogdanus de Almesio suo nomine, communitatis et hominum Almesii venientes, dixerunt et proposuerunt pro parte sua, communitatis et hominum dicte terre, quod voluntas sua diu extiterat et nunc erat se reconciliandi, et ad domini ducis et communis Veneciarum gratiam veniendi, se pronos et humiles offerentes mandatis ipsius domini ducis et communis Veneciarum supradicti obedire perpetuo; petentes etiam et cum instantia requirentes pacem et desideratum concordium cum ipso domino duce et communi Veneciarum in futurum. Unde vir nobilis supradictus dominus Albertinus Mauroceno una cum suis consiliariis superius annotatis plenam, sanam et integram habens comissionem a prefato domino duce et communi Veneciarum supradicto bulla plumbea pendenti consueta munitam tractandi, faciendi et liberaliter affirmandi pacem et verum concordium cum dictis nobilibus comite Rados et Bogdano suo, communitatis et hominum Almesii nomine ipsius domini ducis et communis Veneciarum supradicti nomine prout in dicta comissione de verbo ad verbum inferius inscripta continetur expresse, facta et publicata per Conradum notarium et ducalis aule Veneciarum cancellarium, eorum nobilium benigne peticionibus et supplicacionibus condescendens, eos nomine ipsorum communitatis et hominum Almisii ad pacem et perpetuale concordium recepit in hunc modum, ut infra legitur obtinendum. Imprimis videlicet quod idem dominus Albertinus comes Jadre una cum consiliariis supradictis vice et nomine domini ducis, communitatis et hominum Vene-

tiarum omnia dampna facta seu data per nobiles supradictos Almesii, communitatem et homines dicte terre Venetis vel eorum fidelibus aut aliis quibuscumque personis cuiuscumque ritus exstiterint ex quacumque causa vel ingenio aut modo, eisdem generaliter et specialiter suo, communitatis et hominum Almesii nomine, quietaverunt, remiserunt, pactum, finem, remissionem et reffutacionem fecerunt, quod per se suosque successores, ac vice et nomine predicti domini ducis et communis Veneciarum nunquam eos vel eorum heredes, communitatem et homines Almesii pro dampnis predictis vel occasione ipsorum habitorum et receptorum ab eis, ut superius dictum est, molestabunt vel molestiam facient per se vel alios suo vel dicti domini ducis et communis Veneciarum nomine, nec aliquid de dampnis predictis decetero petere vel peti facere, nisi secundum quod in istis pactis presentibus plenius continentur. Et e converso predicti nobiles comes Rados et Bogdanus Almesii, suo, communitatis et hominum Almesii nomine generaliter et specialiter per se suosque heredes et successores quietaverunt, remissionem, pacem, finem, refutacionem et absolucionem fecerunt iamdicto domino Albertino comiti consiliariisque suis predictis, suo, communis et hominum Veneciarum suorumque omnium fidelium nomine, et pactum de dampnis predictis vel occasione ipsorum restauracionem de non plus petendo; et una pars alteri parti spontanea voluntate promisit suo et suorum communium nomine omnia predicta et singula observare et manutenere perpetuo per se suosque heredes et successores, salvis pactis et condicionibus inferius nominatis. Item pro restauratione dampnorum in posterum habitorum et receptorum ab hominibus Almesanis datorum hominibus Veneciarum suisque fidelibus promiserunt iidem comites Rados et Bogdanus Almesii suo, communitatis et hominum Almesii nomine predicto domino Albertino comiti, suisque consiliariis supradictis, suo, domini ducis, communitatis et hominum Veneciarum nomine pro bono pacis et concordie dare et solvere ipsi domino Albertino et dictis consiliariis recipientibus pro se vice et nomine dicti domini ducis et communis Veneciarum vel aliis personis, que super hiis constitute fuerint per commune Veneciarum supradictum libras decem milia denariorum venetorum parvorum pro viginti annis proximis venturis, videlicet libras quingentas annuatim, incipiendo terminum a nativitate domini proxime ventura usque ad aliam nativitatem domini proxime venturam anni futuri, solvendo pro quolibet termino in capite anni, pro quibus solvendis et attendendis se et omnia sua bona presentia et futura suorumque heredum ubicumque manentia liberaliter obligarunt ac bona communis et hominum Almesii supradicti sub pena dupli dampni et interesse. Fideiussores autem eorum extiterunt et principales debitores viri nobiles domini Andreas de Cotopagno, Johannes de Zevatellis, Jacobus de Zadolino, Gregorius comitis Helye, Laurentius de Zevalellis, Vita de Cerne, Vulcigna de Matafarro, Dessa de Fanfogna, Barchy de Jurisclao et Thomanus Johannis Zavate, qui omnes promiserunt dictas libras decem milia denariorum parvorum ad dictos terminos solvere annuatim prefato domino Albertino comiti ac consiliariis predictis recipientibus pro se, domino duce et communi Veneciarum vel aliis personis loco eorum existentibus, ut dictum est, solvendo libras quingentas pro anno ut superius legitur, solventes predicti fideiussores seu principales debitores pro rata secundum quod eis contingerit de

dictis libris quingentis per terminos supradictos, si dicti comes Rados et Bogdanus ad dictos terminos non solverent constitutos, penam et expensas, ut dictum est, credendo de expresso soli verbo dicti domini comitis et suorum consiliariorum vel aliorum, qui loco eorum fuerint, cum obligatione omnium suorum bonorum presentium et futurorum; renunciantibus expresse sua libera et spontanea voluntate prefati comes Rados et Bogdanus Almesii suo, communitatis et hominum Almesii nomine, ac omnes fideiussores seu principales debitores eorum omnibus legibus, iuribus, allegationibus et consuetudinibus, quibus se tueri possint vel in aliis contravenire; ita tamen, quod si dicti comites Rados et Bogdanus Almesii suo, communitatis et hominum dicte terre nomine defficerent in aliquo termino per superius predictorum, quod dictas libras quingentas, ut dictum est, annuatim non solverent, quod omnes et singuli fideiussores seu principales debitores eorum suique heredes pro aliis sequentibus terminis de fideiussione predicta ulterius nullatenus teneantur, sed liberaliter ex nunc absoluti permaneant de venturis terminis, ut superius continetur. Nichilominus tamen predicta promissio contra predictos comitem Rados et Bogdanum suo suorumque heredum et successorum, communitatis et hominum Almesii nomine eorumque bona rata et inviolata permaneat in eternum usque ad dictarum decemmilium librarum integram satisfactionem, penarum et expensarum, ut dictum est. Item promiserunt predicti comes Rados et Bogdanus Almesii suo, communitatis et hominum dicte terre nomine et sacramento stringuntur, quod pro restauratione dampnorum datorum hominibus Veneciarum vel eorum fidelibus per eos vel homines Almesii a pascate resurrectionis domini nuper preterite usque ad hodiernam diem, credendo de quantitate dictorum dampnorum verbo tantummodo domini comitis supradicti et suorum consiliariorum, de quibus vero et pro quibus dampnis iam mille libre denariorum venetorum parvorum solverunt domino comiti et consiliariis supradictis, et de residuo seu quantitate residui, quod ultra ascenderent ipsa dampna, dare et solvere promiserunt et tenentur ad illum terminum vel terminos, quem vel quos dictus dominus Albertinus comes cum suis consiliariis assignabit eisdem, se in hoc ipsorum arbitrio exponentes. Et si residuum seu residui quantitatem non solvevent ad terminum vel terminos eis per ipsum comitem et consiliarios datos, quod ex nunc cadant de libris mille predictis, quas occasione dicte restauracionis solverunt, ut superius continetur; ita quod de ipsis nullum ius valeant obtinere, quemadmodum ipsas minime persolvissent. Insuper promiserunt prefati comes Rados et Bogdanus suo, communitatis et hominum Almesii nomine dicto domino Albertino comiti dictisque consiliariis vice et nomine domini ducis, communis et fidelium Veneciarum, quod nullum lignum de cursu de Almexio exire permittent, nisi prius iurare fecerint comitos et naucleríos ipsius ligni vel lignorum, et alios, qui posse vel dominium in ligno vel lignis haberent, ac omnes homines ligni vel lignorum, quod omnia, que continentur in pactis presentibus, plenius observabunt, et non contravenient aliqua ratione vel causa. Item quod ab ipsis comitis et naucleriis et ab illis personis, qui posse seu dominium in ligno vel lignis haberent, bonam accipient cautionem de omnibus satisfaciendis hominibus seu personis vel eorum nunciis. Item predicta raubatis tum de bonis eorum quam de bonis suorum fideiussorum, ut inferius est expressum, si contra predicta

venirent seu venire presumpserint. Item si dominus dux Venetiarum vellet accipere de hominibus dicte terre, et operari eos ad servicium communis Veneciarum pro solido, non contradicent rectores nec comites dicte terre, immo permittent venire illos, qui venire voluerint sine ullo impedimento. Item non venient homines Almesii a Polmotora ultra, nec ab Arimino ultra versus Venecias modo aliquo nisi venirent per fortitudinem temporis; et si per fortitudinem temporis eos venire contingerit a dictis confinibus ultra, non facient alicui persone offensionem modo aliquo in personis nec in rebus. Item a terra Palme ultra non facient offensionem aliquam alicui persone modo aliquo, que abducat blavam vel carnes tam vivas quam mortuas Venecias; et non venient nec aproximabunt se alicui ligno vel lignis Veneciarum aut suorum fidelium ubicumque existentium tam extra confines quam etiam intra confines sine verbo illorum de ligno vel lignis et suo consensu. Et si cum verbo illorum de ligno vel lignis venient et aproximabunt se, non venient nisi cum puppe in antea; nec in ligno vel lignis intrabunt seu descendent nisi de voluntate illorum de ligno vel lignis; et si personam forensis aut personas forensium, vel eorum bona in ligno vel lignis Veneciarum aut suorum fidelium invenirent, non facient eis aliquam iniuriam vel molestiam in parte aliqua ullo modo in personis nec in rebus; nec accipient vel accipi facient vel permittent aliquid modo aliquo hominibus Veneciarum vel personis aut suorum fidelium ubicunque fuerint contra predicta omnia, ut dictum est; et si acciperint, aut accipi fecerint, vel permiserint, promiserunt ea omnia reddere et integraliter restituere ipsis hominibus deraubatis vel suis nuntiis, credendo de quantitate rerum ablatarum hominibus vel personis, qui deraubati fuerint, cuiuscumque conditionis existant, aut eorum nuntiis secundum quod per sacramentum firmaverint, ut inferius continetur. Insuper promiserunt dicti comites Rados et Bogdanus Almesii suo, communitatis et hominum ipsius terre nomine, quod si aliquem vel aliquos Venetos aut personas Veneciarum vel suorum fidelium in ligno vel lignis aliquorum forensium invenerint, quomodocumque in ipsis lignis fuerint, quod ipsos Venetos et personas ac fideles Veneciarum salvos et securos habebunt, tenebunt et facient in personis et rebus; et si contrafecerint, solvere teneantur et reddere, ut inferius est expressum; ita tamen, quod Venetus vel Veneti aut fideles Veneciarum, qui inventi fuerint in lignis forensium, ut dictum est, iurabunt et affirmabunt per sacramentum aut per librum vel libros eorum ostendent omnes res, quas habent in dictis lignis, et tunc omnia restituantur eisdem secundum sacramentum eorum vel ostensionem libri vel librorum suorum, ac ipsum vel ipsos salvos facient de personis eorum. Preterea promiserunt predicti comes Rados et Bogdanus suo et communis Almesii nomine omnes raubatones punire, qui contra predicta feeerint, et bona deraubata restituere; et si inventa non fuerint bona deraubata, quod possint restitui in parte vel toto, ea restituent de bonis raubatorum vel fideiussorum eorum; et si de bonis raubatorum vel fideiussorum eorum inventa non fuerint ad restaurationem de predictis faciendam, dabunt raubatores et personas raubatorum et fideiussorum eorum in fortia et manibus communis Veneciarum. Et si persone raubatorum et fideiussorum suorum non reperirentur, dabunt et solvent bona deraubata integraliter de bonis communis Almesii supradicti. Ceterum ut ulterius nulla inter partes sepius nominatas magna vel

parva questio oriatur promiserunt supradicti comes Rados et Bogdanus Almesii suo et communitatis dicte terre nomine eidem domino Albertino Mauroceno comiti suisque consiliariis supradictis nomine dicti domini ducis et communis Veneciarum recipientibus, et se obligaverunt spontanea voluntate coram comite supradicto, ab eodem etiam cum magna instantia postulantes, quod si de voluntate domini ducis et communis Veneciarum provehit, licitum sit ipsi domino duci et communi Veneciarum supradicto hominem unum in ipsa terra Almesii ponere, qui illuc debeat permanere, coram quo si aliquis vel aliqui Almesani presummerent contra predicta, ut superius est expressum, aut quodlibet predictorum vel facerent restaurationes dampnorum omnium datorum ulterius per eosdem, sine dilatione qualibet satisfiant per illos homines vel personas, qui talia facere presumpserint, aut per fideiussores eorum vel per commune civitatis Almesii, et quod per hominem supra dictum videantur et cognoscantur dampna illata decetero hominibus vel personis Veneciarum vel suorum fidelium undecunque, et secundum eius sentencias procedatur de quantitate rerum per homines Almesii ablatarum, ad hoc, ut nunquam inter predictas partes propter hoc aliqua scandala nasci possint. Ad hec autem, ut predicta omnia et singula robur firmitatis obtineant, prefati nobiles comes Rados et Bogdanus Almesii suo, communnitatis et hominum Almesii nomine, suorumque heredum et successorum corporaliter iuraverunt ad sancta dei evangelia tactis evangeliis sacris, et super cruce sacratissima christi omnia supradicta et singula firma et rata habere, tenere et nullo modo contravenire aliqua ratione vel causa magna vel parva, ac in perpetuum inviolabiliter observare. Et si contra predicta vel aliquod predictorum ire presumpserint aut iverint, quod iamdictus dominus Albertinus comes una cum consiliariis supradictis vel alius aut alii, qui loco ipsorum positus vel positi forent, prout de beneplacito et mandato ipsius domini ducis et communis Veneciarum procedet et consensu, esse debeat vigilis, sollicitus et attentus cum civitatibus et communitatibus fidelium Veneciarum ad dampnificandum eosdem in personis et rebus tanquam eorum perfidos inimicos, vice et nomine dicti domini ducis et communis Veneciarum supradicti. Et si dampna aliqua tam in personis quam in rebus ab aliquibus Venetis vel fidelibus Venetorum in locis aliquibus sustinerent, faciendo contra predicta, ut superius dictum est vel quodlibet predictorum tam in morte hominis vel hominum, quam etiam in rebus eis ablatis, promiserunt, quod nunquam staurationem aliquam petent a communi Venetiarum suisque fidelibus, et ex nunc sua libera et voluntate spontanea super hiis expresse omnibus suis iuribus et rationibus renunciaverunt. Similiter promiserunt per prestitum iuramentum, quod insuper (vacat) dies postquam dominus comes Jadre predictus ac consiliarii memorati suum ambaxatorem nomine dicti domini ducis et communis Veneciarum Almesium miserint, quod facient iurare omnes et singulos a quatuordecim annis super omnia supradicta et singula inviolabiliter observare, manutenere et facere per se suosque eredes et successores bona fide sine fraude, quemadmodum ipsi nobiles iuraverunt; et si dicto domino duci placuerit eiusque consilio, quod teneantur sacramenta in capite quinque annorum quorumlibet innovare. Promiserunt similiter sepedicti comes Rados et Bogdanus suo, communis et hominum Almesii nomine, et corporaliter iuraverunt, si domino duci Veneciarum

placuerit, omnes homines et personas, quos commune Veneciarum pro inimicis habebit et tenebit, eos similiter habebunt et tenebunt, salvo in eo quod tenentur domino regi Ungarie. Equidem vero prenominatus dominus Albertinus Mauroceno comes una cum consiliariis supradictis, scilicet dominis Johanne Cornario et Nicolao Minio vice et nomine domini ducis et communis Veneciarum supradicti suorumque successorum ac omnium Veneciarum fidelium promiserunt dominis comiti Rados et Bogdano de Almesio, recipientibus pro se vice et nomine communitatis et hominum terre predicte ipsos homines Almesii, heredes et successores eorum salvos et securos facere, tenere et habere tam in mari quam in terra ac in qualibet mundi parte in personis et rebus et in omnibus aliis, que haberent aut lucrati forent ultra formam presentis pagine, ipsosque ut amicos et fideles eorum habere, tenere et tractare ac perpetuo conservare. Tenor vero comissionis superius nominate talis est. Nos Laurentius Teupolo dei gratia Veneciarum, Dalmacie atque Croacie dux, dominus quarte partis et dimidie totius imperii Romanie. Notum facimus tenore presencium universis, quia per nos et nostrum minus et maius consilium nomine nostro et nostri communis Veneciarum facimus et constituimus nobiles et sapientes viros Albertinum Mauroceno de nostro mandato comitem Jadrensem, Johannem Cornario et Nicolaum Minio eius consiliarios, fideles nostros dilectos, nostros et ipsius communis syndicos et actores et procuratores, ac plenam virtutem et potestatem eis damus auctoritate presencium faciendi, tractandi et firmandi et complendi pactum compositionem et pacem cum comitibus sive rectoribus et communitate Almesii, promissiones et securitates faciendi et recipiendi propter hoc secundum quod eis vel maiori parti melius et utilius apparebit, promittentes nomine nostro et communis Veneciarum firmum et ratum habere et tenere et non contravenire, quicquid predictus comes et predicti consiliarii vel maior pars eorum in predictis et circa predicta duxerint faciendum. Et ad maiorem huius rei firmitatem et evidentiam pleniorem presentes litteras fieri fecimus, et nostri sigilli munimine iussimus roborari, ac per manum Conradi notarii et curie nostre cancellarii roborari, currente anno domini millesimo CCLXXIV, mense augusti die XVI, IX. indictione secunda. + Ego Conradus notarius et ducalis aule Veneciarum cancellarius complevi et roboravi.

Sciendum est autem, quod de hoc pacto facta sunt per me Rolandum notariam infrascriptum duo publica instrumenta, unicuique partium unum; et ad maiorem evidentiam huic presenti pagine vir nobilis supradictus dominus Rados comes Almesii pendens sigillum suum cereum apponi consensit et voluit, et comites Jurra et Semen sua similiter pendencia sigilla cerea posuerunt, ac etiam communis Almisii sigillo pendenti est presens pagina sigillata.

Ceterum prefatus dominus Albertinus comes Jadre una cum suis consiliariis supradictis, virum nobilem Johannem Contareno pro nuncio communis Veneciarum ad Almisium misit, qui rediens dixit et exposuit, quod omnibus terre abitatoribus dederat sacramenta, et ipsi iuraverant, ut per litteras ipsi domino comiti per comitem Radesium missas, munitas sigillo communis Almisii plenius continetur.

L. S. Ego Rolandus filius condam Thomasini mercatoris, sacri palatii notarius publicus ac ipsius egregii comitis Jadre domini Albertini Mauroceno, omnibus supradictis interfui, et rogatus scripsi et corroboravi.

Izvornik na pergameni, na kom vise tri pečata a četvrti manjka, u mletačkom arkivu br. 57. Na srednja dva pečata vide se gradske zidine sa kapijom, a nad zidinami tri tornjeva, naokolo pako napis: + S. COMVNIS. DALMENSIS. *Pečat na lievoj strani pomanji ima napis:* + S. COMITIS VS·MIRI *(valjda Vsemiri=Semen).*

XLII. God. 1275. 16 listopada, u Mletcih.

Ustanovljen konzul u Senju; te zabranjeno Mletčanom iz njekih strana voziti trgovinu u Senj.

Quod aliquis non possit conducere in Signia mercationes de levante. Millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, indictione quarta, die XVI intrante octobris fuit capta pars, quod super scalis Rivoalti vociferetur, quod nullus Venetus conducat in Signiam aliquam mercationem de Lavante, de Marchia Anconitana, Apulea et Sclavonia, et si conduxerit, perdat duo quinta. Et constituatur unus consul in dicta Signia cum illo salario, quod videbitur, qui inquirere debeat diligenter, quod si aliquis Venetus conduxerit in Signiam aliquam mercationem de Levante de dictis partibus, debeat intromittere dictam mercacionem et tollere dicta duo quinta suo posse; et si tellere non poterit, domino duci significetur per suas litteras et illis officialibus constitutis super mercationibus de Levante, qui teneantur exigere dictam penam; ac eciam nullus Venetus cum suo ligno conducat mercaciones de Levante alicuius forinseci de predictis partibus, et si conduxerit sciens hoc, perdat lignum; et si aliquod consilium fuerit contra hoc, sit revocatum quantum in hoc.

Liber communis II. 126, u mlet. arkivu.

XLIII. God. 1279. 7 lipnja, u Mletcih.

Dozvoljeno trgovcem, da preko Njemačke voze trgovinu u Ugarsku.

De mercatoribus quod possint ire per Alemaniam in Hungariam. Millesimo ducentesimo septuagesimo nono, indictione septima, die VII intrante iunio pars fuit capta: quod consilium captum de mercatoribus, qui non debent ire ad mercatum in Alemaniam, sit revocatum in tantum, quod possint ire cum mercationibus per Alemaniam in Hungariam et de Hungaria redire per Alemaniam, sicut dictum est, quod possint ire per Alemaniam in Franciam.

Liber communis I. 50, u mletačkom arkivu.

XLIV. God. 1281. 10 srpnja, u Mletcih.

Zadranom, Dubrovčanom itd. zabranjeno voziti les i željezo u istok osim u Akon i u Tir.

De lignamine et ferro non portando nisi Accon et Tyrum. Millesimo ducentesimo octuagesimo primo, indictione IX, die X iulii capta fuit pars, quod si quis Venetus et qui pro Veneto se distringit (*sic*), portaverit lignamen seu ferrum ad partes ultra marinas, debeant ipsi lignamen sive ferrum discarigare aut in Accon aut in Tyro et non alibi in pena perdendi lignamen et ferrum vel valorem, et postquam fuerit discaricatum, non possit

extrahi de terra nisi discaricatum fuerit absque licencia baiuli et consiliariorum sub pena predicta. Et hoc mittatur dicendo comitibus et communibus Jadre et Ragusii et alibi, ubi sunt homines, qui pro Venetis se constringunt, quod ita debeant observare et facere observari per gentem eorum. Et addatur in commissionibus baiuli et consiliariorum Accon et Tyri, quod debeant inquirere et cercare, si aliquis contrafaceret, et accipere dictam penam contrafacienti, et accusator habeat terciam partem pene, si per eius accusacionem veritas cognoscetur, et teneatur de credentia; et si aliqua occasione non possent excuttere penam predictam, teneatur significare ordinate domino duci et advocatoribus communis; et addatur in commissionibus consulum Alexandrie similiter, quod teneantur inquirere et cercare predicta et accipere penam contrafacienti. Et si non possent accipere aliqua racione, teneatur significare ordinate domino duci et advocatoribus communis. Et si consilium est contra, sit revocatum quantum in hoc.

Liber communis II. 120, u mletačkom arkivu.

XLV. God. 1281. 21 listopada, u Mletcih.

Za vunu dolazeću iz Slavonije opredieljena poveća daća.

De dacio lane tollendo Tarvisanis. Millesimo ducentesimo octuagesimo primo, indictione X, die XXI octubris capta fuit pars: quod de omnibus mercacionibus, que portantur Tarvisium et in Tarvisanam, et non sunt in gracia nec specificate in datio, tollantur pro dacio denarii VI pro libra, salvo de lana Romanie, Sclavonie, Apulie et Cecilie et omni alia lana grossa, que solvant denarios XII pro libra.

Liber communis I. 127, u mletačkom arkivu.

XLVI. God 1281. 4 studenoga, u Mletcih.

Nalaže se krčkim knezovom Fridriku, Ivanu i Bartulu, da izplate danak i dotičnu globu, što ga nisu na opredieljeni rok dali.

Quod precipiatur comitibus Vegle, quod solvant denarios communi. Millesimo ducentesimo octuagesimo primo, indictione X, die quarto novembris: capta fuit pars, quod mittatur sub debito iuramenti comitibus Frederico et Johanni et Barthulo de Vegla, quod solvant denarios, quos tenentur solvere communi, et penam, in qua ceciderunt, quia non solverunt ad terminum usque ad kallendas aprilis prius venturas, et sub pena solidorum V pro libra.

Liber communis 1. 129, u mletačkom arkivu.

XLVII. God. 1282. 9 svibnja, u Mletcih.

Odredjen brod, neka pazi, da se brašno nevozi u Rieku i u Senj.

De ligno ponendo in mari pro custodia victualium. Millesimo ducentesimo octuagesimo secnndo, indictione decima, die IX maii: capta fuit pars, quod ponatur quoddam lignum in mari pro custodia victualium, que portantur ad Flumen et Segniam.

Liber communis 1. 131, u arkivu mletačkom.

XLVIII. God. 1282. 23 svibnja, u Mletcih.

Dopušća se, da trgovci iz prediela preko Slavonije i iz Zakonije mogu trgovati u Koronu, ali se Mletčanom zabranjuje polaziti one strane.

Quod mercatores de ultra Sclavoniam et Zaconiam possint uti ad castrum Coronis cum condictionibus appositis. Millesimo ducentesimo octuagesimo secundo, indictione X, die XXIII maii fuit capta pars: quod mercatores de ultra Sclavoniam et Zaconiam possint uti ad castrum Coronis, et emere et portare mercationes ultra, sed nullus Venetus nec havere alicuius Veneti possit uti ultra nec ire nec mittere nec facere aliquam credentiam, per quam sue res vadant ultra Sclavoniam et Zaconiam, sed de veniendo mercatores cum suis mercationibus de ultra Sclavoniam et Zaconiam remaneat in libertate castellanorum propter certas condictiones, que possent occurrere.

Liber communis I. 55, u arkivu mletačkom.

XLIX. God. 1282. 18 srpnja, u Mletcih.

Šalju se brodovi, neka paze, da se brašno î trg nenosi u Rieku.

De lignis mittendis ad Flumen pro eo quod res non portentur contra bannum. Millesimo ducentesimo octuagesimo secundo, indictione X, die XVIII iulii, fuit capta pars, quia victualia et mercaciones portantur contra nostra ordinamenta ad partes Fluminis et ad alias partes, quod mittatur lignum vel ligna in mari sicut videbitur ad hoc, ut victualia et mercaciones non portentur contra nostra ordinamenta.

Liber communis I. 134, u arkivu mletačkom.

L. God. 1282. srpnja, u Mletcih

O njekoj parnici u Rabu, kako da se rieši.

Item, quod infrascriptum negotium consultum per dominum ducem et consiliarios et . . . et approbatum per . . . prout similiter continentur, cum omnibus, que continentur in eis, debeat esse firmum et observari. Tenor cuius consilii talis est: consultum est per dominum ducem et consiliarios, quod commune Arbensis accipiat unum iudicem, et Janacolam maiorem et . . . iudicem, qui terminent questionem per totum mensem iulii presentis; et si predicti iudices infra prefatum terminum . . . non terminaverint questiones, que vertuntur inter ipsos pro communi et hominibus Arbe et eadem Janocola, dominus dux et consiliarii . . . et tercium iudicent, qui tres teneantur terminare questiones predictas usque ad quintum decimum diem mensis augusti proxime venturi, et partes teneantur habere ratum, quod ipsi iudices iudicabunt sub pena quingentarum librarum pro qualibet . . . servare; qui iudices possint iudicare per iustitiam, per rationem, per laudem, per arbitrium . . . ad sacramentum et alias . . . sicut per terminationem ipsarum questionum videbitur opportunum, et imponere eis penam et penas sicut expedire videbitur; et intelligatur, quod dicti iudices possint iudicare et deffenire questiones predictas simul vel maior pars eorum. In maiori sala ducutus Venetiarum in presentia domini ducis, presentibus Biagna, Seraphino Lombardo, Marco Rana cancellario, magi-

stro Tanto cancellario et aliis testibus. Lectum fuit predictum consilium... nobiles viri Marcus Michael comes Arbensis et hominibus Arbi et Janacola . . . . . . Ego M Pegini manu mea scripsi. Ego P. Baseglo manu mea scripsi. Ego Gusmerius de Madonio ducatus Venetiarum scriba suprascriptum consilium . . .

Maius consilium, Luna-Zaneta list 1, u mletačkom arkivu.

LI. God. 1282. 13 kolovoza, u Mletcih.

Da dobri ljudi rieše razmiricu obstojeću medju općinom rabskom i medju Ivanom Contareno.

Die decimo tertia augusti capta fuit pars: quod unius iudicum pro curiis debeat esse arbiter in questione, que est inter comitem Arbensem pro commune Arbi et dominum Joannem Contareno, cum aliis duobus arbitris pariter electis, ita quod eyciatur per texeras, quis eorum debeat esse cum predictis duobus, et teneantur ipsi tres pariter deffinivisse questionem ipsam et sententiasse per ipsos tres, aut per maiorem partem eorum.

Ego M. Pegini manu mea scripsi. Ego P. Baseglo manu mea scripsi. Ego Gusmerius de Madonio ducatus Venetiarum scriba de mandato dictorum dominorum suprascriptorum consilium cancellavi.

Maius consilium. Luna-Zaneta 4, u mletačkom arkivu.

LII. God. 1282. 25 kolovoza, u Mletcih.

Zapovieda se knezu zadarskomu, neka pošalje u Mletke u Zadru zaustavljenu hranu, niti da se više to učiniti neusudi.

Die vigesima quinta augusti, capta fuit pars, quod mittatur precipiendo sub debito sacramenti comiti et consiliariis Jadre, quod mittant Venetias totum frumentum, quod conducebatur Venetias per nostrum servitium, seu intrommitti faciant, quod de cetero non intrommittant nec faciant intrommitti frumentum, nec aliud bladum, quod voluerint conduci Venetias per quoscumque, et non impediant nec impediri permittant illos, qui volunt cum frumento vel blado venire Venetias.

Maius consilium. Luna-Zaneta list 6, u arkivu mletačkom.

LIII. God. 1282. 17 rujna, u Mletcih.

Kako da se rieši razmirica, koja se pojavila medju knezom osorskim i medju njegovimi podanici.

Die decima septima septembris. Cum quedam questiones orte sint inter comitem Abseri et suos subiectos, dominus dux et consiliari debeant eas portare inter quadraginta et deffinire ipsas cum eis, et illud, quod ipsi ordinaverint et deffiniverint super ipsis, debeat esse firmum, sicut captum esset in maiori consilio.

Maius Consilium. Luna-Zaneta list 9, u mletačkom arkivu.

LIV. God. 1282. 22 rujna, u Mletcih.

O savjetnicih opredieljenih za Brač i Hvar.

Die vigesima secunda septembris, capta fuit pars, quod dominus dux et consiliarii debeant videre et ordinare, qualiter consiliarii Farre et Brazze

debeant ire et stare ad Brazzam et Farram, et illud, quod ipsi ordinabunt, sit firmum.

Maius consilium. Luna-Zaneta list 7, u arkivu mletačkom.

LV. God. 1282. 19 listopada, u Mletcih.

Opredieljen rok, u kom su morali knezovi krčki staviti u poklad u Mletcih deset tisuća libara, ili za tu vriednost u Mletcih nabaviti nepokretnina.

Die decima nona novembris. Cum comites Vegle non posuerint seu non emerint hactenus possessiones decem millium librarum, silicet quinque millium librarum pro parte, secundum formam conventionis comitatus Veglensium, eisdem comitibus facte, capta fuit pars: quod prorrogetur terminus cum auctoritate maioris consilii dare comitibus de ipsis decem millibus libris ponendis in possessionibus emendis usque ad festum sancti Petri prius venturi sub hiis condictionibus, videlicet quod dicti comites teneantur et debeant habere emptas dictas possessiones, valentes dictas decem millia libras usque ad dictum festum sancti Petri ad usum novum vel ponere seu poni facere in procuraria sancti Marci pignus, quod valeat dictas decem millia libras, vel ipsas decem millia libras in pecuniis usque ad ipsum festum sancti Petri pro dictis possessionibus emendis ad usum novum, si emptas non habuerint eas ad dictum usum novum ad terminum supra dictum, et hoc sub debito iuramenti et sub pena librarum mille dennariorum, quam, si non observaverint ut dictum est superius, solvere teneantur. Et Cattavere communis teneantur illam excutere sicut citius poterunt, de qua non possit fieri remissio dictis commitibus per donum, gratiam, provisionem vel alium modum, nec possint nec debeant Cattavere impediri, quo minus excutiant dictam penam; et predicta revocari, suspendi, impediri seu prorrogari non possint, nec possit poni ad aliquod consilium, nisi per dominum ducem, quinque consiliarios et triginta de quadraginta, et duas partes maioris consilii, et hoc addatur in capitulari consiliariorum et Cattavere, qui de cetero elligentur, et illi, qui nunc sunt consiliarii et Cattavere, teneantur isto consilio. Et si consilium est contra, sit revocatum quantum in hoc.

Maius consilium. Luna-Zaneta list 15, u arkivu mletačkom.

LVI. God. 1283. 28 siečnja, u Mletcih.

Izabrani dobri ljudi, neka rieše parnicu, koja se vodila medju krčkim biskupom i Markom Dandulo.

Die vigesima octava jannuarii capta fuit pars, quod dominus dux et consiliarii debeant elligere tres iudices, qui debeant audire et intelligere et sententiare et deffinire questiones, que vertuntur inter venerabilem patrem episcopum Veglensem et dominum Marcum Dandulo, qui iudices debeant habere omnes curias et arbitrium; et illi, qui erunt ellecti per dictos dominum ducem et consiliarios, debeant esse sub pena librarum quinquaginta pro quolibet. Et nota, quod per dictos dominum episcopum et ser Marcum concorditer ellecti fuerunt domini Andreas Dandulo Callo, Nicolaum Dandulo sancti Pauli, Jacobum Quirino sancti Mathei iuvenem.

Ego M. Pegini manu mea scripsi.
Ego P. Bazeglo manu mea scripsi.
Ego Gusmerius de Madonio ducatus Venetiarum scriba de mandato dictorum dominorum suprascriptorum consilium cancellavi.
Maius consilium. Luna-Zaneta list 22, u arkivu mletačkom.

LVII. God. 1383. 25 veljače, u Mletcih.

Doznačena svota za gradjenje kuće za zadarske viećnike.

Die vigesima quinta februarii, capta fuit pars: quod consiliariis Jadre dari debeant libre quinquaginta in mense pro complenda domo, in quo habitare debent ipsi consiliarii, que incepta est, et hoc, donec ipsa domus erit completa. Ego etc.
Maius consilium. Luna-Zaneta list 25, u arkivu mletačkom.

LVIII. God. 1283. 2 travnja, u Mletcih.

Pozivlju se knezovi krčki, neka izplate, što još duguju sinovom duždа Lovrinca Teupola u ime duždevštine.

Comites Vegle pro filiis domini Laurentii ducis. Die secundo aprilis capta fuit pars, quod mittatur precipiendo comitibus Vegle, silicet Frederico et Petro, quod solvant residuum regalie, que tenentur solvere filiis domini Laurentii Theupulo quondam ducis usque ad pascha maius, sub pena solidorum quinque pro libra.
Ego Nicolo Arimundo manu mea scripsi.
Ego Franciscus Dandulo manu mea scripsi.
Ego Marinus Falletro manu mea scripsi.
Ego Henricus Michael manu mea scripsi.
Ego Tantus cancellarius de mandato prescriptorum quattuor dominorum cancellavi,
Maius consilium. Luna-Zaneta list 31, u mletačkom arkivu.

LIX. God. 1283. 17 srpnja, u Mletcih.

Odredjeno, odkud se ima uzeti novac za izplatu broda pazeća u Karneru na kriomčarenje, i za popravljenja u Omišu.

Die decima septima iulii. Quia grana et bladum et vinum abundantius et securius conducantur Venetias occasione ligni, quod moratur ad custodiendum Quarnerium et occasione custodie et securitatis Almisii, capta fuit pars, quod denarii pro soldo et pro expensis, que fiunt in custodiendo et aptando Almisium et in ligno predicto Quarnerii solvantur de dennariis tarnarie et frumenti et vini, et addatur in capitulari tarnariorum et illorum, qui presunt frumento et datio vini, quod quando eis ordinabitur per dominum ducem et consiliarios, quod ipsi solvant pecuniam pro predictis, debeant eam solvere, et illud, quod ipsi solvent pro predictis, recipi debeat ab illis, qui presunt rationibus recipiendis, sicut ipsi recipiunt alias expensas factas pro eorum offitio; et si aliquod consilium est contra, sit revocatum quantum in hoc.
Ego Thomas Viadro manu mea scripsi.

*

Ego Marinus Mauroceno manu mea scripsi.
Ego Jacobus Barocci manu mea scripsi.
Ego Rubertus Theupulo manu mea scripsi.
Ego Jacobus Pollani manu mea scripsi.
Ego Petrus ducatus Venetiarum scriba de mandato dictorum dominorum dictum consilium cancellavi.

Maius consilium. Luna-Zaneta list 49, u mletačkom arkivu.

LX. God. 1283. 25 kolovoza, u Mletcih.

Glede Omiša predana sva vlast malomu, molbenomu i vieću od četrdeset.

Die vigesima quinta augusti, capta fuit pars, quod illud, quod dominus dux et consiliarii cum consilio rogatorum et quadraginta ordinaverint et fecerint super facto Almisii, et super hiis, que ad ipsa facta pertinent, sit firmum, sicut si factum esset in maiori consilio.
Ego Nicolaus Arimundo manu mea scripsi.
Ego Franciscus Dandulo manu mea scripsi.
Ego Marinus Falletro manu mea scripsi.
Ego Henricus Michael manu mea scripsi.
Ego Tantus cancellarius de mandato prescriptorum quattuor dominorum cancellavi.

Maius consilium. Luna-Zaneta list 62, u mletačkom arkivu.

LXI. God. 1283. 28 kolovoza, u Mletcih.

Izručuje se jedna galija Zadranom pod njekimi uvjeti. Galija, opredieljena za obranu Omiša, neka odvede zadarskoga kneza u Zadar.

Die vigesima octava augusti, capta fuit pars: quod detur communi et hominibus Jadre una de galleis communis Venetiarum cum ista condictione, quod ipsa gallea debeat extimari, et quantum fuerit extimata, tantum ipsi homines et commune Jadre debeant expendere pro ipsa gallea armanda occasione eorum, que occurrerunt de Almisio.
Ego Thomas Viadro manu mea scripsi.
Ego Jacobus Barocci manu mea scripsi.
Ego Rubertus Theupulo manu mea scripsi.
Ego Jacobus Pollani manu mea scripsi.
Ego Petrus ducatus Venetiarum scriba, de mandato dictorum dominorum dictum cousilium cancellavi.

Item. Cum occasione negotiorum Almisii sit captum consilium rogatorum et quadraginta, quod una galea debeat armari, cum qua comes Jadre debeat ire Jadram, sicut citius potest, capta fuit pars in maiori consilio, quod dicta gallea debeat armari pro mensibus tribus.
Ego M. Pagini manu mea scripsi.
Ego P. Baseglo manu mea scripsi.
Ego Gusmerius de Madonio ducatus Venetiarum scriba de mandato dictorum dominorum suprascriptum consilium cancellavi.

Maius consilium. Luna-Zaneta list 63, u arkivu mletačkom.

LXII. God. 1283. 2 rujna, u Mletcih.

Uvjeti, pod kojimi se Zadranom davala galija, točnije označeni.

Commune Jadre pro una gallea data cum condictione. Die secundo septembris, capta fuit pars: quod debeat dari una de nostris galleis communi Jadre pro tanto, quantum ipsa extimabitur, cum hac condictione, quod detur plezaria nostro communi, quod nobilis vir Gabriel Michael comes ibidem adducet pecuniam in suo reditu, et solvet nostro communi; et si consilium est contra, sit revocatum quantum in hoc.

Ego Thomas Viadro manu mea scripsi.

Ego Jacobus Barocci manu mea scripsi.

Ego Rubertus Theupulo manu mea scripsi.

Ego Jacobus Pollani manu mea scripsi.

Ego Petrus ducatus Venetiarum scriba, de mandato dictorum dominorum dictum consilium cancellavi.

Maius consilium. Luna-Zaneta list 65, u mletačkom arkivu.

LXIII. God. 1283. 16 prosinca, u Mletcih.

Novci za isplatu brodova odredjenih, da paze na more i brane Omiš, odkud da se uzmu.

Die decimo sexto decembris. capta fuit pars: quod consilium, continens, quod pecunia debeat poni in procuratia sancti Marci, revocetur in tantum, quod ligna Primarii et Quarnarii et Almissii debeant pagari de ipsis denariis non obstante aliquo consilio, cum ipsa ligna olim pagabantur de denariis, et capta fuit per omnes consiliarios et triginta de quadraginta et per plus quam duas partes maioris consilii. Ego etc.

Maius consilium. Luna-Zanota list 80, u mletačkom arkivu.

LXIV. God. 1283. 23 prosinca, u Mletcih.

Mjesto galije i broda odredjeno, da se pošalju za obranu Omiša dva mala broda i četiri ladje.

Die vigesimo tertio decembris. Cum captum sit per consilium, quod mittantur ad custodiam Almisii gallea una et lignum unum, et significatum sit domino duci per litteras comitis Jadre et per alias etiam, quod foret melius, quod ibi essent duo ligna parva et quattuor barche, capta fuit pars: quod sicut debeant illuc dicta gallea et lignum, ita debeant mitti duo ligna parva et quattuor barche. Ego etc.

Maius consilium. Luna-Zaneta list 80, u arkivu mletačkom.

LXV. God. 1283. 28 prosinca, u Mletcih.

Neprima se, da brodovi, koji su pristali jedino u Dubrovnik, plate samo polovicu po sto daće.

Die vigesimo octavo decembris. Quod illi, qui venerunt cum galeis, quorum erat capitaneus vir nobilis Marcus Baseglo, et intraverunt solum in Ragusio, debeant solvere solum mediam pro centenario, et si consilium

est contra, sit revocatum quantum in hoc. Hoc non fuit captum in maiori consilio.

Maius consilium. Luna-Zaneta list 81, u arkivu mletačkom.

LXVI. God. 1284. 7 svibnja, u Mletcih.

Da se dade po procjenbi brod občini rabskoj, te se opredieljuju rokovi za izplatu.

Die septimo madii, capta fuit pars: quod comiti et communi Arbensi detur lignum unum ad extimam, dando bonam securitatem, quod solvent in Venetiis medietatem extime in festo nativitatis prius venturi, et aliam medietatem in pascate maiori prius venturi; et si consilium est contra, sit revocatum quantum in hoc. Ego etc.

Maius consilium. Luna-Zaneta list 93, u mlet. arkivu.

LXVII. God. 1284. 21 lipnja, u Mletcih.

Knezu zadarskomu naloženo, neka dopusti svakomu bez ikoje zaprieke krcati marvu za Mletke.

Die vigesima prima iunii, capta fuit pars: quod committatur precipiendo sub debito sacramenti comiti et consiliariis Jadre, qui permittat omnes volentes conducere Venetias bestias, permittat *(sic)* libere et integre conducere omnes illos, quas vollent conducere, non retinendo ibi aliquam partem de dictis bestiis, cum dicatur, quod ipse retineat quartam partem. Ego Petrus Gradonico manu mea scripsi.

Ego Paulus Mudazzo manu mea scripsi.

Ego Nicolaus Quirino manu mea scripsi.

Ego Prosdocimus Falletro manu mea scripsi.

Ego Raphaynus de Caresinis notarius curie suprascriptum consilium de mandato prescriptorum dominorum ad hoc constitutorum cancellavi 1350. 3 martii.

Maius consilium. Luna-Zaneta list 100, u mletačkom arkivu.

LXVIII. God 1284. 5 kolovoza, u Mletcih.

Izabran poslanik, da primi od načelnika jeruzolimskoga reda njeku svotu kao naknadu za štete počinjene od istoga reda Krčanom, Rabljanom i drugim u Senju za predobića i upaljenja istoga grada.

Die quinto augusti, capta fuit pars: quod nobilis vir Joannes Quirino constituatur nuntius, sindicus seu procurator per dominum ducem et maius consilium tam nomine suo et communis Venetiarum, quam nomine quorundam mercatorum Venetorum, Veglensium et Arbensium eorumque heredum et successorum, ad quos spectat seu posset spectare negotium infrascriptum, ad petendum et recipiendum a venerabili viro magistro militie templi Jerosolimitani et a conventu sive mansione ipsius militie usque ad summam librarum quinque millium et ducentarum dannariorum venetorum parvorum ad grossos, quos dare et solvere tenentur pro satisfactione et restitutione dampnorum, que data et illata fuerunt mercatoribus Venetis, Veglensibus et Arbensibus in civitate Segne olim tempore captionis et

combustionis civitatis ipsius secundum quod apparet per litteras fratris Guillielmi de Synai dei gratia magistri militie templi Jerosolimitani sigillatas sigillo plumbeo militum de templo Christi, ad faciendum inde concordiam, compositionem, finem et remissionem et alia omnia, que neccessaria vel utilia videbuntur, et simile fiat de aliis, que invenirentur esse ad eamdem commissionem. Ego etc.

Maius consilium. Luna-Zaneta list 109, u mletačkom arkivu.

LXIX. God. 1285. 18 siečnja, u Mletcih.

O trošku za omiške uznike.

Die decimo octavo iannuarii. Cum sit quodam consilium captum die decimo septimo iulii in millesimo ducentesimo octuagesimo tertio, continens hoc modo: quia grassa et bladum et vinum et cetera, capta fuit pars: quod addatur dicto consilio, quod denarii, quos dominus dux precepit dari carceratis de Almissio, et qui dabuntur de cetero pro suo victu, solvantur de denariis montis, et hoc debeat addi in omnibus capitularibus supradictis; et si consilium etc.

Maius consilium. Luna-Zaneta list 131, u mletačkom arkivu.

LXX. God. 1285. 15 veljače, u Mletcih.

Proglašuju se kao pravovaljane sve naredbe, koje bi dalo malo vieće sa načelnici vieća od XL zadarskomu knezu u poslovih Omiša.

Die quinto decimo februarii, capta fuit pars: quod illud, quod per dominum ducem et consiliarios et capita quadraginta commitetur super facto Almisii comiti et consiliariis Jadre, sit firmum, sicut si factum esset per maius consilium. Ego etc.

Maius consilium. Luna-Zaneta list 135, u arkivu mletačkom.

LXXI. God. 1285. 2 lipnja, u Zadru.

Zadarski nadbiskup opozivlje svoje pismo, kojim dosudi Šibeničanom ostrove Srimac i Zuri.

Revocatio litterarum ab archiepiscopo Jadrensi facta circa insulas Srimac et Zurri. Venerabili in Christo fratri domino G(regorio) dei gratia episcopo Traguriensi amico in Christo dilecto Laurentius Pereander Jadrensis archiepiscopus salutem et fraternam in domino caritatem. Cum pridie seu noviter, quando placuit vobis consecrationi ecclesie nostre personaliter interesse, presentibus venerabilibus patre domino fratre J. archiepiscopo Spalatense, et vobis cum aliis suffraganeis eius atque nostris, quandam litteram sigillo nostro signatam Petro archidiacono Sibenicensi et Sibenicensibus concessimus super duabus insulis Srimez silicet et Zurri, dicentes in eadem, quod iste due insule, sicut audiveramus, erant et pertinebant ad Sibenicenses; postea dum per antiquos homines et fide dignos audientes et intelligentes plenius veritatem, visis quibusdam etiam instrumentis et privilegiis, in quibus manifeste probatur, quod predicte insule pertinebant et erant de iure et proprietate civitatis Jadrensis a tempore, cuius non extat memoria, predictam confessionem nostram per errorem factam, quam propter ignorantiam aut negligentiam seu occupationem ni-

miam occasione dicte consecrationis ecclesie nostre fecimus, de consilio sapientum et religiosorum auctoritate presentium totaliter revocamus, irritantes et caxantes eandem, in hoc iura canonica exequentes iuxta verbum summi pontificis dicentis: sententiam romane sedis non negamus posse in melius commutari, cum aliquando dictum fuerit seu factum aut scriptum contrarium veritati. Et ne occasione dicte testificationis nostre sicut nulle et tanquam nulle processu temporis inter civitatem Jadrensem et castrum Sicenicensem questio aliqua valeat suscitari, presentem litteram revocatoriam nostri sigilli pendentis munimine ac etiam signo et nomine infrascripti notarii roboratam, vobis duximus transmittendam. Datum Jadre anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo quinto, indictione testiadecima, die secundo mensis iunii; presentibus venerabilibus patre domino fratre Augustino dei gratia episcopo Civitatis nove, honesto et religioso viro fratre Joanne abbate sancti Grisogoni, nobilibus viris Marino Girardo et Ricobono de Venetiis nunc mercatoribus Jadrensibus et aliis. Ego Laurentius dei gratia Jadrensis archiepiscopus manu propria. Ego Vicentius ecclesie sancti Stephani presbiter et Jadrensis notarius, hiis interfui, et de mandato predicti domini archiepiscopi hanc cartam scripsi, roboravi et signo consueto signavi.

Diplomatorium Sibenicense, u dvor. knjižnici bečkoj, ruk. 13.461, njegda 541, list 31.

LXXII. God 1285. 6 listopada, u Mletcih.

O poslaniku opredieljenu za Ugarsku.

Die sexto octubris, capta fuit pars: quod illud, quod factum est et fiet per dominum ducem et consiliarios in consilio rogatorum et quadraginta, de destinando nuntio ad regem Hungarie, et de aliis rebus pertinentibus ad Dalmatiam, sit firmum, sicut si factum foret per maius consilium. Ego etc.

Maius consilium. Luna-Zaneta list 174, u arkivu mletačkom.

LXXIII. God. 1286. 19 ožujka, u Mletcih.

Produljen rok Zadranom za izplatu galije.

Die decimonono martii, capta fuit pars, quod ellongetur terminus solutionis, quam commune Jadre debet facere nostro communi pro complemento solutionis gallee, quam dedimus eis usque ad tres menses, et dominus Joannes Contareno sit plezius, sicut erat. Ego etc.

Maius consilium. Luna-Zaneta list 192, u arkivu mletačkom.

LXXIV. God. 1286. 5 svibnja, u Mletcih.

Glede prošnje slavonskoga vojvode Andrije za pomoć, neka se o tom isti vojvoda točnije izrazi.

Die quinto madii. Cum per dominum Andreasium ducem Sclavonie petitum sit adiutorium et consilium a domino duce, capta fuit pars: quod sciatur ab ipso, cuiusmodi adiutorium ipse petit a nobis, et hoc scito, postea venietur apertius ad maius consilium cum eo, quod videbitur. Ego etc.

Maius consilium. Luna-Zaneta list 196, u arkivu mletačkom.

LXXV. God. 1286. 21 svibnja, u Mletcih.

Glede popravljenja njemačke i ugarske ceste.

Die vigesima prima madii, capta fuit pars: quod illud, quod factum est et fiet per dominum ducem, consiliarios et quadraginta de facto aptationis stratarum Theuthonicorum et Ungarorum *(sit)* firmum, sicut si factum foret per maius consilium; et si consilium est contra, sit revocatum quantum in hoc. Ego etc.

Maius consilium. Luna-Zaneta list 198, u arkivu mletačkom.

LXXVI. God 1286. 25 svibnja, u Mletcih.

Primljeno, da se upravi poslanik k ugar.-hrv. kralju.

Die vigesimo quinto madii, capta fuit pars: quod debeat destinari nuntius ad dominum regem Ungarie cum illa commissione, que videbitur, qui nuntius debeat ire infra quindecim dies. Ego etc.

Maius consilium. Luna-Zaneta list 199, u mletačkom arkivu.

LXXVII. God. 1286. 29 svibnja, u Mletcih.

Odredjuje se plaća poslanikom odlazećim u poslu popravljenja ceste njemačke i ugarske.

Die vigesimo nono madii, capta fuit pars: quod ambaxiatores ituri pro aptatione stratarum Theutonicorum et Ungarorum debeant habere solidos viginti grossorum pro quolibet pro suo sallario, et solidos duos grossorum pro expensis in die pro quolibet; sed si eis superaverit aliquid de ipsis, deveniat in commune; et vadant cum illis condictionibus, cum quibus vadunt illi, qui vadunt ad decem octo grossos. Ego etc.

Maius consilium. Luna-Zaneta list 199, u arkivu mletačkom.

LXXVIII. God. 1286. 23 lipnja, u Mletcih.

Dopušća se poslanikom odaslanim radi poprave njemačke i ugarske ceste, da se za njeko vrieme u Mletke povrate.

Die vigesimo quinto iunii, capta fuit pars: quod ambaxatores, qui iverunt pro facto aptationis stratarum Theutonicorum et Ungarorum, qui sunt reversi ad Belforte, quod non potest comes Albertus ire cum ipsis ad ducem Carintie, sicut debebat, usque ad challendas augusti, possint reverti Venetias cum condictione, quod debeant redire in dictam ambaxariam ad voluntatem domini ducis. Ego etc.

Maius consilium. Luna-Zaneta list 202, u mletačkom arkivu.

LXXIX. God. 1286. 30 studenoga, u Mletcih.

Odlučeno, da bude pravovaljano sve, što vieće malo, molbeno i od XL odredi u poslu Omiša.

Die ultimo novembris, capta fuit pars: quod illud, quod factum est et fiet per dominum ducem et consiliarios cum consilio rogatorum et qua-

draginta super factis Almisii, sit firmum, sicut si factum foret per maius consilium. Ego etc.

Maius consilium. Luna-Zaneta list 220, u arkivu mletačkom.

LXXX. God. 1287. 23 veljače, u Mletcih.

Odredjena nagrada za Mletčane, Zadrane i Dubrovčane, koji bi dovezli sol iz njekih dalekih mjesta u Mletke.

Currente anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo sexto, quintedecime indictionis, die dominico, vigesimo tertio mensis februarii, captum fuit per dominum ducem et eius consiliarios et per salinarios salis maris ex auctoritate maioris consilii, quod quilibet Venetus, qui salem Venetias conduxerit vel conduci fecerit de Sardinia, de Rasabese, de Cipro et de Evizza cum navigio Venetorum vel Zadratinorum aut Raguseorum, movendo de predictis locis cum predictis salibus hinc usque ad festum sancti Andree prius venturi et deinde usque ad unum annum, habebit a nostro communi de quolibet modio dictorum salium libras sex et solidos quindecim ad denarios grossos, si erit predictus bonus et mercadante, et de modio salis Alexandrie, si ipsum conduxerit cum condictionibus supra dictis, habebit a nostro communi libras sex ad grossos; salvo, quod aliquis de predictis locis vellet se obligare ad conducendum de predictis salibus Venetias, venire debeat coram dominis salinariis salis maris pro communi Venetiarum constitutis, et ipsi salinarii pactum propter concordiam facient cum illo, ita quod dabunt ei, volendo se obligare, de quolibet modio salis Sardinie, de Rasabaxe, de Cipro et de Evizza libras septem ad grossos, et de Alexandria libras septem et solidos quindecim ad grossos pro modio; qui primo conduxerit primo solutionem recipiet, qui secundo, secundo, et sic de singulis, et hoc de primis denariis, qui extraentur de omni sale, qui erit tunc in nostro communi, et qui tunc essent ad excutiendum. Ego etc.

Maius consilium, Zaneta-Pilosus list 371, u mletačkom arkivu.

LXXXI. God. 1287. 28 veljače, u Mletcih.

Opet o dovozu soli iz njekih mjesta u Mletke na mletačkih, zadarskih i dubrovačkih brodovih.

Currente anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo sexto, indictione quintadecima, die veneris ultimo mensis februarii captum fuit per dominum ducem et eius consiliarios et per salinarios salis maris de auctoritate maioris consilii, quod quilibet Venetus, qui conduceret vel conduci feeerit salem Fatine et de Clarentia cum navigio Venetorum vel Zadratinorum aut Raguseorum deinceps usque ad festum sancti Andree prius venturum, movendo de predictis locis usque ad predictum terminum, habebit a nostro communi de quolibet modio salis Fatine libras quinque et solidos quinque ad grossos, si erit bonus et mercadante, et de sale Clarentie libras quattuor cum dimidia ad grossos pro quolibet modio si erit bonus et mercadante, et qui primo conduxerit, primo solutionem recipiet, et qui secundo, secundo, et sic de singulis et de primis denariis, qui extrahentur de omni sale, qui tunc erit in communi nostro, et qui tunc essent ad excutiendum.

Maius consilium. Zaneta-Pilosus list 371, u mlet. arkivu.

LXXXII. God 1287. 29 srpnja, u Mletcih.

Prima se, da se pošalje poslanik k srbskomu kralju radi patvorenja mletačkih groša i u poslu izplaćenja njekoga mletčanina.

Die vigesimo nono iulii capta fuit pars, quod debeat destinari ambaxator unus ad regem Raxie occasione grossorum contrafactorum nostris grossis et pro negotio Jacobi Pollani, qui debeat habere libras quattuor grossorum pro suo sallario et grossos decem octo in die, et ire cum conditionibus dictorum decem octo grossorum, et medietatem dicti sallarii et expensarum debeat solvere nostrum commune, et aliam medietatem solvat Jacobus Pollani predictus. Ego etc.

Maius concilium. Luna-Zaneta, list 243, u arkivu mletačkom.

LXXXIII. God. 1287. 11 rujna, u Mletcih.

Pozivlju se knezovi krčki Fridrik, Ivan i Leonardo, da izplate duždu obične godišnje darovštine.

Die undecimo septembris capta fuit pars, quod mittatur precipiendo nobilibus viris Friderico, Joanni et Leonardo comitibus Vegle pro suo columpnello sub debito fidelitatis et iuramenti et sub pena soldorum quinque pro libra, quod usque ab festum nativitatis debeant solvisse domino duci in Venetiis infascriptas pecuniarum quantitates debitas eidem domino duci ab eis pro regaliis comitatus Vegle detentis et non solutis, per nuntios et litteras plures et pluries requisitis, quas pecuniarum quantitates pro dictis regaliis, si ad dictum terminum solverint, dominus dux inde erit contentus et faciet eis fieri securitates, quas debebit; si vero non solverint eas ad terminum predictum, Cattavere facient apprendi et accipi bona eorum ubicumque potuerint reperiri tam pro regaliis ipsis, quam pro penis predictis et pro exigendis tam penis quam regaliis predictis facient poni personas ad sacramentum et imponi penam et penas, et exigi eas ab eis, qui inciderint in eas; et dicti Cattavere habeant tertiam partem pene, et relique due partes deveniant in commune, et nihilominus dominus et consiliarii procedent contra predictos comites, qui non solverint, ut dictum est, sicut videbitur procedendum, que quantitates, pecuniarum restantes solvi pro regaliis sunt iste, videlicet solidi novem grossorum minus quarta unius grossi pro anno millesimo ducentesimo octuagesimo quinto; item libre ducente pro anno millesimo ducentesimo otuagesimo sexto, quas debent solvere dicti comites Fredericus, Joannes et Leonardus. Ego etc.

Maius consilium. Zaneta-Pilosus list 253, u arkivu mletačkom.

LXXXIV. God. 1287. 14 listopada, u Mletcih.

Kako da se izplate galije, koje su se oboružale radi Omiša.

Die decimoquarto octobris capta fuit pars, quod occasione armandi galleas et ligna contra Almisanos possit accipi mutuo de denariis litoris, retinendo illos, qui sunt opportuni pro litore, sicut dicent illi de super litore ita, quod de primis denariis montis, qui intrabunt, debeant reddi: et si consilium est contra etc. Ego etc.

Maius consilium. Zaneta-Pilosus list 256, u arkivu mletačkom.

LXXXV. God. 1287. 16 listopada, u Mletcih.

Još u poslu oboružanja galija radi Omiša.

Die decimo sexto octobris. Cum oporteat destiuari solutionem armate fiende contra Almisanos per comitem nunc iturum Jadram, qui vadit cum primo bono tempore, et captum sit in maiori consilio, quod accipiatur propter hoc de denariis litoris, reddendis de primis intratis montis, et dicti denarii non sufficiunt ad ipsam armatam; capta fuit pars et placet domino duci et consiliariis et capitibus de quadraginta et illis, qui sunt constituti super negotiis Istrie, quod accipiantur adhuc mutuo de denariis Istrie pro predicta armata illud, quod deest, cum conditione, quod debeant reddi de denariis montis incontinenti de primis denariis, qui intrabunt, postquam erunt redditi denarii litoris; et si consilium est contra etc.

Maius consilium. Zaneta-Pilosus list 257, u arkivu mletačkom.

LXXXVI. God. 1290. 7 ožujka, u Mletcih.

Upućuje se poslanik u Krk zato, što krčki knezovi neizplatiše svoj dug pok. duždu u opredieljeni rok.

Die septimo martii. Cum comites Veglie non solverint regaliam domini ducis quondam, capta fuit pars, quod propter hoc debeat illuc destinare nuntius unus.

Maius consilium. Zaneta-Pilosus list 350, u arkivn mletačkom.

LXXXVII. God. 1291. 13 veljače, u Mletcih.

Zabranjeno ma šta nositi u Rieku.

1290. 13 februarii. Scribatur comitatibus sub debito sacramenti, qnod non permittant aliquos de ipsorum terris ire ad partes Fluminis cum aliquibus rebus, cum commiserimus capitaneis nostris, quod omnes, quos invenirent illus aliquid portare, debeant offendere tanquam inimicos, cum habeamus illos de Flumine pro inimicis.

Eisdem, quod cum habeamus illos de Flumine pro inimicis, debeant omnes illos, quos scirent aliquid portare illuc, capere, et mercationes et victualia sint eorum.

Registrum 106, u mletačkom arkivu.

LXXXVIII. God. 1291. 14 ožujka, u Mletcih.

Nalaže se knezu zadarskomu, da pridrži dvie galije i dva broda, a da ostale galie i brodove u Mletke odpravi.

1291. 14 martii. Consultum fuit per dominum ducem, consiliarios atque decem, quod mittatur comiti Jadre, quod retineat duas galeas et duo ligna, et reliquas galeas et ligna transmittat Venetiam.

Registrum 116, u mlet. arkivu,

LXXXIX. God. 1291. 24 ožujka, u Mletcih.

Zapovieda se knezu zadarskomu, da oboruža svoje brodove za miesec dana na obranu dolazećih, a Marinu Albertu, da odnese listove u Zadar, te zatim da se u Mletke povrati.

1291. 24 martii. Scribatur comiti Jadre, quod armare debeat per mensem unum pro custodia et securitate illorum, qui expectantur modo in isto tempore, qui debeant stare a Jadra ultra; salvo quod non haberent nova, quod ligna inimicorum rediissent retro. Et dicta armata sit galea una et ligna duo maiora.

Mittatur barca nna Marino Alberto, precipiendo, quod vadat Jadram cum litteris nostris, et redeat inde quamcitius potest, et conducat navilium nostrum de Jadra Veneciam.

Registrum 118, u mlet. arkivu.

XC. God. 1291. 30 travnja, u Mletcih.

Trgovci mletački neka iz Rieke izadju.

1291. 30 aprilis. Precipiatnr mercatoribus nostris, qui sunt in partibus Fluminis, quod exeant inde usque ad··· et alii non vadant illuc (non capta).

Registrum 133. u mlet. arkivu.

XCI. God. 1291. 9 srpnja, u Mletcih.

Pogodba saveza medju Mletčani i Padovanci, u kojoj se ovi obvezuju pomagati Mletčane u obrani Zadra i drugih ovostranih njihovih posjeda.

1291. 9 iulii. Firmetur concordia et societas inter nos et Paduanos secundum tenorem scripti nunc lecti, quod tale est etc. (*Inter pacta istius concordiae et societatis hoc etiam invenitur*): Et quod commune et homines Padue teneantur et debeant iuvare, deffendere et manutenere dominum ducem et commune Venetiarum in Jadra et in suo districtu et a Jadra citra usque Venetias toto eorum posse contra omnem personam, collegium etc. in terris, iuribus et possessionibus, quas dominus dux et commune Venetiarum habent et possident ad presens seu quasi possident, et ad recuperandum, si qua de predictis rebellaret vel amitteretur; et si qua novitas vel gravamen fieret per aliquod commune vel singularem personam vel universitatem ob hanc societatem contra aliquod predictorum communium seu in preiudicium ipsorum communium vel alterius ipsorum, que communia teneantur vicissim ad faciendum removeri ex toto dictam novitatem seu gravamina toto suo posse tam per terram quam per aquam ; et quod dicta communia teneantur et debeant se adinvicem manutenere in pacifico statu tamquam boni fratres, socii et amici, secundum quod dictum est supra, et quod solempnes ambaxatores dictorum communium debeant ad minus semel in anno convenire in loco communi ad providendum et ordinandum, que fuerint opportuna, utilia, necessaria pro bono et utilitate dictorum communium. Et quod dicta societas et fraternitas et omnia et singula supradicta durent usque ad novem annis. Thomas Viadro, Marinus Mauroceno, Jacobus Barocci, Rubertus Theupulo, Jacobus Pollani.

Maius Consilium. Pilosus 10, u mlet. arkivu.

XCII. God. 1292 17 veljače, u Šibeniku.

Knez Gjorgj i načelnik Lovro u Šebeniku izriču sud u njekoj parnici.

Sententia civilis lata per comitem et potestatem Sibenici inter quosdam particulares. — In Christi nomine amen, anno incarnationis eiusdem millesimo ducentesimo nonagesimo secondo, indictione sexta (quinta?) mense februarii die XII exeunte.······Qui dictus Stephanus plebanus advocatorio nomine predictorum heredum dicte Slave petiit litigando a domina Vlada, relicta quondam Radovani Potaynice et a domina Frana relicta Elie Potajnice, et de heredibns suis, et a domina Plasa relicta Petri, et de filio suo Paulo super partem mille librarum denariorum parvorum venetorum, quas libras mille ipse domine Slave Petrosius Sruche maritus eius susceperat, prout dictus Stephanus asserebat, et post mortem dicti Petrosii dicebat ipse ser Stephanus, quod ipsa Vlada sibi accepisset de bonis ipsiusPetrosii generis suis et eius commissariis et procuratoribus, quas dictas mille libras dictus Stephanus iterum petebat rehabere pro ipsis heredibus dicte Slave de ipsa Vlada et de eius heredibus, qui possident bona dicti Radovani Potaynice. Et super hoc dictus Stephanus petebat nomine hereditatis dicte Slave totam partem de omnibus bonis et possessionibus dicti Radovani et de bonis prefate Vlade, alegando idem Stephanus, quod ipsa domina Vlada in tali conditione pactum et obligationem fecisset dicte Slave filie sue, ut supra continetur, ut habeat dicta Slava dictas mille libras super partem de omnibus bonis dicti Radovani et de bonis dicte Vlade; etiam de quo supradicto pacto idem Stephanus interogabat dictam Vladam, si est ita verum aut non, et pro ipsa domina Vlada Dissa Amblasii Traguriensis advocatorio nomine ipse Vlade, quem ipsa in suum advocatorem et procuratorem constituit, respondebat, dicens: verum est, quod ipsa domina Vlada dictum pactum et obligationem fecit, prout supra continetur et alegatum est per dictum Stephanum plebanum. Item interrogata fuit ipsa Vlada de dicto Stephano, si ipsa post mortem dicti Petrosii generis sui a procuratoribus ipsius recipisset de bonis eius dictas libras mille, quas desiderabat ipsa Vlada super partem filie sue dicte Elene aut non. Ad hec autem dicta Vlada per ipsum Dissam advocatorem suum respondebat dicens: quod nihil de dictis mille libris sibi recepisset, ostendendo ipsa domina Vlada publicum instrumentum confectum manu nomine Francisci notarii Spalatensis tunc temporis, in quo continebatur, qualiter ipsa Slava filia Vlade sibi recepit de dictis mille libris nonigenta et sexaginta sex libras denariorum partim de bonis dicti Petrosii viri sui, prout in instrumento plenius continetur receptionis et solutionis eiusdem Slave. Item dictus Stephanus interrogabat prefatam dominam Franam, filios et heredes eius et etiam dominam Plasam et filium eius Paulum, quod debent habere filii et filie heredes dicte Slave tertiam partem de omnibus bonis dicti Radovani Potaynice, et etiam de bonis dicte Vlade, quod secundum ipsa Vlada fecit factum et obligationem dicte filie sue Slave, ut ipsi habentur heredes dicte Slave tertiam partem de bonis predicti Radovani et Vlade; ad hoc autem dicta domina Frana cum suis heredibus filiis et filiabus et ipsa Plassa cum filio suo Paulo respondebant dicentes: interrogamus te dominum Stephanum, quod tempus est, cum tradita fuit nuptu dicta Slava dicto Petrosio marito suo, quod dictus Stephanus coram nobis respondit

eis dicens: quod bene sunt triginta duo anni elapsi, ex quo fuit ipsa domina Slava tradita nuptu viro suo dicto Petrosio. Ad hec autem dicte domine Frana et Plassa cum suis heredibus respondebant dicentes: quod illo tempore, de quo dictus Stephanus de triginta duobus annis, dicimus, quod illo tempore filie civis Sibenicensis non habuissent partem nisi filii obtinuerint omnia bona patris et patrimonium, quod secundum illo tempore consuetudo fuit Sibenicensibus. Preterea partem non debent habere de jure heredes dicte Slave, quia illo tempore talis consuetudo fuit in Sebenico; de hoc, quod dicit ipse Stephanus, quod dicta domina Vlada pactum et obligationem fecisset cum ipsa filia sua Slava, ut habeat ipsa super partem librarum mille, et tertiam partem de omnibus bonis et possessionibus dicti Radovani, hoc ipsa domina Vlada non potuit facere de jure, cur, quia ipsa Vlada non portavit aliquid secum in dote de bonis parentum suorum ad ipsum dominum Radovanum maritum suum, ideo pacta seu obligationes, que fecit dicta Vlada dicte filie sue Slave, non valet nec in aliquo tenetur iure contra nos, et bona et possessiones, quas possident, bona sunt dicti Radovani et non Vlade, idcirco heredes ipsius Slave non debent exinde partem habere. Sepe dictus Stephanus super alegata dicens: ego confirmo dictum instrumentum de receptione predictarum nonigenta sex librarum, quas receperat ipsa Slava, sed tamen postea dicta domina Vlada sibi recepit eas; verumtamen idem Stephanus non potuit probare dicte domine Vlade, quod ipsa dictas pecunias postea recepisset, et super hoc ipse dicebat, quod illo predicto tempore poterant cives Sibenicenses dotare filias suas, et multe filie eorum fuerunt dotate a patribus suis et partem eis dare et maxime si Sibenicenses ad invicem habuerint talem consuetudinem non dare filiabus partem illo tempore, tamen cum forensibus de Dalmatia talem consuetudinem non habuerunt; insuper dicendo, quod post factum est novum statutum Sibenicensem continetur in ipso statuto, quod filie habeant partem, silicet secundum filii exceptis domibus et massanetivom, quod superhabeat filii, ideo de iure heredes dicte Slave possunt habere partem sibi per istam rationem, et precipue quia modo heredes dicti Radovani inter se divisionem fecissent post novum capitulare factum. Contra hoc dicte domine Frana et Plassa cum suis heredibus respondebant dicentes, prout supra diximus, interdictum, quod domina Vlada non potuit aliquam obligationem facere dicte Slave filie sue vel aliis de bonis dicti Radovani, eo quia in illo tempore predicto non habuerunt filie partem aliquam secundum consuetudinem Sibenicensem; nunc autem cives Sibenicenses possunt facere de bonis suis ad suum velle, quod secundum continetur in statuto eorum. Nos autem dictus Georgius comes una cum dicto domino Laurentio potestate et cum tota curia civitatis Sibenicensis nemine penitus discrepante, sed omnes unanimes concordes fiendo, una voce et ore audientes placitum et utriusque partis, habitoque exinde diligenti consilio ita per fornitivam sententiam diximus, quod dum veraciter invenimus, quod illo tempore predicto triginta duorum annorum elapsorum filie civium Sibenicensium non habuerunt partem aliquam de patrimonio nisi filii, et maxime invenimus, quod ipsa Vlada non potuit aliqua ratione pactum seu obligationem facere dicte filie sue Slave de bonis dicti Radovani viri sui, ea propter iudicavimus, quod heredes filii et filie non habeant aliquam partem de bonis seu possessionibus dicti Radovani Potajnice propter anti-

quam consuetudinem civium Sibenicensium predictam, idcirco finaliter decrevimus, quod de cetero heredes dicti Elie Radovani et Paulus filius quondam Petri nepos eius in pace et quiete teneant et possideant ut sui heredes omnia bona dicti Radovani; heredibus vero dicte Slave, filiis et filiabus eius exinde perpetuum silentium imponendo. Item nos supradicti Georgius comes una cum dicto domino Laurentio potestate et tota curia Sibenicensi omnes concordes et unanimes per firmativam sententiam diximus et iudicamus, quod dicti heredes supradicte Slave filii et filie ipsius habeant plenissimam virtutem, potestatem atque facultatem de illa predicta obligatione et pacta, quam fecit dicta domina Vlada, prout supra continetur plenius, se solvendi et pagandi super personam dicte domine Vlade et super omnibus bonis eius mobilibus et immobilibus ubicumque possunt inveniri de bonis ipsius in tantum quantum ascendit tertia pars de omnibus bonis dicti Radovani Potajnice et de bonis dicte Vlade. Item iudicavimus, quod dicta domina Vlada debeat iurare se sexta manu sua ita quod de illis predictis libris mille nihil accepit seu recepit de commissione dicti Petrosii generis sui post obitum ipsius, qua Vlada secundum iudicium nostrum ita sacramentum implevit, ut amodo ipsa Vlada sit absoluta a petitione dictorum filiorum et filiarum dicte Slave de predictis mille libris in perpetuum, quas super partem petebat, et Petrosius nepos dicte Vlade filiique Petrosii ex parte sua consentientes supradicto placito, et pro ipso etiam dictus plebanus Stephanus placitaret, et sic pro fratribus et sororibus ipsius, ad maiorem vero evidentiam huiuse nostris sententiis dedimus in pristaldum Grisogonum filium Georgii bucagnium nostrum.

Actum etc. scripsi, roboravi et signo consueto signavi, et quia omisi istam clausulam, silicet: † dicte Slave filie Vlade, ubi est in isto instrumento una crux inter istam dictionem, filie, et aliam dictionem, non; ideo ipsam clausulam adidi in fine instrumenti post annotationem testium immediate post ipsam dictionem aliis etc.

Iz rukopisa u mlet. arkivu.

XCIII. God. 1298. 26 prosinca, u Vrani.

Knez Kurjak pred hrvatskim banom Pavlom obvezuje se povratiti njeka imanja korbavskim plemićem braći Gusić.

Nos Paulus banus totius Chorvacie memorie commendantes significamus tenere presentium quibus expedit universis, quod accedentes ad nostram presentiam viri nobiles de Chorbavia Gusichy: Gridus, Desina et Pribislaus fratres huterini conquerentes super comitem Churiacum, ostenderunt in nostra presentia coram nobilibus viris regni Chorvatorum circa nos existentibus unum privilegium domini nostri Belli regis, per quod privilegium dominus noster Belle rex dedit Ladislavo patri eorum, filio comitis Jocobi de Chorbavia Gusich pro fide et servitio suo sibi et suis heredibus sex possessiones positas in Chorbavia cum omnibus metis et pertinentiis eorum, primo Dramotischa et Poltribafye, que confinat cum Crabosevich et dicti Crabosevich Plach···Chovachiche et Rafgnane, que sunt ad confines Gezev··· et unam possessionem in Chorvatia Domachofri in Luca. Ibidem cognatus noster comes Churiachus promisit in nostra pre-

sentia bona voluntate sua, et fuit confessus et contentus redere et dare Gvido, Desino et Pribislavo dictas eorum possessiones datas patri eorum Ladislavo per dominum nostrum Belle regem, et hoc per totum setembrem ab isto tempore prexenti proxime venturo sub pena ducentarum marcharum; quod si dictus dominus comes Churiachus non adimpleverit seu non attenderit usque ad terminum constitutum promissionem suam Gvido, Desano et Pribislavo, dicte pene medietas curie debeat evenire, et reliqua medietas Gvido et predictis fratribus suis, et iustitia eorum sit semper salva pro tempore futuro. In cuius rei testimonium et maiorem cautelam has presentes fieri fecimus sub appensione nostri sigilli munimine roboratas. Datum Aurana anno domini millesimo CCLXXXX octavo, die XXVI ad exeunte mense decembris.

Izvornik na pergameni u mletačkom arkivu br. 39.

XCIV. God. 1300 9 srpnja, u Mletcih.

Izviešće o ugarskom dvoru.

1300, indictione XV, die 9 iulii. Hoc est exemplum quarundam litterarum domini Petri Judicis de Bonzano de Tarvisio, egregio ac potenti viro domino Michaeli Mauroceno, tunc comiti Jadrensi, quod per omnia tale est: Egregio, mag. ac potenti viro domino Michaeli Mauroceno, comiti Jadrensi, Petrus de Bonzano de Tarvisio se ipsum et prosperos ad vota successus. Noveritis, quod ego fui apud illustrem dominum regem Ungarie, qui sui gratia me libenti animo vidit, et mittit pecuniam ad curiam archiepiscopatus Strigoniensis pro domino fratre Antonio, et promittit mihi, quod in festo beati Martini mittet quatuor millia librarum denariorum pro facto de Brundolo, et credo quod omnimo mittet; et ego dixi pericula et damna, que domino duci evenire poterant, si non mitteret, ita quod omnino mittet; et si factum domini fratris Antonii non posset expediri, imposuit mihi, quod de denariis, quos mittit ad curiam, solvam dictos denarios. Dominus rex sanus erat, et bene sciebat adventum nepotis regis Caroli, et de eo non curabat: filii Henrici bani venerunt . . . . regis et filius vester Turchus accipit filiam Henrici Bani in uxorem, que pulcra est, et quam vidi, et, me ibi existente, omnia concordata erant; Mattheus de Tr . . . . ad mandata regis, et alii multi barones, qui ei fuerant rebelles et infideles, episcopi omnes et archiepiscopus Colocensis sunt cum domino rege, et multi ex eis erant in curia . . . . . . ab eo recessi. Ego vado ad curiam quam citius possum; faciatis, quod concordia firmetur cum illis de Brundulo. Rex Alamanie circa festum beati Michaelis erat . . . . dei auxilio omnes barones infideles et inobedientes domino regi Hungarie aut vi aut amore reducet ad eius obedientiam; et in estate futura intendit descendere in · · · · · · · · non sunt de partibus illis. Magna guerra est inter dominum patriarcham Aquilegiensem et dominum Gerardum de Camino, et dominus Gerardus de Castellis est cum magna . . . . Veronensi cum domino patriarca, et multa castra de districtu Tarvisiensi rebellaverunt domino Gerardo de Camino. Date Venetiis, die decima octava septembris.

Commemorialium I. 25, u mlet. arkivu.

O praznih ovdje mjestih stoji na okrajku: Loca vacua iniuria temporis, evanuere, nec in originali dictiones integre.

XCV. God. 1300. 25 listopada, u Rimu.

Poslanik ugarski, izviešćuje svoga kralja o raznih stvarih.

Hoc est exemplum quarumdam litterarum dicti domini Petri de Bonzano de Tervisio, quarum tenor per omnia talis est.

Illustri domino, et excelso principi domino Andree, dei gratia regi Hungarie, Petrus de Bonzano de Tervisio, in romana curia eius devotus procurator et serviens, se ipsum ad pedes. Noscat vestra excellentia per presentes, quod die lune tertio mensis presentis veni ad curiam romanam cum omnibus, que mihi dedistis: et dominus papa die dominica sequenti veniens de Anagnia intravit urbem, et aurum, quod mihi dedistis, vendidi Florencie quatuor millibus et V centum florenis auri, quos omnes deposui Florencie penes illos de societate de Mozis de Florencia, que est una de melioribus, dicioribus et fidelioribus societatibus······et romane curie. Dominus Petrus Contareno nondum Romam venit, et ideo non possum certum promittere nec aggredi negocium domini episcopi····sicut expediret, sed spero, quod cito a domino papa negocium vestrum et domini episcopi feliciter expedietur; et cito per Brunadasium et Manfredinum clarius maiestati vestre scribam; et si······dominus Petrus, iam scirem ······de negotio. Sciatis pro certo, quod nepos regis Caruli contra consilium, et voluntatem domini pape et cardinalium amicorum suorum missus fuit per dominum regem ad partes illas, et quod dominus papa···· aliquod auxilium; et omnes de curia reputant stulticiam, quod dictus rex misit eum illuc, et male succedet in Sicilia, et cotidie expectatur in curia, quia venit ad dominum papam pro peciendo····cum filiis Henrici bani et cum aliis vestris baronibus, cum quibus potestis, quia de facili potestis habere puerum in manibus vestris, si vultis; et ego dixi pluribus cardinalibus, quod aud······vestra; quod si haberetis puerum in manibus vestris, quod mitteretis eum ad dominum papam: et multum ei placuit. Dominus episcopus nihil habet; ego dedi ei quadraginta marchas, secundum quod mihi mandastis······dabo ei unicum denarium, nisi mandaretis mihi, et adhuc est debitis obligatus bene in tercentis florenis auri: pecunia vestra est bene salva, et ultra mandatum vestrum non expendetur······cito rescribam maiestati vestre meliora. Dominus vos conservet sanum, yllarem et iocundum per tempora longiora. Date Rome vigesimo quinto octobris.

Commemorialium 1. 25, u mlet. arkivu.

O praznini u ovoj listini stoji na okrajku: Que desunt verba, desiderantur etiam in originali obliterata et corrosa

XCVI God 1300, u Rimu.

Poslanik ugarski obavieśćuje rodjake Albertina Maurocena vojvode slavonskoga o njekoj doplati.

Hoc est exemplum quarumdam litterarum dicti Domini Petri·Judicis de Bonzano de Tarvisio quarum tenor per omnia talis est.

Nobilibus et potentibus viris dominis Phyofio Mauroceno····et Francisco Contareno, propinquis, et fauctoribus magnifici domini Albertini Mauroceni, ducis Sclavonie, Petrus de Bonzano de Tarvisio in romana

curia existens se ipsum omni felicitate ····· vestras litteras continentes, quod, cum ego essem Venetiis in domo dicti domini Albertini, debui dixisse suis dominabus et etiam domino Donato de Marxilio, cum fuit in curia, quod a domino rege Hungarie ····· quantitatem convertendam et disponendam pro utilitate et negotio domini fratris Antonii episcopi, et quod si eius negotium non posset expediri, quod quatuor millia librarum denariorum vobis dare deberem pro ·····possessiones de Brundulo, et qûia dictum negotium dicti domini fratris Antonii non est expedictum, nec potest expediri, quod vos miramini, quod dictas quatuor mille libras denariorum vobis non misi, et quod ipsas nobis ······pro certo, quod dominus rex mihi non commisit, quod dictam pecuniam vobis darem, et ego dominum regem in presencia Luysii et Turchi pluries rogavi, quod dictas quatuor mille libras solvere deberet, et ipse eas ·····sed dicebat, et dixit pluries, et multocies, presentibus dictis Luysio et Turcho, quod medietatem illius pecunie solverit in festo beati Martini et aliam medietatem in festo circumcisionis domini, nec unquam aliud ab ipso habere potuimus, et hoc ipsi bene sciunt; verum est, quod in fine, quando ego recessi ab eo, et ego instarem et rogarem ipsum, quod ipse solveret dictam pecuniam ····· quia si negotium episcopi non expediatur, ego ordinabo, quod de dicta pecunia solvatur; non quod dixerit mihi, quod vobis darem, nec quod eas solverem, et multo libencius ego dedissem eam domino ·····dicto domino fratri Antonio, si ab ipso domino rege habuissem in mandatis: sed feci, quod mihi commisit et mandavit; et ita dixi dominabus et domino Donato. Date Rome.

Commemorialium I. 25, u mlet. arkivu.

XCVII. God. 1301. 23 veljače, u Mletcih.

Odpuštaju se Zadranom njeke globe.

1301, 23. februarii. Dominus dux: quod condempnationes facte per comitem et consiliarios Jadre contra Jadratinos illarum duarum galearum propter ipsorum inobedientiam remittantur ad supplicationem ambaxatorum et communis Jadre cum illis verbis, que videbitur.

Dominus Marinus Maurocenus consiliarius et Jo. Cauco caput: quod remittantur dicte condempnationes sicut dictum est in parte domini, salvo quod scribatur comiti, quod possit procedere contra comites et naucherios, sicut ei videbitur et alte et basse.

Dominus M. Michael ult. star. firmus.

Cons. X. Misti I, u mlet. arkivn.

XCVIII. God 1301. 8 svibnja, u Mletcih.

Šalju se u Dubrovnik četiri galije, da izmiene druge dolazeće iz istoka.

1301. die 8 madii, capta: quod debeant mitti Ragusium quatuor galee parate de omnibus oportunis ad cambiandum illas, que venerunt de Harmenia et de Romania, ita quod iste vadant cum exercitu cum gente illarum, et ille cum mercatoribus, que in eis sunt, sine discaricare veniant Venecias.

Cons. X. Misti I, u mlet. arkivu.

*

XCIX. God. 1301. 30 lipnja, u Mletcih.

Daje se zapovjed knezu zadarskomu, neka oboruža, i progoni omiške gusare.

1301. die ultimo iunii, capta: quod mittatur precipiendo comiti et consiliariis Jadre, quod ipsi arment et persequantur lignum Almisii et alios cursarios Almisii, qui essent extra vel exirent per formam pactorum, et si non venirent, quod arment et persequantur eos, et quod si expediet, possint expendi de havere communis, sicut fuerit oportunum.

Cons. X. Misti 1, u mlet. arkivu.

C. God. 1301. 8 kolovoza, u Mletcih.

Odredjeni putni troškovi za poslanike iduće u Dubrovnik i k srbskomu kralju.

1301. 8 augustii, capta: quod ambascatores ituri Ragusium et ad reges Rassie debeant habere pro eorum salario lib. IIII grossorum pro quolibet, et si stabunt ultra menses duos habeant libras XL in mense pro quolibet; et si unus eorum vel ambo irent per terram ad reges vel regem, provideatur ei vel eis de expensis convenientibus, et non possint de Ragusio redire sine nostro mandato, salvo si negotium inter Ragusium et reges foret prius aptatum.

Cons. X, Misti 1, u mlet. arkivu.

CI. God. 1301. 4 rujna, u Mletcih.

Poslanici odpremljeni kralju srbskomu; a pomorskim kapetanom naloženo, neka galijami brane Dubrovnik.

1301. die 4 septembris, XV indictione, capta: quod destinentur duo ambaxatores Ragusium, et de Ragusio ad dominos reges Raxie, cum illa commissione, que videbitur.

Capta: quod dominus dux possit committere nobili viro Rogerio Fuscareni capitaneo galearum culfi, quod ipse capitaneus cum suis galeis possit et debeat ire et stare Ragusii sicut fuerit oportunum pro defensione dicte terre.

Capta: quod mandetur nobilibus viris Marco Michaeli et Ziofio Mauroceno capitaneis galearum nostrarum, quod in reditu suo veniant Ragusium, et maneant et faciant, quod sibi bonum videbitur pro bono negotiorum nostrorum, non faciendo propterea longam moram, sed galee frumenti penitus veniant absque mora Venecias, et habeant etiam respectum, quam poterunt, ad mercationes.

(Partes postea per scribam de pubblico mandato cancellate).

Cons. X. Misti 1, u mlet. arkivu.

CII. God. 1301. 14 rujna, u Mletcih.

Jošte o putnih troškovih za poslanike iduće u Dubrovnik i u Srbiju.

1301. die 14 mensis septembris, capta: quod sicut ambaxatores ituri ad regem Vrosium habere debebant libras IIII venetorum grossorum, ita habere debeant libras V grossorum; et si consilium est contra, sit revocatum quantum in hoc.

Cons. X. Misti 1, u mlet. arkivu.

CIII. God. 1301. 8 listopada, u Mletcih.

Poslanici iduči k srbskomu kralju ili kraljem neka se u Dubrovniku prije posavjetuju s ondješnjim knezom i občinom.

1301. die 17 octobris, capta: quod ambaxatores ituri Ragusium, debeant de via ad reges vel regem Raxie convenire se et consulere simul cum comite et hominibus Ragusii, et facere id, quod videbitur ei comiti et dictis ambaxatoribus vel maiori parti eorum; et si accideret, quod ambo vel unus eorum irent ad dictos reges vel regem, vadant sicut dicto comiti et eis ambaxatoribus videbitur cum expensis convenientibus.

Cons. X. Misti I, u mlet. arkivu.

CIV. God. 1301. 20 prosinca, u Mletcih.

Neuvažen njeki predlog bana hrvatskoga Pavla.

1301, die 20 decembris. Videtur vobis, quod attendatur ad istud negocium bani Pauli, expositum per dominum Romeum Quirini? Non.

Cons. X. Misti I, u mlet. arkivu.

CV. God. 1302. 2 svibnja, u Mletcih.

Nalaže se poslanikom idućim u Dubrovnik, da nastave svoj put.

1302. die 2 madii, capta: quod mandetur ambaxatoribus nostris, qui iverunt Ragusium, quod non obstante mandato pridie eis facto, quod redirc debeant, stare ibi debeant, quousque aliud eis mandabimus; et si obviarentur in viam Venecias veniendo, quod redire debeant Ragusium; et si consilium est contra, sit revocatum quantum in hoc.

Çons. X. Misti I, u mlet. arkivu.

CVI. God. 1304, travnja, u Mletcih.

Ugo Duinski moli Mletčane, da mu dadu u zajam 8000 libara, a da će jih osjegurati sa riečkimi daćami, da se želi ženiti u Mletcih itd., a oni mu na to odgovaraju.

1304. aprilis. Matheo iudici, ambaxiatori domini Ugonis de Duino poscenti vicinantiam ad beneplacitum domini ducis et parentelam in civitate Venecie nec non sindicum venetum pro questionibus, quas idem dominus Ugo habet cum commune Parencii terminandis, ac VIII milla librarum super dacio Fluminis vel in imprestito vel in coperta; dominus dux benevole respondet, scilicet quod quia vicinantia non potest fieri secundum veneta ordinamenta nisi per multam solemnitatem, etiam modo dominus dux est ad magna et ardua negocia intentus, non habet nunc tempus mittendi ad hoc sindicum: disponit tamen mittere dominum Nicolaum Marino

iturum potestatem Montone, qui est homo sapiens, legalis et bonus, cui committet ipsum negocium, et sperat, quod per eum fiet, quod erit iustum et contentabile. De parentela fienda Venecie respondet, quod id satis placet sibi, et intendit dare omnem favorem ad hoc et omnem bonam occasionem; de dacio respondet, quod propter conditiones, que nuper occurrerunt, non valet comode ad hoc attendere, verum multi boni et divites Venetiis inveniri poterunt, qui ad hoc attenderent, et ipse dominus dux ad hoc dabit omnem favorem tamquam pro caro et dilecto amico.

Commemorialium 1. 51, u mlet. arkivu. (V. Minotto. Docum. V. I. S. 1. 54).

ČVII. God. 1312. 10 rujna, u Čedadu.

Enrik, gorički knez daje u zalog Nikoli Albertiu mletčaninu, privolom gospodara Duinskoga Rudolfa, za šest godina sve daće i prihode u Rieci.

In nomine dei nostri amen. Anno eiusdem millesimo trecentesimo duodecimo, indictione decima, die decimo intrante septembris. Actum in civitate Austrie, in camera infrascripti domini comitis de Goricia, presentibus dominis militibus Folko do Slachspeh, Chunrado de Lok, Hainrico dicto Fulsin, Pilgrimo Geroldo Raichone et Pilgrimo de Eberstain testibus et aliis quam pluribus fide dignis ad hoc vocatis et rogatis. Cum magnificus atque potens dominus noster Goricie ac Tyrolis inclitus dominus comes Hainricus totiusque terre Fori Julii caput generalis promisit ad instanciam et petitionem fidelis sui domini Rudolfi de Doino ac Passingwerre fratruelis predicti domini Rudolfi nec non Mathei judicis Fluminensis et Wulfingi caput Doini Nicolao Alberti de Venetiis et suis heredibus ac sue societati omnes mutas et omnia dacia terre Fluminis sancti Viti ratificare et manutenere cum redditibus et macello dicte terre a festo beati Michaelis presenti futuro usque ad sex annos integros et completos, prevocatus dominus Rudolfus, presente, volente et consentiente Passingwerra fratruele suo, promisit pro se ac filio suo Hugolino ac suis heredibus prevocato domino comiti venditionem mutarum et daciorum terre Fluminis, factam Nicolao Alberti de Venetiis et sue societati, firmam et ratam habere et tenere usque ad predictos sex annos finitos et completos, et non contrafacere vel venire aliqua ratione, dolo, ingenio sive causa, et predictum Nicolaum Alberti aut soccios suos in dictis mutis et daciis accipiendis nullatenus aggravare vel facere aggravari, et pro hiis adtendendis per dominum ac suos heredes et firmiter observandis discreti viri Matheus judex Fluminensis et Wulfingus caput Doini promiserunt domino comiti predicto, si premissa per dominum Rudolfum et suos heredes non fuerint observata, predictam terram Fluminis et castrum Doini pro eo regere et tenere, et de dicta terra Fluminis ac dicto castro Doini tanquam dominum expertare. Renuntians prenominatus dominus Rudolfus de Doino pro se et suis heredibus tempore huius contractus omnibus exceptionibus, actionibus, oppositionibus, defensionibus, consuetudini, constitucionibus, decretis, decretalibus, omnique legum et iuris auxilio, statutis factis et fiendis, per que vel per quas contra scripta superius et premissa quidquam posset dicere aut allegrare, promittens sub pena tertii valoris antedictorum reddituum et sub obligatione omnium bonorum suorum presencium et futurorum tam mobilium quam fixorum et ad refectionem dampnorum atque interesse ac expensa-

rum omnium exinde competitorum aut competitarum in iudicio aut extra singula in hoc instrumento contenta adtendere firmiter ac inviolabiliter observare, et non contrafacere vel venire aliqua ratione sub pena superius nominanta et expressa; exsoluta vel non, hec presens carta nihilominus obtineat plenum robur; et in omnium premissorum maiorem evidenciam ac certitudinem pleniorem precepit prenominatus dominus Rudolfus de Doino presens instrumentum sui sigilli appensione muniri. A. Rudolfum. † Ego Chunradus imperiali auctoritate notarius predictis interfui, et rogatus scripsi, meoque signo consueto similiter roboravi.

Izvornik na pergameni bez pečata, a ružnoga pisma i oblika, u bečkom arkivu.

CVIII. God. 1322. 12 lipnja, u Mletcih.

Šalje se providurom u Hrvatskoj ucjena metnuta na Bajamonta kao nagrada za onoga, koj bi ga dao živa ili mrtva u vladine ruke.

1322. 12 iunii. Quod scribatur provisoribus in partibus Sclavonie, quod suas recepimus litteras continentes, quod receperant litteras comitis Curzure, in quibus inter alia continebatur, quod filii Bramucii erant in obsidione castri de la Mota, in quo erant Baiamons filius et uxor, cuius captionem dicti filii . . . procurant, et quod etiam vos provisores idem sollicite et ferventius procuratis cum provisionibus ballistariorum et aliorum necessariorum ad hoc, de quibus sollicitudinem et fidelitatem vestram merito commendamus, requirentes et clare tenentes, quod si pecunia de hinc ad vos mitteretur, negocium posset facilius compleri. Unde nos ad multum cordi habentes, ad vos mittimus librarum X millia, quas de nostro mandato promisistis pro captione seu morte dicti Baiamontis, committentes et iniungentes etiam vobis vel maiori parti vestrum, quod ultra dictas libras X millia possitis expendere sicut et quantum vobis videbitur, dummodo dictum negocium possit compleri.

Cons. X. Misti II. 123, u mlet. arkivu.

CIX. God. 1324. 16 studenoga, u Mletcih.

Dopušća se, da četiri broda zadarska, trgovinom Mletčana nakrcana, za ovaj put mogu iz Istre doći u Mletke.

1324. 16 novembris. Quod lignum Savini, lignum Cresci, barcha Petri Judei et barcha Nicolai Gaio, Jadretinorum, qui sunt in partibus Istrie pro veniendo Venetiam cum mercimoniis et bonis nostrorum venetorum et aliorum nostrorum fidelium preter Jadretinos, et omnia alia navigia Jadretinorum, que modo essent in partibus Istrie, quantum pro ista vice possint libere venire Venetiam, morari et recedere, non obstantibus factis per istud consilium contra Jadratinos in favorem Radi Sclavi Lubancii. De sic 10, de non 1, non sinceri 3.

Cons. X. Misti II. 155, u mlet. arkivu.

CX. God. 1327. 3 listopada, u Spljetu.

Vieće spljetsko potvrdjuje pogodbu od spljetskih poslanika utanačenu sa Mletčani glede podloženja Spljeta mletačkoj republici.

In dei nomine amen. Anno domini millesimo trecentesimo vigesimo septimo, indictione decima, regnante domino Karlo Roberto rege Ungarie ac domino nostro Johanne Superancio inclito duce Veneciarum, temporibus venerabilis patris domini Baliani archiepiscopi Spalatensis, nobilis et sapientis viri domini Marci Segreto honoradilis comitis, ac nobilium virorum dominorum Lucari Andree, Janzii Egidii et Nicole Duimi Pervosclavi, judicum civitatis Spaleti, die tercio octobris, convocato et congregato generali et pleno consilio communis et hominum Spalati in palacio dicti communis sono campane et voce preconis more solito, in quo interfuerunt nobiles et discreti viri infrascripti, videlicet Lucarus Andree, Janzius Egidii, judices predicti, Damianus Nicole, Theodosius Alberti, Domaldus Duimi, Madius Petri, Micha Madii, Petrus Duimi, Petrus Camruzii, Joannes Petrache, Dobrallius Pervosclavi, Petrus Stoyse, Joannes Duimi, Philippus Duimi, Grubulus Theodosii, Andreas Desse, Dobrolus Junii, Petrus Pervosclavi, Duimus Johannis, Petraccha Petri, Zutius Buccamaioris, Pervoslavus Francisci, Joahnnes Theodosii, Serecchia Lucari, Nicolaus Grubesce, Petrus Bogdani, Marcus Marini, Matheus Kalende, Petrus Nicole, Joahnnes Marini, Michoy Madii, Jahannes Stephany, Gregorius Petri, Laurencius Nicole, Andreas Draghi, Produlus Draghi, Petrez Marini, Pervoslavus Johannis, Michoy Desse, Nicola Theodosii, Camruzius Johannis, Andreas Duimi, Petraccha Marini, Micha Alberti, Livoy Stephani, Philippus Spetiarius, Dessa Bitchi, Johannes Grecus, Joseph Marini, Nicola Duimi Gaudii, Franciscus Damiani, Gregorius Zinole, Crestolus Medicine, Nicola Lucari, Jacobus Domaldi, Thomas Lucari, Marcus Stephanicii, Theodosius Grubich, Stephanus Miche, Martinus Marini, Forminus Formini, Petrus Tolimiri, Crestolus Petri, Thomas Francisi, Nicola Stephanicii, Crestolus Theodosii, Elia Mathey, Mihe Dese, Franciscus Gualcerii, Madius Miche, Slove Bogodani, Marinus Pictor, Musciattus Spetiarius, Duimus Avanzi, Duimus Madii Petri, Bertannus Conule, Vulzule Luce, Savinus Laurencii, Luca Milci, Duimus Madii Duimi, Bogdanus Petri, Duimus Marini, Damianus Marci, Bivize Johannis, Martinus Mestichne, Nicola Russini, Duimus Johannis Gusi, Jacobus Petri Braciche, Marinus Dese, Stanicha Sinluri, Duimus Draghi, Junius Miche, Duimus Damiani, Petrus Desse et Petrus Sinluri, predicti omnes et singuli, qui sunt quatuor partes consiliariorum maioris consilii dicte terre, et qui totum consilium, commune et universitatem dicte terrae reppresentant, presente et adsistente ibidem nobili et sapiente viro domino Marco Segreto honorabili cive veneto pro illustri domino duce et communi Veneciarum Spalatensi comite nuncupato, qui in hac parte personam dicti domini ducis et communis Veneciarum ex speciali mandato sibi facto reppresentat, et ad eius instanciam et peticionem, sponte, libere, unanimiter et concorditer, nemine discrepante, deum ex tanta gratia laudantes, ratificaverunt, laudaverunt, confirmaverunt et approbaverunt in totum oblationem, subiectionem et submissionem civitatis, districtus, comitatus, communitatis, universitatis hominum et bonorum Spalati factam illustri et magnifico domino duci et communi Veneciarum

per nobiles et discretos viros dominos Dominicum Lucari archidiaconum Spalatensem et Nicolaum Theodosii de dicta terra, syndicos speciales eorum Spalatinorum, ac etiam cum omni reverentia et humilitate laudaverunt et acceptaverunt benignam et piam provisionem, quam gratiosa sua liberalitate dictus dominus dux et commune Veneciarum eisdem de Spalato servari et fieri voluit, nec non omnia alia et singula contenta in quodam instrumento ex hoc confecto manu Marini Benedicti notarii et ducatus Veneciarum scribe anno domini millesimo trecentesimo vigesimo septimo, indictione decima, die veneris octavodecimo septembris in cancellaria ducatus Veneciarum, et sub eisdem penis, promissionibus, renuntiationibus et obligationibus in dicto instrumento notatis, acceptaverunt, emologaverunt et firmaverunt in totum; et insuper ad exequendum obligationem et submissionem predictam promissam et factam per dictos dominos Domincum et Nicolaum eorum syndicos omnes unanimiter et reverenter cappellis, cappuciis et mantellis elevatis in signum vere et perpetue devotionis et submissionis, predictum dominum Marcum Segreto nomine et vice prefati domini ducis et communis Veneciarum et suorum successorum pro vero et perpetuo domino posuerunt in tenutam et possessionem dicte civitatis et districtus Spalati, dantes in manibus suis claves portarum dicte civitatis et vectes ipsarum et palacii eorum, ac ponentes eum ad sedendum in dicto palacio in loco, ubi domini et rectores dicte civitatis sedere consueverunt, nec non omnes et singuli ac singulariter pro se et eorum successoribus et heredibus super sanctam crucem, reliquiis et testavangeliis ibi in medio dicti palacii cum devotione positis corporaliter iuraverunt veram, puram et perpetuam fidelitatem domino duci et successoribus suis et communi Venetiarum et civitatem et districtum Spalati et personas ac bona eorum tenere, defendere et salvare ad honorem et statum ipsius domini ducis et communis Venetiarum perpetuo, salvis iuribus et honorificenciis domini regis Ungarie, que habet vel habere deberet in dicta terra. Actum in palacio civitatis Spalati et ad portas eiusdem, presentibus Dessa primicerio Spalatensi, domino Bernardo de Bononia socio et milite, et Egidio de Predalata notario dicti domini comitis testibus, et Pervoslavo Francisci examinatore.

Ego Pervoslavus condam Francisi consius examinavi.

Ego Alexander Johannis Alliconis de Firmo notarius et nunc communis Spalati, rogatus scripsi et publicavi. (L. S.)

Izvornik na pergameni u mletačkom arkivu br. 58.

CXI. God. 1330. 27 ožujka, u Mletcih.

Poslanik zadarski moli mletačku vladu, neka potvrdi za zadarskoga kneza Ivana Marina Gjorgja, koga Zadar za tu čast odabrao bješe.

In Christi nomine amen. Anno incarnationis eiusdem millesimo trecentesimo vigesimo, indictione terciadecima, die vigesimo septimo martii, Venetiis, in ducali palatio, presentibus dominis Antonio Bono et Bertuccio Michael de Venetiis, ac sapienti viro domino Nicolao dicto Pistorino, cancellario ducatus Venetiarum, vir nobilis dominus Jacobus condam Benedicti de Matafara civis Jadre, procurator, nuncius et sindicus communitatis, judicum et consilii civitatis Jadrc, de cuius sindicatu constat instrumento publico scripto in millesimo trecentesimo vigesimo nono, indictione tertiadecima, die vigesimo secundo februarii, constitutus in presentia excelsi et

potentis domini domini Francisci Dandulo, dei gratia Venetiarum incliti ducis, et sui consilii, reverenter supplicavit nomine, quorum est procurator et sindicus, domino duci prefato et antedicto consilio secundum formam pactorum initorum inter communes Venetiarum et commune Jadre, quatenus cum per predictos, quorum et sindicus, facta sit electio de comitatu Jadre per duobus annis proxime futuris in virum nobilem et sapientem dominum Johannem Marinum Georgio honorabilem civem Venetiarum iuxta tenorem predictorum pactorum et eidem nobili iuxta solitum et debitum presentata, dignaretur idem dominus dux prefatam electionem de nobili antedicto factam ex benignitate solita confirmare. Qui namque dominus dux cum dicto consilio annuens votis et supplicationibus supradictis, prefatam electionem liberaliter confirmavit, presente predicto nobili domino Marino Georgio, et dictam electionem de se factam etiam acceptante.

L. S. Ego Nicolaus de Marsilio imperiali authoritate notarius et ducatus Venetiarum scriba.

Sindicatus I. 6, u mletačkom arkivu.

CXII. God. 1332. 3 rujna, u Mletcih.

Puljani proglašeni kao nedužni u koliko se ticalo zahtjeva krčkoga kneza Fridrika.

1332. 3 septembris. Visa petitione pro parte comitis Federici porrecta per Artuinum eius procuratorem petentem a Polensibus libras X millia, in quibus asserebat, ei commune Pole teneri vigore cuiusdam reformationis et compromissi a. 1331. 28 marcii, et insuper satisfationem expensarum factarum in servitium Polensium per gentem et equos dicti comitis, et responsione sindicorum Polensium ad premissa et multis alligacionibus superinde, et habito diligenti consilio, constat quatuor ex auditoribus, videlicet domino Nicolao Mauroceno, Petro Lauredano, Marco Vituri et Pangratio Georgio dictum dominum comitem in predictis non fovere iustam causam potissima ratione illius contractus, qui producitur in favore ipsius, qui quidem infringitur multipliciter et annullatur per ea, que a sapientibus iuris habentur. Et quamquam ipse comes serviverit ipsis Polensibus, et sic meruerit ab eisdem aliqualiter, et propterea auditores libencius composuissent aliqualiter inter partes; sed Polensium sindici prorsus recusant, dicentes, se ad hoc nil in mandatis habere, neque audere aliquid scribere. Nichilominus ipsi auditores consulunt et captum est, quod commune et homines Pole a petitione dicti comitis sint de iure totaliter absoluti (39).

Domino Marco Justiniano quinto auditorum videtur, quod iustum foret, consideratis laboribus et expensis, quas subiit ipse comes pro Polensibus, qui fuissent aliter consumpti, ut est notorium, quod ipsi fuisset a Polensibus provisum pro premissis, quemadmodum ducali dominio videretur. Et si hoc non fiat, consulit, quod totum factum committatur sapientibus iuris ad habendum consilium ad expensas partis, contra quam consilium proferretur. Non capta: 3 de sic, 4 non, 28 non sinceri.

Misti XV. 34, u mlet. arkivu.

CXIII. God. 1335. 4 travnja, u Mletcih.

Knezovi krčki Dujam i Bartul stupaju u vojničku službu mletačku.

1335. die IV aprilis, capta: quod scribatur comitibus Doymo et Bartholo de Vegla et comiti Arbi sicut hic lectum est, et quod dictus comes Arbi tractet et ponat factum ad punctum, quantum potest, ita quod adveniente pecunia, soldi, res et tractatus possint ire ante, et procedi ad complementum eius secundum hanc intentionem nostram, et paretur pecunia mittenda; et comes Arbi sit caput exercitus pro nostro communi, et cum eo vadat personaliter. Et mittatur una barca armata hac nocte cum dictis litteris, et nihilominus die dominica proxima post nonam vocetur istud consilium pro factis predictis, et fiet sicut videbitur melius: et est nostra intentio, quod dicta gens sit a 300 od 400 elmos, sicut viderit fore sufficiens ad damnificandum partes Fori Julii. De parte 52, de non 28, non sinceri 12.

Liber Rogatorum pro factis Ystrie.

CXIV. God. 1335. 17 travnja, u Mletcih.

Neka se izabere kapetan vojske u Istri.

1335. die XVII aprilis, capta: quod in nomine dei et bone fortune fiat capitaneus generalis in partibus Istrie et in omni parte, ubi placeret dominio, cum tota et parte sue gentis, et sit per sex menses etc. De non 4, de sic 116, non sinceri 5.

Liber Rogatorum pro factis Ystrie 4.

CXV. God. 1335. 27 travnja, u Mletcih.

Rok za riešenje poslova tičućih se knezova krčkih produljen.

1335. die 27 aprilis, capta: quod terminus, qui debebat esse hodie pro factis comitum Vegle, elongetur usque ad diem martis proximum post nonam. Non sinceri 2, de non 22, omnes alii de parte.

Liber Rogatorum pro factis Ystrie 4, u mlet. arkivu.

CXVI. God. 1335. 14 svibnja, u Mletcih.

Knez rabski neka sklopi pogodbu s krčkimi knezovi, kojom bi se ovi obvezali, Mletčanom pružiti vojničku pomoć.

1335 die 14 maii, capta: si videtur vobis attendere ad istud factum istorum comitum, de quibus scripsit comes Arbi, et si capietur de attendendo, videbitur postmodum de quantitate et locis et aliis modis et conditionibus, qui videbuntur circa hec. Expedito autem isto facto, veniatur postmodum ad factum Medune. De parte 93, de non 11, non sinceri 3.

Capta: quod respondeatur comiti Arbi, quod in nomine domini compleat contractum cum comitibus Doymo et Bartholo fratribus et cum comite Hermano de Ortemburgh cum gente et equis, quos scripsit; et si comes Doimus non posset venire, accipiat illos equites, quos obtulit in illo casu, firmando de quantitate soldorum sicut habent alii equites nostri, vel si non posset pro eo soldo, firmet quam melius poterit pro soldo, quem

scripsit, scilicet ducatorum decem pro elmo et sex pro ballistrariis et arcerio ad equum pro duobus mensibus, et si plus starent, pro rata temporis recipiant soldum per modum predictum, accipiendo ballistarios et arcerios in quam minori quantitate poterit, cum pactis tamen et conditionibus cum aliis nostris soldatis de castris et locis, que caperentur, et aliis, que pacta dicto comiti Arbi particulariter transmittantur; cui comiti mittatur pecunia necessaria pro dicto facto cum ligno armato Marchie, quod est hic; et mandetur et committatur eidem comiti, quod procuret et faciat, quod dicta gens, quam cicius fieri poterit, veniat ad partes Istrie ad nostrum servitium exercendum ibi in partibus Istrie et alibi in omni parte, sicut nobis videbitur, et fuerit per nos dehinc ordinatum. Et mittatur istud nostrum mandatum capitaneo nostro generali, scribendo ei per singulum, quod scribimus dicto comiti Arbi, et quod si recipiendo nostrum mandatum presens habuisset Vallem, supersedeat de mittendo presentes litteras comiti Arbi, et nobis rescribat quicquid habuerit et suum consilium, aliter non mittat litteras et lignum ad comitem Arbi ad perficiendum predicta: et de provisionibus predictis personarum ipsorum comitum, quas petunt, faciat comes Arbi quammelius poterit usque ad summam, quam scripsit. Et dominus dux, consiliarii, capita et sapientes habeant libertatem mittendi personam vel personas pro facto extimationis equorum et page faciende, et providendi eis, sicut eis vel maiori parti eorum videbitur, et quod, si haberent officium, illud non perdant; intelligendo, quod quando dicti comites et gens erunt in Istria, debeant obedire nostro capitaneo generali. Et sumus contenti, quod dicti comites ponantur in pace, quam faceremus, procurando, quod ambo comites Vegle veniant in persona, vel ad minus unus eorum; et si omnes dicti comites non possent venire sic cito cum dicta gente, procuret et solicitet de mittendo illam gentem, quam poterit in una vice et pluribus usque ad summam premissam per dictos tres comites vel inde infra: et hoc dictum sit, quod habendo Vallem, capitaneus supersedeat de mittendo comiti Arbi presentes litteras; tamen quia posset habere tale quid, per quod sibi aliud videretur, remaneat in libertate dicti capitanei, etiam habendo Vallem, mittendi presentes litteras comiti Arbi, et differendi, sicut ei videbitur, et pro tota quantitate et pro parte, sicut ei melius videbitur. Et scribatur comiti Arbi, quod remaneat et non veniat cum gente predicta. 74.

Quod sit in libertatate nostri capitanei accipiendi de gentibus illis, scilicet de quantitate ipsorum, de quibus scripsit comes Arbi, in illa quantitate solum, que sibi videbitur oportuna, consideratis factis nostris, de quibus est et esse potest plenius informatus. De parte 32, de non 2, non sinceri 3.

Quod in facto faciendi iustitiam et rationem de gente comitum obtineat comes Arbi, quod sicut est, sint ad conditionem aliorum nostrorum soldatorum; et si non posset id obtinere, sit contentus, quod ipsi comites faciant rationem et iustitiam de gente sua et inter gentes suas de omnibus, que haberent facere inter se.

Liber Rogatorum pro factis Ystrie 9, u mlet. arkivu.

CXVII. God. 1335. 26 svibnja, u Mletcih.

Piše se knezovom krčkim i pomorkomu kapetanu, neka udare na neprijatelje u Istri.

1335. die 26 maii, capta: quod ad factum gentis Sclavonie respondeatur capitaneo, quod nos scribimus, et scribi debeat comitibus Vegle, quod in suo adventu veniendo in Istriam, intendant ad destructionem, mortem et damnum Voluini de Stalimbergh hostis publici nostri communis et hominum terrarum, locorum et bonorum suorum, et ad damnificandum alios, de quibus scribetur eis per capitaneum nostrum; et mittantur littere in manibus dicti capitanei et executio earum, cui scribatur, quod habita certitudine de adventu dictorum comitum ad servitium nostrum, dictas litteras solicite eis mittat, et informet eos per suas litteras, sicut ei videbitur in predictis pro honore nostro. De parte 102, de non 0, non sinceri 4.

Liber Rogatorum pro factis Ystrie 11, u mlet. arkivu.

CXVIII. God. 1335. 30 svibnja, u Mletcih.

Knez Dujam krčki neće da primi vojničku službu, toga se radi nalaže knezu rabskomu, da si ju priskrbi od druge strane.

1335 die penultima maii, capta: cum autem quilibet affectet, quod hec negotia cum honore nostro breviter finiantur, et hoc esse non possit nisi habeamus equites ad sufficientiam ad stipendium nostrum, nec simus certi, si comites Vegle et de Orthemburgh sunt venturi ad servitium nostrum, et si venient, nesciamus, si sufficient pro factis nostris, ideo consulunt sapientes, quod scribatur comiti Arbi et ser Marino Venerio et ser Zanachi Georgio, quod solicitent toto posse, quod ipsi comites quamcitius esse potest veniant ad servitium nostrum, et si aliquis eorum recusaret venire, pecuniam eis abundantem nobis solicite debeant destinare. Et quia ser Bertucius Gradonico et ser Nicolaus de Priolis sunt propter eorum regimina occupati, nec possunt ad hec attendere absque eorum magno sinistro, nunc eligantur per electionem tres sapientes in isto consilio, qui inquirant et procurent de possendo habere equites ad stipendium et servitium nostrum de qualibet parte, que ipsis melior, velocior et utilior apparebit, non firmando propterea aliquid cum aliquibus equitibus nisi sicut per istud consilium fuerit ordinatum, ut si nobis deficeret servitium comitum predictorum vel non deficeret, nihilominus simus provisi de factis nostris, et habere possimus equites sufficientes in quolibet casu ad servitium nostrum, quando voluerimus. Verum dicti sapientes accipiant de firmo centum equites, sicut nuper captum fuit in isto consilio, et detur dictis sapientibus consilium rogatorum quotiescumque ipsi vel duo eorum ad minus ipsum petierint pro dictis factis. 41.

Sapientes: cum habeamus per litteras comitis Arbi, quod comes Duymus de Veglia non sit venturus, ut sperabamus, ad nostrum servitium, et propterea nostra intentio non adimpleretur; vadit pars, quod scribatur ipsi comiti, quod si dictus comes Duymus non veniret ad nostrum servitium, ut scripsit, quod procuret celeriter habere et accipere de aliis melioribus de inde, et de illis, qui sint magis apti ad bellum, et magis destri pro quantitate sicut sibi videbitur, usque ad summam videlicet pecunie,

quam sibi misimus, et solicitet mittere totam ipsam gentem in Istriam quam celerius esse potest, non induciando propterea, quod non mittat celerius illos, quos mittere potest. Et eligantur tres sapientes pro habendis de aliis per modum contentum in parte precedenti aliorum sapientum.

Capta: quod dicti sapientes sint usque ad medium mensem augusti proximum, et quilibet possit ponere partem.

Sapientes: ser Nicolaus Mauroceno, ser Petrus Carrario, ser Marcus Ruzini.

Liber Rogatorum pro factis Ystrie 14, u mlet. arkivu.

CXIX. God. 1335. 8 lipnja, u Mletcih.

Neprima se vojnička služba ponudjena od krčkoga kneza Bartula.

1335. die VIII iunius, capta: quod respondeatur comiti Arbi, quod respondeat comiti Bartholo, quod omni tempore suum servitium requiremus confidenter et fratris sui, sicut dilectorum civium nostrorum, de quibus nos et nostrum dominum multum confidimus; sed quantum ad presens, habita responsione prima, quam fecit comiti nostro Arbensi, furnivimus nos de gente ad plenum pro presenti; sed si servitium eius et fratris sui necessarium nobis fuerit, illud cum omni confidentia, ut dictum est, requiremus, sicut fecimus semper cum predecessoribus suis; et sic respondeat aliis, qui fuerunt in hoc facto. De non 2, non sinceri 4, de parte omnes alii.

Electi ad eundum Arbum: ser Dardi Mauroceno, ser Petrus Nani.

Liber Rogatorum pro factis Ystrie 18, u mlet. arkivu.

CXX. God. 1335. 9 lipnja, u Mletcih.

Zapovieda se knezu rabskomu, da sklopi pogodbu s krčkim knezom Bartulom glede vojničke službe.

1335. die IX. iunii. Sapientes: quod pro eo, quod factum comitis Bartholi est factum expeditum et sine inducia, quod potest respondere in nostrum honorem et confusionem inimicorum, et equites, quos querimus habere, nimis tardabunt, vadit pars, quod mittatur comiti Arbi, quod compleat tractatum cum ipso comite Bartholo et aliis secundum formam litterarum nostrarum ei missarum, faciendo in hoc posse suum ; et si non poterit obtinere in tribus capitulis secundum continentiam dictarum litterarum, nihilominus compleat sicut respondit et petit dictus comes Bartholus, et solicitet ipse comes Arbi, quod dictus comes Bartholus et alii cum sua gente preparent se taliter, quod adveniente pecunia, quam in continenti mittemus et erit ad eum, sine mora equitare et venire possint ad nostrum servitium antedictum. 26.

Liber Rogatorum pro factis Ystrie 18, u mlet. arkivu.

XXI. God. 1335. 9 lipnja, u Mletcih.

Upućuje se knez rabski, kako da sklopi pogodbu za vojničku pomoć sa krčkim knezom Bartulom.

Sapientes. Capta: quod scribatur comiti Arbi, quod procuret complere tractatum cum comite Bartholo secundum continentiam nostri man-

dati et capitulorum ei missorum, et de hoc faciat posse suum; si vero illa obtinere non posset, finaliter si poterit obtinere capitulum, quod comes Bartholus sit contentus obedire nostro capitaneo de equitando et faciendo sicut ordinaverit, prout capitulum nostrum continet, de aliis duobus capitulis, si melius non poterit facere, sit contentus, et compleat factum. Et mittatur pecunia, ut si factum fuerit completum, idem comes et alia gens expediri possint sine tarditate ad veniendum et profitendum servitium nostrum. De non 29, de parte 36, non sinceri 6.

Liber Rogatorum pro factis Ystrie 18, u mlet. arkivu.

CXXII. God. 1335. 12 lipnja, u Mletcih.

Knezu rabskomu, neka utanači pogodbu sa knezom krčkim glede vojničke pomoći po uvietih od njega zahtjevanih.

1335. die XII. iunii, capta: quia facit pro bono agendorum nostrorum habere gentem Sclavonie ad servitium nostrum, vadit pars, quod scribatur comiti Arbi, quod si non possit obtinere cum comite Bartholo capitulum nostrum de obediendo nostro capitaneo, sicut nuper sibi scripsimus per ser Petrum Nani et ser Dardi Mauroceno, quod non recedat propterea a facto, sed finaliter sit contentus. quando aliud obtineri non posset, et acceptet servitium suum, sicut se obtulit, non obstante capitulo supradicto; et si consilium est contra, sit revocatum etc. 43, 13, 56 — 47, 9, 58.

Liber Rogatorum pro factis Ystrie 20, u mlet. arkivu.

CXXIII. God. 1335. 20 lipnja, u Mletcih.

Odobrava se način vojevanja u Istri po predlogu kneza krčkoga Bartula, te se knezu rabskomu preporučuje, da nastoji o pripravi stvari za vojnu u Istri.

1335. die 20 iunii, capta: quod respondeatur comiti Arbi, recomendando solicitudinem suam, quod nobis placet via Albone et Flaone, quam recordatus est comes Bartholus, et sumus contenti, si ipsi comiti Bartholo videbitur melius, quod faciat dictam viam, intendendo ad damnum inimicorum viriliter, sicut dicit. Et propterea scribatur comiti et communi Arbi, quod faciant armari galeam et lignum suum per illud tempus, quod videbitur ipsi comiti Arbi cum quam minori expensa nostri communis poterit; et mittatur etiam comiti Chersi, quod faciat armari suum lignum magnum pro isto servitio, sicut ei scribet noster comes Arbi, et quod lignum nostrum armatum, quod est ibi, debeat esse et remanere cum predictis ad dictum factum. Et scribatur ipsi comiti Arbi et nostris, quod solicitent expeditionem et adventum dicte gentis quamcicius possunt; et super facto provisionum comitis Georgii et Bon Jacobi vicecomitis, de quibus scripsit, respondeatur ei, quod nos damus nostris comestabilibus duplam pagam, sicut ipse dixit, et sic procuret facere cum eis suo posse, et si non posset hoc obtinere, possit promittere ultra, sicut ei videbitur melius faciendo, quod hoc habeatur secretum quantum potest, sicut res exposcit. De non 1, non sinceri 3, de parte 103.

Capta: quod respondeatur dicto comiti Arbi, quod verba, que scripsit de facto Vulverini, quia sensus est facere cum quolibet facta sua, et

sumus contenti et nobis placet, quod comes Bartholus tractet et procuret cum dicto Vulvino et cum aliis, sicut ei videbitur de dando nobis Vallem, et quod propterea sumus contenti dare et solvere, habendo ipsam terram in nostra fortia, usque florenos 2 mille; et si melius non posset, usque in 3 mille, et perdonando sibi iniurias et offensiones. 54, 49.

Capta: ser Marcus Capello, ser Petrus Mauroceno capita de XL volunt per totum partem predictam, dicendo de florenis 4 mille. 51, 56; non 2, non sinceri 3.

Liber Rogatorum pro factis Ystrie 21, u mlet. arkivu.

CXXXIV. God. 1339. 23 siečnja, u Mletcih.

O izboru kneza hvarskoga.

1338. die vigesimo tertio ianuarii. Quod potestas Zare (puto Fare) nunc fiendus eligatur quantum pro nunc per quattuor manus per electionem in maiori consilio, et approbetur ad unum ad unum; et ille, qui habuerit plures ballotas habendo maiorem partem consilii sit firmus; et si aliqui ex ipsi non haberent maiorem partem consilii, illi duo, qui habuerint plures ballotas, vadant unus per medium alterius, et si aliquis fuerit electus per tres manus, sit firmus sine proba; et sit dictus pottestas cum salario, facultatibus et conditionibus hic lectis; et si consilium etc. Ex capitulare intitolatus Philippicus existente in officio advocarie eommunis ad paginas 34.

Zecca. Filza I, u mlet. arkivu.

CXXV. God. 1343. 1 rujna, u Mletcih.

Nalaže se knezu rabskomu, neka se nepača u stvari tičuće se razmirice sa knezom Nelepićem.

Nobili et sapienti viro Andree Michaeli comiti Arbi. Andreas Dandulo dei grstia Venetiarum, Dalmatie atque Croatie dux, dominus quarte partis et dimidie tocius imperii Romanie nobili et sapienti viro Andree Michaeli de suo mandato comiti Arbi fideli dilecto salutis et dilectionis affectum. Quia aliquando, que ex fide aguntur, possunt agenda, super quibus queritur, perturbare, scribimus et mandamus vobis, quatenus de aliquo tractatu cum comite Nelipcio vel aliis vos nullatenus intromittere debeatis, cum non intendamus, quod alii quam nostri provisores, qui sunt in partibus Sclavonie, in talibus se proctinus intromittant.

Data in nostro ducali palacio, die primo septembris, duodecime indictionis.

Izvornik na pergameni u mlet. arkivu br. 1153.

CXXVI. God 1347. 14 siečnja, u Mletcih.

O plaći i izboru kneza zadarskoga.

1346. die decimoq uarto mensis ianuarii. Quod comes et capitaneus civitatis Jadre sit per duos annos, habeat de salario libras optuaginta grossorum in anno, com putando solidos II grossorum ducatum, recipiendo salarium de medio anni ante, et deinde de tribus in tribus mensibus in

principio eorum, et pro hoc debeat habere et tenere suis expensis tres socios, quorum cuilibet dare debeat libras centum parvorum inter vestes et pecuniam; notarium unum, cui det solidos XX grossorum in anno; duodecim domicellos a quinquaginta annis infra et a vigintiquinque supra; unum chochum; octo equos, quorum unus sit pretii librarum duo centum, alter librarum quatuor grossorum, et alii duo librarum centum vel inde supra, et reliqui sint.... et sint dicti equi de annis tribus completis vel inde supra. Et insuper tenere debeat et habere tres ragacios a stalla, nec possit habere in sua familia aliquem de partibus Sclavonie.

Quod dictus comes quantum ad presens et pro isto primo tempore possit accipi de omni loco; verum si aliquis, habens aliquod officium, foret electus, et acceptaret, ipso facto sit extra offitium, quod haberet.

Quod comes et capitaneus Jadre pro ista vice solum eligatur per quatuor manus in maiori consilio, approbando eos ad unum ad unum; et ille, qui habuerit plures ballotas, sit firmus; et est capta per sex consiliarios et triginta quattuor de quadraginta.

Ex capitulare intitolatus Phillippicus, existente in oficio advocarie communis ad paginas 146.

Zecca. Filza I, u mlet. arkivu. Sravni sa listinom od 6 siečnja 1347. Listine II. 425.

CXXVII. God. ? *, u Mletcih.

Oprašća se Šibeničanom njeki izgred.

Universitati hominum Sibenici fidelibus suis gratiam suam. Audivimus non sine gravi displicentia mentis nostre, quod propter quosdam excessus per homines galearum nostrarum contra nostram consciam et mandatum vos etiam exortati fuistis ad aliquas novitates, quas per relationem viri nobilis Andree Iustiniani comitis vestri et nobilis viri Gregorii Dragoii civis vestri firmiter habuimus, a nullo infidelitatis fomite procesisse, set potius ex emergenti causa superius memorata; propter quod fidelitati vestre rescribimus, quod de hiis, que facta sunt per homines nostros galearum, quorum mores et vita sunt sicut noscitis dissoluti, doluimus et dolemus in intimis cordis nostri, et super inde diligentem inquisitionem fieri faciemus contra auctores et culpabiles excessuum predictorum, sicut hoc iustitei et honori nostro viderimus convenire; et quia tam per preterita opera immense fidelitatis, quam ad nos continue ostendistis, etiam per informationem, quam ab ipso comite vestro de presenti negocio habuimus, nullam infidelitatis culpam vel crimen in vobis modo aliquo opinamus, volentes in omni casu benigne vobiscum transire, ex nunc omnem iniuriam et delictum per vos seu aliquos vestrum in premissis novitatibus quocun-

---

* Ova dva zadnja spomenika, koja se čuvaju na posebnom suvremenom papirnom listu u mletačkom arkivu, nemaju ni godine ni podpisa, te su kao predlozi predstavljeni u mletačkom vieću, i kao što se čini primljeni i odpremljeni. Pošto u popisu šibeničkih knezova (Serie di tutti i reggimenti veneti Cod. 6346 i Cod. 6360 u car. knjižnici u Beču) od god. 1412 u naprieda nema nijednoga Andrije Justiniana napomenuta kao šibeničkoga kneza, ovi se spomenici moraju staviti prije god. 1358, kada republika bje prisiljena svu Dalmaciju ustupiti Ljudevitu I. ugar.-hrv. kralju. I način pisanja i ozbiljna opreznost u riešenju predmeta slaže se s ovom dobom.

que commissa vobis remittimus et gratiosius indulgemus, ita tamen, quod comiti vestro predicto de damnis, que recepit in bonis suis, sicut iustum est, per vos debite satisfiat. Et insuper volentes pocius credere veraci informationi nobis tradite per comitem antedictum de magna et pura fidelitate vestra, quam false suggestioni quorumdam, quod nobis causam dederat vocandi ad nostram presentiam aliquos de civibus vestris non ad alium finem, quam securitatem status vestri, de quibus tamen providere secundum contentationem vestram et suam proponebamus omnino, ordinavimus, quod cuncti nobiles et alii homines vestri existentes in manibus nostrorum, restituantur, simul cum comite redeant in civitatem, et commisimus comiti nostro prefato et capitaneo et aliis nostris rectoribus partium illarum, quod remissis omnibus iniuriis et excessibus preteritis, vos tractent dulciter et benigne, vobisque prestent ad conservationem vestram omne consilium, auxilium et favorem. Hortamur igitur fidelitatem vestram, quot reminiscentes suavitatis et dulcedinis nostri dominii, et quanta caritate et affectu erga vestrum statum afficiamus non respicientes ad labores, pericula vel expensas, que omnia pro nichilo posuimus, ut vos sub nostra fidelitate et protectione defendere valeremus, considerantes etiam, quam miserabili et periculoso statui subiacetis, si, quod absit, vestra fidelitas tepesceret erga nos, vellitis dictum comitem cum nobilibus vestris benigne suscipere, et in gratia et fidelitate vestra perseverare, sicut speramus de vobis; scientes, quod firmi propositi nostri est, vos tenere et tractare dulciter, favorabiliter et benigne, et inter alios nostros fideles vos carissimos reputare, ac nos et nostra pro vestri status salute, sicut hactenus fecimus, exponere liberaliter et libenter. Predicto autem comiti nostro ad vos redeunti nec non capitaneo nostro culfi et provisori nostro Sclavonie in hiis, que ipsi aut eorum aliquis vobis retulerint et promisserint parte nostra, fidem debeatis credulam adhibere. Super facto insule sancti Damiani dictus comes et ambaxatores vestri, qui hic erunt, nostram responsionem vobis refferrent viva voce.

CXXVIII. God. ? u Mletcih.

Riešeno, da se utamničeni Šibeničani puste na slobodu, i da se u Šibenik povrate, i upućuje se knez, kako da Šibeničane na viernost povrati.

Quod comes noster Sibenici et iste Gregorius secum et alii de Sybinico, qui sunt hic, qnantocius esse potest redeant Sibinicum, qui comes noster inter alia verba, que sibi decentia et expedientia videbuntur, dicere debeat universitati dicte terre pro parte nostra, quod quanta turbatio quantumque gravamen iaceat in mentibus nostris propter casum occursum, testamur deum, et quod verum est, quod propter suggestionem et informationem nobis datam deliberavimus, quod ex illis de Sibenico, qui essent suspecti, venirent ad nostram presentiam non alia de causa, quam certificari posse per ipsos de fidelitate sua et de purgando seu sincerando mentes nostras de informatione predicta. Et quia non fuit intentionis nostre, quod procederetur modo, quo processio est, quinymo, ut dictum est, de ipso modo et de . . . . . in ipso vehementissime condolemus, volentes ad laudem et reverentiam dei et ad bonum et conservationem ipsorum nostrorm fidelium, sed per transgressionem et iniquitatem quorundam sceleratorum et

vilium personarum, contra quos ordinavimus ex nunc fieri inquisitiones diligenter cum intentione procedendi contra ipsos, ut culpa et excessus eorum in dicta novitate exegerint. Verum ut dicti nostri fideles manifeste cognoscant dispositionem sinceram, quam gerimus erga ipsos et bonum, et ex nobis nullum suspectum concipiant, possit dictus comes noster cum omnibus Sibencianis, qui sunt in fortio nostro, intrare Sibenicum, et cum supradictis verbis et aliis, que sibi expedientia videbuntur, hortari in constantia devotionis et fidei, quam hactenus gesserunt, et quam ad presens gerere non ambigimus ad nos et exaltationem status nostri.

MONUMENTA

SPECTANTIA

HISTORIAM SLAVORUM MERIDIONALIUM

VOLUMEN IV.

LISTINE

O ODNOŠAJIH IZMEDJU JUŽNOGA SLAVENSTVA I MLETAČKE REPUBLIKE

NA SVIET IZDAJE

JUGOSLAVENSKA AKADEMIJA ZNANOSTI I UMJETNOSTI

KNJIGA IV.

U ZAGREBU 1874.

U KNJIŽARNICI FR. ŽUPANA (ALBRECHTA I FIEDLERA) NA PRODAJ U.

MONUMENTA

SPECTANTIA

HISTORIAM SLAVORUM MERIDIONALIUM

VOLUMEN IV.

LISTINE

O ODNOŠAJIH IZMEDJU JUŽNOGA SLAVENSTVA
I MLETAČKE REPUBLIKE

NA SVIET IZDAJE

JUGOSLAVENSKA AKADEMIJA ZNANOSTI I UMJETNOSTI

KNJIGA IV.

U ZAGREBU 1874.

U KNJIŽARNICI FR. ŽUPANA (ALBRECHTA I FIEDLERA) NA PRODAJ U.

MONUMENTA

SPECTANTIA

HISTORIAM SLAVORUM MERIDIONALIUM

EDIDIT

ACADEMIA SCIENTIARUM ET ARTIUM SLAVORUM
MERIDIONALIUM

VOLUMEN QUARTUM

ZAGRABIAE 1874

APUD FR. ŽUPAN (ALBRECHT ET FIEDLER).

LISTINE

O ODNOŠAJIH IZMEDJU JUŽNOGA SLAVENSTVA I MLETAČKE REPUBLIKE

SKUPIO

SIME LJUBIĆ

PRAVI ČLAN JUGOSLAVENSKE AKADEMIJE ZNANOSTI I UMJETNOSTI ITD.

KNJIGA IV.

OD GODINE 1358 DO 1403

NA SVIET IZDALA

JUGOSLAVENSKA AKADEMIJA ZNANOSTI I UMJETNOSTI

U ZAGREBU 1874

U KNJIŽARNICI FR. ŽUPANA (ALBRECHTA I FIEDLERA) NA PRODAJU.

Štamparija Dragutina Albrechta.

Kazalo.

Strana

Strana

Strana

I. God. 1358. 10 ožujka u Mletcih.

Izabran odbor, da u smislu sklopljena mira predloži način, kako da se urede stvari tičuće se Tarvisa, Cenede, Istre i Slavonije.

1358 die X marcii. Dominus et ser Petrus Caravello consiliarius. Quia per dei gratiam negocia Istrie et Tervisane pro ista pace multum sunt leviata: vadit pars, quod eligantur tres sapientes, possendo accipi de omni loco et officio, non accipiendo ultra unum pro officio, eligendo eos unam manum per dominum, consiliarios et capita et duas per electionem in isto consilio. Qui debeant examinare et providere circa negotia Tervisii et Cenede ac Istrie et Sclavonie, ponendo suum consilium in scriptis, cum quo erimus hic, et fiet, sicut videbitur. Et quilibet possit ponere partem, habendo terminum unius mensis. Et vocetur omni vice consilium ad eorum requisitionem sub pena solidonem XX. 30. Alii consiliari et capita. Capta: volunt partem per totum, salvo quod non possint accipi de officio. 53, de non o, non sinceri o. Electi sapientes Tervisii, Istrie et Sclavonie: ser Petrus Trevisano ser Petrus Zane, ser Nicolaus Faletro sancti Apolinaris.

Misti XXVIII 33, u mlet. arkivu.

II. God. 1358. 10 ožujka, u Mletcih.

Preporučuje se ugar.-hrv. kralju knez korčulanski obzirom na pravo, koje ima na onu kneževinu.

1358 die X marcii indictione XI. Capta: cum comes Curzole reputet se gravatum de dicto comitatu et forma pacis, dicens, quod habet bonum ius in dicto comitatu: vadit pars quod fiant littere domino regi Hungarie, recommendando sue majestati personam et iura sua de comitatu predicto.

Misti XXVIII 33, u mlet. arkivu.

III. God. 1358. 17 ožujka, u Mletcih.

Mletčani kupuju u Dubrovčana galiju i brod, što su ovi imali.

1358 inditione XI, die XVII marcii. Dominus, consiliarii et capita: Capta: cum sicut horetenus per relationem nobilis viri ser Marci Superancio olim comitis Ragusii in Ragusio sint una galea completa et unum lignum de banchis XX, quam galeam et quod lignum Ragusini pro racionabilibus causis et pro vitando multa scandala et errores, que possent resultari occasione dicte galee et ligni, contentantur nobis vendere: vadit pars, quod dominatio habeat libertatem faciendi emi nomine nostri communis galeam et lignum predictum pro extimatione, et faciendi ipsam et dictum lignum huc conduci ad risicum et expensas nostri communis. Omnes de parte.

Misti XXVIII 34, u mlet. arkivu.

IV. God. 1358. 24 ožujka, u Mletcih.

Riešeno uputiti poslanika k vojevodi austrijanskomu i ugar.-hrv. kralju u poslu dolazka careva u Italiju i radi grada, koga oglejski patrijah nije htieo Mletčanom povratiti.

1358 die 24 marcii. Dominus, consiliarii, capita et sapientes. Capta: quia utile est pro omni respectu per ea, que sonant de adventu domini imperatoris ad partes istas, habere omnem informationem, quam possimus, de adventu ipsius et conditionibus et novis illarum partium: vadit pars, quod dominus, consiliarii, capita de XL et sapientes Trevisane et Ystrie per maiorem partem habeant libertatem mittendi ad dominum ducem Austrie dicta de causa, et ad regem Hungarie similiter et pro negocio etiam Caxemate, quam dominus patriarcha Aquilegiensis recusat nobis restituere, et alibi etiam aliquas suficientes personas cum illis verbis et commissionibus, que dicto colegio vel maiori parti videbitur.

Misti XXVIII 37, u mlet. arkivu.

V. God. 1358. 14 travnja, u Mletcih.

Cum comes Ragusii frusta a Nicolao Bocalli de Mesana requisiverat, ut argentum et aurum civium venetorum valoris 2200 duc. restitueret, quod cuidam barcae eunti de Cataro Ragusium abstulerat, committitur capitaneo maris, quod „requirat et requiri faciat satisfationem et emendam ipsius damni cum illis verbis, que sibi videbuntur pro honore nostro.“

Misti XXVIII 40 u mletačkom arkivu.

VI. God. 1358. 23 svibnja, kod Metona.

Petrus Superantio capitaneus generalis maris refert dominio suo quod quidam capitaneus venerit ad insulam sante Maurae „erant fortasse XIII dies elapsi, missus cum aliquibus peditibus et equestribus per dispoti illarum parcium“ et quod ad rebelionem illos insulanos contra proprium dominum Gratianum Georgio civem venetum excitaverit. Requisitus (Petrus) ab isto, dedit ei auxilium de militibus navium, sed malo successu. Atamen considerans, quod quando esset dicta insula in bono statu „annuatim II mille florenorum extraherentur ex ipsa et ultro, et etiam cum maximo incomodo et sinistro vestre dominationis redundaret, si ipsum castrum sub dominio dispoti esset,“ ideo ista de causa reliquit usque ad reditum pro defensione castri domini Gratiani tredecim armigeros. „Dicitur, quod alique barche Turchorum in aquis Coroni et in illis colfis furerunt pridie . . . Data in aquis Mothoni die XXIII mensis maii hora vesperarum“

Commemorialium V. 100, u mlet. arkivu.

VII. God. 1358. 28 svibnja, u Višegradu.

Kralj ugarski Ljudevit piše Lastovljanom, da za svoga kneza priposnaju onoga, koga jim za kneza Dubrovačka občina a ne ban pošalje.

Ludovicus dei gratia rex Ungarie fidelibus suis universis civibus, in colis et aliis cuiusvis status et conditionis hominibus in insula Laguste

constitutis et existentibus salutem et gratiam. Noveritis, quod nos honore comitatus dicte insule a comite moderno, per Johannem banum constituto, aufferendo, illi quem communitas civitatis ragusine elegerit, duximus conferendum. Quapropter fidelitati vestre firmiter precipiendo mandamus, quatenus hominem dicte civitatis per comitem ipius insule electum benigne recipere et eidem debitam reverentiam et obedientiam in omnibus licitis debeatis exibere; secus ullatenus facere audeatis nostra pro gratia et dilectione. Datum in Vissegrad secunda die festi sancte Trinitatis, anno domini M.° CCC.° Lmo octavo.

Izvornik na papiru u bečkom arkivu medju dubrovačkimi listinami

VIII. God. 1358. 14 lipnja, u Mletcih.

Deliberatum, quod respondeatur ad petitiones ambasciatoris despoti Avalone „regratiando ei de oblatione domini despoti et eius ligni, dicendo ei, quod sumus contenti, quod dictum lignum possit tenere armatum et cum eo exire pro dampnificando cursarios cecilianos et alias malas gentes, que uterentur piratica vel eum et loca eius vellent dampnificare, non offendendo navigia vel gentes nostras. Ad factum vero armorum complaceatur ei, sicut petit.„

Misti XXVIII 56, u mlet. arkivu

IX. God. 1358. 18 lipnja, u Mletcih.

Odredjuje se, da vieće od 40 dokonca stvar tičuću se Alviža Michиela kneza hvarskoga

1358 die XVIII iunii, capta: quod aliqua facta ser Aloisii Michael olim potestatis Lesne et notarii sui, que fuerunt incepta in isto consilio, et non possunt duci ad aliud consilium sine voluntate huius consilii, possint pro maiori expeditione duci ad consilium XL, et illud, quod ibi fiet, habeat firmitatem, sicut si factum esset in isto consilio; et si consilium etc.

Misti XXVIII 59, u mlet. arkivu.

X. God. 1358. 29 lipnja, u Mletcih.

Izabran odbor, da razvidi prava Ivana Georgio, koj uslied mira s ugarskim kraljem izgubi svoju kneževinu korčulansku.

1358 indictione XI, die penultimo iunii, capta: cum nobilis vir Johannes Georgio olim comes Curzole comparuit coram dominio supplicans, quatenus, cum ipse sit privatus comitatu et utilitate ac honore suo pro pace facta cum domino rege Hungarie, et non sit conveniens, ut illud, quod pro utilitate publica factum est, debeat in ipsius damnum et preiudicium redundare, dignaremur eidem aliquos nostros nobiles deputare, qui audiant et examinent jura sua, et fatiant seu consulant, quod sit iustum: vadit pars, cum nemini sit deneganda iustitia, quod eligantur in maiori consilio quinque sapientes per electionem, qui audiant ipsum comitem, et examinent iura sua, et dent nobis suum consilium in scriptis, cum quo erimus hic, et fiet, sicut videbitur; et possint ponere partem tres eorum, et si tres

posuerint partem, quilibet aliorum possit etiam ponere partem, et non possit accipi aliquis de ca Zorzio nec sui propinqui secundum formam consilii, et habeant terminum per totum mensem iulii futurum. Electi sapientes ser Bertucius Marcello, ser Moretus Coppo, ser Marinus Baseio, ser Nicolaus Superantio, ser Jacobus Barbaro.

Maius consilium. Novella 61, u mlet. arkivu.

XI. God. 1358. 7 srpnja u Mletcih.

Prima se, da se odpravi poslanik na ugarski dvor s naputkom, neka o tom nastoji, da se utvrdi sve to veće prijateljstvo medju onim kraljem i republikom.

1358 die VII iulii. Dominus, consiliarii, capita de XL et ser Petrus Zane. Quum postquam deus nos perduxit ad pacem cum domino rege Hungarie, utile ac commendabile sit pro statu nostro nos conservare et havere pro bono amico, et fundare ac nutrire cum eo benivolentiam et amorem, ita quod habeat causam optandi bonum nostrum, et favendi nobis in casibus opportunis, maxime quia stando bene cum eo, per dei gratiam de statu nostro est modicum dubitandum; et ad faciendum hoc multum prodesset habere aliquem nostrum nobilem expertum, qui per aliquod tempus conversaretur et domesticaretur in curia regis predicti cum tali libertate et auctoritate expendendi, quod possit facere honorem et curialitatem baronibus et nobilibus deinde, et captare benivolenciam suam et procurare honorem nostrum et suum, cuius mora esset utilissima ad turbandum mala, que per emulos status nostri procurari possent, et ad promovendum multa bona et utilia pro nobis, et modo habeamus satis bonas et apparentes causas de mittendo tam pro facto restitutionis Casamate, quam pro aliis factis, que occurrunt: vadit pars, quod in nomine iesu christi eligatur et mittatur unus solemnis ambaxator ad dictum regem istis de causis, et fiat per tres manus electionis in hoc consilio, et respendeat infra tercium diem, et vadat ad beneplacitum dominii, et habeat de salario libras CCC pro tribus mensibus, et ab inde in antea libras L in mense, et habeat IV domicellos indutos, unum interpretem, unum cochum, unum notarium cum uno famulo, et possit expendere in omnibus expensis ducatos quinque in die. Non 5, non sinceri 3, alii de parte. — 11 iulii. Electus ambaxator ser Leonardus Dandulo condam domini ducis; plezius ser Jacobus Marangon.

Misti XXVIII 61, u mlet. arkivu.

XII. God. 1358. 9 srpnja, u Mletcih.

Neka poslanik za Ugarsku u velikom vieću izabran bude.

1358 die IX iulii. Dominus dux, ser Petrus Memo, ser Marcus Mauroceno, ser Andreas Justiniano, ser Johannes Mozenico, ser Nicolaus Faletro. Quod pars capta pridie de ambaxatore fiendo ad dominum regem Hungarie in isto consilio revocetur in tantum, quod fiat in maiori consilio per quatuor manus ellecionum; et si nullus habebit maiorem partem consilii, fiat ellectio a capite. De parte 22, capta de non 59, non sinceri 6.

Misti XVIII 62, u mlet. arkivu.

XIII. God. 1358. 10 srpnja, u Mletcih.

1358 indictone XI, die X iulii, capta: quod expense, fiende in ambascata fienda et mittenda ad dominum regem Hungarie et circa illa negotia, fieri possint de denariis montis.
Maius consilium. Novella 62, u mlet. arkivu.

XIV. God. 1358. 2 kolovoza, u Mletcih.

Na tužbu njekojih Mletčana, da jih Zadrani zlostavljaju proti ugovoru mira, odlučeno, neka se pošalje bilježnik u Hrvatsku, da stvar razvidi, i da se potuži radi toga povierenstvu ondje došavšemu iz Ugarske da onu državu uredi, te da u svem izviesti Leonarda idućeg za poslanika na ugarski dvor.

1358 indictione XI. die secundo augusti. Dominus, consiliarii et capita de XL. Capta: cum Marinus de Cauoruto et Zoile de Ursolino cives Jadre, nec non Nicoletus de Avancio et alii plures cives nostri conquesti sint et conquerantur, quod multe novitates facte sunt eis et fiunt per Jadrenses contra formam pacis: vadit pars, quod mictatur aliquis de notariis nostris ad partes Sclavonie, qui informando se de querelis predictorum nostrorum fidelium debeat tam apud quosdam barones regis Hungarie, qui dicuntur descendisse pro regulanda contracta, quam apud alios, ubi expediens fuerit, procurare reformationem predictarum novitatum, et quod tractentur secundum formam pacis. Et si potuerit obtinere nostram intentionem, bene quidem, sin autem, rescribat et expectet nostrum mandatum, et scribat ser Leonardo, ambaxatori nostro ituro ad dominum regem, quicquid habuerit et fecerit, ut sciat, quid habeat procurare apud dominum regem prefatum.
Misti XXVIII 67, u mlet. arkivu.

XV. God. 1358. 5 kolovoza, u Mletcih.

1358 die quinto augusti, capta: quod ultra expensas ordinarias fiendas in ambaxata itura ad dominum regem Hungarie possunt expendi pro utilitate agendorum notrorum usque ducati mille vel inde infra.
Maius consilium. Novella 63, u mlet. arkivu.

XVI. God. 1358. 18 kolovoza, u Mletcih.

Izručuju se velikašem, koji su bili došli iz Ugarske u Hrvatsku da ju urede, na njihovu prošnju zakonik i povelje zadarske kao suvišne.

1358 die XVIII augusti, capta: cum isti barones, qui nuper venerunt ad partes Sclavonie, nomine domini regis Hungarie scripserint nobis, quod statuta Jadre et alia privilegia et iura communis Jadre, que sunt penes nos, cuidam eorum nuncio existenti hic dari facere dignaremur: vadit pars, quod cum ipsa statuta, jura, privilegia pro nobis non faciant, dentur et consignentur eorum nuncio suprascripto, prout videbitur dominio.
Misti XXVIII 68, u mlet, arkivu.

XVII. God. 1358. 19 kolovoza, u Mletcih.

Dux Venetiarum dat facultatem Leonardo Dandulo eunti in ambasciatorem selemnem ad serenis. dominum regem Hungariae „accipiendi supra

nostrum commune mutuo ab omni persona per cambium vel ad presam illam pecunie quantitatem, que sibi necessaria fuerit occasione ambaxate predicte, ac promittendi nomine nostri communis, quod illam pecuniam, quam acceperit, creditoribus seu nuntiis eorum dari et restitui faciemus . . . Data in nostro ducali palatio die decimonono augusti millesimo trecentesimo quinquagesimo octavo, indictione undecima."

Sindicatus I. 77, u mlet arkivu.

XVIII. God. 1358. 4 listopada, u Mletcih.

Glede izvažanja lesa iz Mletaka riešeno, da se s gradovi dalmatinskimi postupa po onom zakonu, koj je vladao prije nego su se republiki podložili.

1358 die IV octubris, indictione XII. Dominus, consiliarii. et capita Capta: quod civitates Dalmatie, que erant libere a datio lignaminis, quod extrahebant pro uso suo propter pacta, que habuerant nobiscum, quando se nobis submiserunt, tractentur de cetero sicut tractabantur antequam haberent dictam immunitatem et pacta nobiscum. Et si consilium etc.

Misti XXVIII 25, u mlet. arkivu.

XIX. God. 1358. 6 listopada, u Kninu.

Ivan ban dalmatinski i hrvatski moli Mletčane, neka njihove galije nevriede niti meću zaprieke po moru onim njegova kralja, koj se nalazi u ratu sa srbskim carem.

Exemplum litterarum Joannis totius Dalmatie et Croatie bani, dominique terre Halme honorabilis. Cum dominus noster rex Hungarie ad presens habeat guerram cum rege sive imperatore Raxie seu Servie, et aliqua ligna nostra intendamus mittere contra emulos domini nostri regis per mare. Quare amicitiam vestram presentibus requirimus diligenter, quatenus placeat vestris galeis scribere, ut nostris hominibus per mare euntibus ne velint nocere, nec eosdem aliquo colore impedire. Nam ipsi homines nostri nulli nocebunt, nisi emulis dicti domini nostri regis prenotati. Data Tinini sexto die octobris.

Commemorialium VI. 16, u mlet. arkivu.

XX. God. 1358. 23 prosinca, u Mletcih

Buduć gorički knez Mainard dao u zalog Jurju knezu korbavskomu svoju tvrdjavu Raspurh, Mletčani se obvezuju nepačati se u tu stvar nikako i nikada, dokle ona bude u rukuh kneza Jurja.

1358 indictione XII, die XXIII decembris, capta: quod ad petitionem comitis Georgii filii comitis Gregorii Corbavie possint fieri littere infrascripte patentes, videlicet: Nos Johannes Delphyno dei gratia dux Venetiarum etc. cum nostro consilio notum fore volumus universis et singulis presentem paginam inspecturis, quod cum magnificus et potens vir dominus Meynhardus comes Goricie et Tyrolis impigneraverit et obligaverit castrum suum Rathspurch nobili et potenti viro domino Georgio comiti de Curbavia ac domine Elisabete eius uxori cum pactis et conditionibus

inter ipsos appositis et firmatis, nos profitemus et promittimus per nos et successores nostros, quod quandocumque dictus dominus comes Meynhardus et dominus comes Henricus eius frater et eorum heredes vel successores exigent seu exigere voluerint dictum castrum Rathspurch a prefatis domino comite Georgio et eius uxore et a suis heredibus, et predicti dominus comes Georgius et uxor eius prenominatis dominis comitibus Meynhardo et Henrico fratribus et eorum heredibus prefatum castrum restituere recusarent, et pacta inter eos habita infringerent ullo modo, quod nos supradictis domino comiti Georgio et eius uxori ac ipsorum heredibus non dabimus neque dari faciemus aliqualiter auxilium, consilium nec favorem. Preterea non procurabimus nec tractari faciemus per aliquem modum vel formam pro dicto castro habendo, donec ipsum castrum Rathspurch prefatis dominis comitibus Meynhardo et Henrico fratribus et eorum heredibus non fuerit restitutum. Et si sepedicti dominus comes Georgius et eius uxor vellent interim nobis aut alicui nostro subdito vendere vel impignerare aut modo aliquo obligare predictum castrum Rathspurch, quod illud non accipiemus in pignore vel sub obligatione aliqua, nec accipi dimittemus per aliquem subditorum nostrorum. In cuius rei testimonium presentes nostras litteras fieri iussimus, et bulla nostra plumbea communiri. Datum in nostro ducali palatio die XXIII decembris, XII indictionis MCCCLVIII.

Misti XXVIII 83, u mlet. arkivu.

XXI. God. 1358. 29 prosinca, u Mletcih.

Capta: quod scribatur Leonardo Dandulo, ambasciatori apud regem Hungarie „quod, cum sit electus capitaneus Tervisii, debeat redire Venetias pro eundo ad regimen suum“ accepto comeatu a rege, vel si rex esset longe, a reginis vel ab aliis, qui remansissent loco eius.

Misti XXVIII 83, u mlet. arkivu.

XXII. God. 1359. 14 siečnja, u Mletcih.

Na molbu kneza Jurja korbavskoga prima se, da mu se dade plaća na deset ljudih, koje bi on uviek držao spremne na službu mletačku; nego se to ukida uslied njekojih obzira još 4 srpnja iste godine.

1358 indictione XII, die XIV ianuarii, capta: pro parte nobilis et egregii viri Georgii filii comitis Gregorii Curiaci civis et fidelis nostri nobis fuerit humiliter suplicatum, quod cum ipse habuerit a comite Goricie quoddam castrum vocatum Rasporgh, et intendat tanquam fidelissimus servitor ducalis dominii personam suam et castrum et omnia, que habet, ad omnem ipsius ducalis dominationis servitium et mandatum, dignaremur eidem de gratia speciali concedere et providere de tanto stipendio, quod possit ultra familiam et servitores suos tenere decem homines equestres, cum quibus omnibus et persona sua et castro vult esse ad omnem obedientiam et mandatum capitaneorum et rectorum Ystrie, sicut ducalis dominatio precipiet, et ad defendendum honorem ducalis dominii tam in civitatibus et locis ducalis dominii quam extra contra quoscumque robatores et alios offedentes terras et subditos: vadit pars, quod dicto comiti

Georgio de gratia speciali concedatur, sicut petit, quod de cetero habere et tenere debeat et possit decem homines equestres ad servitium et mandatum ducalis dominii nostri cum illo soldo seu stipendio, cum quo sunt alii stipendiarii paysnatici Ystrie, cum quibus et aliis gentibus suis teneatur et debeat defendere et manutenere honorem et statum ducalis dominii et conservationem terrarum et locorum eidem dominio subiectorum bona fide et sine fraude, et hoc duret ad beneplacitum dominationis. De non o, non sinceri 4, omnes alii de parte.

MCCCLXIIII, indictione secunda, die IV mensis iulii, captum fuit ad busulos et ballotas per dominum et omnes consiliarios vigore libertatis per consilium regatorum sibi atributam per partem supradictam, quod predictus comes Georgius ex aliquibus racionabilibus causis de cetero habere non debeat provisionem predictam, et sic dictum fuit eidem comiti per dominationem. Et ideo de mandato prefacte dominationis supradicta pars cancellata fuit.

Misti XXVIII 85, u mlet. arkivu.

XXIII. God. 1359. 19 siečnja, u Mletcih.

Conceditur Jacobo Fabri de Seravalo, qui tempore guerre contra Hungaros stetit in castro Franco, faciendo „veretones, sclopos et balotas et alia, que fuerunt neccessaria pro honore nostro" una paga mortua.

Misti XXVIII 88, u mlet. arkivu.

XXIV. God. 1359. 13 ožujka, u Mletcih.

Deliberatum, quod Jacobinus de Papia „occasione tractatus proditorii habiti per eum cum Marco Sartore" sit in banno perpetuo; et si inventus fuerit in terris venetis, capiatur et „ducatur inter duas columpnas, et ibi suspendatur per gulam taliter quod moriatur."

Consilium X. Misti IV u mlet. arkivu.

XXV. God. 1359. 4 travnja, u Pragu.

Carolus Romanorum imperator et Boemiae rex significat universitati Augustensium „cum pro amore illustrissimi principis domini Ludovici regis Hungarie fratris nostri dilecti inimititias gessimus contrariando civitati Venetiarum civibusque eiusdem civitatis et cum se mutuo nunc per concordiam composuerint, hinc est per nos predictam civitatem et cives Venetiarum cum eorum bonis gratiose resumpsimus in nostre tutelle deffensionem cesariam." Praecipit, ut hoc factum publicetur. „Datum Prage die sancti Ambrosii episcopi, regnorum anno duodecimo, imperii vero quarto"

Commemorialium V 108, u mlet. arkivu

XXVI. 1359. 11 travnja, u Mletcih.

Izabran odbor od šesdesetorice, da rieši posao tičući se Ivana Georgio odprije kneza korčulanskoga.

1359 indictione XII, die XI aprilis. Consiliarii et capita: quod istud factum ser Johannis Georgio comitis Curzole tangit multum pro omni re-

spectu statum nostrum, et consilium videatur gravari, nec congregetur ita bene, sicut esset necesse, et bonum sit in hoc procedere in tali deliberatione et maturitate, quod terra habeat directum suum; vadit pars, quod sicut fuit factum in factis Hungarie, elligantur per scrutinium in rogatis LX nobiles, qui possunt accipi de omni loco, etiam de iudicatu petitionum, non possendo accipere ultra duos pro domo, nec aliquem, ad quem tangat factum vel propinquos suos, qui exirent pro eis de consilio, et isti LX cum consilio rogatorum vocentur die lune proximo post nonam, et alio, quando esset necesse pro istis factis sub pena solidorum C pro quolibet non veniente; et illud, quod pro maiori parte totorum istorum congregatorum fuerit superinde terminatum et diffinitum aut processum, sit firmum, sicut si esset factum per istud consilium, et sapientes electi super istis factis veniant in dictum consilium cum libertate ponendi partes suas sicut poterant in maiori consilio. Et si consilium etc.

Maius consilium. Novella 67, u mlet. arkivu.

XXVII. God. 1359. 15 travnja, u Mletcih.

Riešeno, da Ivanu Giorgio zato, što je uslied mira ugarskoga izgubio korčulansku kneževinu, nepripada nijedno pravo na naknadu od strane republike mletačke:

1359 die XV mensis aprilis, Curzola. Dominus dux, ser Franciscus Lauredano, ser Franciscus Caravello, ser Petrus Baseio, ser Marcus de Priolis, ser Belliuus de Molino consiliarii; ser Marcus Demario, ser Marcus Dandulo, capita. Capta in consilio rogatorum, XL ac in additione facta de LX sapientibus. Quod per ea, que dicta et lecta sunt, ex nunc determinatum sit, quod ser Johannes Georgio pro facto comitatus Curzolle nullum ius habeat vel habere possit aut petere ullo umquam tempore de iure ipse vel successores sui, aut alii de cha Georgio contra commune Veneciarum. 76 — Sapientes: ser B. Marcello, ser Her. Copo, ser M. Baseio. Cum nobilis vir Johannes Georgio existens comes Curzole et aliarum insularum propter pacem per nos factam cum rege Huugarie remansit expoliatus et nudus predicto comitatu, qui sibi de iure spectabat, ut notum est, et considerato tanto damno suo et heredum suorum racionalibiter conveniat sibi per aliquem iustum modum providere in remunerationem suam: vadit pars in bona gratia, quod dicto ser Johanni dentur de denariis nostri communis, qui accipiantur cum ordinibus terre, libre VIII mille ad grossos quolibet anno, sicut habebat de salario pro comitatu, et ipso deficiente, suis heredibus et successoribus perpetuo, que remuneratio vadat de heredibus in heredes eo modo et forma, quibus ire debebat comitatus per formam testamenti codam domini Marsilii Georgio, quorum denariorum fiat sibi vel heredibus et successoribus suis solutio in duobus terminis videlicet statim capta parte detur medietas pro medio anno futuro, et alia medietas in capite dicti medii anni, et sic successive servando, cum conditione tamen, quod commune nostrum per ipsum et heredes ac successores reddatur securum de non petendo vel requirendo aliquid ullo tempore pro predictis vel dependentibus ab eis cum solempni obligatione super inde. Verum si aliquo tempore dominium ipsius civitatis deveniret in dictum comitem

vel heredes et successeres, tunc sit revocata dicta provisio in totum; et si consilium etc. 14. — Sapientes: Superantio, Barbo. Quia convenit pro honore huius dominii, consideratis damnis receptis per ser Johannem Georgio comitem Curzole et aliarum insularum, de quibus exivit, ut notum est, providere sibi per illum modum, qui sit racionabilis et secundum deum et cum quam minori incomodo poterit nostri communis: vadit pars, quod pro merito damnorum suorum dentur dicto ser Johanni de denariis nostri communis, qui accipiantur cum ordinibus terre, ducati MV centum per modum mutui, et cum illa condictione, quod de dicta quantitate det ydoneam plezariam, que placeat dominio usque unum mensem, postquam fuerit capta ista pars. Et si ipsam dare non posset, ponantur dicti denarii ad cameram frumenti cum prode solito, de quibus habeat prode iuxta usum. Et si ipsam plezariam dederit, ut dictum est, detur sibi dicta pecunia. Que pecunia, mortuo dicto ser Johanne, vadat de heredibus in heredes, sicut ire debebat comitatus per formam testamenti domini Marsilii Georgio. Intelligendo semper, ut securitas appareat de dicta pecunia, quod omnes illi, qui succedent in dicto benefitio, teneantur ad dictam plezariam. Verum si aliquo tempore comitatus veniret ad manus dicti ser Johannis vel heredum et successorum suorum, tunc revocata sit hec provisio, et restituatur pecunia nostro communi, et ad hoc sit obligata plezaria accipienda. 6, non sinceri 49.

Misti XXVIII 103, u mlet. arkivu.

XXVIII. God. 1359. 24 travnja, u Mletcih.

Šalje se bilježnik, neka Zadranom izruči listove kralja ugarskoga, po kojih su pozvani, da se drže mira, i da njekojim povrate njihova imanja.

1359 XXIV aprilis. Dominus et consiliarii. Capta: quod pro presentandis litteris, que mittantur Jadrensibus per regem Hungarie super observatione pacis, et pro procuranda apud banum et ipsos Jadrenses observantia pacis in hiis, in quibus contrafecisse videntur, et restitutionem bonorum Marini de Canaruto, Zoili de Orsolino, Nicolai de Avancio et aliorum nostrorum fidelium, mittatur unus de notariis curie cum illa commissione et verbis, que dominio videbuntur.

Misti XXVIII 103, u mlet. arkivu.

XXIX. God. 1359. 28 travnja, u Višegradu.

Ljudevit ugar.-hrv. kralj zahtjeva od Mletčana, neka prisile svoga podanika Donata Alemani, da Ivanu kanoniku Zagrebčaninu povrati novce, koje mu pozajmio bio.

Exemplum quarundam litterarum serenissimi dominie regis Hungarie in favorem Johannis canonici Zagrabriensis pro cambio pecunie facto cum Donato Alamani missarum ducali dominio. Amici karissimi. Dolorosa fidelis nostri Johannis canonici Zagrabinensis presentium exibitoris insinuante quirimonia didicimus, quod cum ipse dudum Venetiis existens cuidam Donato Alemani concivi vestro trecentos et quinquaginta florenos auri in principali pecunia ac XXI florenos pro lucro campsoris in persona venerabilis patris

domini Stephani episcopi Zagrabiensis more solito asignasset sub illa condictione, ut quando idem Johannes cum literatoria cautione iam dicti nostri concivis ad Avinionem perveniret, sibi dicte pecunie quantitas ad plenum restitueretur. Et licet ipse Johannes recepta litera cautionis huiusmodi versus predictam Avinionem proficiscens, ipsam persone, cui dirigebatur, presentaverit, tamen eadem persona sibi nichil penitus visa litera dicti vestri concivis dare curavisset, et sic deceptus de ipsa Avinione rediens Venetias aplicuisset, idem diu cum aliquibus de sua societate de vestri medio ad partes alienas se transtulisset, et quamquam ipse Johannes a vobis de rebus et bonis dicti sui debitoris ad vestrum commune ratione debitorum devolutis debitam sibi pecierit impendi satisfactionem, tamen quia Johannes ipse vestris statutis parere noluerat, vos eidem nullam satisfactionem impendere curassetis. Unde cumn ostri regnicole statutis vestris et e converso vestri nosris subiatcere minime teneantur prout nos ad ipsum non credimus ignorare, amicitiam universitatis vestre attente petimus et rogamus, quatenus eidem Johanni consideratione nostri super predicte pecunie quantitate et expensis interim per ipsum factis de rebus et bonis sepedicti vestri concivis meram et omnimodam velitis impendere satisfactionem, alioquin eumdem Johannem in dampuo relinquere nullatenus nos deceret. Data Voussegrad mense aprilis die XXVIII.

Commemorialium VI 65, u mlet. arkivu.

XXX. 1359. 17 lipnja, u Mletcih.

Na zaktjev bana hrvatskoga zabranjuje se pod kaznom i globom činiti škode i nasilstva na otocih dalmatinskih.

1359 indictione XII, die XVII junii, capta: cum dominus banus Sclavonie pridie per suum specialem ambaxatorem requisiverit, quot cum aliqua nostra navigia transeuntia per insulas fecerint damnum in animalibus et bonis subditorum suorum, placeat nobis pro conservatione amoris et pacis taliter ordinare, quod de cetero per nostros talia non committantur, et utile sit ymo debitum nobis super hoc dare talem ordinem, quod ipse vel alii causam non habeant in posterum conquerendi; vadit pars, quod cridetur publice, quod aliqua nostra navigia armata vel disarmata seu aliqui nostri fideles transeundo per insulas et partes Sclavonie nullo modo audeant vel presumant facere damnum vel violentiam aliquam in animalibus vel aliis bonis partium predictarum sub pena haveris et personarum ad voluntatem dominii, et si quis contrafecerit et aliquis eum accusaverit, habeat accusator de bonis accusati, si per eius accusatorem veritas habeatur, medietatem condempnationis peccuniarie, et teneatur de credentia, et reliquum sit advocatoribus communis, quibus hec committantur; et si plures fuerint ad committendum damnum, et unus vel plures accusaverint alios, nichilominus habeant dictum meritum, et ipsi absolvantur ab omni pena. Et omnem penam, quam ipsi accusantes debuissent ferre, debeant substinere accusati. Et si consilium etc. — Cridata dicta die. — Missa ad voces.

Misti XXIX. 8, u mletačkom arkivu.

XXXI. God. 1359. 6 srpnja. iz Srbske.

Poslanica Ljudevita ugar.-hrv. kralja na Nikolu hrvatskoga bana, kojom mu nalaže, neka povrati imanja njekojim podanikom stanujućim u Zadru.

Copia litterarum transmissarum banno Dalmatie super extimatione possessionum Jadrensium et Nonensium etc. per dominum regem Hungarie, et conductarum per Bartholomeum Ursio de exercitu suo existente in Servia. Nicolao banno Dalmatie et Chroatie. Noveritis nos alias scripsisse Jadrensibus super facto extimationis possessionum Venetiarum et suorum fidelium existentium in Jadra et Nona ac restitutione bonorum Marini de Canarento et Zone de Pizolo et aliorum, ut ea et contenta in pace executioni mandarent. Set, prout habuimus per Bartholomeum nuntium . . ducis et . . . communis Venetiarum amicorum nostrorum, usque nunc nil est factum. Quare mandamus fidelitati vestre firmiter et districte, quatenus omnia predicta vos executioni mandare debeatis, cum simus dispositi omnia premissa penitus attendere, et inviolabiliter observare. Declarando, quod nostre intentionis est, ut dicte possessiones, facta de ipsis iuxta formam pacis extimatione, solvantur de pecunia predictorum Jadrensium et Nonensium vel nostra, si nobis placebit, secus in premissis intuijtu nostre gratie non facturi. Datum etc. VI iulii.

Commemorialium VI 67, u mlet. arkivu.

XXXII. 1359. 1 kolovoza, u Mletcih.

Deliberatum „quod mittatur unus notarius curie ad faciendum responsionem baronibus Sclavonie super literis nobis missis per eos pro facto Zanini de Jadra de contrabanno ei accepto“ In Tergesto recipiat informationem de ipso facto, et deinde vadat ad barones „ad faciendum sibi responsionem, et excusationem“ si repererit verum esse, quod scripserant.

Misti XXIX. 18, u mlet. arkivu.

XXXIII. 1359. 2 rujna, u Mletcih.

Capta, quod mittatur notarius ad banum Sclavonie „ad procurandum observationem pacis et executionem litterarum regalium, et reformationem eorum, que debent reformari pro nobis et nostris fidelibus et sequacibus;“ deinde vadat ad regem, et dicat ei in facto Beltrami de Tarsia et Guerre de Castro Franco „quod occasione adhesionis, quam sibi fecerunt, nullam receperunt vel reciperent modo aliquo novitatem, sed multo tempore ante adventum suum in Trivisanam propter demerita et excessus suos fuerunt dampnati pro rebellibus et proditoribus nostris et eorum bona confiscata, ita quod non sunt de inclusis in pace quantum ad hoc“,

Misti XXIX. 24, u mlet. arkivu.

XXXIV. God. 1359. 5 rujna, u Šibeniku.

Hrvatski ban Nikola Zec zahtjeva od mletačke vlade naknadu za njeke štete učinjene dvama od kraljevih podanika.

Exemplum quarumdam litterarum missarum ducali dominio per Nicolaum de Sez banum Sclavonie. Aliquociens scripsimus rogando, quatenus

illa, que per homines vestro sablata fuerunt a Franciscbo de Mediolano et Zanino condam Dominici de Jadra, vassalis domini nostri regis, amicabiliter restitui facietis. Et vestro notario, quem ad partes istas noviter miseratis, predicta referenda commisimus voce viva. Quare adhuc pro bono rogamus, quatenus eadem restitui faciatis, si placet; alias autem super hiis huiusmodi nos expediet cogitare. Scriptum in castro sancti Michaelis Sibenicensis, die V septembris.

Commemorialium VI. 68, u mlet. arkivu.

XXXV. God. 1359. 7 kolovoza, u Trstu.

Zambernardus de Cisano notarius venetus exponit potestati Tergesti, quod quidam Zaninus de Jadra coram dominationem Venetiarum comparuit „cum litteris commendatoriis baronum domini regis Hungarie legatorum ad partes Sclavonie“ asserens, quod ei injuste ablata fuisset barca onusta variis mercationibus per lignum deputatum ad custodiam Istrie, et quod, si vera essent exposita, eidem Zanino omnia restituantur. Habita de facto informatione, dignoscitur, quod alique tantum res fuerint dicti Zanini, barca vero alterius.

Commemorialium VI. 69, u mlet. arkivu.

XXXVI. God. 1359. 9 kolovoza, u Trstu.

Tršćanski knez Petar Dandulo šalje hrvatskim velikašem gori navedenu iztragu, da se o stvari Zanina iz Zadra osvjedoče.

Exemplum quarundam litterarum missarum baronibus domini regis Hungarie in partibus Dalmacie per virum nobilem Petrum Dandulo potestatem Tergesti ac iudices consilii et commune dicte terre.Magnifici domini ne per defectum vocarum prolacionum possit veritas ocultari, sed pocius atribuatur unicuique, quod suum est, copiam requisicionis cuiusdam nobis facte per nuncium domini ducis Veneciarum una cum testificacionibus aliquorum testium, quos citari fecimus et iurare, ac super requisicionibus ipsa testificari mandavimus coram nobis, magnificencie vestre dirigimus presentibus interclusam, ut possitis informari plenissime de serie veritatis. Datum Tergesti die VIII mensis augusti.

Commemorialium VI 69, u mlet. arkivu.

XXXVII. God. 1359. 10 listopada, u Mletcih.

Uslied poslanice bana hrvatskoga u poslu Franje de Medio i Zanina iz Zadra nalaže se biljezniku Bartolu Ursio, neka glede toga opravda vladu u tom pred banom, i ako uztreba, pred samim kraljem.

1359 indictione XIII, die decimo octubris. Dominus, consiliarji et capita XL. Capta: quod super facto istius Francisci de Medio et Zanini de Jadra, pro quo scribit bannus Sclavonie, comittatur Bartholomeo Ursio notario nostro, quod faciendo viam Sclavonie, sicut debet facere pro aliis factis sibi commissis, debeat cum illa informatione, quam alias habuit et portavit Johannes Bernardus notarius noster de Tergesto et aliunde, facere responsionem domino banno et aliis, ubi expedit, et iustificare id,

quod per nos est factum. Et si bannus remanserit contentus de nostra responsione, bene quidem, sin autem, dicat, quod intendimus de hoc facere consciam domino regi. Et ipse Bartholomeus vadens ad presentiam regis, naret seriose dictum negotium domino regi, et justificet facta per nos, et requirat, quod placeat domino regi sic eficaciter mandare banno et aliis suis, quod pro hoc vel similibus casibus nos non inquietent ulterius.

Misti XXIX. 28. u mlet. arkivu.

XXXVIII. God. 1359. 23 prosinca, u Zadru.

Ban hrvatski zahtjeva od mletačke vlade, da njekomu Pažaninu povrati njegove novce, koje je mletački knez pažki odpravio bio u Mletke za mletačkoga vladanja u Pagu.

Excelse magnitudini vestre presentibus patefiat, quod comparentibus coram nobis ambaxatoribus et nunciis ac syndicis universitatis terre Pagi fideles domini nostri regis exposuerunt cum querella, quod cum mandato predecessorum vestrorum fuisset datum universitati et populo antedicto firmiter in mandatis, eis tunc existentibus sub Veneciarum dominio, quod secundum taxacionem et modum datum de ducali mandato per nobilem virum dominum Paulum Laurendano tunc de suo mandato comitem Nonensem, quod solucio et sadisfacio fieret integralis Bellote Georgii de Pago et eius propinquis ac aliis, quibus ad suggestionem populi universitatis predicte fuerunt eorum domus inconsulte et indebite posite in ruynam, ut manifeste dominio Veneciarum fuit liquide patefactum, ipsi, ut tenebantur, volentes mandata ducalia effectualiter observare secundum taxacionem prefati domini Pauli, imposuerunt colectam et avedaticum de florenis sexcentis auri exigendis a quibuscumque de universitate Pagi pro rata. Quibus exactis, solucio facta fuit quibusdam dampnificatis, qui tunc erant presentes secundum dictam taxacionem, que ascendit ad summam trecentorum ducatorum vel idcirca. Et quia dictus Bellota et eius propinqui tunc erant absentes, quibus secundum dictam taxacionem trangebat ressiduum dictorum VI centum ducatorum, depositi fuere in camera universitatis Pagi ducati trecenti iamdicta de causa exacti pro solvendo et satisfaciendo eisdem tempore congruo. Contigit postea, quod medio tempore dominus Mapheus Bembo tunc de ducali mandato comes Pagi invenit pecuniam antedictam in dicta camera universitatis, et eam accepit et misit Venecias, prout fertur et constat per quaternos repertos in camera antedicta, et demum comparuerunt predicti Bellota et propinqui petentes ab universitate antedicta pecuniam antedictam; super quibus fuit tam per universitatem quam per predictum Bellotam significatum et supplicatum dominio antedicto, quod ut patet publicis documentis provisum fuit et ordinatum per predictum dominium dictam pecuniam debere restitui, quod hucusque non extitit exequutum. Nunc vero ad requisitionem et instanciam dicti Bellote et suorum propinquorum sententiatum extat iuridice, quod universitas terre Pagi solvere teneatur dicto Bellote et eius propinquis dictos florenos CCC auri secundum taxacionem dicti damni. Quare cum non sit consonum racioni, ut quod semel exactum est amplius exigatur, et cum dicta quantitas pecunie, ut premittitur, iam exacta extiterit et accepta, ut predicitur,

non credimus fore dignum, quod universitas in predictis ulterius agravetur. Quare magnitudinem vestram presentibus duximus deprecandam, quatenus iustitia procedente pro honore domini nostri regis et nostris intervenientibus precibus indempnitati predicte universitatis et populi taliter providere dignemini, quod cedat iuri et honori vestro ad laudem, et ne querela eorum ad aures regis valeat devenire, sed per satisfationem condignam eorum querimonie cessare cogantur Et super hiis, que vestra magnificencia ordinaverit et disposuit, si placet, dignetur rescribere per latorem. Data Jadre XXIII decembris. Nicolaus de Zeech regnorum Dalmacie et Croatie banus generalis, comesque civitatis Jadre. (Izvana) Excelso et magnifico domino Johanni Delphyno dei gratia inclito duci Veneciarum. Banus Sclavonie pro Pagensibus.

Clas. XIV Cod. Lat. LXXI nr. 30, u Marciani u Mletcih.

XXXIX. God. 1359. 23 prosinca, u Zadru.

Hrvatski ban Nikola Zec piše mletačkoj vladi, neka dozvoli Zadranom kupovati u Mletcih ono, čega trebaju,

Excelsam magnificenciam vestram non latere volentes vobis duximus presentibus fore notum, quod coram iudices civitatus Jadre nomine cunctorum nobilium et communis querelam exposuerunt, quod cum nos vice regia eis commiserimus aliqua peragenda, asserunt ea non potuisse perficere, quoniam necessaria ad predicta non possunt habere nisi de civitate vestra Veneciarum, utpote ferrum, arma et alia consimilia ad perficiendum per nos eis imposita superius, ut est dictum, addentes, quod per officiales vestros suis non datur licencia et facultas pro sua pecunia extrahendi de civitate et aliis locis vestre dominacioni subditis predicta et allia quamplurima suo usui necessaria. Quare cum in locis, terris et portubus subiectis domino nostro regi plena sit vestratibus concessa facultas extrahendi queque victualia et alia universa pro eorum libito voluntatis absque contradicione vel molestia, et dignetur magnificencia vestra pro honore domini nostri regis et nostris intervenientibus precibus, ut omnis materia scandali de medio auferatur et amor et gratia augeatur disponere et ordinare, quod predicti fideles domini nostri regis et alii eorum subditi possint et valeant pro sua pecunia mercimonia queque et alia usualia et eis necessaria extrahere et extrahi facere de omnibus terris et locis vestro dominio subditis, ut nos pro inde et eos magnitudini vestre faciatis ad similia debitores; rogantes, si placet, ut quidquid disposueritis fieri superinde, velitis et dignemini nobis per vestre magnitudinis litteras intimare. Data Jadre XXIII decembris. Nicolaus de Zeech regnorum Dalmacie et Crohacie banus generalis ac comes civitatis Jadre. (Izvana) Excelso et magnifico domino Johanni Delphyno dei gratia inclito duci Veneciarum.

Clas. XIV Cod. Lat. LXXI n. 33, u Marciani u Mletcih.

XL. God. 1359. 23 prosinca, u Zadru.

Nikola Zec ban hrvatski moli mlet. republiku, neka namiri njekoga zadranina za štetu, koju mu njeki mletčanin počinio bio.

Meminimus dum essemus Veneciis personaliter super pace tractanda inter dominum nostrum regem et vestre magnitudinis regimen secundum

querenlam et peticionem nobis expositam per Cernolum Johannis Dobroxii civem Jadre coloquium habuimus de facto cuiusdam sui barcusii caseo et aliis mercimoniis suis onusti, eidem indebite sublati de portu Jadre clamdestine et furtive per Franciscum Rubeum civem vestrum. Super quibus post plura dicta et replicata per vestram dominacionem nobis promissum extitit, talem ordinem per vos dari debere, quod dictus Cernolus conservaretur indempnis et possit merito contentari. Nunc vero ipse querelanter exposuit, se velle ius super inde consequi potuisse. Quare predicta ad vestre magnitudinis conscientiam reducentes, vos duximus deprecandum, quatenus promissionem vestram et gratam policitationem super predictis taliter per execucionem et complementum coroborare dignemini, quod vestre magnitudinis cedat honori. Et pro inde vestratibus simus in futurum ad similia obligati. Respondentes, si placet, qnid decreveritis fieri superinde. Datum Jadre XXIII decembris. Nicolaus de Zeech regnorum Dalmatie et Crohacie banus generalis comesque civitatis Jadre.(Izvana) Excelso et magnifico domino Johanni Delphyno dei gratia inclito duci Venetiarum. Banus Dalmacie pro barchosio Cernoli de Jadra.

Clas. XIV Cod. Lat. LXXI n. 34, u Marciani u Mletcih,

XLI. God. 1360. 21 siečnja u Levi.

Grgur Krbavski knez, prognan u Ugarsku, moli Mletčane, neka mu njeke novce pošalju i godišnju pripomoć doznače.

Exemplum litterarum missarum per comitem Gregorium filium Curiaty, nunc in regno Hungarie in castro Levia, domino duci.

Excellentissimo principi domino duci Venetorum domino suo metuendo comes Gregorius filius Curiati nunc in regno Hungarie in castro Levia moram trahens in Clianconem cum promptitudine sui famulatus honore cum decenti. Noverit vestre dominationis devotio nuper per quendam meum nuntium videlicet 1360 litteras meas vobis pro transmittendis michi expensis direxisse, et idem meus nuntius demnm ad me reversus, pro ut idem michi asseruit, tantum sexaginta florenos pro expensis michi duxseritis transmittendum, secundum vero nuntium mediantibus meis litteris pro petendis a vobis expensis, videlicet Prolebanum de Leva, ad vos transmisisse, idem ad me reversus, nullam expensam ex parte vestre gratie michi portavit. Super quo supplico et peto vestram excellentiam presentibus intuitu dei omnipotentis et ob respectum meorum servitiorum per inmensum, quatenus predictos sexaginta florenos usque ad ducentos florenos michi competere dignemini vestri gratia et velitis. Insuper suplico maiestatem instanti preco quo possum, ut michi, quousque hic in isto infelici statu existo, quem statum, sciente divina clementia, quod non meritis meis culpis graviter patior et sum adeptus, singulis annis centum florenos michi ad usum meum vestri gratia transmittere velitis, quia preter deum ad nullum habeo refugium seu spem nisi ad vestram excellentiam, quia sicut communis fama sonat in regno Hungarie, quod ego contra honorem domini Ludovici dei gratia regis Hungarie, favendo volis, sibi silicet infidelis et contrarius extitissem et essem. Clamo pro hoc verum deum, meam veram fidem erga dictum dominum regem mere nostis ac novistis; igitur suplico vobis instanter ac devote, ut singulis annis michi, ut premissum est, per meum

nuntium exhibitorem presentis centum florenos pro expensis vestri gratia transmittere velitis. Insuper sexaginta florenos, quos michi per meum nuntium nuper ad vos missum michi transmisistis, eosdem sexaginta florenos usque ad ducentos florenos michi compleatis, ita tamen, quod predictam pecuniam meo filio Georgio aut suo procuratori vel latori presentium acomodare vestri gratia debeatis. Datum feria secunda post festum beatorum Fabiani et Sebastiani, anno domini MCCCLX.

Commemoralium VI. 90. u mlet. arkivu.

XLII. God. 1360. 1 siečnja, u Kninu.

Nikola knez hrvatski šalje svoga kancelara Martina u Mletke, neka se tuši radi škode, koje svagdano mletački podanici njegovim nanose, i da nakupi oružje i drugo što mu treba.

Quia in partibus Dalmacie plura per vestratos inferuntur dampna et iniurie, ymmo et sunt illacte, ideo ad vestram magnificentiam venerabilem dominum Martinum nostrum cancellarium dirigimus, petentes vos obnixe, quatenus eidem in exponendo et dicendo dampna prefacta fidem credulam impendere velitis; et quia etiam de regno domini nostri regis nullo interposito impedimento cuncta ad vestram libere et secure deferuntur civitatem, petimus eo modo, ut idem noster cancellarius arma et alias res queat et possit pro nobis comperare vestra licentia mediante, et placeat vestre magnificencie in omnibus aliis dicendis credere tranquam nobis. Datum Tininy feria quarta in festo circumcisionis domini.

Nicolaus de Zech regnorum Croacie et Dalmacie banus.

(Iz vana) Excelso et magnifico viro domino Johanne Delphyno dei gratia inclito duci Veneciarum. Banus Dalmacie pro damnis illatis.

Clas. XIV. Cod. Lat, LXXI. n. 35, u Marciani u Mletcih.

XLIII. God. 1360. 16 siečnja, u Senju.

Bilježnik Bartul Ursio izviešćuje o svom dogovoru sa banom hrvatskim u Zadru i u Kninu o javnih tekučih poslovih.

Excellentissime domine mi. Per meas litteras datas Jadre die XXIV mensis decembris preteriti serenitati vestre intimavi, qualiter tunc temporis de negociis michi commissis nil aliud scribere poteram nisi quod ad requisicionem domini banni non vallens aliud facere, fueram in suo consilio diebus IV cum ipso Jadre, ubi erant XV Jadrenses inter rectores et alios, qui contra me multa et infinita dixerant et allegaverant super peticionibus per me factis a dicto domino banno, et ego cum omni modestia substinueram secundum meam parvam discrecionem honorem et ius vestrum in quantum potueram, licet predixissem dicto domino banno multociens me non venisse ad Jadrenses nec cum eis in ista parte aliquid agere habedam, nam dominus rex soli domino bano scribebat et mandabat, tamen de eius mandato me opportebat sic facere, quia dicebat, quod de hiis, que petebam, tangebant Jadrenses, eciam quia erat comes Jadre opportebat, quod sic omnino esset. Super quibus omnibus dixerat, quod michi daret suas responsiones. Set quia possessiones ser Marini de Canaruto erant extra districtum Jadre, opportebat, quod ipse haberet consilium cum Sclavis, et quod instrumenta suarum possessionum mecum ferre deberem Tininum ad eum;

cui responderam, quod dicta instrumenta secundum meam commissionem michi data per dictum ser Marinum nulo modo ferre potueram mecum, set ad eius declaracionem licet vidisset dicta instrumenta autentica, tamen reducerem in scriptis eorum copiam, videlicet millesimum, diem, indictionem, mensem, nomina notari, venditoris, emptoris et loca cum suis choerenciis, sicque contentus fuerat et feceram, atque qualiter de eius mandato post ipsum ibam Tininum, nec super aliis potueram sùas habere responsivas, set michi darentur ibidem in scriptis ut dixerat, tamen michi videbatur factum in longum procedere, nec potueram aliud facere nisi sequi voluntatem suam pro bono negociorum michi commissorum. Super vero facto Zanini de Mediolano, qui ad introducionem domini Jacobi Subych et Johannis de Grisogonis fuerat in dicto consilio pluries et pluries, iustificaveram ius vestrum in quantum potuerat et sciverat mea parva discrecio secundum informacionem et commissionem meam, concludendo et inducendo dictum bannum possetenus, quod si graciam de hiis peteret a nostro dominio, ob eiusdem domini banni reverenciam ipse graciose obtineret, nam eratis parati sibi in omnibus complacere vobis possibilibus, et cum eo et suis pacifice et quiete pertransire. Et tunc quasi omnes Jadrenses ceperant vociferare, dicentes: domine banne, dominus rex fecit bonam pacem cum eis et per formam pacis de novo factam licitum est nobis talia facere, nulo modo consulitur, quod istrud sic pertranseat; precipiatis nobis, quod retingamus de suis navigiis taliter, quod fiat satisfacio; et cum hiis et aliis verbis multis substinendo, quod istud de iure secundum formam pacis licitum erat eis. Et quia michi visum fuerat, quod quasi dominus bannus condescendebat ad suum consilium, dicebam domino bano, si erat contentus de dicta mea responsione et iuris vestri antiquissimi. Qui quidem dominus bannus responderat, quod nullo modo videbatur sibi, quod cum honore suo sic posset pertransisse, nam quatenus super ipsa materia scripserat vobis et habuerat verba tantum, et quod plus non intendebat scribere nec graciam petere, ubi ius habebat, in alio vero casu quolibet a vobis fiducialiter tamquam a fratre graciam peteret. Ego autem tunc dixeram sibi, quod in casu quo non remaneret contentus, debebam dicere domino regi negocium, et qualiter processum fuerat, et quod dominacio vestra non dubitabat eum esse tam iustum dominum et principem, quod quicquid per vos in predictis factum fuisset, haberet iustum actum esse, et remaneret contentus. Qui dominus bannus dixerat, si dominus rex erit contentus, eciam ego ero, ymmo poterit tibi dare hominem illum, si sibi placebit, rogando me, quod ex parte mea et non parte sua dominio vestro verba sua scriberem, et quod bonum erat, quod restitucio fieret, cui sic scribere promiseram. Insuper denotaveram, qualiter multi et multi compervenerant petendo multa et infinita, inter quos comes Pagi nomine aliquorum Pagensium, super quibus omnibus responderam domino banno sicut predixeram in principio meorum verborum, quod non veneram ad Jadrenses modo litigandi nec placitandi, quia non habebam sindicatum neque mandatum nisi ad petendum et recipiendum secundum formam pacis, et propterea nullam aliam responsionem potueram sibi dare. Nunc autem noverit excellencia vestra me fuisse Tininum apud dominum bannum diebus quinque, et die tercio presentis januarii habuisse ab eo suas responsiones in scriptis, quarum copiam cum peticionibus dominio vestro mitto presentibus introclusis. De restitucione vero

possessionum ser Marini de Carnaruto oretenus dixit, quod habuerat consilium cum Slavis aliquibus, qui dicebant, quod comes Gregorius tenebat et possidebat aliquas villas et possessiones de suis, quo nomine devenerant ad manus domini regis, quando fuerat captus. Et propterea presumendum erat, quod cum aliqua racionabili causa tenebat et possidebat; de aliis vero villis et specialiter villa Rasanz ille vel illi, qui vendiderant, non potuerant vendere secundum mores Sclavonicos pro eo videlicet, quod non habebant heredes, quia quando non sunt heredes, nemo potest vendere, quia defuncto homine sine herede, sua bona devolvuntur ad regias manus, et quia illi non habebant heredes, fuerant consignate domino regi, et propterea non videbatur sibi, quod cum honore suo posset ista restituere, nisi primo notificet domino regi negocium qualiter se habet, et quicquid dominus rex imposterum sibi mandabat, erit paratus obedire. Cui, domine mi, dixi: domine banne in pace legitur videlicet: similiter eciam convenimus, quod illis duobus Jadrensibus, qui modo sunt Veneciis, videlicet Marino de Canaruto et Zone de Pizolo, restituantur integre omnia sua bona, que habent in Jadra vel alia aliqua parte nostri dominii, et quod ipsis uti, gaudere et frui possint libere, pacifice et quiete absque impedimento vel turbacione cuiusquam etc. per quam scripturam clare demonstratur, quod nulla exceptio potest opponi nisi facere integraliter restitucionem, nam per dominium vestrum, quibus multa erant restitata, non fuerat apposita aliqua exceptio et non... Ben..... exercitu... de Servia Tramo de Tarsia et aliis pluribus erat facta similis restitucio, quanto magis ipse restituere debebat vidend ...... que nullum contrarium apparebat nisi modo presumpcionis secundum dictum suum, et quod si comes Gregorius tenebat et possideb .... o, erat presumendum, ipsum tenuisse modo usurpacionis quam alia racionabili causa. Ad aliud, quod dicebat .... e non potu... vendere .... ssatis clare demonstrabantur in instrumentis quosdum eius propinquos consensisse dictis vendicionibus, concludendo, quod tenebatur restituere omnino secundum formam pacis et mandatum regium sibi factum, circa que omnia domine mi per nos multa et multa dicta fuere, que essent longa scribendi. Finaliter domino bano dixi, quod loquendo cum omni reverentia videbatur michi, quod modus iste erat temporis dilatacio, et quod intencio domini regis erat omnino, quod restituerentur, et ipsemet de hoc erat verus testis. Et cum hiis et aliis verbis substinendo, quod dicta restitucio iuxta sacramenta et promissiones parcium totaliter fieri debebat. Super quibus omnibus dixit et conclusit dictus dominus banus, quod nil aliud facere intendebat pro conservacione honoris sui, sicque effectualiter notificat domino regi per suas litteras michi datas et demonstratas, presentaturas domino regi per me, aput quem procurabo omnia michi commissa fideliter in quantum scivero et potero, et quicquid successerit, secundum meam commissionem dominio vestro solicite faciam fore notum. Insuper domine mi super facto extimacionis possessionum Veneciarum existencium in Nona et Jadra dominus banus fixit terminum ad diem dominicam primam quadragesime nuper venture, et vult, quod nuncius iturus per me vadat ad Uranam quam alibi, et deinde notificet sibi per suas litteras de adventu suo, et mittat nuncium suum, ubi sciverit eum esse; quibus litteris suis receptis dominus bannus sibi rescribet, et dabit ordinem pro dicta extimacione fienda. Declaravit autem ipse dominus bannus,

quod dictus nuncius, Uranam iturus, sit ad tale tempus, quod dicta extimacio fieri possit in dicto termino. Ceterum domine mi dum essem in dicto consilio, sicut superius dictum est, procuratores et advocatores Jadre dixerunt domino banno cum protestatione efficacissima, quod Cressius filius ser Marini de Carnaruto per suum consilium sapientum fuerat privatus a civilitate Jadre, et quod de cetero tractaretur pro veneto, quia eius pater habet privilegium a nostro dominio civilitatis Veneciarum pro se et suis heredibus; et quia aliquis venetus non potest habitare Jadre, quod sibi detur licentia, quod exire debeat Jadram, alioquin de omni periculo, ad quod incurrere posset civitas Jadre, se excusabant. Tunc, domine mi, omnes de dicto consilio ceperunt prospicere versus me, et ego nulum minimum verbum dixi, neque demonstravi aliquid actu aliquo multis legiptimis racionibus. Tunc dominus bannus respondit: vollo facere; et sic privatus et licentiatus fui. Set per ea, que audivi et vidi, istud processit solummodo propter peticionem, que fitur de restitucione possessionum patris sui, nam multum placent domino banno propter notabiles redditus, qui nos habemus exhinde. Condiciones autem Dalmatie sunt in tam pessimo statu, quod nemo crederet, quin videret et audiret, nam quasi omnes plorant de dominio vestro, et de moderno conqueruntur, dicentes, quod sub nostro dominio erant tam comunia quam singulares persone divites, et modo est totum contrarium, nec audent demonstrare pulcrum quid, si habent. Insuper lix Spalatinis sunt date confines, et debet ibi fortalicium hedificare, ut dicitur. Vidique, domine mi, dominum bannum ascendere turrim porte Jadre a parte terre, et undique prospicere et demonstrare; et sicut sensi, raciocinabatur de construendo castrum ibi, quod teneat ultra comitatum. Ad suum autem getum portus modo non laborantur, ut dicunt, propter yemale tempus procedit. Preterea, domine mi, magnitudini vestre denotavi, qualiter in Tinino dominus bannus oretenus michi dixerat, quod mittebat presbiterum Martinum camerclarium suum ad partes vestras pro emendo aliqua iocalia occasione aliquarum nuptiarum, que erat celebraturus, eciam pro emendo et conducendo extra aliqua arma tam de Padua quam de partibus vestris, rogando me propterea, quatenus dominio vestro denotarem, et ipsum tanquam personam suam propriam habetis recommendatum; hecque ore suo proprio audivisse eciam, qualiter tam per dominum bannum quam per suos ob reverenciam vestri dominii dum steteram in Tinino, ubi facit residentiam, fui valde honoratus ita quod parvum expendi ibi, inveneramque dictum camerclarium, in quantum potuerat, cum honore suo michi placibilem et favorabilem. Nunc et semper gratie vestre me commendo. Servulus vestar et notarius Bartolomeus Ursio. Datum Segnie die XVI januarii.

Clas. XIV Cod. Lat. LXXI n. 30, u Marciani u Mletcih.

XLIV. God. 1360. 16 siečnja, u Senju.

Isti bilježnik nastavlja svoje izviešće o svom sastanku s hrvatskim banom, te da će se do skora staviti na put u Ugarsku.

Serenissime domine mi, per alias meas litteras datas Segne instanti die, ea, que feceramus et habueramus, dominio vestro effectualiter denotavi. Nunc autem noverit magnificencia vestra, quod me existente cum domino banno causa accipiendi commeatum ab eo, et dictis per me multis

et multis verbis indutivis et conservativis amoris et benivolentie inter dominium vestrum et ipsum, ipse dixit mihi, quod dominio vestro istud denotarem, et apud vos esset secretum, videlicet, quod, si non faciebat dictam restitucionem, non admiraremini, nam tale consilium habuerat, quod nullo modo restituere poterat servado honore suo, nisi primo notificaret domino regi, quamvis firmiter sciebat, quod dicta restitutio fieri debebat, et licet ille vel illi, qui non potuerant vendere, vendiderunt, forte domino regi placebit dictas villas pro pecunia. Ego autem, domine mi, videns, qualiter ista placent domino banno propter notabiles redditus earumdem, quos habet, et cogitans, ne vellit pro tanto precio sicut constiterint dicto ser Marino, quia precium satis leve est ad respectum affictus et redditus, dixi, qualiter super ista materia tanquam nuntius vestri dominii nullam informacionem habueram, sed tanquam Bartholomeus dicebam, quod, quamvis idem ser Marimus non esset dispositus ad vendendum, tamen cognoscendo sinceram benivolentiam, quam erga dominum regem et ipsum habetis, et proprimo habere intenditis, non dubitabam, quod quandocumque aut per dominum regem aut per ipsum super ipsa materia dominio vestro scriberentur, quod vices vestras apud dictum ser Marinum interponeretis, et possetenus induceretis eum ad eisdem complacendum; sed dominus rex et ipse loquendo cum omni reverencia debebant considerare, quod quando dicte possessiones devenerint ad manus dicti ser Marini, res erant in centuplo meliori foro, quam nunc erant, quod diruynate et devastate et postea centumplum meliorate tam in hedifficando domus de novo et mollendina quam in reparando et rehedifficando multa alia utilia et necessaria, ac eciam debebant considerare labores et expensas intolerabiles suas, et quia istud erat modicum, quod eis pocius debebant prospicere pro honore suo ad solvendum eas iusto precio, quam aliter procedere in casu, quo esset dispositus vendendi. Et sic remanserunt verba ista. Postquam domine mi dixit eciam michi, quod ista alia verba sua dominio vestro denotarem, et quod penes eum essent secretissima, silicet quod, sicut sciebat dominacio vestra, ipse habebat duo regna ad gubernandum, videlicet Dalmatiam et Crohaciam, sub quibus erant loca et gentes in quantitate, et vos eciam habebatis loca et gentes in quantitate, qui forte non sunt unius eiusdem velle, licet sint principatus, tamen rogabat vos, quod quandocumque aliqua novitas vestratibus per suos impenderetur, quod per vestrum dominium sibi notificarentur, nam per eum reformaretur secundum formam pacis, quia est dispositus eam inviolabiliter observare et vobis et vestratibus cum honore sui domini et suo in omnibus complacere: cui, domine mi, regraciatus fui, ut decuit, cum verbis honorabilibus et honestis tamquam nuncius vester, sed tanquam Bartholomeus cum omni reverencia domestice dicebam sibi, quod secundum primum visum unusquisque, qui hec audiret, habet causam admiracionis, ne forte aliquod factum esset vel facturum; qui respondit, quod non dicebat pro eo, quod aliquod factum esset vel facturum, quod sciret, set solummodo si fiet et adhuc si esset factum per aliquos alios quam per suos subditos extra suum regimen, teneret modum, quod omnino reformaretur, et pro tanto dicebat. Domine mi, sicut dixit, ita scribo. Insuper domine mi, ut magnificencia vestra videat et possit, si sibi placebit, demonstrare dicto ser Marino, que instrumenta habere potui tangencia ius suum unanimiter cum filio suo, ne forte crederet, quod omnia haberentur copiam sicut dedi

domino banno, dominio vestro transmitto per Nicoletum Catormo barcarolum cum aliis litteris meis; et sicut magnificencia vostra videt per verba eiusdem domini banni dubito, quod ad suam informacionem dominus rex mihi dicat aliquid et tangat super ipsa materia. Et quia domine mi multa de his habui informacionem neque habere potui neque scirem facere aliam responsionem utiliorem quam illam, quam feci domino banno, ut superius dictum est, cum omnimoda reverencia supplico, quatenus si aliquid aliud est vestre intencionis, mihi servulo et fideli vestro declarare dignemini, ut intentum vestrum possit perficere in omni casu, sicut opto; nam intellexi a pluribus, quod dicte possessiones moderno tempore valent a V mille in VI mille florenorum iusto precio. Preterea, domine mi, habui a domino banno, quod dominus rex ivit in exercitu ad Transilvanas partes, tamen nescio, si ita est, quia de hinc veridice minime scire possum. Dicitur quod in partibus Hungarie est magna mortalitas, et multi barones notabilles sunt mortui, inter quos dominus Leuchus frater palatini comitis. Et licet domine mi magnificencie vestre scripseram per viam maris omnia ordinate, tamen ad abundantem cautellam propter hyemale tempus, ne possitis incurrere terminum extimacionis possessionum existencium in Nona et Jadra, eciam ut verba suprascripta domini banni cicius sint vobis nota, proinde cursorem presencium cum his meis litteris vestre serenitati destinarem; nam a die X mensis presentis summo mane sicut applicui Segne usque presentem diem tam pessimum tempus et fortuna perfida fuit, quod dicta barca nec ego potuimus recedere, et cras dante deo reccedamus; veruntamen in toto non amisi tempus, nam emi unum equum, alium habere non possum, qui sit pro itinere, nec a L ducatis et inde supra, set spero invenire Modrussie, et cum habuero, solicitabo iter meum pro posse, et quicquid habuero et fecero, solicite dominio vestro faciam fore notum. Lator autem presencium habere debet ducatos duos cum dimidio, de quibus sibi dedi ducatum unum, residuum dignemini ordinare, quod sibi detur. Nunc et semper gratie vestre me commendo. Servulus vester et notarius Bartholomeus Urssio. Data Segne die XVI januarii XIII indictionis. A tergo: Serenissimo et excellentissimo domino suo domino Johanni Dolphyno dei gratia inclito duci Venetiarum etc. Bartholomeus Ursio pro verbis habitis a domino bano.

Clas. XIV Cod. LXXI 29, u Marciani u Mletcih.

XLV. God. 1360. 28 siečnja, u Mletcih.

Odgovara se poslaniku bana hrvatskoga, da si nabavi oružja uz izplatu običnih daća, a glede prociene dobara mletačkih podanika u Zadru i u Ninu, da će vlada za opredieljeno vrieme odpraviti k banu svoga poslanika, koj će ju u tom zastupati.

1359 indictione XIII, die XXVIII ianuarii. Consiliarii et capita et sapiens Trivisanus. Capta: quod respondeatur nuntio domini banni Sclavonie, et primo ad licentiam armorum et rerum, quas petit pro domino banno et usu suo, quod habentes eum in amicum et fratrem carissimum, contenti sumus ei concedere gratiose licentiam de armis et rebus predictis, solvendo dacium et drictum nostrum, quia per ordines nostros aliter fieri non possit. Super reliquis vero expositis et scriptis pro parte sua re-

spondeatur, quod sumus in brevi missuri unum nostrum nuntium ad partes illas, qui viva voce respondebit domino banno super omnibus et singulis supra dictis. Et ex nunc sit captum, quod pro extimatione fienda de possessionibus nostrorum sitis in Jadra et Nona mittatur una sufficiens persona ad terminum ordinatum per bannum, cui etiam committatur ea, que videbuntur isti consilio, tam super responsionibus fiendis ad requisita per bannum, quam super negocia nostrorum fidelium habentium ibi agere, sicut videbitur dominio et isti consilio ordinandum.

Misti XXIX 43, u mlet. arkivu.

XLVI. God. 1360. 6 veljače, u Mletcih.

Neka se piše banu hrvatskomu, da nije moguće u ovako kratko doba odpremiti poslanika u poslu prociene dobara mletačkih podanika u Zadru i u Ninu, nego da će se to obaviti bezdvojbeno tečajem ožujka, i da će mu taj poslanik donieti odgovor na ono, što je po listovih i po poslaniku javio.

1359 indictione XIII, die sexto februarii. Consiliarii et capita. Capta: cum pridie fuerit captum de mittendo unum notarium ad partes Sclavonie pro extimatione possessionum nostrorum Venetorum, que sunt in Jadra et in Nona, et pro responsionibus fiendis domino banno ad requisita per eum, et terminus, ad quem iddem nuntius ire debebat, est ita brevis, silicet ad primam dominicam XL (quadragesime), quod comode fieri non posset; vadit pars, quod scribatur dicto banno, quod propter impedimenta et propter termini brevitatem ipsum nuntium mittere non possumus ad terminum, sed usque per totum mensem marcii ipsum mittemus sine fallo tam pro extimatione predicta quam pro responsionibus ei fiendis ad ea, que pridie per suas litteras et nuntium nobis misit. Non 8, non sinceri 3.

Misti XXIX 44, u mlet. arkivu.

XLVII. God. 1360. 27 veljače, u Budimu.

Bilježnik mletački Bartul Ursio izviešćuje svoju vladu o poslovih, koje je razpravljati imao pri ugarskom dvoru.

Serenissime domine mi per duas manus mearum litterarum, unam videlicet per viam terre, aliam vero per viam maris de Segna omnia, que feceram apud dominum bannum Dalmacie magnificencie vestre particulariter et distincte pleniter intimavi, deindeque aripiens iter meum, intravi Budam die secundo mensis februarii hora vesperarum, ubi habui, quod dominus rex omnino erat reversurus citra carnis privium ab exercitu suo de partibus transilvanis, quare me opportuit expectare Bude propter mirabilem passionem, que michi devenit nocte sequenti, set mediante divina gratia et auxilio medicorum sum in convalescentia; et in veritate magna mortalitas fuit et presencialiter est in Hungaria, et specialiter Bude et Vicegrado, et sicut fertur, ibidem sunt mortui ultra XVI millia personarum, nec cessare videtur, licet dicatur, quod sic terminum erit. Noverit excellencia vestra, quod dominus rex applicuit Visegradum die veneris XIIII mensis instantis hora tarda, quo scito die sequenti equitavi, ut potui, Visegradum, et die XVI dicti mensis facta notifficacione de meo adventu sibi per palatinum comitem, et quod quandocumque placeret maiestati sue

essem paratus dicere sibi michi commissa; idem palatinus comes rediens dixit michi ex parte domini regis, quod non habeam pro malo, si non poterat me audire illis diebus carnis privii, nam habebat nuptias, et propterea vollebat habere solacium et quietem, set prima die XL omnino me audiret; cui quidem respondi, quod quicquid placebat regie maiestati, ita placebat et michi, set rogabam eum, quod taliter procuraret, quod dicta die ordinata me audiret. Et fuit, domino mi, ita rei veritas, quod habuit nupcias quidam eius propinquus ex parte matris, qui vocatur Cheserzch, videlicet quod conduxit uxorem. Facta autem prima die XL fui ad ipsius presenciam, cui, litteris vestris credulitatis presentatis et facta honorabili et decenti salutacione parte vestri dominii, dixi sibi ea, que michi commissa fuerunt per vestrum dominium, et primo videlicet super requisicionibus suis de facto Terami de Tarssia Justinopolitani et suorum sociorum, qualiter vos optantes pure et recte cum omni sinceritate servare pacem et contenta in ea, omnes processus factos contra dictum Teramum et aliquos alios de Istria occaxione adherencie facte sibi, parati eratis revocare, et ipsos restituere et tractare tam in personis quam in bonis suis in eo statu et condicionibus, quibus tractabantur ante aderenciam antedictam, et sic ex nunc mandaveratis potestati vestro Justinopolis, quod debeat inviolabiliter observare; qui quidem dominus rex nulo modo poterat de hiis habere memoriam, set finaliter reducta memoria, valde placuit sibi. De facto autem Guerre Castrifranchi et filii sui dixit, quod si iste esset de casibus contentis in pace, essetis dispositi facere et disponere de eis, sicut de aliis fecistis, set isti nullo modo possunt dici de adherentibus et sequacibus suis, nam per confessiones suorum sociorum, qui fuerunt iustificati, demonstrabantur clare sic esse rei veritas, quia tractatus erat inter eos solummodo extrahendi castrum et locum Castrifranchi de manibus vestri dominii, et in se ac pro se met ipsis retinere, nullam mencionem agendo de domino rege nec de aliquibus suis, et propterea non tenebamini secundum formam pacis, unde maiestas sua debebat vos in hac parte habere legiptime excusatos. Tunc palatinus comes hungarice fui loqutus domino regi, et dominus rex michi retulit dicens: dominus palatinus dicit, quod tractatus iste ipse met faciebat et ordinaverat cum eis; super quibus multa et multa dicta fuerunt per unamquamque partem pro et contra, que longa essent scribenda, set quasi in conclusione dominus rex dixit, si non vultis, quod intrent civitates et loca, saltim restituantur bona sua, ut posint vivere, nam bene scio, quod male possunt stare proditores cum bonis, quia non debent placere proditores alicui bono, nec michi vere placent; et facta perinc decenti responsione substinendo ius vestrum, in quandum scivit et cognovit meus parvulus intellectus, ipse sic antedicens conclusit et dixit: ergo dimitto istud super fidem et conscienciam domini vestri domini ducis et communis, cui dedi responsionem, ut decuit pro vestra intencione. Insuper domine mi dixi, qualiter presentaveram litteras suas banno suo Dalmacie super facto extimacionis possessionum Venetorum existencium in Nona et Jadra et restitucione bonorum Marini de Canaruto et Zone de Pizolo, et quod super facto extimacionis possessionum datus fuerat ordo extimandi prima dominica XL. Super vero restitucione bonorum Marini de Canaruto narravi sibi puntum parcialiter neccessaria narranda atque excepciones et opposiciones bani sui, videlicet quod quando comes Gregorius fuerat captus,

alique ex illis villis et possessionibus devenerant ad manus suas regias, quia tenebat et possidebat, et presumendum erat, quod cum aliqua racionabili causa tenebat et possidebat...... us, quod illi, qui vendiderant, non poterant vendidisse, quia non habebant heredes, et propterea secundum eorum mores........ dederant de voluntate, presentando tunc sibi litteras dicti banni super ista materia, dicendo super prima parte, quod cum omni reverencia loquendo tales excepciones et opposiciones non debebant admitti, quia demonstraveram sibi quam plura lucida et autentica privilegia et instrumenta, quomodo dicte possessiones et ville erant sue; etiam habebant quam plures possessiones, de quibus non poteraut demonstrare aliquod instrumentum, nam in capcione Jadre tota domus sua fuerat derobata, set debebat sufficere, si notorium esset ei, ipsum tenuisse et possedisse tempore pacis; qui quidem dominus rex statim dixit, quod habebat autentica instrumenta, qualiter prescriptus Marinus verdiderat comiti Gregorio, et propterea erant sue; cui domine mi cautulose dixit: regia magestas, bonum est, quod videantur ista istrumenta, et quod cum istis suis, de quibus habeo copiam, examinentur, quia forte erit divisio in aliqua parte aut de situ aut de loco aut de confinibus earumdem, et sum certus, quod maiesta vestra non vult aliud, quam id, quod iuris sit. Tunc ceperunt raciocinare ad invicem dominus rex et palatinus comes et dominus archiepiscopus Strigoniensis, quia alii non erant; tandem dominus rex dixit michi, quod ita cito fieri non posset istud, et si habebam aliud, quod deberem procedere ad aliud. Ego autem domine mi tunc narravi sibi seriose factum Zanini de Jadra, et Franceschini de Mediolano, iustifficando ius vestrum in quantum scivi et potui secundum vestram commissionem; cuius vero responsio fuit in hac forma, videlicet quod de hoc nil sciebat nec habuerat novum de partibus Dalmacie, diu erat, nisi hesterna die, et quod vollebat informari, quia bannus eius erat venturus ad eum, nam pro eo miserat. Tunc, domine mi, dixi sibi: regia maiestas, bonum est, postquam ego sum, quod finis aponatur istis negociis; sicque deliberatum fuit, quod ego expectare deberem bannum predictum, quo vento, procurabo et faciam tam aput dominum regem quam aput dominum bannum et alios quicquid boni per me fieri poterit iuxta vestram intencionem, et quicquid habuero et fecero, dominio vestro faciam fore notum. Insuper domine mi de restitucione loci Casemate nichil dixeritis, quia in mea commissione legitur, quod illud idem dicere debeam expeditis aliis negociis michi commissis, et quia non sunt expedicta, ut audiveritis, hec facta servavi dicere suo loco et tempore. Domine mi, per ea, que audivi, dictus bannus non creditur, quod veniet, nisi circa pasca, et propterea cum omni reverencia loquendo michi videtur utile, quod ego haberem aliquam informacionem super ipsis instrumentis vendicionum, ut dominus rex dixit se habere vel aliter, ut in omni casu possem seriate ius et honorem vestrum sicut opto. Domine mi, si cicius vestre magnificencie non scripseram, ut affectabam, dignemini me per dictam passionem meam legiptime excusare. Martinus autem lator presencium habere debet ducatos quinque, de quibus sibi dedi ducatos duos, et residuum habere debet Veneciis a vestro communi, quod digemini mandare, quod sibi detur. Nunc et semper gracie vestre me commendo. Servulus vester et notarius Bartholomeus Urssio. Data Bude die XXVII februarii de sero. (A tergo) Serenissimo et excellentissimo domino suo domino

Johanni Delphyno dei gracia inclito duci Veneciarum. Bartholomeus Ursio notarius missus in Hungaria pro novis.

Clas. XIV Cod. Lat. LXXI, u Marciani u Mletcih.

XLVIII. God. 1360. 5 ožujka, u Mletcih.

Ivan Sibenčanin obdaren sbog viernosti vojničkom službom.

1360 die 5 marcii, capta: quod attentibus meritis fidelitatis, quam Johannes condam Tuschi de Sibinico et progenitores sui continuatis temporibus ad nostrum dominium gesserit, dum ad obedientiam nostram fuerit, cum sit a patria sua exul, fiat sibi gratia iuxta responsionem capitanei nostri Tarvisii, quod habeat duas postas equestres in Tarvisio vacantes in banderia ultramontanorum, quas teneatur bene fulcire, non obstante, quod non sit ultramontanus.

Misti XXIX 50, u mlet. arkivu.

XLIX. God. 1360. 12 ožujka, u Mletcih.

Odgovara se na zahtjeve bana hrvatskoga, te se odbijaju, dočim se od njega traži. da po uvietih mira mletačkim podanikom pravicu dieli. Napokon se odlučuje, da se odabere osoba, koja će zastupati vladu u procieni dobara u smislu mira.

1360 indictione XIII, die XII martii. Consiliarii et capita. Capta: quod respondeatur domino banno Sclavonie. Et primo ad id, quod scribit de pecunia comitis Pagi et de armis Jadrensium, quod miramur de tanta sapientia quanta est in eo, quia ipse bene scit, quod per pacem et ex forma pacis omnia ista sopita et remissa sunt. Et si Pagenses et Jadrenses et alie civitates, quas in Dalmacia tenebamus, vellent stare ad respondendum nobis de hiis, que nobis tenentur, et que pro conservacione eorum expendidimus, dum eos tenuimus sub nostro regimine, invenirentur nobis debitores in multo maioribus summis pecuniarum, quam nos eis. Et propterea credimus, quod dominus bannus bene faceret non dare audienciam talibus requisitionibus velut enormibus et inhonestis. Nam de tempore, quo reximus et tenuimus illas terras, non habemus ex forma pacis alicui reddere racionem, immo credi debet et haberi, quod ea, que per nos facta sunt, juste et legiptime facta sunt, et utinam non deberent nobis in maioribus respondere, quam nos eis. Ad id vero, quod scribit, quod per nos denegatur licentia de armis, ferro et aliis opportunis pro factis domini regis extrahendis de Veneciis et pro Jadrensibus similiter, respondeatur, quod in omni eo, quod possemus, vellemus complacere domino regi et subdictis suis. Sed si aliquando prohibitum est eis extrahere res istas, hoc potuit et potest procedere, quia multotiens occurit, quod de istis rebus terra nostra penuriam patitur, et id, quod necessarium est pro usu nostro, si aliis non concedimus, satis sumus excusati, quia omnis caritas incipit a se ipso, nec possunt Jadrenses de hoc conqueri plus quam alie nationes, quia similem prohibitionem facimus secundum casus occurentes etiam aliis, et quando possumus de ipsis licenciam concedere, concedimus, et quando non possumus, non concedimus, nullam inter gentem et gentem differentiam facientes. Et pro certo quandocumque nobis constaret, quod pro factis regiis aliqua

necessaria essent, parati essemus etiam cum incomodo nostro sibi complacere; sed sciat ipse bannus, quod multotiens nos et ipse sub talibus coloribus decipimur et fraudamur. Ad factum Zanini de Mediolano, qui fuit inventus cum contrabanno, quod de Tergesto portabat versus Jadram, pluries et nunc ultimo per Bartholomeum notarium nostrum sibi respondimus, quod per ordines nostros iuste fuit contra ipsum processum, et largo modo transiverunt offiiciales nostri cum eo amore domini banni, et de residuo condempnationis si voluisset petere gratiam, fuissemus sibi satis generosi, et credimus indubie, quod responsio nostra satisfaciet domino regi, quia ordines, quibus ipse Zaninus contrafecit, sunt antiquissimi, et quos violari nullatenus per aliquos pateremur pro conservatione necessaria status nostri. Ad factum barcosii Cervuli de Jadra et cet. respondeatur, quod illud factum etiam per pacem sopitum est. Et si forte ipse credit contra aliquos cives nostros jus aliquod fovere, potest per se vel procuratorem suum comparere coram nobis, qui facere parati erimus sibi iusticie complementum. Ultimo dicatur eidem, quod intellectis responsionibus, quas ipse dominus bannus fecit Bartholomeo notario super requisitionibus sibi factis pro parte nostra, multum miramur, quia nostri fideles in tanta et sic aperta iustitia eorum ducuntur per verba, nec possunt habere restitutionem bonorum suorum, et specialiter miramur de ipso domino banno, qui est sapiens et iusta persona, qualiter audientiam vel fidem exibet frivolis operacionibus Jadrensium et aliorum, qui impediunt negotia dictorum nostrorum fidelium, quia ipse bene scit id, quod requirit forma pacis, et quia nostre intentionis est servare pure pacem, et quod servetur nobis; et nostri fideles cotidie clamant coram nobis, placeat ei super hiis tale remedium ponere, quod nos et dicti nostri fideles remaneamus contenti, et quod non ducantur ulterius per verba, sicut sunt usque nunc ducti. Quod quidem si factum fuerit, nobis placebit, et nos ad servandum promissa et ad complacendum ei et suis amicabiliter in omnibus, que poterimus, propensius animabit. Capta: quod mittatur etiam ad dictas partes una sufficiens persona ad terminum ordinatum per banum pro facienda extimacione possessionum nostrorum secundum formam pacis cum illa informatione circa hoc et circa alia negotia, que nostri fideles haberent in illis partibus agere, que dominio utilis et necessaria videatur.

Misti XXIX, 51, u mlet. arkivu.

L. 1360. 12 ožujka, u Mletcih.

Zahtjevi bana hrvatskoga od mletačke vlade.

1360, indictione XIII, die XII martii. Infrascripta sunt capitula et peticiones facte ducali dominio per ambaxatores domini banni Sclavonie. Primo, conqueruntur nobiles et populares Jadre, quod tempore pacis de mandato dominii Venectorum per regimen civitatis Jadre accepta fuerunt eisdem arma omnium et singulorum civium et subditorum tam deffensabilia quam offensibilia maximi valoris et in maxima quantitate, quorum petunt restitutionem vel solutionem sibi fieri cum effectu, et quod dominus bannus dicto dominio pro sui parte significare dignetur et scire posseremus, quid ducale dominium intendat facere super inde. Item modo quo supra querelam exposuerunt homines universitatis Pagi, quod tempore regiminis

Venetorum accepta fuit per eorum comitem certa quantitas pecunie dicte universitatis, et portata fuit Venecias, cuius causa dicta universitas compellitur ad dictam pecuniam persolvendam. Quare petunt restitutionem, secundum quod dominus bannus scribit per suas litteras suo sigillo. Item scribit dominus bannus dicto dominio, quod concedere dignetur Jadrensibus comuniter et divisim pro sua pecunia licentiam extrahendi de civitate Veneciarum et aliis locis subditis dominio predicto ferramenta et alia opportuna ad certa fienda et complenda tam comuniter quam divisim mandato domini banni, que honorem regium maxime tangunt et respiciunt. Item conqueruntur certi nobiles et Jadrenses et alii quam plures de universitate Pagi, quod tempore dominii Venetorum ser Marcus Lauredano civis Veneciarum tunc officialis nomine communis accepit ab eisdem nomine antedicto maximam salis quantitatem ad rationem duc. XXV pro quolibet centenario modiorum, et nullam satisfationem vel solutionem fecit eisdem, quare petunt satisfationem ut supra. Item cum iam pluries scriptum sit per dominum bannum dicto dominio super querela facta eidem per magistrum Franciscum de Mediolano et per Zaninum civem Jadre super eo, quod ipsis venientibus a civitate Tergesti per mare versus Jadram cum rebus et arnesiis suis, nulla rationabili causa precedente fuerunt de omnibus suis arnesiis per officium domini antedicti indebite spogliati, super quibus nullam adhuc restitutionem habere potuerunt, quare petunt, eis fieri restitutionem.

Misti XXIX, 52, u mlet. arkivu.

LI. God. 1360. 17 travnja, u Mletcih.

Precipitur Bartolomeo Ursio notario, ut requirat a domino rege Hungariae restitutionem loci Casematae, „sicut fieri debet ex forma pacis“; de quo loco diebatur, quod imperator proxime traditurus erat dicto regi, et quod ipse rex cogitabat eum ponere in manibus domini Paduae. „Verum si nobillis vir Laurentius Celsi ambaxator noster esset tunc presens tecum in loco, ubi esset dominus rex, debeas cum suo consilio et favore procedere et facere requisitionem predictam. Datum die XVII aprilis, XIII indictionis.“

Secreta collegii 64, u mlet arkivu.

LII. God. 1360. 28 svibnja, u Mletcih.

Pozvan knez Gjorgj Korbavski, neka naknadi patriarha oglejskoga za škode, koje mu je učinio, te ob odgovoru kneza Gjorgja da se obaviesti isti patriarh.

1360. indictione XIII, die XXVIII maii. Dominus, consiliarii et capita XL et sapientes Ystrie. Capta: quod mittatur unus notarius noster ad comitem Georgium Curiachi ad narandum sibi querelam nobis expositam de eo et suis pro parte domini patriarche aquilegiensis de robaria per eos facta supra illos de Mugla, dicendo, quod multum gravat nos novitas per eum facta contra dominum patriarcham, qui est carissimus amicus noster, et multo plus gravamur de verbis dictis per eum, quod se tanxavit et defendit sub nomine et umbra nostra, et hortando eum, quod debeat facere erga dominum patriarcham talem emendam et satisfationem,

quod ipse contentetur, et de cetero caveat facere similes novitates contra dictum patriarcham et suos vel alios amicos nostros, quia faciendo aliud quam bonum, si sinistrum sibi contingeret, esset suum. Et respondeatur domino patriarche, quod displicet nobis id, quod est factum, et licet ipse non sit nobis subditus, tamen mittimus per modum dictum superius ad hortandum eum, reputantes iniuriam factam domino patriarche nostram propriam. Et illud, quod habuerimus ab eo, sibi notum faciemus.

Misti XXIX 70, u mlet. arkivu.

LIII. God. 1360. 30 lipnja, u Višegradu.

Odgovor kralja ugarskoga republiki u poslu povraćaja tvrdjave Casamate i glede Marina Karnarutića; a glede uzapćenih mletačkih poslanika, da je osbiljno pisao austrijskomu vojvodi, neka jih na slobodu pusti.

1360. indictione XIII, die XX iulii. — Exemplum litterarum domini regis Hungarie missarum dominio. — Amice carissime. Veniens ad nostram presenciam Damianus Andree notarius vester, nobis sub credencia litterarum vestrarum inter cetera supplicavit, ut vobis castrum Gazamate restituere vellemus, sicut ex forma pacis ad hoc astringeremus, super que amicicie vestre sic decrevimus respondere, quod idem castrum tempore guerrarum olim inter nos habitarum non recepimus de manibus vestris seu vestrorum, set pridem dominus imperator Romanorum nobis ipsum cum civitatibus Feltrum et Bellunum pro nostris usibus deputavit, cui castrum iamdictum iuxta promissa nostra reddere tenemur, quando sue placuerit voluntati; unde castrum memoratum non a nobis sed a dicto domino imperatore, qui nobis ipsum, ut premititur, comisit, repetatis. Preterea super facto Marini de Canaruto scire vos cupimus, quod circa proximum sancti Michaelis archangeli festum intendimus ad partes Dalmacie dante domino proficisci, facturum eidem Marino de hiis, que ipsum de jure contingere videbimus, debite iusticie complementum, quem tunc ad nos vel loco sui ydoneum procuratorem super recipienda iusticia transmittere vellitis. Ceterum super liberacione ambassiatorum vestrorum dereximus domino . . . duci Austrie fratri nostro iuxta petita dicti notarii vestri litteras nostras efficaces. Datum Vissegradi die ultimo mensis junii LX°; et inferius sic legitur: Lodovicus dei gratia rex Hungarie.

Commemorialium VI 91, u mlet. arkivu.

LIV. God. 1360. 30 lipnja, u Višegradu.

Ljudevit ugarsko-hrvatski kralj pozivlje republiku, neka čim prije odpravi svoga poslanika k papi zato, da pismeno potvrdi ugovor mira, i neka izpravi njeke izraze u istom ugovoru.

Exemplum aliarum litterarum domini regis Hungarie missarum dominio supradicto die. Amice carissime. Sicut alias vestram amiciciam per venerabilem patrem dominum Paulum Frisingensem episcopum requisivimus diligenter, sic etiam nunc eamdem duximus presentibus exhortandum, quatenus vestrum sindicum ad romanam curiam quanto citius fieri poterit, transmittatis, qui pro parte nostra supplicet domino summo pontifici, ut contractum et formam pacis inter nos et vos celebrate dignetur per suas

apostolicas litteras confirmare. Ceterum illam clausulam: et e contra nos dux, et commune etc., que continetur in pace et loquitur de facto subditorum nostrorum venientium ad terras et loca vestra, vellitis ita sufficienter exprimere, sicut exprimitur ista clausula: preterea promisit dominus rex prefatus etc., que similiter continetur in pace, et loquitur de facto subditorum nostrorum venientium ad terras et loca vestra, et hanc dictionem e contra vellitis mutare in e converso vel vice versa, aut in aliam hiis consimilem addictionem, prout refferet Damianus Andree notarius, ut supra, qui de hiis et aliis nostris intentionibus vobis explicandis teneatur plenius informare. Data Vissegradi ultimo die mensis iunii. Et inferius legitur: Lodovicus dei gratia rex Hungarie.

Commemorialium VI. 91, u mlet. arkivu.

LV. God. 1360. 21 srpnja, u Mletcih.

Izabran odbor od pet, da izvidi i predlog postavi u što se tiče zasužnjenih poslanika i poslanica kralja ugarskoga i bilježnika Damiana.

1360. die 21 julii. Dominus, consiliarii et capita. Capta: quod super litteris, que venerunt ab ambaxatoribus nostris carceratis per Seuchium de Ostroviz subditum domini ducis Austrie, et super litteris nuper nobis missis a domino rege Hungarie et a Damiano notario nostro eligantur quinque solemnes sapientes, qui diligenter examinent et dent nobis suum cousilium in scriptis de hiis, que viderentur eis providenda super earum continentia et spectantia ad ea pro honori et bono nostro, cum quorum consilio veniatur huc, et fiet, sicut videbitur etc. Electi sapientes: Ser Nicolaus Justiniano condam ser Marci, ser Nicolaus Trivisano s. Angeli, ser Jacobus Delphino s. Canciani, ser Stephanus Belegno, ser Andreas Quirino, 28 novembris.

Misti XXIX 76, u mlet. arkivu

LVI. God. 1360. 9 kolovoza, u Mletcih.

Odgovara se na njeke zahtjeve poslanika kapetana ugarskoga u Feltru.

1360. indictione XIII, die nono mensis augusti. Infrascripta sunt capitula presentata ducali dominio per Antonium de Cumirano ambaxatorem Nicolai Tomasii capitanei Feltri et Belluni pro domino rege Hungarie, nec non ambaxatorem comunitatis civitatis Feltri. Primo, quod muda de Querro, ubi solvuntur libre quinque parvorum pro quolibet plaustro vini, que solebat esse de solidis L, reducatur ad dictos solidos L. Secundo, quod ubi solvuntur grossi 2 pro stario salis Tarvisii conducto Feltrum, non graventur amplius, quia est nova impositio. Tertio de confinibus canalis sancti Victoris et de Querro, quod eligantur duo vel unus pro parte, qui de iure cognoscant dictam questionem vel de iure et de facto, ne aliquod scandalum oriatur.

Dominus consiliarii capita et sapientes Tervisani. Capta: quod respondeatur ad capitula ambaxatoris capitanei Feltri pro domino rege Hungarie, et primo ad factum confinium cluse Querri et canalis sancti Victoris, quod sumus contenti et placet nobis pro cessandis omnibus scandalis et erroribus, quod primo et ante omnia reducantur termini novi

et veteres in illo statu, quo sunt soliti esse. Postea vero hoc facto deputentur duo vel unus pro parte, qui examinent et cognoscant de iure vel de iure et de facto in facto dictorum confinium illud, quod sit conveniens atque iustum, et quicquid fuerit cognitum et terminatum per eos, sit firmum. Super aliis vero duobus capitulis de removendis datiis vini et salis et cet. respondeatur, quod novit deus libentissime complaceremus dicte communitati in eo, quod honeste et sine nostro manifesto damno et periculo fieri posset, sed bene credimus notum esse, quod introitus Trivisane non sufficiant ad maximas expensas, quas necessario opportet nos pati pro ea, immo vere expedit nostrum commune Venetiarum supplire in maxima quantitate. Et etiam est clarum, quod, removendo dicta datia, daretur materia et causa aliis temptandi de diminuendo de aliis datiis nostris, quod esset cum maximo damno nostri communis, et propterea vellint nos habere in hoc merito excusatos. Et cum hiis et aliis verbis, que dominio videbuntur pro bono facti.

Misti XXIX. 81, u mlet. arkivu.

LVII. God. 1360. 28 kolovoza, u Mletcih.

Kralj ugar.-hrv. javlja republiki mletačkoj, da je Ivanu Pollo bečaninu podielio gradjanstvo ugarsko, te da ga za takova priznade i štiti.

1360. indictione XIV, die 14 octubris. — Exemplum litterarum missarum dominio per dominum regem Hungarie. — Amici carissimi. Nosse velitis, quod nos providum et honestum virum Johannem dictum Pollo, condam civem de Vyena, in nostrum assumpsimus civem et recepimus sub protectionem specialem, volentes ipsum illis et eisdem libertatibus, gratiis et juribus gaudere, quibus ceteri nostri cives perfruuntur. Quocirca rogamus vestram amiciciam affectu, quo possumus cariori, quatenus eundem Johannem civem nostrum, sicut alios regni nostri cives, velitis habere favorabiliter commendatum sibi vel hominibus, quos ad hoc deputavit, bona sua quecumque in vestri medio consistentia libere, quociens super eo requisiti fueritis, assignantes, non obstantibus litteris quorumcumque vobis in contrarium missis vel directis, nobis in eo sinceram amiciciam et gratam complacentiam ostensuri. Data Bude die XXVIII mensis augusti.

Commemorialium V. 95, u mlet. arkivu.

LVIII. God. 1360. 17 rujna, u Mletcih.

Missus notarius regi Hungariae, ut requirat emendam et satisfationem damnorum subditis venetis illatorum per suas gentes in partibus Trevisanae, et ut provideat, quod similia damna et novitates protinus cessent. Mittatur etiam nuntius ad legatum pro informando ipsum circa praedicta.

Misti XXIX 88, u mlet. arkivu.

LIX. God. 1360. 20 rujna, u Mletcih.

Odkud da se uzmu novci potrebiti za put bilježnika idućeg k ugar.-hrv. kralju.

1360. indictione XIV, die XX septembris. Capta: quod pro expensis necessariis pro notario mittendo ad dominum regem Hungarie pro damnis datis nostratibus per gentes suas possint accipi de monte usque ducatos

CC; et est capta per VI consiliarios tria capita, XXX de XL et ultra duas partes maioris consilii.

Maius consilium. Novella 74, u mlet. arkivu.

LX. God. 1360. 4 studenoga.

Šimun de Medies moli mletačku vladu, da njekoga uzapćena ugrina odprave ung.-hrv. kralju, pošto nezaslužuje smrt, a ima čim da naknadi štetu Mletčanom nanešenu.

Exemplum cuiusdam littere domini Symeonis comitis de Medies consiliarii domini regis etc. misse ducali dominio. Premissa honoranda salutatione placeat dominationi vestre non laborare facere per cives vestros in eorum balis dampnificatos in mortem Johannis de Mathka per vos ut scripsistis detenti, set dirigere ipsum captivum ad victoriosum principem dominum Lodovicum Hungarie regem dominum nostrum, cum non sit reus mortis, et habeat unde solvere vestris civibus dampnificatis. Nos enim amore vestri et honore domini nostri laboravimus in premissis iuxta posse. Data ante bastitam die IV novembris. Symon comes de Medies consiliarius domini regis etc.

Commemorialium VI. 96, u mlet. arkivu.

LXI. God. 1360. 5 studenoga, u Mletcih.

Prima se, da se pošalju tri svečana poslanika k ugar.-hrv. kralju, te se ustanovljuje trošak za njihovo putovanje.

1360. indictione XIV. die V novembris, captum est in consilio rogatorum, quod mittantur ad dominum regem Hungarie tres solemnes ambaxatores, quorum unus sit cancellarius noster, qui habere debeant de salario libras CCC pro quolibet pro tribus mensibus etc. et non possint se excusare vel refutare sub pena ducatorum centum pro quolibet salvo pro defectu persone etc.

Maius consilium. Novella 75, u mlet. arkivu.

LXII. God. 1360. 17 studenoga, u Zagrebu.

Ljudevit ugar.-hrv. kralj zahvaljuje se Mletčanom na njihovo sažalovanje radi smrti njegova nećaka Ivana, obećaje im pako, da će im naknaditi škode učinjene od njegovih podanika.

Exemplum litterarum domini regis Hungarie missarum ducali dominationi pro spoliis nostratum etc. Amice carissime. Super eo quod de morte felicis memorie illustris Johannis nepotis nostri carissimi, quemadmodum legatio Bartolomei vestri notarii et nuncii continebat, animum geritis ex intimis conpassivum, vobis ad uberimas gratias assurgimus actiones. Vos nichilominus scire cupientes, quod nos ex spolio, quod quedam gentes nostre, quibus per terras vestras intuitu nostro liberum prebuistis transitum in tervisina marchia, sicut dictus retulit Bartholomeus, commiserunt, non modicum perturbamur. Rogantes vos affectuose, quatenus huiusmodi spoliatorum nomina et ablatarum rerum valorem in litteris vestris

describere vellitis, presertim cum dispositi sumus vobis de rebus per huiusmodi spolium ablatis satisfactionem impendere condecentem. Et super hiis non erat visum sepedictum Bartolomeum hic debere trahere moram longiorem. Datum Zagrabie die XVII mensis novembris anno LX. Ludovicus dei gratia rex Hungarie etc. Suprascriptio vero erat huius tenoris: Inclito domino Johanni Delphyno duci Venetiarum amico nostro.

Arch. Ven. Com. VI. 97.

LXIII. God. 1360. 5 prosinca, u Mletcih.

Dozvoljeno njekomu podvorniku kod oružane, da smie poći s poslanici idućimi k ugar.-hrv. kralju, a da zato službu neizgubi; njeki pako drugi progonom kaznjen a od Ugra progona riešen, na slobodu pušćen.

1360. indictione XIIII, die quinto decembris. Capta: quod dominus Nigro famulus ad cameram armamenti possit ire cum ambaxatoribus euntibus ad regem Hungarie, non perdendo officium et habendo partem et utilitatem suam officii, sicut si esset presens. Et si consilium etc.

Capta: quod declaretur per istud consilium, quod Bartholomeus de Seravallo, olim bannitus ante guerram de Seravallo, et postea tempore, quo fuit reddita terra Hungaris, extractus de banno de voluntate capitanei ac gentium regis Hungarie et communitatis Seravalis, possit libere ire, stare et redire Seravallum sicut ante bannum, sicut consulunt sapientes juris hic et in Tarvisio.

Misti XXIX 96, u mlet. arkivu.

LXIV. God. 1361. 23 veljače, u Zadru.

Ban hrvatski Nikola Zec zahtjeva od Mletčana, da njekoje Zadrane, kojim je jedan mletački brod do 20 životinja iz otoka sv. Marije oteo bio, namire, i neka se pobrine tako upraviti, da se slični slučaji više neponove.

Exemplum litterarum missarum ducali dominio per dominum Nicolaum de Zeech regnorum Dalmacie et Crohacie bannum super animalibus, que idem scribit ablata de insula sancte Marie per navim Pechi Helye.

Magnifice domine. Novissime dum essemus in Jadra querelam recepimus nobilium virorum Simeonis de Bothono et Galli mercatoris, civium Jadre, habencium a communi Jadre insulam sancte Marie pro certo precio ad incantum, quod de proximo hiis diebus elapsis quedam navis, cuius est patronus Petrus Helye, applicuit ad insulam antedictam, et quod per homines dicte navis accepta sunt de dicta insula animalia minuta ovina et caprina numero viginti, et quod peius est, per violentiam ceperunt quemdam hominem pastorem predictorum et quamdam eius barcham abstulerunt, licet postea per litteras rectorum Jadre ipsi restituerint dictam barcham et hominem relaxaverunt, danno tamen animalium non refecto vel soluto. Quare cum talia sint contra formam pacis inite inter nostrum dominum regem et vestrum dominium, et que de levi possent scandala producere, rogamus vestram dominacionem pariter et hortamur, quatenus taliter providere dignemini, quod de cetero talia et consimilia per vestrates subditis domini nostri regis nullactenus inferrantur, et quod de illatis

taliter fiat satisfactio, quod iniuriam et dampna passi possint merito contentari, nec de cetero habeant materiam querelandi. Data Jadre die XIII mensis februarii.

Commemorialium VI. 102, u mlet. arkivu.

LXV. God. 1361. 4 ožujka, u Mletcih.

Rejecta pars, de dando gratiam cuidam Paulo de Tarvisio bannito propter verba dicta contra dominium venetum „existente domino rege Hungarie personaliter cum suo exercitu in obsidione circa civitatem Tarvisii."

Misti XXIX 111, u mlet. arkivu.

LXVI. God. 1361. 4 travnja, u Mletcih.

Naputak bilježniku idućemu k hrvatskomu banu u poslu njekih naknada i izplata, na koje su pravo imali u smislu mira njekoji mlet. podanici.

Nos Johannes Delphino dei gratia dux Venetiarum etc. Committimus tibi discreto viro Petro Santo notario et fideli nostro, quod de nostro mandato vadas ad dominum Nicolaum Zech banum Dalmatie et Chroacie, quo pro parte nostra salutato expones, quod sicut ipse scit, ambaxatores nostri, qui nuper fuerunt ad dominum regem Hungarie, fecerunt eidem domino regi specialem ambaxatam de non nullis nostris fidelibus et sequacibus, qui conquesti sunt et conqueruntur de aliquibus oppressionibus, occupationibus et novitatibus sibi factis contra formam pacis, petentes ipsas reformari, ita quod predicti non haberent justam causam querele. Quibus dominus rex respondit, quod ipse preciperet et sic precepit eidem banno ibidem presenti, quod deberet querelas predictas audire particulariter et distincte, et facere cuilibet ex eis plenam et expeditam iusticiam, et quod volebat, ut mitteremus aliquem nostrum nuncium, qui videret id, quod fieret de predictis. Et sic idem bannus obtulit se facturum. Quare providimus te mittere ad eum cum informatione querelarum predictarum, requirentes et rogantes eum, quatenus tam pro precepto domini regis sibi facto, quam pro iustitia et honore suo, sibi placeat providere taliter super dictis querelis, quod ipsi nostri fideles et sequaces causam non habeant ulterius conquerendi, sicut de ipso plene speramus.

Et proponens eis negotia dictorum conquerencium, cuiuslibet pro se, videlicet querelas Marini de Canaruto et Zove de Pizolo, factum Nicoleti de Auantio, factum ser Johannis Georgio olim comitis Curzole, et aliorum, qui conquerentur.

Preterea quia possessiones, quas nostri cives et fideles habent intra civitates Jadre et None, debent per formam pacis extimari, et solvi eis, rogabis ipsum bannum, quod super hoc ponat modum et ordinem ita, quod extimacio fiat, et quod habeant illud, quod habere debent.

Quicquid autem habueris, feceris et senseris, nobis scribas quam cicius esse potest, et expectes nostrum mandatum, ut tibi melius videatur.

Dedimus tibi litteras credulitatis banno et regiminibus Jadre, ut possis procurare, sicut expediet, tibi commissa.

Datum in nostro ducali palacio die quarto aprilis, XIV. indictionis, 1361.

Commissioni br. 29, u mlet. arkivu.

LXVII. God. 1361. 18 travnja, u Beču.

Bilježnik Bartul Ursio izvieščuje svoju vladu o svom putovanju, kako je naime došao u Beč, te će proći u Višegrad, da obavi naložene mu poslove; dodaje, da se prikazao kralj Andria, o kom se držalo, da je u Napulu bio smaknut.

Ex tergo: Serenissimo et excellentissimo domino suo domino Johanni Delphyno dei gratia duci Veneciarum etc.

Serenissime domine mi, per plures meas litteras datas in itinere et missas per nuncios speciales omnia, que feceram et habueram, dominio vestro denotavi, et solicitando pro posse iter meum, tum propter induciam, quam opportebam facere pro sciendo de novis iuxta vestrum mandatum, quia parva hora inducie satis dilactat de tempore, tum propter equorum debilitatem cicius quam diebus septem a die mei reccessus de Tervisio aput Neustat applicuere nequivi, ubi congregacio magna gencium erat causa faciendi unum torniamentum et dum .... bantur per omnes, quia dominus rex Hungarie ibi debebat venire ad dictum festum die martis XVII mensis instantis, qua die hora tercie omnes ceperunt recedere et nichil factum fuit, dicendo, quod inducia batur dictum festum ad cellebrandum Viene, nec dominus rex Hungarie ibi venit, set dicebatur, quod dominus comes palatinus erat Viene, ubi accessi ipsa die XVII mensis iam dicti tali hora, quod ipsa die de vestra intencione nichil sentire valui. Set inveni ipsum comitem altera die precedenti de Viena reccessisse, et ivisse Hungariam. Nova autem domine mi, que in partibus istis sonant pleno ore, sunt hec, videlicet, quod unus homo comparuit in Hungaria, dicens, quod est rex Andrea frater domini regis, et non est verum, quod fuerit interfectus, set presciens de morte sua, unus eius camerarius fuit interfectus loco eius, evadens hoc modo a periculo mortis, et ex timore ivit ultra mare tanquam ignotum, ubi stetit usque nunc. Fertur eciam, quod ipse demonstrat signa ipsius domini regis Andree, et omnes actus atque motus, quos habuit et fecit idem rex Andreas in suo reccessu de Hungaria; et quia rex vult veritatem habere de hoc, idem homo captus et detemptus est in Buda, et non est sine angonia rex, etiam barones et mater regis. De domino imperatore, domine mi, habui a fide digna persona in Viena, quod circa festum pentem constem debet esse in Norimbergo maximum et notabile colloquium, ubi presentialiter esse debet, ad quod et quare dictum colloquium cellebratur, durum est scire, nam tales domini dicunt et demonstrant unum, et faciunt alliud. Set ut dicta persona sentire potest, ipse vocavit dictum colloquium occasione usurpationis iurium imperii. Habui eciam ab alia persona, quod oportet vobis habere bonam et diligentem custodiam de loco vestro Coneglani. Domine mi, sicut habeo, ita scribo. Die autem crastina summo mane, deo dante, quia equi mei sunt claudati et fessi, et non possunt peditare, reccedam de hinc cum una nave, icturus per Danubium usque Visegradum, ubi est dominus rex, ut fertur, et faciam toto posse de adimplendo vestram intentionem.

Iam vero scribtis presentibus, per Dionisium nuncium et çursorem vestrum litteras magnitudinis vestre suscepi cum interclusis litteris Nicoleti Lonatino, ad quas cum illa reverencia, qua teneor, respondeo, quod

toto posse procurabo vestrum mandatum ad effectum deducere, et quicquid habuero, solicite dominio vestro denotare curabo.

Vester servulus et fidelis notarius Bartholomeus Ursio.

Datum Viene die XVIII aprilis hora vesperarum.

Izvornik u mletačkom arkivu.

LXVIII. God. 1361. 21 travnja, u Polju.

Ljudevit kralj ugar.-hrv. odgovara republici mletačkoj, da mu se nevidi potrebito izdati nove listove o njekih točkah ugovora mira; a glede tvrdjave Casamata, da se nalazi sada u vlasti Karla cesara rimskoga, te da ju od njega zahtjevaju.

Exemplum quarumdam literarum domini regis Hungarie, aportatarum per Bartholomeum Ursio notarium curie pro responsione facta super expositis sibi per dictum Bartholomeum.

Lodovicus dei gratia rex Hungarie etc. Inclite amice carissime. Bartholomeus de Ursio scriba vester nobis quosdam sub credencia litterarum vestrarum legaciones exposuit, unam potissime super emanacionem novarum literarum certi tenoris; et alteram super restitucione castri Casemate etc., quibus auditis et diligenter intellectis vestre sic amicicie respondemus, quod nobis et toti nostro consilio fuit visum, quod littere, quas inter nos et vos de novo fieri petitis, non debeant sicut verisimiliter non possent absque scandalo quomodolibet emanari. Et ideo litteras ipsas non duximus admittendas, vestram amiciciam nunc, sicut alia fecisse recolimus, instanter requirentes, quatenus obmissis huiusmodi litteris novis circa declaracionem illius clausule: et e converso nos dux et commune etc. et imutacionem istius vocabuli: et e converso, que in prioribus litteris plenius continetur, taliter intendere velitis, ut sicut vestrorum ita nostrorum subditorum et fidelium comoditatibus equaliter provideatur. Super eo vero, quod castrum Casemate vobis restitui petitis, taliter providimus respondendum, quod decedente venerabili Nicolao olim patriarcha aquilegiensis sequace nostro, quem utique ad ipsius castri restitucionem, si hucusque vixisset, iuxta formam pacis compulissemus. Serenissimus dominus Karolus Romanorum imperator frater noster dictum castrum reccepit, asserens, se in ipso, quando eum pro sui restitucione requisitum habuimus, illud ius habere, quod habet in municionibus Feltri et Belluni; quo circa rogamus vestram amiciciam instancia quam supra, quatenus nos de cetero super restitucione dicti castri non requiratis, presertim cum nec dictum dominum imperatorem possimus, nec modernum patriarcham debeamus ad prefacti castri restitucionem aliqualiter coartare. Ceterum super aliis vestris legacionibus prefactus Bartholomeus veniet ad vos de responsione nostra sufficientius informatus. Datum in Polios di XXI mensis aprilis, anno LXI. Et super scripcione est scriptum videlicet; inclito domino Johanni Delphyno duci Veneciarum amico nostro carissimo; et nota, quod aput similem legitur: commissio regis propria.

Commemorialium VI 111, u mlet. arkivu.

LXIX. God. 1361. 8 svibnja, u Višegradu.

Pomenuti bilježnik javlja, da je kralj otišao u lov; a krivoga kralja Andrije da je dopala zaslužena kazan.

Ex tergo: Serenissimo et excellentissimo domino suo domino Johanni Delphyno, dei gratia duci Veneciarum etc.

Serenissime domine mi. Dominus rex equitavit ad nemus in venationem die dominica VI mensis presentis maij sumpto prandio, et dicitur redire Visegradum die sabata vel die dominica nuper subsequenti. Ego autem volens me informari a domino Guilielmo, icturo ad dominum imperatorem, de die sui recessus, ut possem dominio vestro denotare de Buda, equitavi Wisegradum presenti die summo mane, locuturus dicto domino Guilielmo, qui michi dixit, quod non credebat, ymmo afirmabat quantum in se posse seccedere de hinc ante quam cellebrarentur nupcie filii comitis Bartholomei de Segna, que debent cellebrari octava die post festum pentem costem. Hoc vero videns et cognoscens, disposui per latorem presencium litterarum, que mittitur illi de hel ..... super facto ballarum, quam ipse dominus Guilielmus ferre debebat dominio vestro, destinare, ut deinde possitis cellerius ibi transmittere, si opus fuerit, quam dehinc.

Illi autem, qui se faciebat fratrem domini regis, fuerunt narres sfisse et auricule incise, et positus pluribus diebus ad berlinam cum tousura capilorum ad modum unius .... et quia confessus fuerit, se fecisse illud contra omnem ...... ad svasionem cuiusdam presbiteri de Renno, et esse filium unius cerdonis.

Vester servulus et notarius fidelis Bartholomeus Urssio. Datum die VIII maij in Visegrado hora vesperarum.

Izvornik u mlet. arkivu.

LXX. God. 1361. 14 lipnja, u Mletcih.

Neka se odpravi poslanik k ugar.-hrv. kralju radi nameta potražena u Rabu od mletačkoga broda proti običaju.

1361 indictione XIV, die XIV mensis junii. Ser Nicolaus Faletro, ser Andreas Quirino, ser Petrus Superantio, sapientes Hungarie. Capta: quia nuper ad noticiam ducalis dominii perductum est, quod dum aliqui nostri cives et fideles caricassent in quodam navigio cuiusdam patroni de Firmo lignameñ in partibus Segne pro veniendo Venecias, et dictum navigium coacte per fortunam maris intraverit in portu delle Tabernelle in iurisditione Arbi, tunc supervenerunt ad dictum navigium plures in una barcha armata, asserentes, debere habere trentesimum nomine domini regis; quod audientes illi de navigio continue recusarunt solvere, asserentes hoc esse contra omnes antiquas consuetudines et libertates Venetorum et in damnum et preiuditium communis Venetiarum. Sed finaliter nichil profuit eis, quia opportuit, quod solverent dictum trentesimum, et predicta, considerato malo effectu et consequentia, quam possent producere, nullo modo sint tolleranda, immo bona hora sit providendum; vadit pars, quod dominus, consiliarii, capita et sapientes Hungarie habeant libertatem per maiorem partem mittendi unum sufficientem nuncium vel personam quando

et cum illa commissione, que eis videbitur vel maiori parti, et ad illas partes, que eis videbuntur, pro bono facti, et quicquid factum fuerit per eos vel maiorem partem, sit ita firmum, ac si foret factum per istud consilium.

Misti XXX 5, u mlet. arkivu.

LXXI. God. 1361. 25 srpnja, u Mletcih.

Nalaže se Dubrovčanom, da povrate, što su oteli jednomu brodu mletačkomu, i da se u napreda neusude takova šta po moru raditi.

1361 die XXV iulii. Capta. Quod scribatur illis de Ragusio, vel mittatur unus notarius, sicut melius videbitur consiliariis, capitibus et sapientibus vel maiori parti, aggravando novitates factas per suam galeam contra illam nostram conduram, et de aliis novitatibus factis per eos contra nostros, cum illis verbis, que videbuntur, et requirendo emendam et satisfactionem damni et iniurie facte, et quod ordinent taliter, quod de cetero navigia sua non presumant aliquod navigium nostrum vel havere existens in eo, cuiusque sit, eundo, stando vel redeundo, offendere in mari vel per mare, quia bene sciunt, quod ad alium finem non tenemus galeas culphi cum tantis expensis, nisi ut omnes possint navigare secure. Et certe si omnes alii de mundo debuissent talia presumpsisse, ipsi non debebant id facere, considerantes, quam generose tractantur per nos: dicendo eis aperte, quod nec eis nec aliis nullo modo tolleraremus, quod teneant in mari navigia ad damnum vel impedimentum navigantium. Et illud, quod dicimus de eis, sic dicimus de inimicis nostris. Ultimo concludendo, quod si fecerint secundum requisitionem nostram, nobis placebit, alioquin providebimus contra eos sicut honori nostro et condictioni tante iniurie viderimus convenire. Et relaxentur ista navigia et res Raguseorum hic sequestrate, dantibus Raguseis, qui sunt hic, bonam plezariam de valore omnium rerum ablatarum de super condura, et aliorum damnorum commissorum per eos, et de plezaria accepta de navigio per eos, et de solvendo ad voluntatem dominii. 47, de non 1, non sinceri 4.

Misti XXX 10, u mlet. arkivu.

LXXII. God. (1356—61) 11 lipnja, kod mosta Ronchio.

Namiestnik papinski moli republiku mletačku, neka biskupu ninskomu povrati, što mu njezin pomorski kapetan oteo bješe.

(E x t e r g o.) Magnifico et potenti viro domino Johanni Dalfino duci Venetiarum nostro carissimo.

Abbas Clumacensis apostolice sedis legatus ac terrarum ecclesie in Italia vicarius generalis.

Magnifice et amice carissime. Ad cumulum vestre cedit salutis et fame, si personas ecclesiasticas presertim pontificali dignitate preditas divine maiestatis intuitu oportuni presidii prosequamini gratia et favoris. Sane cum sicut venerabilis pater . . episcopus Nonensis nobis significare curavit, quidam Petrus Superantio, olim vester capitaneus galearum in culfo, eundem ausu sacrilego personaliter capiens, ipsum bonis suis omni-

bus, que secum habebat, et animalibus insularum eius nequiter derobavit. Quare magnificentiam vestram affectuose rogamus, quatenus ob reverentiam dei et apostolice sedis ac intuitu iustitie bona supradicta sibi ablata sumarie restitui faciatis. Datum apud pontem Ronchii in nostro felici exercitu supra For . . . . . die XI mensis iunii.

Izvornik u mlet. arkivu.

LXXIII. God. 1361. 16 kolovoza, u Mletcih.

Odboru za ugarske poslove poviereno, da savietuje, što da se ima raditi u stvari papinskoga namiestnika i sa gradovi u Marki.

1361 indictione XIV, die XVI augusti. Consiliarii et capita. Capta: quia sapientes deputati super factis Hungarie examinarunt et plene sunt informati de his, que habemus facere cum domino legato et cum terris Marchie pro factis custodiarum nostrarum et aliis; vadit pars, quod ipsis sapientibus committantur ipsa negotia, et quod in eis possint consulere et ponere partem sicut possunt in aliis factis sibi commissis.

Misti XXX 15, u mlet. arkivu.

LXXIV. God. 1361. 29 kolovoza, u Mletcih.

Dozvoljeno mletačkim trgovcem, da mogu dovesti iz Dubrovnika u Mletke uz oprost od daće svoja sukna, koja ondje imaju, s toga, što jih nemogu onamo iz više uzroka razprodati.

1361 die 29 augusti. Sapientes ordinum: ser Franciscus Bono, ser Andreas Trivisano, ser Hermolaus Venerio. Capta: cum mercatores nostri infrascripti conversantes in partibus Ragusii exponant, quod habent certam quantitatem panorum suorum in Ragusio, quos extraserunt de Venetiis solutis datiis ordinatis, et quia illi de Ragusio presentialiter sunt in guerra cum Catarinis, et etiam quia Veneti modo male tractantur in Ragusio, dicti sui pani non possunt expediri nec extrahi de inde pro mittendo ad alias partes in eorum grave damnum et iacturam; et propterea suplicent et petant subventionem a nobis; vadit pars, quod concedatur eis, quod possint ipsos pannos facere conduci Venetias sine solutione alterius datii, quia ad exitum solverunt, constando officialibus tabule, quod ipsi panni sint illi met, qui fuerunt extracti de Venetiis cum ordinibus terre. Nomina eorum sunt: ser Andreas Memo, ser Marcus Guoro, ser Franciscus Memo, ser Pasmolus Caldera et alii.

Die III ianuarii 1361, indictione XV missa officio ternarie-tabule lombardorum.

Misti XXX 18, u mlet. arkivu.

LXXV. God. 1361. 23 rujna, u Mletcih.

Mletčani tuže se hrvat. banu proti Dubrovčanom, što su jim jedan brod porobili i zapljenili; te dodavaju, da nebi mogli nikako trpiti, da ma koji brod oboružani po moru plovi.

1361 die XXIII septembris, indictione XV. Sapientes Hungarorum: Stephanus Belegno, Jacobus Delphino, Nicolaus Tervisano, Nicolaus Justi-

niano. Capta: quod bannus Sclavonie per ea, que scribit super facto Raguseorum, informatus est per eos contra veritatem, et pro honore nostro faciat respondere id, quod sit veritas et conservatio fame nostre; vadit pars, quod respondeatur dicto banno per litteras nostras, quod intellectis litteris suis, novit deus considerata mala et pessima informatione, quam habuit ab illis de Ragusio, nec non habito respectu, quod pacem factam et firmatam inter dominum regem Hungarie et nos huc usque servavimus et servare intendimus, et quod certi sumus multum placuisse et placere domino regi predicto, non modicum admirari compellimur de tenore suarum litterarum predictarum. Sed ut sit informatus de negotii qualitate, ad eius informacionem denotamus ei, quod existente una nostra condura in mari per tria miliaria longe a Ragusio, venit ad ipsam barcha una armata per illos de Ragusio, et postea subito venit alia barcha ipsorum de Ragusio armata, que ultima barcha malo modo insultavit et percussit ipsam conduram nostram taliter, quod fuit fracta banda condure predicte. In ipso vero instanti supervenit una alia galea armata in Ragusio, feriens inhonesto et malo modo in ipsam conduram. Et tunc per homines dictarum galee et barcharum dicta fuerint versus homines et mercatores condure predicte multa verba iniuriosa et maxima obprobria in maximum vituperium nostrum, et ultra hoc fuerunt multi de nostris percusi cum balistis et arcubus, et fuerunt etiam per ipsos incise gomene et vella dicte condure nostre, et finaliter violenter et malo modo dicta fuit per ipsos in portu Ragusii conducta, accepto et derobato more piratico havere nostro existente super condura predicta. Que omnia quantum debeant molestasse et turbasse animos et mentes nostras, considerato, quod nulla causa de mundo precedebat, ymo vere contrarium, quia semper ipsos de Ragusio tractavimus dulciter et benigne tamquam nostros, satis potest eius magnitudo considerare. Quibus omnibus clare habitis per nos, nolentes tantam iniuriam nostram et nostrorum tollerare, quia manifeste contradicit statui et bono nostro, fecimus sequestrari et retineri quamdam barcham eorum cum mercibus, et iam cum plezaria maiorem partem mercium restitui fecimus; ubi considerata tanta iniuria nostra debebamus ad alia procesisse, dispositi, quandocumque illi de Ragusio satisfecerint integraliter damnum et iniuriam nostram, facere erga eos sicut facient erga nos, ut est iustum. Sumus enim certi, quod predicta tam enormia multum turbabunt et aggravabunt ipsum dominum bannum, sicut debent, et sicut similia, que tali modo fierent per nostros, nos turbarent.

Super facto vero guerre et discensionis, que est inter ipsos Raguseos et Catarinos etc., respondeatur banno predicto, quod more antiquorum nostrorum nunquam impedivimus nec impedire intendimus nos in brigis et guerris aliorum, nisi in bono et pace tractanda, sed ipsi de Ragusio, sicut clare habemus occasione dicte guerre, de novo fecerunt edictum et ordinem, quod mercatores nostri non possint cum navigiis, mercibus et rebus suis ire ad partes Catari, et propterea ipsi Ragusei multas et infinitas novitates nostris de novo fecerunt et faciunt, de quo maximam turbacionem et molestiam habuimus et habemus in mentem nostram, consideratis multis et multis racionibus, et specialiter quia omni anno tantas et tales expensas patimur pro danda securitate nostris mercatoribus et navigiis per mare, quod quidem importabilia sunt nobis. Et propterea disposuimus talia nullo

modo pati, et nisi desistant, providebimus, sicut convenire videbimus pro bono nostrorum. — De non-1. Non sinceri-2. Alii omnes.

Misti XXX 24, u mlet. arkivu.

LXXVI. God. 1361. 7 listopada, u Mletcih.

Molbe učinjene od dubrovačkih poslanika mletačkoj republici, i odgovori na njih od strane mletačke.

Die VII octobris 1361, indic. XV. Capitula ambaxatorum Ragusii presentata ducali dominio, ut super eis provideatur et respondeatur.

1. Primum capitulum vulgariter scriptum est: Segnori considerando la antiga amestade e benevolenza, che ave abudo per lo tempo pasado, et ave ala citade de Raguxa, cossi como ferma mente credemo, e considerando che la vostra signoria non e usa far torto altrui, li homeni de Ragusa, che sono stadi e se homeni amisi, se meraveiano de la intromessa, che la vostra signoria a fato in le mercadantie deli nostri da Ragusi, che usano qua, e pero humel mente ve pregamo, chel ve plaqua, ali nostri render le lor marcadantie.

2. Secundum capitulum est. Segnori per la antiga amista denunciemo ala signoria vostra algune iniurie e dani, li qual nuy recevessemo dal conte Voisclavo, barom del re de Raxa, lo qual mal informado da queli, che fo sempre inimisi dela nostra terra, lo di de sam Piero pasado mando so hoste sovra lo nostro contado, guastando le nostre possession e le nostre case bruxando e li homeni ocidando e plusori menadi in soe presom; e pero per redur e conservar la terra nostra convene a nuy cum nostra varda proceder de non lasar in li lor luogi andar nesuna vituaria ne mercadantia. Adoncha cum baldeza suplichemo, e de gracia domandemo, chel ve plaqua ordenar, che in questo tempo li vostri marchadanti, che usava in quele parte, non vada ne cum grassa ne mercadantia.

3. Tertium capitulum est: Signori lo se uno, che a nome Arismol calderer da Monza fatto citadim de Venexia per gracia, lo qual manda soi fatori a Ragusa, e voiando se tratar per Venitiam, guasta la raxom dela nostra doana, la qual cossa ali Ragusei par molto stranio, perche non se nativo de Venexia, se se fato per gratia, e bem chel sia citadin de Venexia, lo se citadin de Monza, e nuy Ragusei non semo franchi a Monza, siche luy non de esser francho a Ragusa, pero provega la dogal signoria, che la doana nostra non sia fraudada, e zaschum abia so drito.

Sapientes Hungarorum: Stephanus Bellegno, Jacobus Delphino, Nicolaus Tervisano: quia ad volendum conservare franchisias et famam nostram, secundum vestigia antiquorum nostrorum necessario convenit breviter respondere istis ambaxatoribus de Ragusio id, quod sit honor noster et exemplum aliorum per tempora ventura; vadit pars, quod super primo capitulo loquente de restituendo sequestrata per nos etc., respondeatur: quod in veritate, considerantes maximam iniuriam et offensam nobis illatam per eos in capiendo violenter et armata manu conduram nostram, et malo modo derobando et accipiendo havere caricatum in ea, utendo tunc turpibus et iniuriosis verbis et percutiendo nostros homines et alia multa enormia commitendo, que satis nota sunt, nullo modo credere peteramus, quod coram nobis venirent cum tali capitulo et requisitione, quia ubi, con-

siderato fallo suo, credebamus ipsos venisse ad humiliandum mentes nostras et ad purgandum delictum suum, videmur aliter esse dispositi, et propterea dicimus, quod nostra intentio est, quod primo et ante omnia restituantur ablata de nostra condura predicta, quo facto, sumus postea parati facere restitui suis sequestrata per nos. Et dictis hiis verbis, audiatur eorum responsio; et si fuerint contenti, bene quidem, sed si non contentabuntur, dicatur postea eis per dominium, quod omnino intendimus super hiis providere, sicut conveniet pro conservatione honoris nostri et bono nostrorum.

Ser Nicolaus Justiniano sapiens Hungarorum solus. Capta: quod super primo capitulo ambaxate Ragusii respondeatur breviter pro conservatione franchisiarum, honoris et fame nostre, videlicet quod considerata maxima iniuria et offensa illata nobis per eos in capiendo manu armata cum galeis et barchis suis conduram nostram, et accipiendo violenter havere caricatum in ea, utendo malis et turpibus verbis, nec non multa alia infinita enormia committendo circa hec omnibus satis nota, nullo modo credebamus, quod coram presentia silicet nostra cum sic enermi capitulo et requisitione deberent comparuisse; quia ubi, considerato tanto fallo eorum, credebamus ipsos venisse ad placandum animos nostros, videntur aliter esse dispositi. Et propterea breviter dicimus, quod finalis intentio nostra est, quod primo restituantur ablata malo modo de nostra condura predicta, quo facto, postea faciemus restitui sequestrata per nos. Et hiis dictis per dominium, audiatur eorum responsio, et si erunt contenti, bene quidem; si vero videretur dominio, quod non essent contenti, tunc per dominium debeat eis assignari terminus duorum mensium, infra quos debeant ad plenum fecisse restitui ablata de nostra condura predicta; dando eis intelligi, quod si usque ad dictum terminum non fuerit facta restitutio et satisfactio, solvi et satisfieri faciemus de bonis et havere suorum, quod poterit reperiri in Veneciis et alibi. usque ad integram satisfactionem damni predicti. 38. — de non o — non sinceri — o.

Sapientes Hungarorum: S. Belegno, I. Delphino, N. Tervisano: Quod super secundo capitulo continente, quod nostri non utantur ad partes Catari etc., respondeatur, quod, novit deus, maximam admirationem et turbacionem recipimus in mentibus nostris, quando talia vel similia proponuntur coram nobis, quia manifeste contradicunt franchisiis et bonis nostris. Et propterea dicimus breviter, quod nunquam impedivimus nec impedire intendimus in brighis vel guerris aliorum, nisi in bono et pace tractanda. Sed bene intendimus, sequentes franchisias et libertates nostras, quod nostri cives et mercatores cum eorum navigiis et bonis debeant uti et mercari, et ire et redire salvi et securi ad omnes terras et loca, sicut semper potuerunt, et nullo modo astringere eos, sed potius ellargare eis, ut habeant causam lucrandi et bene faciendi, quia ex hoc solum augetur status et conditio nostra. Et quia aliter contra nos et nostros temptarent, manifeste facerent contra honorem et statum nostrum, et nullo modo id tollerare possemus pro conservatione nostra. 8.

Ser Nicolaus Justiniano sapiens solus. Capta: quod respondeatur ad secundum capitulum per totum ut supra continetur in parte sociorum suorum, cum ista additione, dando intelligi ipsis ambaxatoribus, quod si de cetero occasione predicta alique novitates vel molestie fierent per suos

nostris mercatoribus et fidelibus vel navigiis eorum, et a galeis nostris, quas tenemus in mari cum tantis et tot expensis solum pro securitate nostrorum, reciperent damnum vel molestiam, quod ex nunc deo et toti mundo intendimus esse excusati, et quod damnum, quod receperint, erit suum. 54. — de non 2 — non sinceri o.

Nota, quod facta responsione dictorum capitulorum per dominum, quia ambaxatores Ragusii non fuerunt contenti restituere ablata de condura iuxta formam primi capituli: fuit eis assignatus terminus duorum mensium iuxta formam dicti capituli et partis capte.

Sapientes Hungarorum: Stephanus Belegno, Jacobus Delphino, Nicolaus Tervisano et Nicolaus Justiniano.

Capta: quod super ultimo et tertio capitulo continente de Arismolo calderario, veneto nostro etc., respondeatur, quod habito respectu, quod ipsi de Ragusio inter alias nationes mundi sunt informati de condicione et ordinibus terre nostre, et bene sicut etiam, qualiter ipsos semper tractavimus dulciter et benigne sub favore et gratia nostra, non modicum admirari cogimur de tali requisicione eorum. Nam bene sciunt, quod Veneti nostri, qui per formam nostrorum ordinum possunt navigare, debent esse salvi et securi, et tractari ubique velut nostri Veneti oriundi in Veneciis, quia ipsi vere dici possunt, et sic reputamus eos caro de carne nostra, nec fuit etiam neque audiemus dici per aliquos, quod per ullos principes, reges vel barones mundi nobis facta fuerit talis vel similis requisitio ullo modo. Et propterea dicimus, quod dictum Arismolum et alios similes Venetos nostros, qui navigant et possunt navigare, intendimus ubique manutenere et deffendere, sicut etiam semper tractavimus et deffensavimus ipsos de Ragusio. Et si quid sinistri factum foret eis vel fieret in posterum, non possemus eos relinquere ullo modo.

Misti XXX 26, u mlet. arkivu.

LXXVII. God. 1361. 5 prosinca, u Mletcih.

Mletčani posrieduju mir medju Dubrovčani i Kotorani.

Capta: Quia magnus honor esset nobis, silicet nobis mediantibus posset tractari concordium et pax inter Ragusinos et Catarinos de guerra existente inter eos, et sicut sentiri potest hoc esset gratissimum utrique partium; vadit pars, quod mittatur unus nobilis eligendus in isto consilio ad dictas partes, qui pro parte nostri faciens ambaxatam utrique parti, procuret et faciat quidquid boni poterit, ut possint venire ad reconciliationem in pacem; et facto per eum quidquid fieri poterit cum honore nostro in facto predicto, Venetias revertatur. Et possit expendere dictus ambaxator ultra nabula navigiorum, que solvantur per commune, ducatos III in die, et respondeat die qua eligetur vel altera.

Die 6 decembris 1361.

Capta: Cum pars heri capta de mitendo unum ambaxatorem ad Raguseos et Catarinos non contineat, quod si expediet, possit ire alio pro tractando concordio inter eos, et dicatur, quod est quidam comes Voysclavus et aliqui alii, ad quos esset neccessarium ire pro bono fine dicti facti; vadit pars, quod committatur dicto ambaxatori, quod tam ad dictum comitem quam ad alias personas ibi circumstantes ire possit, sicut pro bono

reconciliationis et pacis dictorum communium et honori nostro viderit convenire.

Ellectus ambaxator: ser Paulus Quirino sancti Thome, plezarius ser Andreas Quirino et ser Johannes de Priollis.

Misti XXX. 41, u mlet. arkivu

LXXVIII. God. 1362. 10 siečnja, u Mletcih.

O dobitku u kovanju novca u mletačkoj kovnici.

1361 indictione XV, die decimo mensis ianuarii. Moneta. Ser Marcus Capelo sapiens. Cum antiqui nostri se non delectassent in faciendo magnum lucrum monete, que bateretur in nostra cecha, et per tempora preterita erat solitum lucrari de grossis parvulos viginti ad grossos de qualibet marcha, et postmodum fuerunt et nunc sunt parvuli viginti sex ad grossos, et propter novitatem quinti, quod ponitur in cecha, non possunt amplius fieri grossi, ideo vadit pars, quod omnes illi, qui ponent argentum franchum de quinto in cecha, massarii nostri monete teneantur dare de omni marcha argenti franchi soldos novem grossorum pro marcha, ita quod ubi ipsi nunc dant libras undecim soldos tresdecim ad grossos de marcha, ita de cetero dent soldos novem grossorum pro marcha; et si consilium et cet. De parte 20, de non 54, non sinceri 11. Et fuit captum de non.

Misti XXX 50, u mlet. arkivu.

LXXIX. God. 1362. 13 siečnja, u Mletcih.

O vriednosti mletačke marke.

1361 die 13 januarii. Ser Petrus Steno consiliarius. Quod pro bono communis et mercatorum in bona gratia ordinetur, quod de cetero quelibet marcha argenti bullati de bulla sancti Marci computari debeat in omnibus contractibus et solutionibus mercationum et aliis quibus cumque solutionibus fiendis de cetero solidos XI grossos VI in auro, intelligendo quod omnes introitus et datia communis non intelligantur in hoc ullo modo; et si aliquis contrafaceret vel non esset contentus aliquo modo de predictis, incurrat ad penam quarti valoris eius, in quo contrafiet. Item quod quelibet marcha sumorum in omnibus contractibus et solutionibus mercationum et alia solutione fiendis, ut est dictum exceptis datiis et introitibus communis, debeat computari solidos XI, grossos VIII in auro, et debeant dicti summi laborari in cecha sancti Marci et bulari de bulla sancti Marci, et magistrantia habere debeat pro labore suo pro marcha grossos II.

Insuper fieri debeant grossi novi de illa stampa et cunio et sicut fuit modo ad presens, qui vadant pro marcha solidi VIII grossi VIIII, de quibus grossis massarii monete teneantur dare solidos VIII grossos VII½ pro qualibet marcha, et debeant dicti grossi novi computari in solutione mercationum per modum et cum conditione supradicta grossos XVIII pro quolibet ducato auri. Et ultra hoc quando aliquis debebit solvere nostro communi aliquid tam nomine datii mesetarie quam aliter alio modo, sit in libertate sua dandi et solvendi medietatem de dictis grossis ad dictam rationem et nostri officiales recipiant. Item ad minutum nullus possit dic-

tos grossos novos refutare pro quatuor soldis in monetis sub pena solidorum XXI pro quolibet grosso, que pene exigantur per officiales argenti et auri, quibus hec sunt comisse, habendo partem ut de aliis sui officii. Verum committatur camerario communis, quod solum de ducatis faciat deposita sua tam pro capitalibus quam prode imprestitorum. De parte quinque.

Misti XXX 51, u mlet. arkivu.

LXXX. God. 1362. 31 ožujka, u Mletcih.

Odpravljen poslanik banu u poslu banova broda uzapćena i prodana zato, da se namiri škoda nanešena mletačkim podanikom od strane banovih podanika; te mu se nalaže jošte, da se pri banu zauzme i za druge Mletčane oštećene.

1362 indictione XV, die ultimo martii. Dominus, consiliarii et capita. Capta: quod pro respondendo banno Sclavonie ad quamdam ambaxatam, quam ipse misit pro quodam suo barchosio casei intromisso et vendito hic ad petitionem aliquorum nostrorum fidelium de Caprulis dampnificatorum per gentes dicti banni possit mitti unus notarius curie ad allegandum iura et rationes, que nos moverunt, et procurandum quicquid fieri poterit pro bono dictorum nostrorum fidelium; qui etiam notarius in factis et querelis ser Marini de Canaruto et aliorum nostrorum, informatione recepta, procuret apud ipsum bannum et faciat quicquid boni poterit; et id, quod habuerit et fecerit, rescribat et expectet.

Misti XXX 67, u mlet. arkivu.

LXXXI. God. 1362. 12 svibnja, u Mletcih.

Nalaže se namiestniku kapetana pomorskoga, neka pruži pomoć mletačkim podanikom nalazećim se u Draču, koj se nalazio s kopna i s mora obsednut.

1362 indictione XV, die XII maii. Capta: quod scribatur vicecapitaneis culfi in hac forma: intelleximus, quod civitas Durachii est obsessa per terram et per mare, propter quod dubitantes, ne mercatores et fideles nostri, qui sunt ibi, cum bonis suis subiaceant periculo, fidelitati vestre per nos et nostra consilia minus, rogatorum et XL scribimus et mandamus, quatenus, si senseritis, dictis mercatoribus et fidelibus nostris periculum aliquod imminere, ipsos, si voluerint, levare debeatis cum suo havere subtili, et ipsos deponere vel in Avalona vel in Ragusio vel ibi circa, ubi vobis melius videbitur, ita quod sinistrum eis nequeat evenire. Facta littera.

Misti XXX 76, u mlet. arkivu.

LXXXII. God. 1362. 12 svibnja, u Mletcih.

Na zahtjev banov povraćen mu je brod i iznos razprodanih stvarih, koje su se u njem našle.

1362 indictione XV, die XII mensis maii. Dominus, consiliarii, capita et sapientes. Capta: quod postquam bannus Sclavonie videtur perse-

verare in proposito suo de barchosio et rebus in eo existentibus intromissis hic ad peticionem nostrorum fidelium de Caprollis, dicens, eos fecisse contra ordines antiquos terrarum suarum, ordinetur, quod ipse barchosius et res seu pecunia ex ipsis habita restituantur eidem banno seu eius nuntio per illum modum, qui videbitur domino, consiliariis et capitibus vel maiori parti. Et si consilium etc. 53, de non 12, non sinceri 26.

Misti XXX 76, u mletačkom arkivu.

LXXXIII. God. 1362. 24 svibnja, u Mletcih.

Radi više uvrieda i škoda nanešenih od Dubrovčana Mletčanom republika šalje svoje poslanike k ugar.-hrv. kralju, da joj zadovoljštinu izposluju.

1362 die XXIIII maii, indic. XV. Ser Marcus Mauroceno sapiens: quia novitas facta nobili viro ser Paulo Quirino ambaxatori nostro redeunti de partibus Ragusii et Cathari, qui solum iverat ad finem pacificandi dicta communia, per dominum Jacobum Subich et alios suos sequaces cum lignis et barchosiis venientes cum magno strepitu et rumore manu armata ad conduram, super qua erat dictus ambaxator, ac sagitantes inter conduram et ascendentes in ipsam, et verberantes marinarios, et demum ducentes ipsum ambaxatorem contra velle suum in terra in Lesna, et ipsum ibi tenentes quampluribus diebus detentum, et aperientes omnes litteras et scripturas existentes in dicta condura, et alias infinitas iniurias et violentias fatientes eisdem, est enormis et turpis, nec sit ullo modo sub silentio pretereundum, que si pretermittitur, possit in posterum inducere peiorem consequentiam; vadit pars, quod mittatur unus nuntius suffitiens informatum tam de novitate ipsa, quam de novitatibus quibuslibet aliis factis aliquibus civibus nostris, qui vadat ad dominum banum, et exposita sibi querela de ipsis omnibus pro parte nostra, gravet se quantum plus poterit cum illis verbis, que videbuntur dominio ordinanda; dicendo inter alia, quod nullo modo credere poteramus, hec potuisse procedere de conscientia regia neque sua. Quia sicut intentio nostra est et continuo fuit, cunctos subditos suos tractare ubique locorum favorabiliter et benigne, ita sumus certi, quod versa vice intentio domini regis et sua est, quod nostri non offendantur a suis, sed potius amicabiliter pertractentur. Et quamvis disposuerimus de hoc deponere querelam coram domino rege, tamen volumus primo et ante omnia conqueri coram ipso, rogantes magnificentiam suam, quot, in quantum in ipso est, placeat sibi tenere illum modum, qui sit honor domini regis et suus, ut nos, qui reputamus nobis hoc ad gravissimam iniuriam, sicut merito possumus, causam habeamus quietandi nos nostros. Et quia ad capiendam dictam conduram dicitur fuisse unum lignum armatum Raguseorum, qui nedum commiserunt contra nostrum honorem et bonum nostrum et nostrorum, verum etiam in multis aliis casibus, nam ceperunt iam bonis diebus unum barchosium Servorili Scaiola civis nostri ad buccam Cathari, et illum aduxerunt Ragusium, et vendiderunt sicut voluerunt pro sua potentia, quod damnum taxatum est per officiales nostros extraordinarios facta diligenti examinatione de proprio capitali libras XLV grossorum. Et dum quidam procurator ipsius Scaiolini ivisset Ragusium pro petendo dictum barchosium, ipsi non solum non restituerunt sibi illum, sed ipsum procuratorem potius carcerari fecerunt, et sic te-

nuerunt eum carceratum tribus mensibus et ultra. Et quod vituperosius est et nobis importabilius, tenent ad dictam buccam Cathari unam galeam armatam, et tentant omnia navigia euntia et redeuntia tam Venetorum quam aliorum et similiter homines tam Venetos quam alios, utentes turpia vocabula et ineptissima verba erga nostros contra nostrum honorem, nec sit tollerandum ulterius, quando habeatur eorum intentio, quod dictus nuntius recedens a bano cum eo, quod habuerit, primo data nobis informatione per litteras suas de eo, quod habuerit ab ipso bano, vadat Ragusium, gravans se quam plus poterit tam de ligno ipso, quod fuit ad capiendum conduram, narrando sibi modum tentum per ipsos in capiendo ambaxatorem nostrum, et verberando marinarios, ut premittitur, quam etiam de danno dato dicto Scaiolino et de modo carcerandi dictum procuratorem ipsius, accipiendo sibi cartas suas et alia sua iura, et de omnibus aliis dannis datis tam in nostro communi quam in specialibus, et petat satisfactionem eorum omnium cum integnitate et reformatione dictarum novitatum et iniuriarum nobis et nostris illatarum. Et si satisfactionem et reformationem ipsam poterit obtinere, bene quidem, sin autem, protestetur, et in omni casu inde recedat et informet nos per litteras suas de omnibus. Et cum omnibus, que habuerit, vadat ad dominum regem Ungarie, quo salutato decenter pro parte nostra, exponat sibi ordinate omnes ipsas querelas, gravando factum quantum plus poterit, et narret modum teutum per nos de requisitionibus factis tam domino bano quam Raguseis, et responsiones suas. Et ultimatim roget ipsum dominum regem, quot dignetur super hiis omnibus taliter providere, quod sit honor suus, quod forma pacis inter ipsum et nos juste et hinc inde iurate inviolabiliter observetur per suos, sic observari intendimus per nos et nostros, et quod nos, quorum honor multipliciter lesus est, mediante eius iustitia causam habeamus merito contentandi; quia deo´ teste intentio nostra est nedum non deficere sibi et suis de promissis, sed etiam eidem in omnibus, que per nos honeste fieri possent, amicabiliter complacere; cum hiis et aliis verbis dulcibus et benignis, que dominationi videbuntur sibi imponenda. Intelligendo, quod in casu, quo dictus nuntius iturus non invenerit banum in eundo, non induciet propterea viam suam, sed directe vadat versus Ragusium, et adimpleat sibi commissa. Et in reditu, si inveniet dictum banum, exponat sibi, que supra dicta sunt. Si vero non esset in illis partibus, quia fertur quod iverit in Hungariam, exponat supra dicta, ubi eum inveniet. 20, 23.

Nota: quod infrascripta duo capitula, consulta per dominum, consiliarios et capita, data fuerunt in commissione Johanni Bernardo misso Ragusium et ad banum.

Exponat etiam idem notarius novitatem factam per ipsos de Ragusio in retencione barche ser Pauli Quirino, quam mittebat Catharum, et agravet factum cum verbis decentibus, et procuret, quod relaxetur et permittatur ire ad viam suam, et quod de cetero similis novitas cesset.

Similiter si inveniret, quod per Raguseos vel galee aut navigia sua committerentur vel fierent, seu facta essent aliqua indebite contra nostros, in non permittendo ire vel redire libere nostra navigia vel aliter quoquo modo, agravet factum, et procuret reformationem et cessationem earum, sicut pro honore nostro viderit convenire.

Ser Marinus Gradonico, ser Andreas Trevisano. Capta: volunt partem suprascriptam per totum, salvo quod ubi dicetur, quod mittatur una sufficiens persona, solum volunt, quod mittantur duo; videlicet una ad dominum regem Hungarie et alia ad dominum banum et de inde ad Raguseos, cum illis verbis, que in dicta parte continentur, et aliis, que videbuntur dominio. 35, 37. De non 12, non sinceri 5, 11.

Misti XXX 79, u mlet. arkivu.

LXXXIV. God. 1362. 3 srpnja, u Mletcih.

Knez srbski Vojslav imenovan mletačkim gradjaninom.

Privilegium Comitis Voyslai. Laurentius Celsi dei gratia dux Venetiarum etc. Universis etc. Attendentes igitur multiplicis fidei puritatem et devotionis plenitudinem, quam magnificus et potens vir Voyslaus comes et magnus procer serenissimi domini imperatoris Sclavonie ad nostre magnitudinis excellentiam habere promptis affectibus se ostendit, qui in agendis nos, ducatum nostrum et singulares personas ducatus eiusdem tangentibus devotum et promptum laudabiliter et incessanter se prebuit atque prebet, supplicationibus nobis sua parte porrectis gratiosius annuentes, eum cum suis filiis et heredibus, nostrorum omnium consiliorum et ordinamentorum necessaria solennitate servata, proprio in nostrum civem et Venetum recepimus atque recipimus, et Venetum et civem nostrum fecimus et facimus, et pro Veneto et cive nostro in Veneciis et alibi deinceps haberi et procurari omni effectu et plenitudine volumus et tractari, ipsumque sincere benivolentie brachiis amplectantes, et firmiter statuentes, quod singulis libertatibus, beneficiis, immunitatibus et honoribus quibuscumque, quibus alii cives Veneti gaudent et perfrui dignoscuntur, prefatus magnificus et potens vir Voyslaus comes cum dictis suis filiis et heredibus in Venetiis et extra perpetuo gaudeat et utatur. Idem quoque nobis per nobilem virum Paulum Quirino honorabilem civem nostrum procuratorem eius solemniter ad sancta dei evangelia prestitit fidelitatis debitum juramentum. In quorum omnium ipsarumque fidem et evidentiam pleniorem presens privilegium fieri iussimus, bulaque nostra pendente aurea comuniri.

Datum in nostro ducali palatio anno dominice incarnationis MCCCLXII, indictione quartadecima, die tercio mensis iulii.

Eodem die factum fuit simile privilegium in personas egregiorum virorum Strazimiri, Georgii et Balse, fratrum, magnificorum baronum maritime Sclavonie, et bullatum bulla pendente argentea, prestito juramento fidelitatis pro ipsis et ipsorum nomine per nobilem virum Andream Ponzi civem Venetiarum procuratorem ipsorum.

Commemorialium VI 139, u mlet. arkivu.

LXXXV. God. 1362. 12 srpnja, u Mletcih.

Odbijaju se zahtjevi dubrovačkih poslanika, te jim se nalaže, da poprave škode učinjene mletačkim podanikom, i da se nepačaju nipošto u mletačke brodove.

1362 die 12 iulii, indictione XV. Sapientes Ystrie. Capta: quod respondeatur istis ambaxatoribus Raguseorum, et similiter scribantur littere

ipsis Raguseis in hac forma: quod intellecta relatione nobis facta per Zambernardum notarium nostrum de hiis, que sibi responderunt requisitionibus, quas eisdem fecit pro parte nostra, ac expositione oretenus facta per nuncios suos et continentia litterarum suarum nobis presentatarum per dictum nostrum notarium, rescribimus, quod, ex quo constat nobis clare, quod sui homines a remo, qui fuerunt cum ligno suo de Stagno misso ad faciendum illum excessum, quod factum fuit ambaxatori nostro, fuerunt principaliores, qui verberabant homines nostre condure, requirimus et rogamus eosdem, quatenus eis placeat diligenter inquirere de culpabilibus, et de ipsis tam rigidam iusticiam facere, quod transeat ceteris in exemplum, et quod nos, quorum honor multipliciter lesus est, causam habeamus ponendi nostros animos in quiete. Alii de parte, non sinceri 1.

Capta: ad secundum capitulum, super facto requisitionis sibi facte de satisfactione tassacionis facte per officiáles nostros extraordinarios de barcosio Scaiolini Scaiola, dicimus cum, sicut sibi mandavimus exponi per dictum notarium nostrum, habeamus per examinationem et taxationem factam per dictos officiales nostros extraordinariorum, barcosium fuisse emptum legittime per factorem dicti Scaiolani civis nostri, et propterea requirimus eos, quatenus debeant facere satisfactionem dicte taxationis cum integritate, que est librarum XLV grossorum, ne dictus noster civis causam habeat ob hoc audientiam nostram ulterius fatigandi. Alii de parte, non sinceri 1.

Capta: ad tertium et ultimum dicimus, quod, ubi disposuimus eis, in quantum cum honore potuimus, sibi complacere in amonendo nostros, quod non presumerent contra honorem nostrum et bonum suum aliquod attentare, hanc nostrum intentionem applicaverunt sibi multum largam ad intentionem suam contra honorem nostrum, facientes se executores ordinum nostrorum, quos interpretaverunt, ut premittitur, sicut voluerunt, cum tanto improperio nostrorum, ex quo dicimus sibi clare, quod intentio nostra est, quod de aliquo navigio nostro onerato, de quo vult sit, se nullo modo impedire presumant, set potius, quocumque ire voluerit, permittant ire ad suum libitum. Verum in casu, quo per aliquos nostros sentirent comitti aliquod contra bonum suum et honorem nostrum, possint de hoc conqueri coram nobis aut per nuntium aut per litteram, quia principaliter tangit nos, quod nostri ordines serventur, ita quod puniemus contrafacientes, secundum quod exegerit eorum culpa; et in ultimis conqueruntur de nobile viro Marino Superantio, qui ibat cum sale Catharum etc., dicimus, quod nos habemus causam potissimam gravandi se contra ipsos de eo, quod ita presumptuose impediunt se de aliquo nostro navigio, et quod deterius est, compullerunt dicta navigia venire Ragusium, nec intendimus hoc ullo modo tollerare; si vero dictus Marinus contrafecit ordinibus nostris, nos ipsum puniemus, sicut pro honore nostro videbimus convenire. Omnes alii de parte, de non o, non sinceri 1.

Capta: quia modus tentus per Marinum Superantio, euntem Catarum cum sale, veniendo cum hominibus armigeris de Cataro et cum vexilo sancti Marci, sicut asserunt Ragusei, est inhonestus et inconveniens; vadit pars, quod scribatur dicto Marino, arguendo ipsum de modo tento per

ipsum cum illis verbis, que dominio videbuntur, mandando sibi, quatenus in posterum similia non presumat. Omnes alii de parte, non sinceri 1.

Notatur, quod facte fuerunt litere et misse per ambaxatores Ragusii.

Misti XXX 95, u mlet. arkivu.

LXXXVI. God. 1362. 3 kolovoza, u Dubrovniku.

Dubrovačka občina svojom poslanicom na mletačku vladu obvezuje se podpuno zadovoljiti mletačkim zahtjevom.

Exemplum litterarum missarum per Nicolaum de Chaboga rectorem communis Ragusii et per iudices, consilium et commune civitatis eiusdem, datarum ibi die tertio mensis augusti: Serenissime domine, debita recomandatione premissa. Excellentie vestre litteras nobis per nostrum specialem nuntium presentatas die vigesima sexta proxime preteriti mensis iulii nos noveritis recepisse, quarum tenore plenius intellecto, eidem excellentie tenore presentium duximus respondendum, quod statim, sicut ipsas litteras recepimus, capitaneo nostre armate per nostras litteras dedimus in mandatis, quod de navigiis vestrorum Venetorum, euntibus Catarum, quavis re et qualitercumque oneratis, ad inquirendum seu impedimentum aliquod faciendum se intromittere aliqualiter non presumat, quin ymo franche et libere dicta vestra navigia, qualicumque re onerata, sinat intrare Catarum iuxta ipsorum voluntatem et arbitrium, prout in dictis vestris litteris precepistis. De facto vero nostrorum rusticorum de Stagno, quos interfuisse principaliores dicitis in aggressione vestri ambaxatoris et condure, vobis denotamus, quod ipsorum aliquos in carceribus detinemus, et facta examinatione, culpalibes, quos reperiemus, sic cum vigore iustitie puniemus, quod aliis transeat in exemplum. De facto barcosii Scallulini Scallola emendandi sibi secundum examinationem et taxationem vestrorum officialium, prout in dictis vestris litteris precepistis, respondemus, quod novit altissimus, et singuli nostram condicionem scientes, quod propter nostram guerram eminentem commune nostrum ad presens est in necessitate maxima denariorum, propter quod vestre excellentie presumimus cum fiducia supplicare, quatenus dignemini, si placeat, per aliquem competentem terminum a dicto Scallulino vestro cive de satisfactione dicti barcosii nos facere expectari, et illi satisfaciemus integraliter iuxta taxationem vestrorum officialium predictorum.

Commemorialium VI 147, u mlet. arkivu.

LXXXVII. God. 1362.

Ljudevit ugar.-hrv. kralj zapovieda Zadranom, da bez oklievanja izvrše uviet mira tičuči se rasprodaje dobara mletačkih podanika nalazečih se u Zadru i u Ninu.

Exemplum cuiusdam littere misse per dominum regem Hungarie communitati Jadre. In forma pacis priusdem inter nos et ducem et commune Venetiarum comportate inter cetera contineatur et expresse, quod ad tollendum omne scandalum in futurum quilibet Venetus, habens possessiones intra muros civitatum Jadre et None, infra sex menses a die pacis con-

tracte pro extimatione per duos viros idoneos elligendos per nos et duos elligendos per ducem et commune predictos fienda, vendere teneantur, et quod omnes possessiones Marini de Canaruto et Zone de Pizolo, quas habent in Jadra et in aliis locis nostre iurisdictioni subjectis, eisdem integre restituantur, sic quod in Jadra vel eius districtu cum suis personis non valeant habitare, quodque omnes fideles et subditi dictorum ... ducis et communis in terris et locis nostre dominationi suprapositis tractentur favorabiliter et benigne. Quare cum vos contra formam dicte pacis in unoquoque supradictorum casuum, sicut fida relatione didicimus, videamini deliquisse, mandamus fidelitati vostre firmiter et districte, quatenus illa, que contra nostrum honorem premisso modo comisistis, taliter debeatis reformare, ut dux et commune prenotati, quibus per nos premissa disposuimus illesa conservare, non habeant ulterius de vobis causam querellandi nobis. Ceterum volumus, ut terminus sex mensium, quem dicti Veneti habent ad vendendum possessiones suas intra muros civitatis Jadre consistentes, eis nullo modo preiudicet, licet sit elapsus, presertim cum nostre sit intentionis, ut ipsis Venetis de predictis eorum possessionibus integraliter satisfiat, secus igitur in premissis facere non ausuri. Data etc.

(Ex tergo.) Fidelibus suis dilectis rectoribus, consilio et communi civitatis Jadre dd.

Commemoralium VI. 149, u mlet. arkivu.

LXXXVIII. God. 1362. 16 rujna, u Mletcih.

Hrvatski ban sviedoči, da su ga Mletčani namirili za brod i stvari u njem se nalazeće, što mu bjahu uzapčili i prodali.

1362. ind. 15, die 16 septembris, Venetiis, presentibus etc. „ibique ser Johannes condam ser Galli, civis Jadre, procurator et nuntius specialis magnifici domini Nicolai de Zeech Dalmacie et Croacie banni ad infrascripta exercendi specialiter constitutus, ut constat instrumento procurationis scripto per Blazium Brez notarium et Jadre iuratum anno 1362, ind. 15, die penultimo mensis iunii, fuit confessus se dicto nomine habuisse et recepisse ab officialibus extraordinariis communis Venetiarum libra 59, soldos decem, grossos quatuor, parvos XXI denariorum venetorum grossorum in auro, et hoc pro integra et plena solutione, restitutione et satisfactione unius barcosii prefati domini banni, cuius erat patronus Johannes Cresii de Jadra, et oneris dicti barchosii, quod onus erat doge et caseus, quod quidem barchosium cum dicto onere fuit retentum Venetiis“ etc.

Commemorialium VII. 8, u mlet. arkivu.

LXXXIX. God. 1362. 3 studenoga, u Mletcih.

Izabran odbor, da razvidi i predloge stavlja o stvarih, koje bi se ticale Istre, Ugarske i Slavonije.

1362. indictione prima, die 3 novembris, capta: quod super factis Istrie, Hungarie et Sclavonie eligantur tres sapientes in isto consilio, qui examinent, provideant et dent nobis suum consilium in scriptis super omnibus et singulis spectantibus ad dictas partes, cum quo erimus hic, et

fiet, sicut videbitur, et quilibet possit ponere partem. Et habeant terminum per totum mensem marcii futurum. Et vocetur omni vice consilium sub pena solidorum XX. Et fiant una manus per dominum, consiliarios et capita, et duo per electionem in isto consilio.

Sapientes Istrie: ser Laurencius Zane, ser Panthaleo Barbo juvenis, ser Petrus Justiniano quondam ser Bernardi.

Misti XXX, 114, u mlet. arkivu.

XC. God. 1363. 28 ožujka, u Mletcih.

Buduć Dračani povisili daće za mletačke trgovce, nalaže se pomorskomu kapetanu, neka nastoji, da sve ostane pri starom običaju, drugčije neka zapoviedi mletačkim podanikom u Draču, da se odanle izsele.

Captum „quod mandetur ser Dominico Micaeli exituro capitaneo generali ad culfum, quod in via sua vadat ad partes Durachii et requirat, quod removeant datia et novitates de novo impositas nostris mercatoribus et fidelibus et ipsos reducant ad statum et consuetudinem antiquam, et restituant ablata. Si nollent condescendere, tunc licenciet nostros mercatores et fideles de partibus illis, et ordinet, quod nemo audeat ibi morari vel illuc ire sub illis penis, que ei videbuntur, et quod alique mercationes illorum de Durachio non possint conduci Venetias, et faciat posse suum, quod omnino restituantur ablata.“

Misti XXX 140, u mlet. arkivu.

XCI. God. 1363. 15 travnja, u Kninu.

Ban hrvatski zahtjeva od Mletčana, da namire Ivana Trogiranina za brod i stvari u njem se nalazeće potonute nasiljem mletačkoga kapetana pomorskoga Nikole Faletra.

Exemplum litterarum bani Dalmacie pro danno dato Johanni condam magistri Nicolai de Tragurio. Amicabili salutacione premissa noverit vestre magnitudinis amicicia, nos ex querulosa insinuatione et veridica Johannis condam magistri Nicolai civis Tragurii fidelis domini nostri regis percepisse, quod cum ipse cum rebus mercimonialibus ac prompta pecunia versus Ciprum progressus extiterat, et ab hinc salvis rebus et personis ad propria redi voluisset cum suo navigio, deferens mille et quingentos florenos auri mercimonia valoris, ibique Nicolaus de Faletro capitaneus culfi vestri ducalis dominii pro sua potentia et presumptione ac temeritate rabidatus irruens in loco sancti Salvatoris cum duabus galeis super navigium ipsius Johannis fidelis domini nostri regis, dictum navigium una cum universis rebus in ipso continentibus in maris periculo periclitari et submergi fecisset, nulla tamen legittima racione precedente. Unde cum dominus noster rex habeat una vobiscum in pactis, quod subditi domini nostri regis et fideles ubique in mari navigantes per vos tractent benignius, et fideles vestri per dominum nostrum regem similiter illesi peragrant et indemnes, ideo vestram requirimus amiciciam presentibus diligenter, quatenus de premissis omnimode satisfactionis emendam iuxta continentiam publicorum instrumentorum per ipsum Johannem contra ipsum vestrum

capitaneum pro testimonio predictorum et vestre magnitudini exhibendorum ipsi Johanni facere dignemini et velitis; nam ipse Johannes ad regiam intendebat pro exponenda querela proficisci maiestatem, sed nos, et quod istud facinus perpetratum sine scitu et speciali commissione fore putamus, et de vestra nimium confidimus nobilitate, ut premissa sine scitu regie maiestatis remeliorare et iustificare intenditis, eundem Johannem non misimus ad regiam maiestatem; ita facientes, ut ne idem Johannes regie compellamus conqueri maiestati. Datum Tinini XV die mensis aprilis, indictione XV. Nicolaus de Zeech regnorum Dalmatie et Croatie baunus.

Commemorialium VII. 16, u mlet. arkivu.

XCII. God. 1363. 20 travnja, u Mletcih.

O daći, koju se plaćala na hranu dolazeću u Mletke iz Slavonije, Drača, Avalone i Spanje.

1363. die XX aprilis, capta: cum de granis, que de partibus Sclavonie conducuntur per mare Venecias, solvantur solidi X pro centenario pro pondere ad tabulam maris, et de illis, que conducuntur de partibus Durachii et Avalone libras tres pro centenario pro valore, et ille, que conducuntur de partibus Ispanie et aliis partibus illis circumstantibus non habeant aliquem ordinem; vadit pars, quod de granis, que de ipsis partibus Ispanie et aliis partibus circumstantibus conducte sunt Venecias per mare et decetero conducentur, solvantur decem pro centenario pro pondere, quem ad modum solvitur de illis, que de partibus Sclavonie conducuntur.

Misse vicedominis maris.

Misti XXX 146, u mlet. arkivu.

XCIII. God. 1363. 22 travnja, u Mletcih.

Zabranjeno ma s kim družiti se u svrhu kupovanja dubrovačkoga bakra.

Die 22 aprilis 1363. Capta: cum sit quedam pars capta in consilio de XL. 1359 continens, quod nullus possit facere societatem cum aliquo in emendo ramum de fontico vel de Ragusio sub pena ducatorum II, que pena, consideratis hiis, que possent committi contra hoc, nimis est levis; vadit pars, ut metu penarum quilibet se abstineat ab omnibus societatibus et conventicolis, quod aliqua persona de cetero non audeat vel presumat facere societatem cum aliquo vel aliquibus in emendo ramum de fontico vel de Ragusio sub pena amissionis totius rami vel valoris etc. Et si accusator fuerit, per quem veritas habeatur, habeat tercium et teneatur de credentia officialium et commune reliqum. Et si illorum, qui erunt in dicta societate, accusabit unus alium, sit accusans absolutus ab omni pena, quam incurisset, nisi primo facta fieret accuxa per alios, et teneatur de credentia, et habeat partem velut accusator, et predicta committantur inquirenda provisoribus communis, vicedominis fontici, consulibus mercatorum et officialibus geti rami. Et illi officiales, quibus primo facta fierit accuxa, habeant partem per modum predictum. Et de predictis non possit fieri gratia, donum, remisssio, vel aliqua recompensatio, nisi per sex consiliarios, tria capita de XL, XXXV de XL et duas partes maioris consilii. Et si consilium etc.

Ed ad omnes conditiones predictas et contentas in omnibus suprascriptis presentibus sit stagnum.

Misti XXX 148, u mlet. arkivu.

XCIV. God. 1363. 27 travnja, u Mletcih.

Missus Nicolaus Justiniano cum tribus galeis „ad levandum filiam condam domini duche Durachii, quam dominus Canis Signorius de la Scala in uxorem accepit."

Izvornik na pergameni u mlet. arkivu.

XCV. God. 1363. 6 svibnja, u Mletcih.

Zabranjeno voziti kupljena vesla u Senju i u drugih miestih kneza Bartula drugamo van u Mletke.

1363. die 6 maii. Dominus, consiliarii et capita. Capta: quod cridatur hic publice, quod aliquis Venetus fidelis aut habitator Veneciarum seu terrarum nostrarum non audeat in partibus Segne et aliis districtibus comitis Bartholi emere aut emi facere, vendere aut vendi facere extrahere vel extrahi facere modo aliquo vel ingenio aliquod remigium a galeis pro portando alio quam Venetiis sub pena solidorum XX pro quolibet remo et qualibet vice, quam penam exigant seu exigi faciant patroni arsenatus, de qua habeant tercium, tercium accusator si fuerit, per quem veritas habeatur, et reliquum sit communis. Et non possit fieri contrafacientibus gratia nisi per VI consiliarios, III capita et XXXV de XL, et tres partes maioris consilii. Et si consilium etc.

Misti XXXI 3, u mlet. arkivu.

XCVI. God. 1363. 17 svibnja, u Draču.

Dračani izviešćuju mletačku vladu, da su ukinuli svoju naredbu o povećanju daće samo za trgovce mletačke, niti da su voljni u tom Dubrovčane sravniti sa svojimi gradjani, kako oni jih mole.

Exemplum litterarum missarum dominio pro datiis remissis per universitatem Durachii. Inclite domine. Premissa salutatione et recommendatione devota, presens noviter in civitate nostra Duracii vir magnificus dominus Dominicus Michael capitaneus galearum gulfi, de mandato vestro requisivit nos attente, ut cabellam impositam per nostram universitatem super mercationes mercatorum vestrorum et alioram quorumcumque huc venientium ad vendendum et emendum revocaremus, et pecuniam, per nos eisdem vestris mercatoribus exactam tempore retroacto pro eorum mercationibus, restitueremus integraliter. Nos autem licet ordinavissemus cabellam ipsam in subsidium damnorum et expensarum nostrarum incumbentium nobis ex oppressionibus latis nobis per nonullos tyrannos nostros convicinos et emulos, prout aliquando vos consuevistis in subsidium expensarum vestrarum duplicare cabellas vestras, tamen obtentu requisitionis eiusdem vestri capitanei et intuytu dominationis vestre ac antiquate amicitie habite inter vestros dominos et nos nec non communitatem nostram

vestre civitati Veneciarum et universitatem nostram Duracii, cabellam ipsam liberaliter et gratiose remisimus quoad mercationes et homines dicte civitatis Veneciarum tantum. Et de pecunia exacta eisdem vestris mercatoribus hic morantibus seu venientibus, ipsos contentavimus. Item audivimus, quod Marchionus Bonavita, qui moram traxit olim cum suis mercationibus hic Duratii, asseruit, coram nobis solvisse in dicta cabella multam pecunie quantitatem, et inquisito per nos et cabellotis cabelle ipsius invenimus, parum solvisse, et fecisse rationem cum eis, qui tenebatur dare certam pecunie quantitatem cabellotis eisdem, pro qua dimisit hic fratrem suum ad satisfatiendum. Qui peractis certis diebus, nulla facta solucione, recessit. Placeat igitur dominationi vestre, eumdem Marchionum huc mittere, ut ratione rehabita inter eum et nostros cabellotos, si quid inde solverit, fatiemus ipsum contentari.

Intelleximus etiam, quod homines de Ragusio supplicaverint nobis, habere illam immunitatem et gratiam sicut et cives nostri habent in nostra civitate Duratii, placeat nobis non intromittere de eisdem, cum intentionis nostre sit non illi, sed si vassalli ducales essent vel etiam reginales, dictam immunitatem minime concederemus nisi tantum vestris Venetis de gratia speciali. Et quia ser Francischinus de Georgio noster nobilis concivis, informatus de intentione nostra super predictis et aliis, venit Venecias, ipsum pro parte nostra libeat exaudire. Scriptum Durachii XVII madii, prime indictionis.

Commemorialium VII. 16, u mlet. arkivu.

XCVII. God. 1363. 10 lipnja, u Mletcih.

Ordinatur capitaneo culphi, quod requirat a rege Siciliae satisfactionem damnorum an. 1354 illatorum venetis subditis per Nicolaum Boctuli de Mesana „in auro et argento caricato in quadam barca, que veniebat de Cataro.“

Misti XXXI 20, u mlet. arkivu.

XCVIII. God. 1363. 11 lipnja, u Mletcih.

Odpravljene galije proti Omišanom, koji su robili brodove po moru, a to uslied prijave mletačkoga konsula u Kotoru. Toga radi se šalje u Ugarsku javni bilježnik, neka se kralju o tom potuži.

1363. indictione prima, die XI iunii. Sapientes ordinum: ser Andreas Venerio, ser Marcus Justiniano, ser Petrus Dalmerio. Capta: quod ista nova, que habita sunt modo a consule Cathari de illis de Dalmisia, qui derobant navigia nostrorum, scribantur capitaneo culfi, cui mandatur, quod, expedito de partibus Sicilie pro veniendo ad culfum, debeat, si ei videbitur hoc facere posse sine notabili damno nostro et navigiorum nostrorum et culfi, secundum nova, que haberet, mittere ad dictas partes duas vel tres de suis galeis culfi, fatiendo, quod in hoc numero sint ser Nicolaus Faledro et ser Andreas Loredano cum suis galeis, mandando eis expresse, quod se portent in aquis illis pro securitate nostrorum et navigiorum suorum et tremore predictorum; et si aliquo casu sentirent in mari fieri cursus vel piratica per illos de Dalmisia vel alias personas, offendant, puniant

et faciant de eis in mari sicut de cursariis, ut est iustum. Et debeant dicte galee, cum iunxerint ad dictas partes, statim nobis notificare adventum suum, et non recedere sine nostro mandato, scribendo semper quicquid fecerint in premissis.

Et ultra predicta pro requirenda emenda et satisfactione damnorum nostrorum et agravando iniuriam nostram, et procurando, quod talia vel similia non fiant, mittatur unus notarius curie ad dominum regem Hungarie cum illa commissione et verbis, que dominio videbuntur pro bono facti. Alii omnes, de non 1, non sinceri 0.

Misti XXXI 20, u mlet. arkivu.

XCIX. God. 1363. 19 lipnja, u Mletcih.

Radi pošasti, koja je u Kotoru biesnila, dozvoljava se mletačkim podanikom ondje stanujućim, da za trgovinu, koju bi natrag donili u Mletke, neplaćaju daće.

1363. die XVIII iunii, capta: quod propter epidemiam, que est Catari, concedatur mercatoribus et fidelibus nostris conversantibus ibi, et habentibus ibi de suo, quod res eorum et merces de hinc missas, de quibus soluta fuerunt datia ordinate, possint reduci facere Venecias libere et sine datio, constante officialibus, quod sint ille eedem res et merces, quas miserunt cum ordine.

Misti XXXI 22, u mlet. arkivu.

C. God. 1363. 30 lipnja, u Mletcih.

Informatur notarius Bartholomeus Ursio, existens apud dominum regem Hungarie, de responsione data regio ambasciatori Johanni Surdo episcopo Vacensi circa requisitionem per ipsum regio nomine factam, quod dominatio veneta restituat domino Paduåe quoddam territorium; scilicet „quod salva pace domini Padue non erat data vera informatio domino regi, quia locus ille erat de iurisdictione nostri ducatus... nec credebamus ullo modo, quod ipse dominus rex de ipsis factis se impedire deberet, quia hoc licite facere non posset ex forma pacis, quam secum habemus“.

Secreta consilii rogatorum. [1])

CI. God. 1363. 10 srpnja, kod Zakola.

Ljudevit ugar.-hrv. kralj piše Mletčanom, da mu je njihov poslanik Bartul Ursio izkazao zadjevice obstojeće medju njihovimi i njegovimi podložnici, te jih pozivlje, neka pošalju čovjeka, koj bi te zadjevice s hrv. banom Nikolom sravnao. Moli jih, neka s gospodarom padovanskim u miru žive.

1363. mensis iulii. Exemplum quarundam litterarum missarum dominio per dominum regem Hungarie super ambascata sibi facta per Bar-

---

[1]) Izvornik ove knjige nalazi se sada kod markeza Capponi u Firenci. Kada je i kako iz mlet. arkiva odnešena, nezna se. Capponi pokloni vierni i liepi prepis te vele važne knjige pok. Vit. Emanuilu Cicogna Mletčaninu, a sada se nalazi u gradskom muzeju Correr u Mletcih. Mi smo iz ovoga crpili. Naslov mu je: „Liber secretorum sub illustri et excelso domino Laurentio Celsi inclito Venetiarum duce, inceptus MCCCLXIII. indictione prima.“

tholomeum Ursio notarium curie. Lodovicus dei gratia rex Hungarie. Amice carissime. Bartholomeus Ursio notarius vester nostram veniens ad presenciam, nobis sub credencia litterarum vestrarum exposuit, quod quedam inter vestros et nostros subditos suborte sint novitates, petens nos nomine vestro super eo providere de remedio opportuno. Nos igitur volentes vestris votis, in quibus possumus, complacere, commisimus fideli nostro magnifico viro Nicolao Croacie et Dalmacie banno, ut ipse causam novitatum huiusmodi diligenter ascultet, et ascultacione facta, si nostros culpabiles invenerit, satisfaciat vestris, ut est iustum. Quo circa vestram rogamus amiciciam affectu quo possimus cariori, quatenus et vos unum ex vestris deputetis fidedignum, qui una cum prefato Nicolao banno similiter causam dictarum novitatum audiat, et audita, si vestros subditos reperirent reos, satisfaciat nostros, et e converso. Ceterum pro domino Paduano amico nostro vestram amiciciam deprecamur, quatenus cum eo amicabiliter et pacifice amore nostri vivere vellitis, ad quod eciam ipsum inducere volumus effectualiter et monere: et quicquid super hiis vestre fuerit intencionis, hoc nobis per venerabilem Johannem Vaciensis ecclesie ellectum confirmatum, quem hinc ad vos occasione huius destinavimus, vel per alium ydoneum rescribatis. Datum in castris propre Zakol feria secunda proxima ante festum beate Margarete virginis, anno LXIII.

Commemorialium VII 18, u mlet. arkivu.

CII. God. 1363. 18 kolovoza, u Lupči.

Opet ugar.-hrv. kralj Ljudevit opominje Mletčane, neka odprave poslanika, koj bi s hrv. banom Nikolom razvidio i riešio razmirice obstojeće medju mletačkimi i njegovimi podanici. Drago mu je, što su se s padovanskim gospodarom smirili.

Exemplum quarundam litterarum domini regis Hungarie, missarum ducali dominio. Lodovicus dei gratia rex Hungarie. Amice carissime. Super eo, quod examinatione et discussione questionum inter nostros et vestros subortarum usque ad reditum capitanei galearum vestrarum distulistis, sicut littere vestre nobis per cursorem vestrum directe testantur, animus noster bene contentatur; rogantes vestram amiciciam nunc sicut prius, quatenus, adveniente dicto vestro cepitaneo, unum ex vestris deputatis, qui simul cum banno nostro Croatie et Dalmatie querelas nostrorum et vestrorum examinet, et examinatas discutiat, sicut iustitia persuadebit. De hoc etiam, quod inter vos et dominum Padue super litibus et dissensionibus utrobique ventilatis, concordia, prout scribitis, est secura, singularem accepimus materiam gaudiorum, desiderantes attente, ut cum eodem decetero in vera amicicia et sub pacis vivatis tranquilitate. Datum Lypche in loco venationis nostre die XVIII mensis augusti, anno LXIII. Superscriptio vero dictarum litterarum tale erat: Inclito domino Laurentio Celsi duci Veneciarum amico nostro carissimo dd.

Commemorialium VII 18, u mlet. arkivu.

CIII. God. 1363. 24 rujna, u Mletcih.

Zapovieda se pomorskomu kapetanu, neka gleda dobiti natrag imanje onih Mletčana, koji su uslied pošasti u Draču umrli.

1363. indictione secunda, die XXIII septembris, capta: quia nostri mercatores utentes in partibus Avalone et Durachii, nobis exposuerunt, quod propter epydimiam, quasi omnes nostri, qui faciebant facta sua in illis partibus, decesserunt, et quod Greci deinde iverunt ad domos defunctorum, et derobarunt ac abstulerunt omnia bona sua: vadit pars, quod committatur istis nostris galeis, que vadunt extra, quod circa recuperationem bonorum et rerum dictorum nostrorum fidelium faciant apud despoti et alios, ubi et sicut opus fuerit, quicquid boni poterunt, non sinistrando propterea viagium suum et alia maiora facta.

Misti XXXI 40, u mlet. arkivu.

CIV. God. 1363. 11 listopada, u Mletcih.

Respublica veneta scribit regi Hungariae, quod feudati eiusdem in insula Cretae rebellionem excitaverint. Ideo rogat regiam majestatem: „quatenus dignemini cunctis vestris fidelibus et subiectis maritimis efficaciter imponere et mandare, quod durante novitate premissa ab eundo, mittendo et conversando cum eis abstineant, et ab omni eorum favore ac auxilio prorsus desistant, sicut decet inter amicos servari, et sicut pro nobis et nostris in casu simili faceremus. Data XI octobris, secunde indictionis."

Secreta consilii rogatorum.

CV. God. 1363. 6 studenoga, u Višegradu.

Rex Hungariae, rescribendo venetae reipublicae, condolet illi de adversitatibus in Creta, et promittit, se suis fidelibus efficaciter iussurum „ut durante novitate huiusmodi ab omni favore et auxilio dictorum Cretensium abstineant et desistant. Datum Visegradi die VI mensis novembris, anno domini LXIII."

Commemoralium VII. 24, u mlet. arkivu.

CVI. God. 1363. 3 prosinca, u Mletcih.

Zapovjeda se biljezniku Bartulu Ursio, neka podje k ugar.-hrv. kralju, i neka ga zamoli za 200 strielaca, koji bi se rabili u boju proti buntovnikom u Kreti.

1363. 3 decembris. Dominus, consiliarii et capita. Capta: similiter committatur Bartholomeo Ursio notario nostro, quod vadat ad dominum regem Hungarie ad requirendum ab eo pro factis nostris predictis usque CC arcerios cum soldo et pactis predictis, et si consenserit, similiter det ordinem, quod sint parati ad marinam in aliquo loco abili, unde possint levari ad tempus determinatum. 8, non 6, non sinceri 0.

Secreta collegii 114, u mlet. arkivu.

CVII. God. 1363. 23 prosinca, u Mletcih.

Prima se ponuda Stjepana i Ivana, sinova kneza Bartula Senjskoga, koji su nudili republiki svoju voiničku službu proti buntovnikom u Kreti, te se šalje bilježnik, da s njimi dotični ugovor utanači. Listovi u tom poslu predani istomu bilježniku.

Comissio providi viri Zanbernardi notarii missi Segniam. Zambernarde! vade ad filios condam comitis Bartholi de Segnia, quibus pro parte nostra salutatis, expones, quod habita littera sua recommendationis in personis nobilium virorum Moysis et Nicolay subditorum et fidelium suorum ob amorem et benevolentiam suam eos suscepimus ad nostrum servitium et soldum pro eundo ad partes Candide contra rebelles nostros insule Crete, qui nobis promiserunt venire ad dictum nostrum servitium cum C bonis et sufficientibus equitibus bene armatis cum certis pactis, soldo et condicionibus, prout in copia ipsorum pactorum, quam ipsi habent, continetur ad plenum. Sed quare nollemus, quod aliquo casu ipsi recusarent venire ad dictum nostrum servitium, ne facta nostra aliquod paterentur sinistrum, providimus te ad eos mittere ad sentiendum voluntatem et disposicionem suam in hoc, et ad obtinendum ab eis promissionem, quod predicti nobiles venirent ad dictum nostrum servitium omni causa remota etc., quod eos non impedient aliquo casu, sed quod permittent eos libere venire secundum suam oblationem absque aliquo impedimento. Et circa hoc facies et procurabis nostram intentionem predictam, utendo illis verbis, que tibi videbuntur; quare si obtinueris, subsequenter recipies a dictis nobilibus bonam et ydoneam plezariam et talem, quod si opus fuerit contra eam agere, valeamus tam de mutuo dictis nobilibus fiendo, quam de omnibus aliis, ad quos incurrerent et committentur contra nos, informando te de hoc a consule et mercatoribus nostris deinde pro ut tibi utile videbitur pro factis nostris, et fieri faciendo et recipiendo in hoc tales cautellas et instrumentum, quod simus bene securi ab eis; quibus habitis, dabis et mutuabis eisdem nobilibus inter ambos nomine nostro et nostri communis ducatos mille auri, quos tibi dari et assignari fecimus occasione predicta computandos postmodum in solutione suarum pagarum prout iustum fuerit et conveniens, et prout nostris gubernatoribus apparebit, faciendo de hoc etiam fieri publicum instrumentum. Et si forte filii condam comitis predicti non essent ad presens in insula, sed forent divisi unus ab alio, vadas solum ad alterum eorum, et ab eo procures obtinere intentionem nostram predictam. Et si eos vel alterum eorum in Segna vel Modrusio reperire non posses, perge usque ad Ysagrabiam, ubi si eos vel alterum eorum invenies, facies et procures, ut supra dictum est. Verum si eos vel alterum eorum ibi seu ibi prope non reperies, tunc scribas eis nostram intentionem predictam, eos rogando, ut responsionem suam superinde nostro consuli in Segnia transmittant, cui consuli dicas, quatenus statim ipsam responsionem habitam nobis transmittat quam citius esse potest, et habita plezaria a nobilibus predictis et eisdem facto mutuo prelibato, Venetias revertatis.

Insuper dabis operam de inveniendo Bartholum Ursio notarium nostrum, a quo, si eum reperies, te informabis, si nostram intentionem, videlicet de habendo C equites ab ipsis, potuit obtinere, et si inveneris, quod ipsi comites promiserint ei dare dictos C equites, tunc absque quod tu vadas vel mittas ad dictos comites, accipias tamen plezarias, et facias mu-

tuum supra dictum, quare verisimile est, quod dictam licentiam vel promissionem non fecissent, si sensissent impedimentum aliquod affuturum. Verum si predicta obtinere non posses, prout supra dictum est, redeas Venetias sine alia dilatione, non extendendo seu ellargando te ad alia quam ad ea, que supra dicta sunt cum denariis supradictis.

Mandamus autem capitaneo riperie Istrie per litteras nostras, quas penes te habes, quod te et nobiles predictos ad partes Segnie cum dicto ligno conducat, et te reducat in Istriam vel usque ad Caprolas, si in recessu suo de Segnia fueris expeditus. Data die XXIII decembris, secunde indictionis.

Comitibus Vegle. Cum providum virum Zambernardum notarium et fidelem nostrum de nostra intentione plenius informatum ad vos presentialiter transmittamus, amicitiam vestram rogamus, quatenus eidem in hiis, que pro parte nostra vobis dixerit, fidem placeat credulam adhibere. Data ut supra.

Capitaneo riperie Istrie. Cum virum providum Zambernardum notarium et fidelem nostrum ad filios condam comitis Bartholi de Segnia presentialiter transmittamus cum certis nobilibus deinde pro aliquibus arduis nostri communis ibidem peragendis, mandamus vobis, quatenus eundem et dictos nobiles cum comitiva sua cum ligno vobis commisso ad partes Segnie conducatis, et eum, si in recessu vestro de Segnia fuerit expeditus, reducatis in Istriam vel usque ad Caprolas. Data die XXIII decembris, secunde indictionis.

Littera aperta pro Zambernardo. Laurentius Celsi dei gratia dux Venetiarum etc. Universis et singulis presentes litteras inspecturis amicis dilectis salutem et dilectionem sinceram Cum virum providum Zambernardum notarium et fidelem nostrum ad partes Segnie, Modruse et Sclavonie presentialiter transmittamus pro aliquibus nostri communis ibidem peragendis, amicitiam vestram rogamus, quatenus ipsum eundo, stando ed redeundo cum rebus, famulis et arnesiis suis habere placeat favorabiliter recommissum prout de vestra sinceritate speramus. Data ut supra.

Secreta consilii rogatorum.

CVIII. God. 1364. 22 siečnja, u Mletcih.

Šalju se u Senj novci za Gotomkera, koga sa petdeset drugova primila bjaše republika u službu proti iznevierenoj Kreti.

Prudentibus viris Marco Sclavo et Francischo Lachetis apud Seniam. Mittimus vobis per Christophorum Ricio latorem presentium ducatos CCCCL auri, quos volumus quod mutuetis Gothomcher, quem accipimus ad nostrum servitium cum L barbutis, de quibus quidem denariis et etiam de ducatis L, quos hic habent mutuo nec non de V centum ducatis pro pena, si non observaret nobis promissa, accipere debeatis bonam et ydoneam plezariam, faciendo de hoc conscientiam comitibus Segnie, et procurando apud eos, quod in casu, quo esset opus, valeamus contra plezios, quos accipietis, de hoc procedere et agere iura nostra, scribentes nobis quicquid feceritis in premissis quam citius esse potest. Data XXII ianuarii, secunde indictionis.

Secreta consilii rogatorum.

CIX. God. 1364. 24 siečnja, u Senju.

Njeki Senjani jamče za dva svoja sugradjanina, koja su se obvezala bila služiti Mletčane proti buntovnikom u Kreti.

Exemplum instrumenti plezarie prestite per nobiles viros Moysem filium iudicis Bartholi de Segnia et Nicolaum filium quondam Vicencii Vindeni de Cherlino, ire debentium cum centum equitibus ad servitium domini ducis et communis Veneciarum in Cretam.

In dei nomine amen. Anno domini a nativitate eiusdem millessimo trecentesimo sexagesimo quarto, indictione secunda, die vigesimo quarto mensis ianuarii. Temporibus equidem domini Lodovici dei gratia serenissimi regis Hungarie, venerabilis patris domini fratris Prothine eadem gratia episcopi Segniensis, magnificorumque dominorum Stephani et Johannis Vegle, Modrusie, Ghezche et Vinodoli comitum et civitatis Segnie dominorum generalium, nobilis militis domini Andree vicecomitis, Jacobi quondam iudicis Cosme, Veroli quondam iudicis Dimini, et Jacobi quondam iudicis Vidonis, iudicum civitatis predicte. Actum in civitate Segnie in statione habitationis ser Marcis Slavi de Veneciis, presentibus ipso ser Marco Sclavo, ser Francischo Sacheto de Veneciis, Jacobo filio quondam iudicis Philippi de Segnia, Michaele Campiono de Veneciis, et aliis testibus ad hec vocatis, habitis et rogatis. Cum illustris et excelsus dominus dominus Laurentius Celsi dei gratia dux Venetiarum etc., cum communitate sua susceperit ad suum servitium et soldum contra rebelles suos insule Crete nobiles viros Moysium filium iudicis Bartholi de Segnia et Nicolaum filium quondam Vincecii Vindeni de Cherlino, qui ambo et in solidum promiserunt, convenerunt et se obligaverunt ire personaliter cum centum bonis et sufficientibus hominibus in bonis et sufficientibus equis et bene armatis et paratis omnibus armis opportunis ad dictum servitium cum certis pactis et conventionibus, que constare dicuntur in libris cancellarie ipsius domini ducis, quorum quidem pactorum copia est penes ipsos Moysem et Nicolaum, secundum quod iidem Moyses et Nicolaus in presentia mei notarii et testium suprascriptorum legi fecerunt pacta ipsa. Et illico confessi et conventi fuerunt sicut esse. Nunc autem suprascriptus idem iudex Bartholus pater ipsius Moysis confirmans, ratificans et approbans omnia et singula in ipsis pactis contenta, in quantum ipsum seu predictum Moysem filium suum tangunt vel tangere possent, tanquam qui de eius consensu et mandato expresso pepigit et convenit, ac nobiles viri domini Andreas prenotatus et Bartholus judex Segnie et Frixonus vicarius Segnie omnes tres simul et concorditer ac quilibet eorum in solidum constituerunt se plezios ac fideiussores dicto domino duci et communitati Veneciarum pro dictis Moyse et Nicolao et pro eorum utroque, ad quem vel ad quos ipsorum principalium seu fideiussorum dictus dominus dux et eius communitas voluerit se tenere in parte et toto de omnibus et singulis infrascriptis: Primo videlicet, quod dicti Moyses et Nicolaus cum tota sua comitiva supra specificata bene armata et fulcita erunt parati in loco sibi deputato cum omnibus suis equis et armis ad terminum specificatum videlicet in calendis marcii proximi pro ascendendo cum ipsis in navigio ad omnem requisitionem dicti domini ducis seu deputandorum ab ipso. Item quod dicti Moyses et Nicolaus et uterque ipsorum cum tota eorum comitiva bene et

Ed ad omnes conditiones predictas et contentas in omnibus suprascriptis presentibus sit stagnum.

Misti XXX 148, u mlet. arkivu.

XCIV. God. 1363. 27 travnja, u Mletcih.

Missus Nicolaus Justiniano cum tribus galeis „ad levandum filiam condam domini duche Durachii, quam dominus Canis Signorius de la Scala in uxorem accepit.“

Izvornik na pergameni u mlet. arkivu.

XCV. God. 1363. 6 svibnja, u Mletcih.

Zabranjeno voziti kupljena vesla u Senju i u drugih miestih kneza Bartula drugamo van u Mletke.

1363. die 6 maii. Dominus, consiliarii et capita. Capta: quod cridatur hic publice, quod aliquis Venetus fidelis aut habitator Veneciarum seu terrarum nostrarum non audeat in partibus Segne et aliis districtibus comitis Bartholi emere aut emi facere, vendere aut vendi facere extrahere vel extrahi facere modo aliquo vel ingenio aliquod remigium a galeis pro portando alio quam Venetiis sub pena solidorum XX pro quolibet remo et qualibet vice, quam penam exigant seu exigi faciant patroni arsenatus, de qua habeant tercium, tercium accusator si fuerit, per quem veritas habeatur, et reliquum sit communis. Et non possit fieri contrafacientibus gratia nisi per VI consiliarios, III capita et XXXV de XL, et tres partes maioris consilii. Et si consilium etc.

Misti XXXI 3, u mlet. arkivu.

XCVI. God. 1363. 17 svibnja, u Draču.

Dračani izviešćuju mletačku vladu, da su ukinuli svoju naredbu o povećanju daće samo za trgovce mletačke, niti da su voljni u tom Dubrovčane sravniti sa svojimi gradjani, kako oni jih mole.

Exemplum litterarum missarum dominio pro datiis remissis per universitatem Durachii. Inclite domine. Premissa salutatione et recommendatione devota, presens noviter in civitate nostra Duracii vir magnificus dominus Dominicus Michael capitaneus galearum gulfi, de mandato vestro requisivit nos attente, ut cabellam impositam per nostram universitatem super mercationes mercatorum vestrorum et alioram quorumcumque huc venientium ad vendendum et emendum revocaremus, et pecuniam, per nos eisdem vestris mercatoribus exactam tempore retroacto pro eorum mercationibus, restitueremus integraliter. Nos autem licet ordinavissemus cabellam ipsam in subsidium damnorum et expensarum nostrarum incumbentium nobis ex oppressionibus latis nobis per nonullos tyrannos nostros convicinos et emulos, prout aliquando vos consuevistis in subsidium expensarum vestrarum duplicare cabellas vestras, tamen obtentu requisitionis eiusdem vestri capitanei et intuytu dominationis vestre ac antiquate amicitie habite inter vestros dominos et nos nec non communitatem nostram

vestre civitati Veneciarum et universitatem nostram Duracii, cabellam ipsam liberaliter et gratiose remisimus quoad mercationes et homines dicte civitatis Veneciarum tantum. Et de pecunia exacta eisdem vestris mercatoribus hic morantibus seu venientibus, ipsos contentavimus. Item audivimus, quod Marchionus Bonavita, qui moram traxit olim cum suis mercationibus hic Duratii, asseruit, coram nobis solvisse in dicta cabella multam pecunie quantitatem, et inquisito per nos et cabellotis cabelle ipsius invenimus, parum solvisse, et fecisse rationem cum eis, qui tenebatur dare certam pecunie quantitatem cabellotis eisdem, pro qua dimisit hic fratrem suum ad satisfatiendum. Qui peractis certis diebus, nulla facta solucione, recessit. Placeat igitur dominationi vestre, eumdem Marchionum huc mittere, ut ratione rehabita inter eum et nostros cabellotos, si quid inde solverit, fatiemus ipsum contentari.

Intelleximus etiam, quod homines de Ragusio supplicaverint nobis, habere illam immunitatem et gratiam sicut et cives nostri habent in nostra civitate Duratii, placeat nobis non intromittere de eisdem, cum intentionis nostre sit non illi, sed si vassalli ducales essent vel etiam reginales, dictam immunitatem minime concederemus nisi tantum vestris Venetis de gratia speciali. Et quia ser Francischinus de Georgio noster nobilis concivis, informatus de intentione nostra super predictis et aliis, venit Venecias, ipsum pro parte nostra libeat exaudire. Scriptum Durachii XVII madii, prime indictionis.

Commemorialium VII. 16, u mlet. arkivu.

XCVII. God. 1363. 10 lipnja, u Mletcih.

Ordinatur capitaneo culphi, quod requirat a rege Siciliae satisfactionem damnorum an. 1354 illatorum venetis subditis per Nicolaum Boctuli de Mesana „in auro et argento caricato in quadam barca, que veniebat de Cataro."

Misti XXXI 20, u mlet. arkivu.

XCVIII. God. 1363. 11 lipnja, u Mletcih.

Odpravljene galije proti Omišanom, koji su robili brodove po moru, a to uslied prijave mletačkoga konsula u Kotoru. Toga radi se šalje u Ugarsku javni bilježnik, neka se kralju o tom potuži.

1363. indictione prima, die XI iunii. Sapientes ordinum: ser Andreas Venerio, ser Marcus Justiniano, ser Petrus Dalmerio. Capta: quod ista nova, que habita sunt modo a consule Cathari de illis de Dalmisia, qui derobant navigia nostrorum, scribantur capitaneo culfi, cui mandatur, quod, expedito de partibus Sicilie pro veniendo ad culfum, debeat, si ei videbitur hoc facere posse sine notabili damno nostro et navigiorum nostrorum et culfi, secundum nova, que haberet, mittere ad dictas partes duas vel tres de suis galeis culfi, fatiendo, quod in hoc numero sint ser Nicolaus Faledro et ser Andreas Loredano cum suis galeis, mandando eis expresse, quod se portent in aquis illis pro securitate nostrorum et navigiorum suorum et tremore predictorum; et si aliquo casu sentirent in mari fieri cursus vel piratica per illos de Dalmisia vel alias personas, offendant, puniant

et faciant de eis in mari sicut de cursariis, ut est iustum. Et debeant dicte galee, cum iunxerint ad dictas partes, statim nobis notificare adventum suum, et non recedere sine nostro mandato, scribendo semper quicquid fecerint in premissis.

Et ultra predicta pro requirenda emenda et satisfactione damnorum nostrorum et agravando iniuriam nostram, et procurando, quod talia vel similia non fiant, mittatur unus notarius curie ad dominum regem Hungarie cum illa commissione et verbis, que dominio videbuntur pro bono facti. Alii omnes, de non 1, non sinceri 0.

Misti XXXI 20, u mlet. arkivu.

XCIX. God. 1363. 19 lipnja, u Mletcih.

Radi pošasti, koja je u Kotoru biesnila, dozvoljava se mletačkim podanikom ondje stanujućim, da za trgovinu, koju bi natrag donili u Mletke, neplaćaju daće.

1363. die XVIII iunii, capta: quod propter epidemiam, que est Catari, concedatur mercatoribus et fidelibus nostris conversantibus ibi, et habentibus ibi de suo, quod res eorum et merces de hinc missas, de quibus soluta fuerunt datia ordinate, possint reduci facere Venecias libere et sine datio, constante officialibus, quod sint ille eedem res et merces, quas miserunt cum ordine.

Misti XXXI 22, u mlet. arkivu.

C. God. 1363. 30 lipnja, u Mletcih.

Informatur notarius Bartholomeus Ursio, existens apud dominum regem Hungarie, de responsione data regio ambasciatori Johanni Surdo episcopo Vacensi circa requisitionem per ipsum regio nomine factam, quod dominatio veneta restituat domino Paduäe quoddam territorium; scilicet „quod salva pace domini Padue non erat data vera informatio domino regi, quia locus ille erat de iurisdictione nostri ducatus... nec credebamus ullo modo, quod ipse dominus rex de ipsis factis se impedire deberet, quia hoc licite facere non posset ex forma pacis, quam secum habemus“.

Secreta consilii rogatorum. [1])

CI. God. 1363. 10 srpnja, kod Zakola.

Ljudevit ugar.-hrv. kralj piše Mletčanom, da mu je njihov poslanik Bartul Ursio iskazao zadjevice obstojeće medju njihovimi i njegovimi podložnici, te jih pozivlje, neka pošalju čovjeka, koj bi te zadjevice s hrv. banom Nikolom sravnao. Moli jih, neka s gospodarom padovanskim u miru žive.

1363. mensis iulii. Exemplum quarundam litterarum missarum dominio per dominum regem Hungarie super ambascata sibi facta per Bar-

[1]) Izvornik ove knjige nalazi se sada kod markeza Capponi u Firenci. Kada je i kako iz mlet. arkiva odnešena, nezna se. Capponi pokloni vierni i liepi prepis te vele važne knjige pok. Vit. Emanuilu Cicogna Mletčaninu, a sada se nalazi u gradskom muzeju Correr u Mletcih. Mi smo iz ovoga crpili. Naslov mu je: „Liber secretorum sub illustri et excelso domino Laurentio Celsi inclito Venetiarum duce, inceptus MCCCLXIII. indictione prima.“

tholomeum Ursio notarium curie. Lodovicus dei gratia rex Hungarie. Amice carissime. Bartholomeus Ursio notarius vester nostram veniens ad presenciam, nobis sub credencia litterarum vestrarum exposuit, quod quedam inter vestros et nostros subditos suborte sint novitates, petens nos nomine vestro super eo providere de remedio opportuno. Nos igitur volentes vestris votis, in quibus possumus, complacere, commisimus fideli nostro magnifico viro Nicolao Croacie et Dalmacie banno, ut ipse causam novitatum huiusmodi diligenter ascultet, et ascultacione facta, si nostros culpabiles invenerit, satisfaciat vestris, ut est iustum. Quo circa vestram rogamus amiciciam affectu quo possimus cariori, quatenus et vos unum ex vestris deputetis fidedignum, qui una cum prefato Nicolao banno similiter causam dictarum novitatum audiat, et audita, si vestros subditos reperirent reos, satisfaciat nostros, et e converso. Ceterum pro domino Paduano amico nostro vestram amiciciam deprecamur, quatenus cum eo amicabiliter et pacifice amore nostri vivere vellitis, ad quod eciam ipsum inducere volumus effectualiter et monere: et quicquid super hiis vestre fuerit intencionis, hoc nobis per venerabilem Johannem Vaciensis ecclesie ellectum confirmatum, quem hinc ad vos occasione huius destinavimus, vel per alium ydoneum rescribatis. Datum in castris propre Zakol feria secunda proxima ante festum beate Margarete virginis, anno LXIII.

Commemorialium VII 18, u mlet. arkivu.

CII. God. 1363. 18 kolovoza, u Lupči.

Opet ugar.-hrv. kralj Ljudevit opominje Mletčane, neka odprave poslanika, koj bi s hrv. banom Nikolom razvidio i riešio razmirice obstojeće medju mletačkimi i njegovimi podanici. Drago mu je, što su se s padovanskim gospodarom smirili.

Exemplum quarundam litterarum domini regis Hungarie, missarum ducali dominio. Lodovicus dei gratia rex Hungarie. Amice carissime. Super eo, quod examinatione et discussione questionum inter nostros et vestros subortarum usque ad reditum capitanei galearum vestrarum distulistis, sicut littere vestre nobis per cursorem vestrum directe testantur, animus noster bene contentatur; rogantes vestram amiciciam nunc sicut prius, quatenus, advenient dicto vestro cepitaneo, unum ex vestris deputatis, qui simul cum banno nostro Croatie et Dalmatie querelas nostrorum et vestrorum examinet, et examinatas discutiat, sicut iustitia persuadebit. De hoc etiam, quod inter vos et dominum Padue super litibus et dissensionibus utrobique ventilatis, concordia, prout scribitis, est secura, singularem accepimus materiam gaudiorum, desiderantes attente, ut cum eodem decetero in vera amicicia et sub pacis vivatis tranquilitate. Datum Lypche in loco venationis nostre die XVIII mensis augusti, anno LXIII. Superscriptio vero dictarum litterarum tale erat: Inclito domino Laurentio Celsi duci Veneciarum amico nostro carissimo dd.

Commemorialium VII 18, u mlet. arkivu.

CIII. God. 1363. 24 rujna, u Mletcih.

Zapovieda se pomorskomu kapetanu, neka gleda dobiti natrag imanje onih Mletčana, koji su uslied pošasti u Draču umrli.

1363. indictione secunda, die XXIII septembris, capta: quia nostri mercatores utentes in partibus Avalone et Durachii, nobis exposuerunt, quod propter epydimiam, quasi omnes nostri, qui faciebant facta sua in illis partibus, decesserunt, et quod Greci deinde iverunt ad domos defunctorum, et derobarunt ac abstulerunt omnia bona sua: vadit pars, quod committatur istis nostris galeis, que vadunt extra, quod circa recuperationem bonorum et rerum dictorum nostrorum fidelium faciant apud despoti et alios, ubi et sicut opus fuerit, quicquid boni poterunt, non sinistrando propterea viagium suum et alia maiora facta.

Misti XXXI 40, u mlet. arkivu.

CIV. God. 1363. 11 listopada, u Mletcih.

Respublica veneta scribit regi Hungariae, quod feudati eiusdem in insula Cretae rebellionem excitaverint. Ideo rogat regiam majestatem: „quatenus dignemini cunctis vestris fidelibus et subiectis maritimis efficaciter imponere et mandare, quod durante novitate premissa ab eundo, mittendo et conversando cum eis abstineant, et ab omni eorum favore ac auxilio prorsus desistant, sicut decet inter amicos servari, et sicut pro nobis et nostris in casu simili faceremus. Data XI octobris, secunde indictionis.“

Secreta consilii rogatorum.

CV. God. 1363. 6 studenoga, u Višegradu.

Rex Hungariae, rescribendo venetae reipublicae, condolet illi de adversitatibus in Creta, et promittit, se suis fidelibus efficaciter iussurum „ut durante novitate huiusmodi ab omni favore et auxilio dictorum Cretensium abstineant et desistant. Datum Visegradi die VI mensis novembris, anno domini LXIII.“

Commemoralium VII. 24, u mlet. arkivu.

CVI. God. 1363. 3 prosinca, u Mletcih.

Zapovjeda se biljezniku Bartulu Ursio, neka podje k ugar.-hrv. kralju, i neka ga zamoli za 200 strielaca, koji bi se rabili u boju proti buntovnikom u Kreti.

1363. 3 decembris. Dominus, consiliarii et capita. Capta: similiter committatur Bartholomeo Ursio notario nostro, quod vadat ad dominum regem Hungarie ad requirendum ab eo pro factis nostris predictis usque CC arcerios cum soldo et pactis predictis, et si consenserit, similiter det ordinem, quod sint parati ad marinam in aliquo loco abili, unde possint levari ad tempus determinatum. 8, non 6, non sinceri 0.

Secreta collegii 114, u mlet. arkivu.

CVII. God. 1363. 23 prosinca, u Mletcih.

Prima se ponuda Stjepana i Ivana, sinova kneza Bartula Senjskoga, koji su nudili republiki svoju vojničku službu proti buntovnikom u Kreti, te se šalje bilježnik, da s njimi dotični ugovor utanači. Listovi u tom poslu predani istomu bilježniku.

Comissio providi viri Zanbernardi notarii missi Segniam. Zambernarde! vade ad filios condam comitis Bartholi de Segnia, quibus pro parte nostra salutatis, expones, quod habita littera sua recommendationis in personis nobilium virorum Moysis et Nicolay subditorum et fidelium suorum ob amorem et benevolentiam suam eos suscepimus ad nostrum servitium et soldum pro eundo ad partes Candide contra rebelles nostros insule Crete, qui nobis promiserunt venire ad dictum nostrum servitium cum C bonis et sufficientibus equitibus bene armatis cum certis pactis, soldo et condicionibus, prout in copia ipsorum pactorum, quam ipsi habent, continetur ad plenum. Sed quare nollemus, quod aliquo casu ipsi recusarent venire ad dictum nostrum servitium, ne facta nostra aliquod paterentur sinistrum, providimus te ad eos mittere ad sentiendum voluntatem et disposicionem suam in hoc, et ad obtinendum ab eis promissionem, quod predicti nobiles venirent ad dictum nostrum servitium omni causa remota etc., quod eos non impedient aliquo casu, sed quod permittent eos libere venire secundum suam oblationem absque aliquo impedimento. Et circa hoc facies et procurabis nostram intentionem predictam, utendo illis verbis, que tibi videbuntur; quare si obtinueris, subsequenter recipies a dictis nobilibus bonam et ydoneam plezariam et talem, quod si opus fuerit contra eam agere, valeamus tam de mutuo dictis nobilibus fiendo, quam de omnibus aliis, ad quos incurrerent et committentur contra nos, informando te de hoc a consule et mercatoribus nostris deinde pro ut tibi utile videbitur pro factis nostris, et fieri faciendo et recipiendo in hoc tales cautellas et instrumentum, quod simus bene securi ab eis; quibus habitis, dabis et mutuabis eisdem nobilibus inter ambos nomine nostro et nostri communis ducatos mille auri, quos tibi dari et assignari fecimus occasione predicta computandos postmodum in solutione suarum pagarum prout iustum fuerit et conveniens, et prout nostris gubernatoribus apparebit, faciendo de hoc etiam fieri publicum instrumentum. Et si forte filii condam comitis predicti non essent ad presens in insula, sed forent divisi unus ab alio, vadas solum ad alterum eorum, et ab eo procures obtinere intentionem nostram predictam. Et si eos vel alterum eorum in Segna vel Modrusio reperire non posses, perge usque ad Ysagrabiam, ubi si eos vel alterum eorum invenies, facies et procures, ut supra dictum est. Verum si eos vel alterum eorum ibi seu ibi prope non reperies, tunc scribas eis nostram intentionem predictam, eos rogando, ut responsionem suam superinde nostro consuli in Segnia transmittant, cui consuli dicas, quatenus statim ipsam responsionem habitam nobis transmittat quam citius esse potest, et habita plezaria a nobilibus predictis et eisdem facto mutuo prelibato, Venetias revertatis.

Insuper dabis operam de inveniendo Bartholum Ursio notarium nostrum, a quo, si eum reperies, te informabis, si nostram intentionem, videlicet de habendo C equites ab ipsis, potuit obtinere, et si inveneris, quod ipsi comites promiserint ei dare dictos C equites, tunc absque quod tu vadas vel mittas ad dictos comites, accipias tamen plezarias, et facias mu-

tuum supra dictum, quare verisimile est, quod dictam licentiam vel promissionem non fecissent, si sensissent impedimentum aliquod affuturum. Verum si predicta obtinere non posses, prout supra dictum est, redeas Venetias sine alia dilatione, non extendendo seu ellargando te ad alia quam ad ea, que supra dicta sunt cum denariis supradictis.

Mandamus autem capitaneo riperie Istrie per litteras nostras, quas penes te habes, quod te et nobiles predictos ad partes Segnie cum dicto ligno conducat, et te reducat in Istriam vel usque ad Caprolas, si in recessu suo de Segnia fueris expeditus. Data die XXIII decembris, secunde indictionis.

Comitibus Vegle. Cum providum virum Zambernardum notarium et fidelem nostrum de nostra intentione plenius informatum ad vos presentialiter transmittamus, amicitiam vestram rogamus, quatenus eidem in hiis, que pro parte nostra vobis dixerit, fidem placeat credulam adhibere. Data ut supra.

Capitaneo riperie Istrie. Cum virum providum Zambernardum notarium et fidelem nostrum ad filios condam comitis Bartholi de Segnia presentialiter transmittamus cum certis nobilibus deinde pro aliquibus arduis nostri communis ibidem peragendis, mandamus vobis, quatenus eundem et dictos nobiles cum comitiva sua cum ligno vobis commisso ad partes Segnie conducatis, et eum, si in recessu vestro de Segnia fuerit expeditus, reducatis in Istriam vel usque ad Caprolas. Data die XXIII decembris, secunde indictionis.

Littera aperta pro Zambernardo. Laurentius Celsi dei gratia dux Venetiarum etc. Universis et singulis presentes litteras inspecturis amicis dilectis salutem et dilectionem sinceram Cum virum providum Zambernardum notarium et fidelem nostrum ad partes Segnie, Modruse et Sclavonie presentialiter transmittamus pro aliquibus nostri communis ibidem peragendis, amicitiam vestram rogamus, quatenus ipsum eundo, stando ed redeundo cum rebus, famulis et arnesiis suis habere placeat favorabiliter recommissum prout de vestra sinceritate speramus. Data ut supra.

Secreta consilii rogatorum.

CVIII. God. 1364. 22 siečnja, u Mletcih.

Šalju se u Senj novci za Gotomkera, koga sa petdeset drugova primila bjaše republika u službu proti iznevierenoj Kreti.

Prudentibus viris Marco Sclavo et Francischo Lachetis apud Seniam. Mittimus vobis per Christophorum Ricio latorem presentium ducatos CCCCL auri, quos volumus quod mutuetis Gothomcher, quem accipimus ad nostrum servitium cum L barbutis, de quibus quidem denariis et etiam de ducatis L, quos hic habent mutuo nec non de V centum ducatis pro pena, si non observaret nobis promissa, accipere debeatis bonam et ydoneam plezariam, faciendo de hoc conscientiam comitibus Segnie, et procurando apud eos, quod in casu, quo esset opus, valeamus contra plezios, quos accipietis, de hoc procedere et agere iura nostra, scribentes nobis quicquid feceritis in premissis quam citius esse potest. Data XXII ianuarii, secunde indictionis.

Secreta consilii rogatorum.

CIX. God. 1364. 24 siečnja, u Senju.

Njeki Senjani jamče za dva svoja sugradjanina, koja su se obvezala bila služiti Mletčane proti buntovnikom u Kreti.

Exemplum instrumenti plezarie prestite per nobiles viros Moysem filium iudicis Bartholi de Segnia et Nicolaum filium quondam Vicencii Vindeni de Cherlino, ire debentium cum centum equitibus ad servitium domini ducis et communis Veneciarum in Cretam.

In dei nomine amen. Anno domini a nativitate eiusdem millessimo trecentesimo sexagesimo quarto, indictione secunda, die vigesimo quarto mensis ianuarii. Temporibus equidem domini Lodovici dei gratia serenissimi regis Hungarie, venerabilis patris domini fratris Prothine eadem gratia episcopi Segniensis, magnificorumque dominorum Stephani et Johannis Vegle, Modrusie, Ghezche et Vinodoli comitum et civitatis Segnie dominorum generalium, nobilis militis domini Andree vicecomitis, Jacobi quondam iudicis Cosme, Veroli quondam iudicis Dimini, et Jacobi quondam iudicis Vidonis, iudicum civitatis predicte. Actum in civitate Segnie in statione habitationis ser Marcis Slavi de Veneciis, presentibus ipso ser Marco Sclavo, ser Franciscbo Sacheto de Veneciis, Jacobo filio quondam iudicis Philippi de Segnia, Michaele Campiono de Veneciis, et aliis testibus ad hec vocatis, habitis et rogatis. Cum illustris et excelsus dominus dominus Laurentius Celsi dei gratia dux Venetiarum etc., cum communitate sua susceperit ad suum servitium et soldum contra rebelles suos insule Crete nobiles viros Moysium filium iudicis Bartholi de Segnia et Nicolaum filium quondam Vincecii Vindeni de Cherlino, qui ambo et in solidum promiserunt, convenerunt et se obligaverunt ire personaliter cum centum bonis et sufficientibus hominibus in bonis et sufficientibus equis et bene armatis et paratis omnibus armis opportunis ad dictum servitium cum certis pactis et conventionibus, que constare dicuntur in libris cancellarie ipsius domini ducis, quorum quidem pactorum copia est penes ipsos Moysem et Nicolaum, secundum quod iidem Moyses et Nicolaus in presentia mei notarii et testium suprascriptorum legi fecerunt pacta ipsa. Et illico confessi et conventi fuerunt sicut esse. Nunc autem suprascriptus idem iudex Bartholus pater ipsius Moysis confirmans, ratificans et approbans omnia et singula in ipsis pactis contenta, in quantum ipsum seu predictum Moysem filium suum tangunt vel tangere possent, tanquam qui de eius consensu et mandato expresso pepigit et convenit, ac nobiles viri domini Andreas prenotatus et Bartholus judex Segnie et Frixonus vicarius Segnie omnes tres simul et concorditer ac quilibet eorum in solidum constituerunt se plezios ac fideiussores dicto domino duci et communitati Veneciarum pro dictis Moyse et Nicolao et pro eorum utroque, ad quem vel ad quos ipsorum principalium seu fideiussorum dictus dominus dux et eius communitas voluerit se tenere in parte et toto de omnibus et singulis infrascriptis: Primo videlicet, quod dicti Moyses et Nicolaus cum tota sua comitiva supra specificata bene armata et fulcita erunt parati in loco sibi deputato cum omnibus suis equis et armis ad terminum specificatum videlicet in calendis marcii proximi pro ascendendo cum ipsis in navigio ad omnem requisitionem dicti domini ducis seu deputandorum ab ipso. Item quod dicti Moyses et Nicolaus et uterque ipsorum cum tota eorum comitiva bene et

fideliter servient et operabuntur in dicto servitio, que decet eos et quoslibet legales homines absque dolo aliquo et malitia ubicumque et contra quos cumque domino duci seu deputandis ab eo videbitur et placebit ipsos deputare sive unitos sive separatos secundum formam et continentiam pactorum et conventionum supra specificatorum. Item quod dicti Moyses et Nicolaus cum tota sua comitiva observabunt inviolabiliter, in quantum ad ipsos spectat et ad quem libet ipsorum, omnia et singula capitula in ipsis pactis et conventionibus contenta fideliter et legaliter absque dolo et malitia aliqua. Item de omni soldo, quod dicti Moyses et Nicolaus tam pro se quam pro comitiva sua reciperent, et de omni pena, ad quam incurrunt, ubi non perserviunt. Item de omni damno, expensa et interesse, quod idem dominus dux et comune Veneciarum incurrent, in casu quo prefati Moyses et Nicolaus seu aliquis de eorum comitiva deficeret in aliquibus seu aliquo capitulo in ipsis pactis contento, quod deus avertat. Promittentes omnes ipsi tres, videlicet suprascripti iudex Bartholus et domini Andreas vicecomes et Frixonus vicarius per se suosque heredes et quilibet eorum in solidum cum obligatione omnium suorum bonorum presentium et futurorum, reficere et restituere omnes et singulos denarios, quos nomine sui soldi vel alio quovis nomine receperint a domino duce predicto seu deputandis ab eo, quos non perfinirent cum pena, ad quam cadunt alii stipendiarii non perfinientes, ac reficere omnia et singula damna, expensas et interesse, que dictus dominus dux incurret, in casu quo dicti Moyses et Nicolaus cum comitiva sua, quod deus avertat, deficerent in aliquo capitulo pactorum ipsorum, credendo de damnis, expensis et interesse predictis soli et simplici verbo ipsius domini ducis seu deputandorum ab ipso absque sacramento vel alia probatione. Et hoc sub pena et in pena ducatorum quingentorum auri toties comittenda et exigenda cum effectu, quotiens contra predicta vel aliquid predictorum factum fuerit vel conventum. Et ea soluta vel non, semel vel pluries, presens tamen contractus in suo robore perseveret. Insuper pro predictis omnibus observandis et firmiter attendendis suprascripti iudex Bartholus, domini Andreas vicecomes et Frixonus vicarius sponte se obligaverunt posse conveniri realiter et personaliter ac detineri per totum comitatum dominorum comitum Stephani et Johannis Vegle, Segnie et Modrussie, per totum regnum Hungarie, Venecie et alibi ubique terrarum et locorum taliter, et ubicumque inventi fuerint, ibi solvere et reficere teneantur etc. prout plenius fieri poterit secundum substantiam predictorum.

Ego Andreas vicecomes Segnie examinator manum misi.

Ego Michinus filius ser Bayoni de Bocchaziuppis de Ancona imperiali auctoritate notarius et communis Segnie iuratus, ut supra legitur, interfui, scripsi et publicavi, rogatus meoque signo solito roboravi.

Commemorialium VII 29, u mlet. arkivu.

CX. God. 1364. 24 siečnja, u Senju.

Dva Senjanina, primljena za vojničku službu na otoku Kreti, sviedoče, da su zato primili predujam od 1000 dukata.

Instrumentum confessionis ducatorum mille auri datorum et assignatorum per providum virum Johannem Bernardum notarium nobilibus viris

Moysi filio iudicis Bartholi de Segnia et Nicolao olim filio vicecomitis Vindeni ire debentibus cum C sociis equistribus contre Cretenses.

In dei nomine amen. Anno domini a nativitate eiusdem millesimo trecentesimo sexagesimo quarto, indictione secunda, die vigesimo quarto mensis ianuarii. Temporibus equidem domini Lodovici dei gratia serenissimi regis Hungarie, venerabilis fratris Prothine eadem gratia episcopi Segniensis, magnificorumque virorum dominorum Stephani et Johannis Vegle, Modrussie, Csezche et Vinodoli comitum ac civitatis Segnie dominorum generalium, nobilis militis domini Andree vicecomitis, Jacobi quondam iudicis Cosme, Veroli quondam iudicis Dimini, et Jacobi quondam iudicis Vidonis, iudicum civitatis predicte. Actum in civitate Segnie in stancia habitationis ser Marci Sclavi, presentibus ipso ser Marco Sclavo, ser Francisco Sachetto de Veneciis Jacobo filio quondam iudicis Philippi de Segnia Michaele Campiono de Veneciis et aliis testibus ad hec vocatis, habitis et rogatis. Ibique nobiles viri Moyses filius iudicis Bartholi de Segnia verbo, consensu et auctoritate dicti patris sui ibi presentis et ad omnia et singula infrascripta consentientis ac Nicolaus filius quondam vicecomitis Vindeni de Cherlino ambo simul et uterque eorum in solidum contenti, confessi et vere manifesti fuerunt in se habuisse et manualiter recepisse mutuo a Zambernardo de Cisono notario domini ducis et communis Venetiarum, dante, numerante et mutuante nomine et vice ipsius domini ducis et communis Venetiarum ducatos mille boni auri et iusti ponderis. Qui quidem ducati mille computari debeant et defalcari de pagis et soldo ipsorum Moysi et Nicolai et sotiorum suorum debentium ire ad servitium dicti domini ducis et communis Veneciarum contra rebelles suos insule Crete, sicut eidem domino duci seu deputandis ab eo conveniens et melius videbitur, renuntiantes ambo et eorum uterque exceptioni non sibi datorum, non numeratorum et non receptorum ducatorum ipsorum mille auri et exceptioni doli, mali et in factum et ex iniusta causa, pro quibus quidem Moyse et Nicolao et utroque eorum in solidum nobiles viri domini vicecomes Andreas, Frexonus vicarius Segnie et iudex Bartholus pater ipsius Moysi omnes concorditer et quilibet eorum in solidum, ad quem ipsorum dictus dominus dux et commune Venetiarum voluerunt se tenere in parte et in toto, fideiusserunt et se constituerunt plezios eidem domino duci et communi Venetiarum videlicet quod dicti Moyses et Nicolaus cum sotiis suis bene et fideliter perservient dicto domino duci et communi Venetiarum, donec dicti ducati mille auri, ut supra dicitur, de suis pagis fuerint defalcati. Et in casu quo non perservirent, ut tenentur per pacta inter ipsos habita tantum, quod dicti ducati mille defalcarentur de pagis suis, ut premittitur, constituerunt se proprios pagatores pro ipsis de dictis ducatis mille auri seu de illa parte, que restaret defalcari, quos quidem denarios non defalcatos prefati domini Andreas vicecomes, Frexonus vicarius et iudex Bartholus et eorum quilibet in solidum cum obligatione omnium suorum bonorum presentium et futurorum per solemnem stipulationem promiserunt dare et restituere dicto domino duci et communi Venetiarum seu deputandis ab eo cum integritate infra duos menses, postquam prefati Moyses et Nicolaus recesserint a servitio ipsius domini ducis et communis Veneciarum, cum refectione damnorum et expensarum ac interesse sub pena et in pena ducatorum centum auri stipulatione premissa. Pro quibus omnibus

attendendis omnes suprascripti tam principales quam fideiussores sponte obligaverunt se posse conveniri realiter et personaliter ac detineri per totum comitatum dominorum comitum Stephani et Johannis et specialiter Segnie, Vegle, Modrussie et per totum regnum Hungarie, Venecie et generaliter ubique locorum et terrarum taliter, quod ubicumque inventi fuerint, ibi solvere et reficere teneantur; renuntiantibus ipsis fideiussoribus et eorum quolibet legi loquenti, quod prius conveniri debeat principalis quam fideiussor ac omni alii iuri legum ac decretis, statutis et reformacionibus consilii omnique alii rationi, quibus a suprascriptis vel suprascriptorum aliquo se possent aliqualiter defendere vel tueri etc. prout plenius fieri poterit secundum substantiam predictorum.

Ego Andreas vicecomes Segnie examinator manum misi.

Ego Micchinus filius ser Bayoni de Bocchaziupis de Ancona imperiali auctoritate notarius et communis Segnie iuratus ut supra legitur omnibus interfui, scripsi et publicavi, rogatus meoque signo solito roboravi.

Commemorialium VII 30, u mlet. arkivu.

CXI. God. 1364. 5 ožujka, u Mletcih.

Committitur notario Andree de Oltedo, ut se ad archiepiscopum Crete et ad cancellarium domini regis Cipri conferat, excitaturus eos, ut scribant „domino regi Hungarie, qui habet multas terras et loca marittima, per quas gentes passagii transitum habituri erunt, ut provideant de victualibus in dictis terris taliter, quod dicte gentes inde transeuntes possint habere sibi necessaria pro sua pecunia“.

Secreta consilii rogatorum.

CXII. God. 1364. 11 ožujka, u Mletcih.

Republika po bilježniku obavieščuje patrijarha oglejskoga, da ugar.-hrv. kralj nastoji o tom, da mu bude dana Istra u najam, te ga moli, neka svu brigu uloži, da tu osnovu, koja smiera na njegovu propast i na pogibelj za nju, raztepe.

1364. die VI marcii. Capta: quod fiat commissio infrascripta, videlicet: nos Laurencius Celsi dei gratia dux Veneciarum, committimus tibi provido viro Amadeo de Bonguadagnanis notario et fideli nostro, quod vadas ad reverendum in christo patrem dominum L. patriarcham aquilegiensem, quo salutato pro parte nostra, expones, quod nuper sensimus de curia, quod dominus rex Hungarie facit supplicari domino pape, quod ipse concedere dignaretur, quod idem patriarcha Aquilegiensis posset sibi concedere sub annuo censu Istriam, offerens dare sibi ultra quam alii dent, et quod dominus papa et curia noluerunt ipsam petitionem admittere, sed invenerunt modum dilacionis, dicentes, quod volebant se informare. Quare cum alias, sicut inter eum et nos supra ista materia colatum est, ista res, si procederet, esset destructio ecclesie Aquilegiensis, et modus reducendi eam in servitutem, et modus etiam perdendi totum, quod ipsa ecclesia tenet, et etiam esset periculo summo quantum esse potest statui nostro, quem ipse scit et expertus est, esse suum proprium, sitque salubre obstare principiis, notificare sibi predicta curavimus, credentes esse bonum,

quando sibi indicatur, quod quam cicius esse potest mittat sine ulla mora aliquem suum secretarium ad curiam ad informandum dominum papam et cardinales amicos suos de magno periculo et preiuditio, quod sibi et ecclesie aquilegiensi et etiam ecclesie romane proveniret ex hoc, et ad turbandum ac impediendum dextro et cauto modo, quod hoc non possit procedere, narando omnia pacta et conventiones, quas nobiscum habet utiles et fructuosas pro se et ecclesia sua, et de favore, quem hactenus recepit et recipere potest cotidie a nobis ad conservacionem ecclesie sue cum illis verbis et modis, qui sue prudentie utiliores et meliores videbuntur. Et si videretur ei, quod ex parte nostra esset fiendum aliquod circa hec, libenter audiremus suum consilium.

Super facto autem procedendi in tractatu alias habito inter eum et nos, quando fuit Venetiis, vel differendi pro modo, libenter sciremus, quod sibi melius videretur, quia in hoc optaremus fieri id, quod esset pro meliori. Et audiat nuntius responsionem suam et informet se, et postea cum eo, quod habuerit, revertatur.

Secreta collegii 141, u mlet. arkivu.

CXIII. God. 1364. 26 ožujka, u Dubrovniku.

Dubrovčani se tuže Mletčanom zato, što jim njihove galije stoku kradu.

Exemplum litterarum regiminum Ragusii, missarum dominio pro animalibus derobatis per galleas nostras, ut asserunt. Serenissime domine. Vestre ducali excellentie tenore presentium facimus manifestum, quod homines ligni vestri, cuius erat supracomitus Johannes Arduyni, transeundo nuper per punctam nostram de Stagno, die videlicet XVIIII presentis mensis martii, de quodam loco dicte puncte, qui Dubrave nuncupatur, sex boves violenter nostris hominibus abstulerunt, et multos veretonos proiecerunt in ipsos, satagentes boves illi deffendere supradictos, quam disrobationem nedum factam contra nos vestros cordiales amicos, sed etiam si facta fuisset contra quoscumque alios, infalibiliter credemus eidem vestre excellentie nimium displicere. Quare eidem vestre excellentie supplicamus, quot super premissis de salutari remedio providendo, et satisfactionem debitam, si placeat, faciendo, sic vestris supracomitis transituris per nostras partes precipere dignemini, si libebit, ut disrobationem seu lesionem aliquam ibidem facere non presummant, eo quod omnes vestri homines, ut honorabiles fratres et amici, ubique nostri districtus a nostratibus pertractantur, et ipsorum aliqui ibidem aliquem offendere non postporunt.

Michael de Babalio rector communis Ragusii. Iudices et consilium civitatis eiusdem. Ubi data die XXVI martii secunde indictionis 1364.

Commemorialium VII 31, u mlet. arkivu.

CXIV. God. 1364. 4 travnja, u Zadru.

Zadrani zahtjevaju od mletačke vlade, da jim naknadi škode, nanešene im od njihovih četa prolazećih uzduž njihove obale, i da takovu zlu za u naprieda čim prije kraj stavi.

Exemplum litterarum rectoris, consilii et communis Jadre pro damnis illatis per nostros stipendiarios suis. — Magnifice domine. Non possumus

sub silentio pertransire, quin vestre excellentie denotemus iniurias, que per vestrates nostratibus inferruntur. Ideoque noveritis, quod die XXVIII mensis marcii nuper elapsi quedam vestra galea multis stipendiariis constipata applicuit ad insulam sancte Marie nostri districtus, et descendentes in terram tam dicti stipendiarii quam alii predati sunt in duabus partibus dicte insule homines, mulieres et parvulos quotquot comprehendere potuerunt, de pannis et vestimentis eorum et de rebus aliis, et a quibusdam certas quantitates pecunie abstulerunt, animalia quoque, lanam et caseum in non modica quantitate, quam damnificati faciunt circa librarum CCCC parvorum. Ideo super talibus provideat excellentia vestra, quum meminimus, quod a duobus annis citra quam plures vestri subditi et concives cum eorum navigiis ad dictam insulam applicantes intulerunt pluries nostratibus plura damna. Et cum vestre magnitudini tam per dominum bannum quam per nos de predictis fuerit pluries et sepe scriptum, nullam tamen satisfacionem, ymo nec responsionem potuimus habere. Ideoque tam super preteritis damnis et iniuriis quam super novissimis provideat vestra iustitia, ita quod per satisfactionem condignam nostratibus tollatur materia querelandi, et in futurum similia cessant, de quibus de levi possent maiora scandala exoriri. Ibi datum IV mensis aprilis.

Commemorialium VII 32, u mlet. arkivu.

CXV. God. 1364. 19 travnja, u Zadru.

Nikola Zec hrvatski ban zahtjeva od Mletčana, da namire sve škode počinjene od njihovih galija zadarskim gradjanom.

Exemplum aliarum litterarum Nicolai de Zech Dalmacie et Croacie banni super dicta causa. Magnifice vir et amice onorande, preassumpto vocifere salutationis affectu. Sepius vestre magnitudini scripsisse meminimus, ut vos satisfacionis emendam de damnis nobilium virorum ser Symonis de Borono et Johannis Galli civibus iadratinis fidelibus nostri domini regis et vassallis per vestrates factis illatis et irrogatis eisdem Jadratinis faceretis. Ad quarum continentiam nec nos nec regimen Jadrense ad nostras et ipsorum Jadratinorum legitimas requisitiones nondum responsiones condignas a vestra magnitudine habere potuimus, ymo hiis prioribus depredationibus vestrates non contenti, peiora accumulantibus prioribus, homines vestri et vassalli in insula sancte Marie res inter animalia, vestimenta, pecuniam et caseum nobilium virorum ser Symonis et Johannis Galli mercatorum sine aliis iniuriis et perturbationibus ad valorem IIII centum librarum parvorum de mense marcii anno in presenti se extendentes preter alia eorum bona per navigia vestra in antea recepta, ut prediximus, vobis per nos patefacta, receperunt. Demumque novissime applicante armata galea vestre magnitudinis, per homines ipsius galee armate de mense aprilis in insula Neume accepta sunt animalia nobilis viri domini Jacobi de Varicassis XXV vel plura. Item per homines alterius armate vestre demum eam sequentes edis ipsius Jacobi et capre XLIIII. sunt auferte. Hiis non contenti, superveniente quodam alia armata vestra ad insulam Silve, res et bona inter pecudes, caseum, bladum et farinam ac alia domesticalia minuta domini Tolse presbiteri sancti Stephani de Jadra ad valorem CC ducatorum auri vel paulo plus se extendentes per armatam vestram pre-

dictam sunt accepte. Item per stolium armate vestre descendentis animalia inter hircos et capras ser Danielis CX sunt ablata. Unde cum tot et tanta damna ipsi Jadrenses pati dinoscantur, per quorum novorum damnorum irrogationes factas ipsis per vestrates ipsi fideles domini nostri regis nimium aggraventur, eisdem compacientes de eorum damnis, per vestrates ipsis impressis, mente agitamus premissa suo modo executio vobis nunciare. Ideo vestram magnitudinem amonemus diligenter et attente, quatenus tum pro honore domini nostri regis, tum pro tuciori et illesa conservatione pactorum inter dominum nostrum regem et vostrum ducale dominium habitorum premissa damna, depredationes et spolia per homines vestros ipsis Jadratinis irrogata satisfactionaliter eisdem Jadratinis velitis iustificare, damna eorumdem restaurari faciendo Et quicumque de premissis et singulis premissorum vestre dominationi videbitur expedire, nobis informative vestris litteris velitis terminare. Datum Jadre XVIIII die mensis aprilis anno domini MCCCLXIV. Clarius nostre littere communitatis Jadratine vos informabuntur ad premissa.

Commemorialium VII 32, u mlet. arkivu.

CXVI. God. 1364. 20 travnja, u Zadru.

Opet hrvatski ban nabraja republici otimačine, koje učiniše njezine čete prolazeće po moru uz zadarsku obalu, te zahtjeva, da se škode namire, a slično postupanje na dalje zaprieči.

Exemplum aliarum litterarum predictorum super eadem et simili materia. — Magnitudinis vestre aures cogunt nos voces querule subditorum nostrorum frequenter et sepe propulsare, cum per vestrates illata iamdiu damna, de quibus et pro quibus meminimus scripsisse vestre magnitudini, nova addentia peiora prioribus faciant preterea memorare. Ideo noverit excellentia vestra, quod de anno presenti de mense marcii proxime elapso quedam vestra galea armata et multis stipendiariis onusta applicuit ad insulam sancte Marie nostri districtus, et ibi descendentes in terram tam stipendiarii quam alii homines dicte galee predati sunt dictam insulam in duabus partibus de animalibus in maxima quantitate et de arnesiis et victualibus, pannis tam virorum quam mulierum et in certa pecunie quantitate, omnia ad valorem et extimacionem librarum IIII centum parvorum vel circa. Et in dicta insula et antea per vestrates, sicut premittitur, quod vestre magnitudini scripsisse meminimus, damna pluries et plurima sunt illata, quam insulam tenent a nostro communi viri nobiles Symon de Botono et Johannes Galli mercatores nostri concives. Item de mense aprilis instantis per homines cuiusdam vestri galee applicantis ad insulam Neume accepta fuerunt domino Jacobo de Varicassis militi regio et civi nostro animalia XXV vel circa. Item in eadem insula per quemdam galionum et per vestrates existentes in illo accepti fuerunt edi LXX et capre XLIII. Item de dicto mense aprili per homines vestri stolii de quodam scopulo vocato Baraz, qui est ex opposito insule Peschumani nostri districtus, ser Danieli de Varicassis fratri dicti domini Jacobi et civis nostri accepta fuerunt animalia CX minuta. Item de dicto anno et mense aprile per armatam stolii vestri accepta sunt presbitero Tholse plebano ecclesie sancti Stephani de Jadra civi nostro et suis pastoribus de insula Silve inter animalia minuta,

caseum, bladum, farinam et alias res, ultra et preter iniurias illatas habitatoribus dicte insule, ad valorem ducatorum CC vel circa. Igitur cum talia nobis et nostris concivibus sint intollerabilia et insopportabilia supportare, placeat magnitudini vestre circa predicta talem adhibere cautelam, quod voces cessent querule oppressorum, et quod tam de preteritis quam de presentibus damnificatis talis satisfatio fiat, quod possint et valeant merito contentari, et quod manifeste detis intelligi, quod predicta vos gravant, et quod dissentientes predictis contra vellē vestre magnitudinis talia patrata noscuntur, ac etiam ad consimilia de tali remedio providere vellitis, quod cessent in posterum, et tollatur occasio cuiusque scandali prefuturi, et per latorem, si placet, vestram in hac parte finalem intentionem nobis reservare velitis, ut infestantibus lesis valeamus certum dare responsum. Ibi date die XX aprilis, secunde indictionis (1364).

Commemorialium VII 32, u mlet. arkivu.

CXVII. God. 1364. 23 travnja, u Dubrovniku.

I Dubrovčani se tuže republici radi stoke pokradjene jim od njezinih po moru prolazećih četa.

Exemplum litterarum ducali dominio per regimen Ragusii pro animalibus derobatis. Serenissime domine. Vestre ducali excellentie tenore presentium facimus manifestum, quod nuper transeunte vestro exercitu galearum, quarum erat capitaneus dominus Johannes Dandulo, quidam de dicto exercitu ad punctam nostram Stagni, in locum, qui dicitur Vigel, descenderunt, et ibi domos octo rusticorum penitus disrobantes, unum rusticum nostrum interfecerunt, et unam mulierem ad faciem taliter percusserunt, quod de morte speratur potius quam de vita. Quare vestre excellentie humiliter supplicamus, quatenus justitie et nostri amoris intuitu super premissis de salutari rimedio providentes, et de premissis dampnis noviter nobis illatis, et prius de bubus octo nobis de dicta puncta Stagni ablatis per galeam Joannis Danduini, pro ut vestre excellentie scripsimus, satisfactionem debitam facientes, talem ordinem, si placeat, facere dignemini et mandatum, ut vestre gentes in nostris partibus, ubi honorabiliter admittuntur, nullam faciant offensionem.

Jacobus de Georgio rector communis Ragusii. Iudices et consilium civitatis eiusdem. Ubi data die vigesimo tertio aprilis, secunde indictionis, 1364.

Commemorialium VII 34, u mlet. arkivu.

CXVIII. God. 1364. 29 travnja, u Mletcih.

Republika mletačka izpričava se pred ugar.-hrv. kraljem glede škoda od njezinih četa Zadranom učinjenih.

Domino regi Hungarie. Ne forte super isto negotio vestre maiestati per aliquos minus vera informatio preberetur, copiam quarumdam litterarum nobis per bannum vestrum Dalmatie noviter transmissarum super quibusdam damnis Jadrensium et copiam responsionis nostre ad ipsas litteras vestre celsitudini mittere providimus interclusam, optantes, si forte ultra

oblata per nos aliud fieri posse vobis secundum iustitiam videretis exinde per vestras regias litteras informari. Nam in hiis et aliis omnibus, que cum vobis et vestris nobis possent occurrere, non intendimus quoquo modo recedere ab eo, quod iustum et honestum svadeat, sicut e contra credimus esse dispositam vestram regiam maiestatem. Data penultimo aprilis, secunde indictionis.

Bartholo Ursio in partibus Hungarie. Mittimus has litteras domino regi, quarum copia hic est inclusa et copia litterarum banni et copia responsionis nostre, volentes, si es in curia regis, quod eas presentes et responsiones earum procures et mittas. Si autem recessisses, ordinavimus cursori, quod vadat cum eis ad regem, et responsionem reportet. Data ut supra.

Secreta consilii rogatorum.

CXIX. God. 1364. 29 travnja, u Mletcih.

Mletčani se pred hrvatskim banom i Zadrani izpričavaju sbog otimačine njihovih četa počinjene u zadarskom kotaru.

Banno Dalmatie et Croatie. Recepimus litteras vestras datas XVII mensis presentis, quibus intellectis rescribimus, quod damna, que scribitis esse illata hominibus Jadre per gentes navigiorum nostrorum, multo plus gravia et molesta nobis occurrunt quam vobis, maxime quare licet hoc alias sit nostrum precipuum et generale mandatum, in speciali tamen capitaneis et patronis omnium navigiorum nostrorum missorum per nos in hac nostra expeditione navali contra Cretenses dedimus efficaciter in mandatis, ut cunctos subditos regios viderent et tractarent amacabiliter et fraterne, et eos ac bona sua plusquam nostrorum salvarent et diligentissime custodirent. Set consideramus rem, ut est. Misimus enim cum dictis navigiis soldatos equestres et pedestres diversarum et plurium nationum, sicut sunt Alemani, Anglici, Hungari, Sclavi, Italici et ultramontani, et huiusmodi, quos putamus, quare, sicut scitis, sunt gentes efrenes, et que regulari non possunt invitis patronis et prefectis navigiorum ad hos actus illicitos prorupisse, quod satis verificatur ex hoc, quod in quam pluribus locis Istrie nostrismet fidelibus et subiectis intulerunt damna similia et maiora. Nec est quid novum. Meminimus enim, dum olim dominus rex mitteret Bononiam ad ecclesie romane servitia multitudinem Hungarorum, quamvis, ut iustissimus et prudentissimus rex, efficaciter sub gravi comminatione iussisset, ut nulli amico, presertim nostris fidelibus, transeuntes ullam facerent iniuriam vel offensam, tamen in eorum transitu per Tervisanam, ubi passus liberos et victualia parata pro suis pecuniis habere poterant, damna in bonis et rebus nostrorum fidelium quamplurima commiserum ad summam ultro libras 5000, de quibus facta conscientia domino regi per nos, graviter doluit, nec tamen, quare per omnem multitudinem erant commissa, de satisfactione nostrorum provideri potuit vel aliud remedium adhiberi; et nos cognoscentes mores exercituum in similibus casibus placavimus nostros fideles, sicut melius potuimus. Verum tamen quomodocumque sit, sicut prediximus, de commissis per gentes predictorum navigiorum nostrorum, una vobiscum vehementissime condolemus, et intendimus ex parte nostra diligenter inquirere, et rogamus vos affec-

tuose, quod vos ex parte vestra etiam inquiratis, et omnem informationem et claritatem, quam potestis tam de nominibus patronorum navigiorum quam culpabilium et auctorum ipsorum damnorum, si quo modo haberi potest, quam velocius et celerius poteritis transmittatis, scientes, quod nostri firmi prepositi est, culpabiles et eorum bona nedum ad dignam et decentem satisfactionem et emendam compellere, sed eos insuper penis debitis taliter cohercere, quod alii in posterum attentare similia reformident, et quod vos et vestri de nostra iustitia habeatis et possitis merito contentari. Data penultimo aprilis, secunde indictionis.

Similis regiminibus Jadre.

Secreta consilii rogatorum.

CXX. God. 1364. 3 svibnja, u Mletcih.

Vlada mletačka piše knezu Gjorgju, neka dodje sam u Mletke, da ju potanko obaviesti o tom, što veli, da je ugar.-hrv. kralj proti njoj veoma razljutjen.

Comiti Georgio. Intellectis litteris vestris quam pluribus et aliquorum nostrorum rectorum, in quibus litteris nostrorum rectorum continetur, per nos sibi relatum esse, vos venisse a presentia domini regis Hungarie et sensisse, ipsum dominum regem non bene dispositum esse erga nos, et multa tractata esse et tractari contra statum nostrum, et quod de his, si venietis ad nostram presentiam, nobis latiorem informationem prebebitis, respondemus, quod difficile et quasi imposibile nobis videtur, quod dominus rex, qui est iustissimus et famosus dominus, contra nos habeat aliam dispositionem quam bonam, quare erga eum habuimus et habemus illam sinceram et bonam voluntatem, quam plus habere possumus. Nichilominus quare dicitis, vos velle venire Venetias, et dubitare de nobis propter aliqua verba dicta contra nos, rescribimus vobis, quod ita secure potestis venire Venetias, sicut antea poteratis, ita quod istud de veniendo et non veniendo remanet in arbitrio vestro. Quare nostris rectoribus mandabimus, quod libere vos venire et redire permittant. Data 3 maii, secunde indictionis.

Secreta consilii rogatorum.

CXXI. God. 1364. 14 svibnja, u Mletcih.

Nalaže se kapetanu pomorskomu, da, ako sretne na moru oružane galije arbanaske iduće proti Draču, postupa proti njim kao proti neprijatelju, neka brodove uništi a ljude štedi; a kad bi se usudili napasti na Mletčane, tada neka sve uništi.

1364. indictione secunda, die XIIII mensis maii. Sapientes ordinum. Capta: quod scribatur ser Andree Geno capitaneo culfi in hac forma, videlicet: Nuper intelleximus, quod quidam albanenses circa partes Dirachii male dispositi armant certas galeas et ligna ad damnum illorum de Dirachio, quod nobis valde displiceret, si sic esset, tum quia predicti de Dirachio sunt nostri intimi amici, tum eciam quia nolemus ullo modo, quod nec ipsi Albanenses nec alii tenerent navigia armata in mari, quia custodia istius culfi ad nos spectat et pertinet de iure, et bene scitis, quantas ex-

pensas substinemus pro securitate omnium navigantium. Et propterea mandamus vobis cum nostris consiliis minori, rogatorum et XL, quatenus de predictis diligenter inquiratis, et vos informetis, et si inveneritis predicta sic esse, volumus, quod amicabiliter requiratis et amoneatis, dictos Albanenses cum his verbis, que circa hoc vobis utilia videbuntur, quatenus ab armando et armata tenendo dicta navigia in mari ad damnum aliquorum se debeant penitus abstinere, quia nullo modo possemus substinere, quod hoc facerent; et si per amonitionem vestram se removebunt ab hoc, bene quidem, alioquim ex nunc committimus et mandamus vobis cum dictis nostris consiliis, quatenus, si predicti Albanenses cum aliquibus navigiis armatis in mari reperiri contingerint, et inveneritis, eos manifeste damnificasse gentem nostram, tunc eos et navigia sua capiatis et damnificetis tamquam manifestos cursarios et inimicos nostros, verum si non inveneritis eos damnificasse gentem nostram, tunc comburi faciatis solum navigia sua armata, et homines permittatis abire. Volumus etiam, quod hortemini illos de Dirachio, quod stent constantes et fortes ad deffendendum se contra dictos Albanenses, quia nostre intencionis est omnino obviare et facere, quod ipsi Albanenses in mari non teneant aliqua navigia armata contra ipsos nec contra aliquos pro securitate sua et omnium navigantium. Ceterum quia dicitur nobis, quod etiam ipsi Albanenses faciunt fieri quamdam fortiliciam seu castrum supra marinam ad caput Meliarum, quod de levi posset nobis et navigantium maximum preiudicium generare, quia esset receptaculum omnium cursariorum et male dispositorum, volumus, quod vos informetis de situ et conditione castri seu fortilitie prelibate, et nobis, quicquid inveneritis, rescribatis; et ex nunc vobis committimus cum dictis nostris consiliis, quatenus descendente armata nostra, que speratur in proximo descensura, et conferente in simul, si inveneritis dictam fortiliciam seu castrum esse damnosum statui nostro et navigantium, ipsum castrum seu fortiliciam penitus destruere debeatis omni causa remota, habendo tamen respectu de non ponendo gentem nostram ad manifestum periculum, et tenentes hoc secretum apud vos pro omni bono respectu. Et circa hoc possint scribi litere ducisse Dirachii, et respondeatur ambaxatori dominorum de la Scala hic existenti dicta de causa in ea forma et cum illis verbis, que dominio videbuntur.

Misti XXXI 61, u mlet. arkivu.

CXXII. God. 1364. 17 svibnja, u Budimu.

Ljudevit ugar.-hrv. kralj obaviešćuje Mletčane, da je podpuno sadovoljan s odgovorom, koj su mu dali u pogledu škoda Zadranom nanešenih, te jih bodri, da dva Zadranina dadu namiriti, i krivce kazne.

Exemplum litterarum domini regis Hungarie responsalium ad ducales litteras sibi missas pro damnis animalium Jadratinorum. Amice carissime! Litteras nobis per horum exhibitorem directas, et etiam copiam responsionis vestre fideli nostro Nicolao banno Croatie et Dalmatie ad quasdam litteras suas facte, affectione solita recepimus. Et super his amicitie vestre respondemus, quod de hujusmodi responsione vestra bene contentamur, tenentes indubie, quod fidelibus nostris Symoni de Diacono et Johanni Galli civibus Jadratinis ex parte vestrorum, quos auctores damp-

norum suorum reperieritis, condignam impendatis et iustam satisfactionem. Data Bude die decima septima mensis maii. In subscriptione: Inclito domino Laurentio Celsi duci Venetiarum, amico nostro carissimo.

Commemorialium VII. 36, u mlet. arkivu.

CXXIII. God. 1364. 11 lipnja, u Mletcih.

Naputak za poslanika idućeg k ugar.-hrv. kralju, da se sporazumi u pogledu njeke izprave u pogodbi mîra.

Comissio sapientis viri domini Benintendi honorabilis cancellarii Venetiarum, ambaxiatoris ad dominum regem Hungarie. Nos Laurentius Celsi dei gratia dux Venetiarum etc. Committimus tibi sapienti et circumspecto viro Benintendo de Ravignanis cancellario et fideli nostro dilecto, quod de nostro mandato in ambaxatorem nostrum ire debeas ad serenissimum et excellentissimum principem dominum Lodovicum regem Hungarie, quo ex parte nostra amicabiliter salutato prout convenit, expones, quod intellecta responsione providi viri Bartholi Ursio notarii nostri et ipsius domini regis requisitione super declaratione clausule, et contra quam declarationem, sicut asserit, non intendit verti in aliquod preiudicium vel derogationem antiquorum ordinum, consuetudinum et iurisdictionum nostrorum, respondemus, quod licet pax sit solemniter scripta et facta, sicut dictum est alias, tamen ob reverentiam maiestatis sue, cui vellemus in cunctis possibilibus complacere, postquam eius intentio est ut supra dicitur, contenti sumus, quod inveniatur super hoc aliquis bonus modus, qui conservet honorem suum et nostrum, per quem ipse et nos ac posteri nostri simus semper clari et securi, quod antiqui ordines, consuetudines et iurisdictiones utriusque partis sint salve, nec eis aliquod prdiudicium gravetur. Et si rex videretur dispositus ad istam intentionem nostram, possit elargari et fieri declaratio in forma alias missa et oblata per litteras, vel si non contentaretur de litteris, possit reformari pax in eisdem verbis et forma, que continentur in litteris. Si vero rex non contentaretur de hac nostra intentione, tunc nolumus, quod elarges te ad aliquod, sed trahes finalem intentionem suam, et dextro modo queras de causa dubii, pro qua petit id, quod petit de predicta clausula, et id, quod habueris, rescribas vel redeas sicut sapientie tue melius videbitur. De facto salis sui emendi per nostrum commune vel speciales personas non facias ullam mentionem, sed si rex aliquid tangeret, excuses factum dicendo et allegando, quod de nostro tantum habemus, quod ex omni parte nobis habundat, et quod illum, quem mittimus acceptum de longinquis partibus ultramarinis est pro dando inviamentum navigiis et civibus nostris, et non pro alia causa, et cum his et aliis rationibus, que sibi videbuntur allegande circa hoc.

Habere debes tres famulos, unum medicum cum uno famulo, Bartholum Ursio notarium curie cum uno famulo, unum coquum, duos ragacios a stalla et duos equos pro saumis. Et propterea expendere potes in omnibus expensis quolibet occurrentibus ducatos VI auri in die non computatis in hoc nabulis navigiorum et scortis. Iurasti proficuum et honorem Venetiarum eundo, stando et redeundo. Data die XI iunii.

Secreta consilii rogatorum.

CXXIV. God. 1364. 26 lipnja, u Lipči.

Ljudevit ugar.-hrv. kralj raduje se Mletčanom zato, što su kretske iznevierenike nadvladali.

Exemplum litterarum domini regis Hungarie congaudentis de recuperatione insule Crete. Amice carissime! Nosce vellitis, quod nuncius vester harum exibitor nobis litteras vestras exibuit, victoriam, quam dominus deus vobis et communi vestro de rebellibus vestris insule cretensis largitus est, plenius exprimentes, quas quidem litteras tanto maiori jocunditate et propensiori solacio suscepimus et legimus, quanto ampliori leticia de vestris et vestrorum prosperis successibus sincere semper exultamus, et hos omni desiderio iugiter percipere delectamur; sperantes, quod huiusmodi vindicte vestre claritas aliis, ne consimilia velint presumere, transeat in exemplum.
Data in Liptbe die XXVI mensis iunii. (1364.)

Commemorialium VII 37, u mlet. arkivu.

CXXV. God. 1364. 9 srpnja, u Mletcih.

Scribitur ambasciatori eunti ad regem Hungarie, quod si suum iter prosequi non valeat, Venetias redeat, et ducat secum Bartholomeum Ursio usque Segniam, cui ante recessum suum assignet omnes scripturas, et ordinet, quod ibi expectet Raphainum de Caresinis, quocum ire debeat ad exequendum ea, que ipsi ambasciatori erant commissa.

Secreta consilii rogatorum.

CXXVI. God. 1364. 24 srpnja, u Mletcih.

Izviešćuju se načelnici u Istri, da se uztegla obskrba, koja se do sada davala knezu Gjorgju, te da budno paze na gradove, njihovoj upravi povierene.

Capitaneo paysinatici Sancti Laurentii. Denotavimus vobis, quod ex aliquibus rationabilibus causis provisionem, quam comes Georgius habebat a nobis, duximus revocandam, et quod non sit amplius ad nostrum servitium, cui fecimus satisfieri de tempore, quo servivit. Que ad informationem vestram providimus facere vobis manifesta, ut in omni eventu de loco vobis commisso bonam et diligentem custodam habeatis. Data die XXIIII iulii secunde indictionis.

Similis capitaneo Grisignane, potestati Justinopolis, potestati Pirani, potestati Parentii, comiti Pole.

Secreta consilii rogatorum.

CXXVII. God. 1364. 3 kolovoza, u Mletcih.

Ordinatur capitaneo ligni riperie Istrie, quod Segniam cum ligno ad levandum cancellarium redeuntem ex Hungaria eat, et conducat eum cum sua comitiva Venetias, et si nondum Segniam venisset, expectet eum ibi donec veniat.

Secreta consilii rogatorum.

CXXVIII. God. 1364. 7 rujna, u Mletcih.

Mletčani daju pravo mletačkoga gradjanstva bosanskomu banu Tvrtku, bratu mu Vlku i materi njihovoj Jeleni.

Privilegium civilitatis de gratia domini banni Bosniae eiusque fratris et matris eorum. Laurentius Celsi dei gratia dux Venetiarum etc. Universis et singulis tam presentibus quam futuris, et tam amicis quam fidelibus presens privilegium inspecturis, salutem et sincere dilectionis affectum. Tanto benignius ducalis providentia consuevit personas illustres et magnificas sibi devotas et fideles honoribus prevenire, ipsorumque fidem et devotionem dignis retributionibus compensare, ac ipsas dotalibus favoribus convallare, et petitiones earum liberalius exaudire, quanto ducatui nostro devotiores fide et operibus se ostendunt. Attendentes igitur multiplicis fidei puritatem et devotionis plenitudinem, quam illustres et magnifici domini Tuercto dei gratia totius Bossine banno, comes Wolf eius frater et Helena comitissa, earum genitrix, ad nostre magnitudinis excellentiam habere promptis affectibus se ostendunt, qui in agendis nos, ducatum nostrum et singulares persònas venetas tangentibus, devotos et promptos se incessanter prebuerunt laudabiliter atque prebent, eorum supplicationibus gratiosius annuentes, ipsos et ipsorum quemlibet cum suis heredibus nostrorum omnium consiliorum et ordinamentorum necessaria solemnitate servata perpetuo in nostros cives et Venetos recepimus, atque recipimus, et Venetos et cives nostros fecimus et facimus, et pro Venetis et civibus nostris in Venetiis et extra ubilibet deinceps haberi et procurari omni effectu et plenitudine volumus et tractari, eosdem sincere benevolentie brachiis amplectantes et firmiter statuentes, quod singulis beneficiis, libertatibus et immunitatibus ac honoribus quibuscumque, quibus alii nostri cives Veneti gaudent et perfrui dignoscuntur, prefati domini Wolf et Helena cum dictis eorum heredibus in Venetiis et extra perpetuo gaudent et utantur. Nobis quoque per nobilem virum Marcum Bonzi civem nostrum eorum fidelem familiarem solemniter ad sancta dei evangelia prestiterunt fidelitatis debitum iuramentum. In quorum omnium fidem et evidentiam pleniorem presens privilegium fieri mandavimus, nostraque bulla pendente aurea communiri.

Datum in nostro ducali palatio anno dominice incarnationis millesimo trecentesimo sexagesimo quarto, die septimo mensis septembris, tertie indictionis.

Commemorialium VII 37, u mlet. arkivu.

CXXIX. God. 1365 11 siečnja, u Višegradu.

Nadbiskup oštrogonski Nikola i ugarski palatin Nikola Konth odpišuju mletačkoj vladi, da nisu nijednu viest o škodah učinjenih mletačkim podanikom u Hrvatskoj, o kojih ona piše, primili, niti da šta znadu u poslu pučke soli, nego da će se doskora vratiti kralj iz Varadina, te da će joj na svem odgovor dati.

Exemplum litterarum missarum domino cancellario per dominos Nicolaum archiepiscopum Strigoniensem et Nicolaum Konth palatinum regni Hungarie. Reverende amice. Litteras vestra inter alia facta quarumdam novitatum, ut scribitis, in Dalmatia ad vestrum preiudicium illatarum, quodque pridie nobis apud dominum nostrum regem existentibus, idem dominus

noster rex de facto salis de Pago mentionem fecerit. Postmodum dictus ambaxator eiusdem ex parte sua vestro dominio aliquam responsionem non fecerit, declarantes recepimus et continentiis earundem intellectis, ad easdem sic vestre dominationi respondemus, quod quia de illis novitatibus, de quibus scribitis, penitus nichil nobis consistit, nec ad nostrum scitum alique novitates facte sunt, littere etiam vestre ipsas novitates, que et quales sunt, quarum tamen declarationem libenter vidissemus, seriose non exprimebant, ad hoc nichil ista vice respondere potuimus de eisdem. sed sciscitabimus de ipsis, scitaque premissorum veritate, his proximis diebus mediante nostro proprio homine per nostras litteras vestre dominationi respondere curabimus. Ceterum in facto non responsionis ambaxatorum dicti domini nostri in facto salis, de quo scribitis, propter absentiam prefati domini nostri, eo quod nichil nobis constitit de eodem, nil scribere possumus, sed rediente ipso domino nostro de Varadino, ubi nunc existit, ea, que scire exinde poterimus, curabimus rescribere vestre dominationi. Ad procurationem autem pacis unionis inter dominum regem et vestrum dominium servandam, de qua scribitis, simus prompti et parati. Et sicut nos scimus, dominus noster rex una cum vestro dominio iuxta suum assumptum in pacis tranquilitate semper intendit perseverare. Datum in Vissegrad sabati proxime post festum sancti Valentini martiris. Nicolaus archiepiscopus Strigoniensis, ac Nicolaus Conth palatinus regni Hungarie etc.

Commemorialium VII 47, u mlet. arkivu.

CXXX. God. 1365. 12 siečnja, u Mletcih.

Daje se 150 dukata Ivanu Trogiraninu kao naknada za brod s trgom, koi u more potonu uzrokom kapetana pomorskog, i to, ako se odreče sasvim poveće naknade.

1364. indictione tercia, die XII mensis ianuarii, capta: cum pridie venerit huc quidam Johannes de Tragurio, olim filius magistri Nicolai medici, cum litteris banni Dalmatie et uno suo ambaxatore, petens satisfactionem aliquorum damnorum suorum, que asseruit sibi illata fuisse per ser Nicolaum Faletro olim capitaneum culphi pro submersione unius ligneti cum mercacionibus et bonis suis veniente de partibus Sorie in aquis Corfuensibus ad valorem ducatorum mille auri, pro ut in litteris dicti banni continebatur: vadit pars, quod possint accipi de monte ducati CL auri, qui dentur sibi per viam gratie et non occasione alicuius iuris, quod habeat, faciente ipso Johanne nobis et communi nostro finem et remissionem generalem ad plenum de non petendo aliquid occasione predicta. Et est capta per VI consiliarios, tria capita et ultra XXX de XL et duas partes maioris consilii.

Maius consilium. Novella 94, u mlet. arkivu.

CXXXI. God. 1365. 21 siečnja, u Mletcih.

Odboru izabranu za ugarske i hrvatske poslove prilože se dometak dopitan odboru za kretske poslove.

1364. indictione tercia, die XXI ianuarii. Dominus et consiliarii. Capta: cum sint electi tres sapientes in consilio rogatorum, qui per se et

sapientes ordinum per se debent examinare super negociis Hungarie et Sclavonie et omnibus et singulis ad ipsa spectantibus vel dependentibus vel emergentibus, seu que possent ad ipsa facta applicari, et cum eorum consilio debet veniri in consilio rogatorum et fieri, quid sit melius pro statu nostro, vadit pars, quod additio data consilio rogatorum pro factis Crete, etiam quando tractabitur de factis premissis, vocetur in dicto consilio, et possit capere partem cum libertate et conditionibus captis pro factis Crete.

Sapientes sunt: ser Petrus Zane, ser Zacarias Contareno, ser Nicolaus Justiniano condam Marci.

Maius consilium. Novella 94, u mlet. arkivu.

CXXXII. God. 1365. 22 siečnja, u Mletcih.

Piše se mlet. bilježniku pri rimskom dvoru, neka vidi, jeda li je istina, da u Provenci ugar.-hrv. kralj oboružava deset galija.

Rafayno notario nostro in romana curia. Rafayne, ad audientiam nostram plurimorum fide dignorum relatione noviter est perductum, quod in partibus Provincie ad petitionem domini regis Hungarie armantur decem galee, sed ad quem finem nescimus. Et propterea cupientes multis respectibus certificari de predictis, fidelitati tue scribimus et mandamus, quatenus per illud modum, qui prudentie tue videbitur, sive per viam protectorum et amicorum nostrorum, sive aliter dare debeas operam toto posse sentiendi veritatem huius rei, videlicet si alique galee in partitus predictis armantur et per quos et ad cuius instantiam et per quem modum; et quecumque inveneris et habueris in premissis, absque dilatione ordinate et distincte debeas nobis per tuas litteras reserare, non respiciendo ad expensas cursorum circa executione huius mandati et intentionis nostre, taliter te gerendo, quod apud nos valeas merito commendari. Data 22 ianuarii, testie indictionis.

Secreta consilii rogatorum.

CXXXIII. God. 1365. 24 siečnja, u Mletcih.

Piše se načelnikom istarskih gradova, neka razvide, je li istina, da je kralj ugarski zabranio mletačkim brodovom solju natovarenim ulaziti u njegove luke; te se radi toga odpravlja bilježnik u Rab i u Senj s nalogom, da se o tom uvieri; i kad bi našao da je istina, neka izručene mu javne listove za ugarskoga kralja u Ugarsku pošalje.

Potestati Justinopolis. Intelleximus, quod in Jadra et aliis terris Dalmatie nuper facta est quedam proclamatio pro parte domini regis Hungarie, quod aliqua navigia cum sale intrare non audeant sub pena combustionis navigiorum et personarum aliquos portus suos, et quod omnes subditi ipsius domini regis illarum partium sint parati omnibus armis sub pena haveris et capitis ante combustionem unius candele de duobus palmis quotiens fuerit opportunum, set quod importet dicta crida et ad quem finem facta sit, nescimus; et licet certi redamur, quod ad bonam custodiam loci vobis commissi sitis solliciti, tamen pro habundationi cautella

fidelitati vestre scribimus et mandamus, quatenus de locis vobis commissis die noctuque bonam et diligentem custodiam atque curam habeatis et haberi faciatis, ita quod sinistrum aliquod vestra mediante provisione nequeat evenire; et scitis soliciti ad inquirendum de novis, et quecumque sentietis, nobis debeatis sollicite vestris litteris denotare. Data XXIIII ianuarii, tertie indictionis.

Similis potestati Pirani, potestati Insule, potestati Parencii, potestati Mothoni, potestati Rubini, potestati Vallis, capitaneo Sancti Laurentii, capitaneo Grisignani, potestati Civitatis Nove, potestati Humagi, comiti Pola.

Comissio Johannis de Pola. Johannes vadas Arbum et Segnam, et cauto et dextero modo te informa, si est verum de proclamatione vel crida facta ex parte domini regis Hungarie in Jadra et aliis partibus Sclavonie, videlicet, quod nullum navigium caricatum sale vel in quo sit sal, audeat intrare portus suos sub pena conbustionis navigii et personarum etc. et si inveneris rem esse veram, sicut est datum nobis inteligi, velociter et sine mora mittas litteras nostras, quas tibi assignavimus, per nuntium, qui tecum venit, domino regi Hungarie, et imponas ei, quod accipiat de via, et ipsas litteras presentet, et procuret nobis portare velociter responsivam. Et hoc facto cum omni plena informatione dicte cride, de forma et conditione eius, et de omnibus aliis de inde, que sentire poteris, Venetias celeriter redeas, de omnibus plenissime informatus. Preterea presentabis quam secretius fieri poterit Frisono, vicario in Segna pro comitibus Modrusie, litteras, quas ei mittit cancellarius noster, quarum copiam tecum portas, et procurabis penes eum habere responsivam dictarum litterarum, et informabis te de omnibus novis, que ab ipsis poteris persentire. In casu vero, quo sentires, facta diligenti et cauta inquisitione, non esse verum, quod dicta crida vel similis facta foret, tunc sine mittendo litteras regi vel alia novitate fienda reddeas Venetias de omnibus novis plenissime informatus. Data die XXIIII ianuarii, tertie indictionis.

Secreta consilii rogatorum, u mlet. arkivu.

CXXXIV. God. 1365. 24 siečnja, u Mletcih.

Mletčani mole napuljsku kraljicu, neka nedozvoli, da ugarski kralj oboruža galije u njezinih stranah, kao što se pogovaralo, da o tom nastoji.

Commissio Anastasii. Nos Laurentius Celsi etc. Comittimus tibi provido viro Anastasio notario fideli nostro, quod de nostro mandato vadas ad excellentissimam dominam reginam Apulee, qua salutata cum reverentia sicut convenit pro honore nostro, exponere maximum amorem et benevolentiam et singularem caritatem, que semper fuit et deo auctore erit inter progenitores suos et ipsam, et nos et nostrum commune, qui semper fuimus coniuncti vero amore et sincera fide, ut plenissime notum est, cum hiis et aliis verbis, que tibi utilia et necessaria videbuntur. Subsequenter expones, quod nuper ad audientiam nostram pervenit relatione veridica, quod dominus rex Hungarie intendit facere armari in partibus Nicie et Provincie subditorum maiestatis sue X galeas, et quare dicte galee posunt leviter venire ad damnum nostrum; memores antique benevolentie predicte et reminiscentes, quod in novitatibus, quas alias dominus rex Hungarie

movere volebat contra regnum suum, sicut ipsa bene novit, noluimus sibi favere ullo modo, sed cum nostris galeis id turbavimus toto posse. Deliberavimus mittere ad excellentiam suam ad rogandum eam, quatenus nostri amoris intuitu ordinet sicque cum effectu disponat, quod nullo modo dicte galee vel aliqua earum aut similes galee armentur in dictis partibus vel aliis locis subditis excellentie sue, sicut plene speramus. Et si tu obtinebis nostram intentionem predictam, ita quod de hoc domina regina sit contenta et complaceat nobis, procura toto posse obtinere litteras suas super dicta materia, que nobis mittantur super contentatione sua; et cum eo, quod habueris, Venetias redeas de omnibus novis plene informatus. Si vero non posses obtinere nostram intentionem predictam, quare forte dicta regina diceret, iam promisisse hoc domino regi vel alia causa, tunc dicas sibi finaliter, quod si galee predicte armabuntur ut est dictum, et nobis vel navigiis aut terris et fidelibus nostris aliquod facient damnum, quoquo modo providebimus et providere intendimus illis remediis, que conveniant saluti et bono nostro, nec possemus talia ullatenus tollerare. Et accepto honorabili comeatu, Venetias reddeas, de omnibus informatus. Data die XXIIII ianuarii tertie indictionis.

Secreta consilii rogatorum, u mlet. arkivu.

CXXXV. God. 1365. 24 siečnja, u Mletcih.

Republika mletačka izkazuje svoju zahvalnost ugar.-hrv. kralju sbog njegove nepristranosti u stvarih tičućih se zavade obstojeće medj njom i Gjenuvezi, te ga moli, da naredbu, kojom se zabranjuje mletačkim brodovom voziti sol u njegove luke, kao navadi protivnu, odstrani.

Domino regi Hungarie. Quamvis cancellarius noster pridie a presentia vestra reversus multa nobis retulerit de magna sinceritate animi, et optima voluntate, quam in vobis invenerat erga nos, ex quo licet antea satis essemus, ad queque beneplacita vestra nos reddidistis merito promptiores; hanc tamen laudabilem dispositionem vestram apud nos mirabiliter confirmarunt ambaxator vester proxime ad nos missus, qui plura etiam de eadem materia nobis dixit nec non regie vestre littere responsales pridie nobis misse super quodam banno in Dalmatia publicato continente, quod inter Januenses et nos discordia verteretur. In quibus quidem litteris et sinistram informationem in ipso facto vobis exhibitam et honestum finem intentionis nostre videlicet, ut ipsos et nos communes amicos vestros equaliter tractaretis, et in fine singularem vestram letitiam de omni bono et pacifico statu nostro stillo urbanissimo descripsistis, digna quidem tali rege responsio, digna, que talibus et tam devotis amicis vestris merito sit dirrecta. Qui quam uberiores possumus vobis eximias grates referimus, et qui gerentes in mente similiter sinceritatem animi et cordis desiderium erga vos libentius teste deo re et opere illud in cunctis vestris honoribus monstraremus. Supra igitur ex premissis fiducia, et experti, quod hactenus multa facta dictaque sunt et quotidie dicuntur et fiunt in dictis partitus Dalmatie per quosdam pacis emulos, querentes more satane seminare zizaniam, que quando in vestram notitiam sunt deducta, vobis displicuerunt et displicent vehementer. Dudum in animo propositum habemus, quotiens

aliquod persentimus, quod hinc inde posset ullum rancorem indicare, statim vestre celsitudini denotare, que sua providentia semper consuevit apponere remedium salutare. Et quare intelleximus noviter in dictis partibus Dalmatie proclamatum, quod nulla navigia cum sale intrent aliquos portus vestros sub pena incendii personarum et navigiorum. Que quidem proclamatio; sic universaliter prout sonat accepta, posset dubium vel preiudicium generare nostris fidelibus et navigiis eorum, qui per fortiam pacis ire possunt, et semper consueverunt stare et recedere libere sine impedimento, quod nullo modo credimus esse de mente maiestatis vestre, a qua nisi honestum, iustum et sanctum est solitum emanare. Ideo vestram excellentiam exoramus, quatenus super hoc dignetur sic oportuno et salubi remedio providere, quod ex hoc nostris navigiis et fidelibus nulla novitas vel iniuria subsequatur, sed quod tractentur more solito dulciter et benigne, dummodo non contrafaciant antiquis ordinibus et consuetudinibus vestris sicut servavimus et servare intendimus erga vestros, dispositi in his et omnibus aliis pacem integraliter observare, tenentes firmiter, quod illud idem fieri debeat parte vestra, super quibus expectamus gratam responsivam vestram per presentium partitorem Data XXIIII ianuarii, tertie indictionis.

Replicata die XXVII ianuarii per unum alium cursorem, qui venit per terram.

Secreta consilii rogatorum, u mlet. arkivu.

CXXXVI. God. 1365. 5 veljače, u Mletcih.

Nalaže se načelniku porećskomu, neka umah izviesti o raznosećem se glasu, da su četiri hrvatske galije u Rovinju napale jedan mletački brod i osvojile.

Potestati Parentii. Habuimus nuper nova, quod quatuor galee Sclavorum exierunt armate de Jadra, et venientes versus terras nostras Istrie, expugnaverunt in portu Rubini quamdam nostram navim, de quo maximam turbationem recepimus, sicut merito possumus et debemus, et quod in Parencio omnes erant ad arma et pulsabatur campana ad martellum; et quare super omnia est nobis cordi scire claritatem et firmitatem dictorum novorum et novitatis occurse, mandamus fidelitati vestre, quatenus sitis soliciti et attenti per omnem modum possibilem ad persentiendum celeriter de novitate predicta et aliis novis, que sentire poteritis; et quicquid habueritis, nobis velociter denotetis per patronum barche presentis, quem illuc mittimus occasione predicta, habentes et haberi facientes de locis vobis commissis bonam et diligentem custodiam atque curam die noctuque, ita quod mediante vestra provisione sinistrum aliquod nequeat evenire. Data die V februarii, tertie indictionis.

Similis comiti Pole et Victori Pisani provisori ibidem.

Secreta consilii rogatorum, u mlet. arkivu.

CXXXVII. God. 1365. 9 veljače, u Mletcih.

Upućuju se poslanici odlazeći k vojvodi austrijskomu, neka ga priklone, da posrieduje mir medj mlet. republikom i ugar.-hrv. kraljem.

Commissio nobilium vivorum Marci Justiniano et Pantaleonis Barbo ambaxatoribus ad dominum ducem Austrie. Nos Laurentius Celsi etc. Committimus vobis etc.

Preterea si dominus dux prelibatus diceret vobis aliquid super facto differentiarum inter dictum regem Hungarie et nos existentium, per quod conprehendere possetis, ipsum fore dispositum ad interponendum se pro ipsis sedandis et concordandis, trahatis ab eo quidquid honeste poteritis de intentione sua circa hoc, hortando ipsum cum illis verbis decentibus, que pro honore nostro videbitis convenire, quod hoc faciat, quia quam citius fiet, reputamus multis respectibus ad magnum avantagium nostrum, ostendentes semper, quod hoc dicatis a vobis. Et quia super hiis aliquam informationem non habetis a nobis, dicentesque ei, quod tanta est fiducia, quam de excellentia sua habemus, quod de ipso tantum quantum de aliquo alio principe et domino mundi speramus, quod quecumque sciret et cognosceret spectare ad honorem et statum nostrum, quem revera potest tanquam proprium reputare, promoveret et tractaret sicut sua propria faceret. Et omnia, que ab ipso habueritis et de intentione et dispositione sua in premissis, nobis celeriter rescribatis, nostrum expectantes mandatum.

Hoc § fuit etiam datum in commissione Lodovici Contareni ambasciatoris ad imperatorem Romanorum ac Bohemie regem, Carolum IV de die XII februarii.

Secreta consilii rogatorum, u mlet. arkivu.

CXXXVIII. God. 1365. 2 ožujka, u Varadinu.

Ugar.-hrv. kralj odgovara mlet. republiki na njezine tužbe u pogledu novosti, koje se čine u Hrvatskoj njezinim stanovnikom; jamči njoj, da je njegova tvrda volja držati se ugovora mira; da će do skora sam u Zadar, te da mu ondje upravi dva svoja poslanika, s kojimi će o tih i o drugih stvarih razložiti.

Millesimo trecentesimo sexagesimo quinto. Exemplum litterarum domini regis Hungarie missarum ducali dominio pro novitatibus, que sonabant in Sclavonia et pro observatione pacis. Amice carissime. Litteras vestras nobis per harum reportatorem exhibitas affectione solita recepimus, et ea, que continebantur in eis, pleno colligimus intellectu. Sane super eo, quod scribitis, quasdam novitates vobis et subditis vestris contrarias fore in partibus Dalmatie suscitatas taliter providimus respondendum, quod huiusmodi novitates de nostra non processerunt voluntate. Nam deo teste semper fuimus et sumus dispositi ad ea omnia, que formam pacis inter nos et vos firmate concernere videantur. Ceterum quia concedente domino negotiis nostris hic, ut speramus, feliciter expeditis, intendimus personaliter Jadram proficisci. Placeat igitur vobis duos de consilio vestro viros ydoneos ad nos destinare, cum quibus de ista materia et quibuslibet aliis occurrentibus communi nostrorum et vestrorum bono tractare latius valeamus. Nos enim mandavimus nostris officialibus et specialiter Baldesari camerario nostro, ut interim ab omnibus novitatibus vobis nocivis debeat cessare, et se omnino continere. Date Varadini secundo die mensis martii, anno LXV. — In subscriptione dictarum litterarum continebatur: Inclito domino Laurentio Celsi duci Venetiarum amico nostro carissimo.

Commemorialium VII 48, u mlet. arkivu.

CXXXIX. God. 1365. 5 ožujka, u Budimu.

Nikola ostrogonski nadbiskup i Nikola Konth ugarski palatin uvieravaju Mletčane, da će se ugar.-hrv. kralj tvrdo držati mira, a da nepaze na krive glasove, koji se o tom razprostiru.

Exemplum litterarum aliarum missarum domino cancellario per dominos Nicolaum archiepiscopum Strigoniensem locique eiusdem commitem perpetuum et Nicolaum Konth regni Hungarie palatinum super dicta materia. Amicorum dulcissime. Postquam bulla incliti domini domini Laurentii Celsi ducis Veneciarum et vestre littere per quosdam cursores nobis fuerunt exhibite, eas in momento domino nostro regi, qui in partibus erat remotis, dirrigere curavimus; qui quidem dominus rex, auditis talibus novitatibus, stupore mirabatur in extasi, qualem autem et quantam responsivam ad earum contenta vestro direxit dominio in eisdem regiis litteris clarius poteritis edoceri. Sciturі tamen, scrupulo cuiuslibet dubietatis semoto, quod dicte novitates nec talia procedant, que pactis et compositionibus prioribus inter vestrum dominium et ipsum dominum nostrum initis, firmatis, et efficacibus litteris vallatis, pretensis cavilationibus contravenire possent, et hiis preiudicium in earum violacione generare, ymo ea, que illicite facta et perpetrata existunt, refformanda commisit et edixit regio sub edito. Placeat igitur vestre prudentie, quod si tales rumores in vestri communis noticiam contingant devenire, sine rei esperimento aurem non apponere credibilem, neque etiam exaudibilem, cum de vita et perseverantia domini nostri experientia habita dudum fuerit manifesta. Data Bude quinto die mensis martii.

In superscriptione continetur: sapienti et magne industrie domino Beneintendi, communis Veneciarum cancellario dignissimo, amico nostro carissimo.

Commemorialium VII. 48, u mlet. arkivu.

CXL. God. 1365. 10 ožujka, u Mletcih.

Prima se, da se vjeruje knezu krčkomu Ivanu i njegovu namiestniku u Senju za njeko vrieme, ili neka se onamo izašalje poslanik, da se o novostih obaviesti.

1365. die decimo marcii. Dominus, consiliarii et capita. Capta: quod dominus, consiliarii et capita possint affidare comitem Johannem quondam comitis Bartholami de Vegla et Frixonum vicarium in Segnia, et quemlibet eorum per XV vel viginti dies, vel mittere ad eos nuncium pro habenda informatione de novis.

Misti XXXI 93, u mlet. arkivu.

CXLI. God. 1365. 3 travnja, u Mletcih.

Naputak za poslanika odaslana vojvodi austrijskomu zato, da nastoji posriedovati za mir medju gospodarom padovanskim i oglejskim patriarkom.

Comissio Bartholi Ursio missi ad dominum ducem Austrie. Barthole, vade ad dominum ducem Austrie, cui decenti salute preposita expones, quod per ambaxatores nostros ab eo reversos intelleximus honorem et cu-

rialitatem eis factam nomine nostro, et qualiter nostro intuitu condescenderat ad treuguas cum adversariis suis, de quibus omnibus regratiamur sibi quantum plus possumus, et bene invenimus in eo de facto illud, quod semper speravimus. Verum notificamus sibi, quod ambaxatores nostri fuerunt unus ad patriarcham et Forlanos et alter ad dominum Padue, et quantum potuerunt, insliterunt pro bono fine huius facti. Sed quare comes Johannes condam comitis Bartholi de Senia illis diebus fuerat ad eos pro parte domini regis Hungarie pro simili causa, et ipsi responderant ei, quod libenter attenderent ad tractandum de pace firma, ubi dominus dux contentaretur, sed quod treugue non faciebant pro eis, nec attendunt ad illas, non poterant nobis aliter respondere, quam ipsi regi responderant. Et propterea statim scita ista eorum responsione, providimus te mittere ad eum ad notificandum sibi facti conclusionem, et ad reportandum sibi litteras suas datas ambaxatoribus nostris, ut ipse informatus, providere possit sicut honori et statui suo viderit convenire, quem deo teste ita cordialiter sicut proprium exoctamus, dispositi semper in omnibus, que honeste possemus, ad cuncta sua beneplacita et honores. Data die III aprilis tertie indictionis.

Secreta consilii rogatorum, u mlet. arkivu.

CXLII. God. 1365. 26 travnja, u Mletcih.

Mletčani bodre podkneza krčkoga Nikolu, neka ustraje raditi na njihovu korist.

Nicolao vicecomiti Vegle. Plures litteras vestras recepimus, continentes consilium et apparerem vestrum circa recuperationem nostri honoris et status contra nostros rebelles Crete. Intelleximus etiam ex relatione provisorum nostrorum laudabile et fidele portamentum vestrum in cunctis spectantibus ad nostri status augmentum. Pro quibus omnibus quamvis antea satis essemus certi de bona dispositione vestra, eam tamen vera experientia comprobantes, merito vestram probitatem et fidem ac curiosam solicitudinem et diligentiam, quam in nostris servitiis continue nullis parcendo periculis vel laboribus dignis laudum preconiis adhibetis, merito commendamus, pro qua nostram et communitatis nostre gratiam amplissime quesivistis, hortantes vos, ut sicut fecistis et facitis, sic perseverare de bono in melius debeatis, ita quod ex inde honori et fame vestre nomen perpetuum et indelebilem apud nos possitis memoriam promereri. Data 26 aprilis, tertie indictionis.

Secreta consilii rogatorum, u mlet. arkivu.

CXLIII. God. 1365. 10 svibnja, u Mletcih.

Upućuje se poslanik u Senju, neka sklopi pogodbu s onom četom hrvatskih konjanika, koja je voljna stupiti u mletačku službu.

Leonardo de Lagnella in partibus Segnie. Leonarde! intellectis litteris hiis datis Segne die V mensis maii super facto quinquaginta Sclavorum equitum, cum quibus convenisti placendo nobis, quod habeant ducatos VII pro quolibet, et ducatos XXV inter duos comestabiles in mense cum paga quatuor mensium et firma de aliis quatuor etc., sicut in tuis litteris seriosius continetur, respondemus, quod sumus contenti et placet valde nobis,

quod subito et quam citius fieri poterit firmes dictas gentes ad nostrum senitium cum soldo, modis et conditionibus contentis in hiis litteris predictis, faciendo ex hoc fieri instrumentum autenticum cum obligatione et clausulis opportunis. Et quia in tuis litteris continetur, quod dicti Sclavi libenter volent facere monstram in partibus Segne, et quod illuc mitteretur unus usserius pro levando eos cum feno et blado etc., sumus contenti conplacere de hoc eis, et ipsum usserium illuc mittemus, et de ministro ordinabimus secundum requisitionem suam. Insuper quia nostre intentionis est, quod ad monstram fiendam de dictis gentibus sit presens Guidolinus comestabilis noster in sancto Laurentio, qui modo est in par tibus Segnie, dicas sibi parte nostra, quod deinde non recedat sine nostro speciali mandato. Super omnia vero sis bene solicitus procurare expeditionem dictarum gentium, ita quod siut subito parati, et veniente illuc usserio, celeriter vadant ad servitium nostrum. Data die X maii.

Secreta consilii rogatorum, u mlet. arkivu.

CXLIV. God. 1365. 17 lipnja, u Mletcih.

Hvali se nastojanje poslanika u Senju u nabavljenju konja, te mu se nalaže, da obustavi svaki dogovor s onimi Hrvati, koji su voljni bili primiti mletačku službu. Podkuezu krčkomu izkazuje se zahvala na to, što uztrajno radi na korist republike.

Leonardo de Lagnela in Seguia. Leonarde! plures litteras tuas hiis diebus recepimus continentes de equis per te emptis et emendis pro nostro communi, ex quibus tuam fidelitatem et solicitudinem conmendamus, mandantes tibi, quatenus, ipsis emptis, studeas mittere illos Polam quam citius esse potest . , . et quód de illis Sclavis, qui ad nostrum servitium venire debebant, nullam debeas ulterius facere mentionem, nec te ulteris impedire. Scribimus amico nostro, regratiando sibi de hiis, que per suas litteras nobis significavit, et habemus valde gratum per litteras presentibus aligatas, quas ei debeas presentare. Data XVII iunii, tertie indictionis.

Frisono vicecomiti in Segna. Plures litteras vestras hiis diebus recepimus, et contenta in illis intelleximus diligenter, ex quibus vestram solicitudinem conmendantes, rescribimus, quod gratum valde habuimus et habemus id, quod nobis scripsistis et scribitis, rogantes, quatenus prout incoastis, perseverare vellitis, sicut de benivolentia vestra speramus. Data ut supra.

Secreta consilii rogatorum, u mlet. arkivu.

CXLV. God. 1366. 28 veljače, u Mletcih.

Ovlašćuje se poslanik odlazeći u Ugarsku, da, ako mu bude od potriebe, uzme novaca u zajam.

1365 die ultimo februarii, capta: quod possint fieri littere patentes, per quas nobilis vir Leonardus Dandulo miles, qui ivit ambaxator ad dominum regem Hungarie, possit accipere pecuniam mutuo, si erit sibi necessaria, pro expensis ambaxate sue.

Misti XXXI 134, u mlet. arkivu.

CXLVI. God. 1366. 29 ožujka, u Bosni.

Tvrtko bosanski ban obvezuje se, mletačka prava u svojoj zemlji štititi; a glede kovanja krivoga novca obećava, da će krivce kazniti, čim se na prestolu utvrdi.

Littera banni Bosne missa ducali dominio, cuius superscriptio talis est. Insigni, et glorioso domino domino Marco Cornario dei gratia duci Venetiarum, ac laudabilibus viris consiliariis et universis civibus de eadem dominis et amicis ipsorum plurimum honorandis.

Reverendissima salutatione laudabilique recommendatione premissa. Noverit vestra honorabilis magnificentia nos vestre magnitudinis litteras credentiales in corda canapari sigillo plumbato roboratas per honorabilem virum magistrum Anastaxium vestre magnificentie notarium nobis revera directas omni quo debet honore plenariaque cordis iocunditate, uti tenemur, recepisse, sub quarum litterarum credentia ipsius magistri Anastaxii dicta, et per ipsum vestras honorabiles relationes seu legationes perfecte percepimus, ad quorum tenorem vestre laudabili amicitie seriatim taliter duximus respondendum. Quod nos omni loco et tempore opportunis ad omnia vestra iura, iustitias et equitates, sicut promisimus, ita tenemur, et toto cordis affectu, labori non parcendo, thesaurum exponedo, ymo si necesse fuerit usque ad mortem corpori non parcendo, vestra iura et iustitias, ut premittimus, adimplere conamur, et volumus plene et integre. Porro de vestra iniuria propter falsariam monetam et iniquam actionem per homines nostrorum nobilium vobis illata multum aggravamur, et deo celi teste dicimus sicut vos proprii in personis contristamur. Cum enim ipsi nobiles nostri regni sicut primo deo et nobis aliqualiter infideles, nosque miserabiliter de nostro regno una cum nostra genitrice pepulerant et totaliter eiecerant. Nosque per misericordiam omnipotentis dei et gratiam incliti principis domini Lodovici dei gratia regis Hungarie, iustitia nostra et fidelitate requirente, simus iterum in nostrum regnum aliqualiter recepti, licet non in toto, non valentes ita subito ipsos nobiles pro nostra et etiam pro vestra iniuria punire et incarcerare. Igitur vestram reverendissimam magnificentiam presentibus postulamus valde dignanter et diligenter, quod quousque simus stabiliti et in nostro regno bene confirmati, nostram voluntatem bonam profecto reputare vellitis. Nos itaque deo permittente de omni vestra iniuria parvo tempore expectato, omnimodam iusticiam faciemus plene et integre. Sperantes a vestra magnificentia in centuplo similia seu maiora nobis affuisse. Scripta in Bosna dominica Ramis Palamarum anno domini MCCCLXVI. Tuerto dei et domini nostri Ludovici regis gratia bannus Bosne, ac domina Elena genitrix ipsius carissima, vestri intimi amici.

Commemorialium VII 58, u mlet. arkivu.

CXLVII. God. 1366. 9 svibnja, u Mletcih.

Nalaže se Pavlu Maurocenu u Modruši, neka unovači do 500 Hrvata, koji bi se poslali proti buntovnikom u Kretu.

Nobili viro Paulo Mauroceno in partibus Modrusie. Ser Polo! Ello ne stado dado ad intender, che lo se poria recourar in quelle parte, siando de contento e plaxer de li signor conti de Segna, homeni pedoni Sclavi fina

500 boni e apti a guerizar li nostri revelli in le parti de Crede fornidi de archi e panzironi over boni zuponi e spada, per la qual cosa nuy vollemo e cometemove, che vuy debie esser ad insembre cum Gothenicher amigo dela segnoria nostra, 'sel ve parera, e informarve cum luy e cum altri, che ve parera ben de questo fato, e comparer davanti li conti predicti, e procurar a tuta vostra possa de recovrar cum la licentia e plaxer fin 500 Sclavi e da la in zosso, non possando esser men de C e da la in su, che sia boni pedoni, ben fornidi come e dito, e che sia persone apte over aconze a procurar lo nostro honor. Lo soldo veramente e ferma volemo che sia queste, cheli habia libre X al mese per zaschun e habia paga de tre mesi e ferma de altri tre, e cheli vada al plu tosto e presto che far se puo cum nostri navilii senza nolo ale parte de Crede, siando levadi in le parte de Pola, si cheli non habia altro far se no partir prestamentre e andar al nostro servizio. E tuto quello, che vuy farè e otignerè prestamentre, scrivene a nuy senza indusia. E se vuy otignerè la nostra intencion solicitamentre, soldè e forni la cossa si che per merito vuy possi esser recomendado. Mandemo letere de credenza qua ligade ali conti, che ve dia plena fe. Data VIIII maii.

Secreta consilii rogatorum, u mlet. arkivu.

CXLVIII. God. 1366. 10 svibnja, u Mletcih.

Naputak za Lunarda Dandula poslanika idućeg u Ugarsku.

Comissio ambaxatoris missi ad dominum regem Hungarie. Nos Marcus Cornario dei gratia dux Venetiarum etc. Comittimus tibi nobili viro Leonardo Dandulo militi, nato condam bone memorie domini Andree Dandulo predecessoris nostri, dilecto civi et fideli nostro, quod de nostro mandato vadas in nostrum ambaxatorem solempnem ad dominum regem Hungarie, cui facta reverentia et salutatione solita expones, quod nuper pro parte sue regie maiestatis fuerunt Venetias ad nostram presentiam duo sui ambaxatores, qui ex parte sue excellentie post salutationem suam, quam alacriter recepimus, novit deus, exposuerunt, quod sua regia maiestas tamquam bene disposita ad honorem et statum nostrum expresse dederat in mandatis omnibus terris et locis suis, quod cives et mercatores Venetiarum bene et favorabiliter tractarentur, de quo regratiamur ut plurimum sue maiestati, cognoscentes per effectum bonam et sinceram dispositionem suam erga nos et nostros, utendo hiis et aliis verbis, que tibi utilia videbuntur. Insuper cum Baldesar de Sorba Januensis ambaxator sui culminis cum verbis amicabilibus acceperit excusationem et emendam si ullo tempore dixisset vel movisset coram nostra presentia verba aliqua in aliquo actu non licito nec honesto, dicens, ipsam excusationem petere de mandato ipsius domini regis. Etiam de hoc regratiamur sue maiestati quantum plus possumus, cognoscentes, ista procedere a iustissimo principe diligente honorem et statum nostrum. Subsequenter espones, quod ambaxatores predicti nomine sue regie maiestatis petierunt a nobis de possendo armare duas galeas usque quinque in Venetiis ad suas expensas per sex menses, dicentes, esse intentionem sue excellentie de eundo personaliter cum magno exercitu per terram et per mare in subsidium imperii Romanie contra Turchos,

et quod istud erat de requisitione et beneplacito domini imperatoris Constantinopolis. Iusuper dixerunt ambaxatores sui predicti, quod intentio domini regis predicti, examinata conditione christianitatis, nullo modo erat de eundo ad partes Sorie et Egipti, propter dampna maxima, que sequerentur toti mundo, si mercationes et exercitium mertium deberent taliter devastari; concludentes, quod intentio sue regie maiestatis erat, habere dictas galeas in mari paratas ad partes Satalie et ad bucham ad turbandum, quod Turchi non possent descendere de partibus Grecie supra Turchiam. Quo capitulo intellecto, volentes, quod sua regia maiestas clare decerneret bonam voluntatem et dispositionem nostram, disposuimus te ad eius presentiam destinare ad faciendum sibi notam placibilem oblationem nostram, que est in hunc modum, videlicet, quod pro singulari amore, quem gerimus serenitati sue, sumus contenti, consideratis predictis et sancto proposito suo ac offerimus sue maiestati in dicto casu duas et tres usque quinque galeas armatas omnibus nostris expensis pro tempore sex mensium requisito pro parte sue regie maiestatis. Hiis vero expositis dicas domino regi, qualiter ad presens sumus in treugua cum domino imperatore Constantinopolis, et qualiter in imperio habemus ius et iurisdictionem et pacta et franchisias cum dicto imperatore, rogantes maiestatem suam, quatenus in omni casu honorem et iura nostra habere placeat favorabiliter reservata, sicut plene speramus de sua regia maiestate. Insuper comittimus tibi, quod procures apud dominum regem, quod per aliquod tempus abile ipse notificet nobis de voluntate sua ad factum dictarum galearum, ut possimus adimplere requisitionem sue regie maiestatis. Facta vero ambaxata et oblatione predicta, cum responsione domini regis redeas Venetias de omnibus novis plenissime informatus. Comittimus insuper tibi, quod ante recessum tuum a domino rege, quando tibi melius videbitur, dicas ipsi domino regi, quod occasione agendorum insule nostre Crete sumus ad presens in treugua cum domino Palacie et Teologi, quibus nullo modo vellemus defficere fide pro honore et bono nostro, rogantes suam excellentiam, quatenus in hoc teneat talem modum, quod non veniamus rumpere fidem alicui, et quod facta nostra propterea non sinistrentur, sicut speramus de sua regia maiestate, utendo hiis et aliis verbis, que pro bono facti tibi utilia videbuntur.

Potes expendere in omnibus expensis quomodocumque occurrentibus tam oris quam agotiorum pro te et familia tua ducatos sex in die non computatis emptionibus equorum, hortis et nabulis. Et debes habere unum notarium cum uno famulo, quatuor domicellos, unum marescalchum et unum interpretem. Item capitulum solitum de videndo expensas omni tertia die ad minus etc. Item capitulum de non impetrando donum nec gratiam etc. Item capitulum de presentando scripturas curie in suo reditu etc. Jurasti proficuum et honorem Venetiarum eundo, stando ed redeundo. Data in nostro ducali palatio die X martii, quarte indictionis 1366.

Secreta consilii rogatorum, u mlet. arkivu.

CXLIX. God. 1366. 20 lipnja, u Gurgeuu.

Ugar.-hrv. kralj Ljudevit zahvaljuje se mlet. republiki na to, što mu dozvolila do pet galija oboružanih, da jih proti Turkom rabi za šest mieseca.

Exemplum litterarum missarum dominationi per dominum regem Hungarie pro galeis sibi oblatis occasione Turchorum. Lodovicus dei gratia

rex Hungarie. Amice charissime. Super eo, quod nobis contra Turchas per litteras vestras, quas grata affectione recepimus, duas, tres, usque quinque galeas vestris expensis armatas pro tempore sex mensium promittitis, et libere offertis, amicitie vestre multiplices gratiarum referimus actiones, eandem scire desiderantes, quod tempore, quo galeas ipsas habere debebimus, et de loco, ad quem ire debeant, volumus vos per litteras vel nuntios debito tempore reddere certiores. Date sub castro Gurgeu in terra Siculorum nostrorum die vigesimo mensis iunii anno LXVI. Mansio autem sic dicebat: Inclito domino Marco Cornario duci Venetiarum amico nostro charissimo. Nota, quod prefatus dominus rex similes et eiusdem tenoris litteras destinavit ducali dominio. Date in Lippa die XXIIII mensis iulii, anno LXVI.

Commemorialium VII 59, u mlet. arkivu.

CL. God. 1366. 13 rujna, u Mletcih.

Slikaru zadarskomu Nikolici podjeljuju Mletčani pravo mletačkoga gradjanstva.

Privilegium civilitatis annorum XXV Nicoleti pictoris filii condam magistri Cipriani, qui fuit de Jadra de contrata sancti Luce. — Marcus Cornario dei gratia dux Venetiarum etc. Universis et singulis tam presentibus quam futuris et tam amicis quam fidelibus presens privilegium inspecturis salutem et sincere dilectionis affectum. Notum vobis fieri volumus per presentem paginam, quod cum inter alia, que in mente nostra revolvimus, attendamur precipue nostrorum subditorum et devotorum fidelium tractare propensius comoda et utilia salubriter procurare cum hoc magnificentie nostre decus aspitiat et fidelium devotio utilius pertractata in nostre fidelitatis et devotionis constantia ferventius sollidetur, duximus, volentes benefitia recompensare pro meritis, statuendum, quod quicumque viginti quinque annis vel inde supra Veneciis habitasset continue, facciones et onera nostri communis ipso tempore subeundo, amodo civis et Venetus noster esset, et citadinatus Veneti privilegio et aliis beneficiis, libertatibus et immunitalibus, quibus alii nostri cives et Veneti gaudent, perpetuo et ubilibet congauderet. Unde cum Nicoletus pictor, filius condam magistri Cipriani, qui fuit de Jadra et nunc habitat Venetiis in contrata sancti Luce, sicut legitimis et manifestis prolationibus per provisores nostri communis diligenter examinatis nobis inotuit, Venetiis XXV annis continua habitatione habuerit, erga nos et ducatum nostrum fideliter et laudabiliter sub devotionis integritate se gerens et subiens continue facere et onera nostri communis, digna remuneratione prosequentes, eundem ipsum consiliorum et ordinamentorum nostrorum necessaria solemnitate servata, in Venetum et civem nostrum recepimus atque recipimus, et Venetum et civem nostrum fecimus et facimus, et pro Veneto et cive nostro habere et haberi volumus ubicumque et tractari, ita quod singulis beneficiis, libertatibus et immunitatibus, quibus alii Veneti et cives nostri utuntur et gaudent, idem Nicoletus pictor in Venetiis et extra libere gaudeat de cetero et utatur. In cuius rei fidem et evidentiam pleniorem presens privilegium fieri iussimus et nostra bulla plumbea communiri. Datum in nostro ducali palatio anno dominice incarnationis MCCCLXVI, indictione quinta, die XIII mensis septembris.

Commemorialium VII 63, u mlet. arkivu.

CLI. God. 1366. 20 rujna, u Budimu.

Ljudevit ugar.-hrv. kralj moli Mletčane, neka mu ustupe do pet galija.

Exemplum litterarum missarum per dominum regem Hungarie, cuius superscripto talis est: Inclito domino Marco Cornario duci ac nobilibus et sapientibus viris . . . consilio et communi Veneciarum, amicis nostris carissimis. — Lodovicus dei gratia rex Hungarie. Amici carissimi. Quamvis alias nobis contra Turchos duas, tres usque quinque galeas armatas omnibus vestris expensis pro tempore sex mensium obtuleritis, de qua quidem etiam oblatione vobis nunc, sicut prius fecimus, multiplices referimus gratiarum actiones; tamen nos considerantes labores et expensas, onera, que cottidie suffertis, et eciam attendentes pacta, que cum Turchis Palatie et Theologi habetis, nolumus vos in tantis expensis aggravari, nec quicquam contra ipsa pacta operari, sed amiciciam vestram attento studio deprecamur, quatenus nobis quinque corpora galearum cum suis armaturis, remis et aliis attinenciis concedatis, quibus nos ad expensas nostras de gente providebimus opportuna, sinceram nobis in hoc amiciciam et gratam complacenciam facientes; et quicquid super hiis fideles nostri familiares dilecti Lucanus de Grimaldis et Petrus de Medio presencium exhibitores dixerint nomine nostro, hoc indubie credere velitis. Datum Bude die XX septembris, anno LXVI.

Commemorialium VII. 62, u mlet. arkivu.

CLII. God. 1366. 20 studenoga, u Mletcih.

Odgovara se poslaniku kotorskomu, da će se odpremiti bilježnik s naputkom, neka posrieduje mir medj njimi i njihovimi protivnici.

1366. indictione quinta, die X novembris. Sapientes ordinum. Capta: quod respondeatur isti ambaxatori Cathari, quod intellectis litteris et peticionibus suis, et attenta fidelitate et bona dispositione illorum de Cataro, pro nunc mittemus unum notarium nostrum ad procurandum cum adversariis suis omne id boni, quod poterit. Et ex nunc sit captum de mittendo dictum notarium nostrum cum illa commissione, que domino videbitur super hoc. De parte alii, de non 3, non sinceri 3.

Misti XXXII 22, u mlet. arkivu.

CLIII. God. 1366. 6 prosinca, u Vertésu.

Ugar.-hrv. kralj Ljudevit obaviešćuje Mletčane, da u poslu galija od njih ponudjenih mu, šalje u Mletke svoga domaćina Petra Ligerića Zagrebčanina.

Exemplum litterarum missarum dominationi per dominum regem Hungarie super galeis. — Lodovicus dei gratia rex Hungarie. Amice carissime! Discretus vir Bartolomeus Ursio notarius et nuntius vester fidelis harum reportitor vestram benivolam intentionem, quam habere vos offertis, prout alias amicabiliter obtulistis in dandis nobis certis galeis, provide et sagaciter parte vestri reseravit, de qua indubie presumentes, grates amicicie vestre referamus copiosas, offerentes nos amicicie vestre benivolos in quibuslibet vobis gratis viceversa. Preterea super facto ipsarum galearum

fidelem nostrum dilectum familiarem magistrum Petrum Ligerii de Medio civem Zagrabiensem ad vos decrevimus destinandum, rogantes sincere super ipso facto per eundem magistrum Petrum nobis responderi. Data in Werthus loco nostre venationis sub annulo nostro secreto VI die mensis decembris. Quarum quidem litterarum mansio talis erat: inclito domino Marco Cornario duci Venetiarum amico nostro carissimo.

Commemorialium VII 66, u mlet. arkivu.

CLIV. God. 1366. 6 prosinca, u Vertésu.

Isti ugar.-hrv. kralj piše Mletčanom glede obećanih mu galija.

Exemplum litterarum missarum dominationi per dominum regem Hungarie super simili materia. Lodovicus dei gratia rex Hungarie. Amice carissime! Sicut per alias litteras nostras per discretum Bartholomeum notarium et nuncium vestrum vobis dirrectas sic et per presentes de benivolentia, quam in dandis nobis certis galeis ex informatione nobilis viri Luchiani de Grimaldis et magistri Petri de Medio civis Zagrabiensis fidelis nostri familiaris et dilecti nostrorum nuntiorum, ac etiam ex serie litterarum vestrarum nobis per eosdem nuntios apportatarum habere vos cognovimus multiplices amicicie vestre reddimus gratiarum actiones, offerimusque nos proinde vobis favorabiles ad quelibet vobis gratas; desiderantes attente, quatenus super facto dictarum gallearum per eundem magistrum Petrum, quem ad vos super eodem facto informatum remittimus, velitis nobis respondere. Data in Werthus loco nostre venationis sub annulo nostro secreto VI die mensis decembris. Quarum mansio talis erat: magnifico domino Marco Cornario duci Venetiarum, amico nostro carissimo.

Commemorialium VII 66, u mlet. arkivu.

CLV. God. 1366. 7 prosinca, u Vertésu.

Isti ugar.-hrv. kralj moli Mletčane, da drže za istinito sve, što jim bude rekao njegov poslanik Petar Ligerić Zagrebčanin.

Exemplum aliarum litterarum missarum dominationi per dominum regem Hungarie super simili materia. Lodovicus dei gratia rex Hungarie. Cum nos fidelem nostrum dilectum familiarem magistrum Petrum Ligerii civem Zagrabiensem harum videlicet ostensorem ad vos transmiserimus de nostra intentione plenaliter informatum, vestram amiciciam attente rogamus, quatenus eidem nostro familiari in his omnibus, que ipse vobis pro parte nostra dixerit sub confidentia presentium, fidem adhibere velitis creditivam. Data Werthus loco nostre venationis VII die mensis decembris sub annulo nostro secreto. Quarum mansio talis erat: inclito domino Marco Cornario duci Venetiarum nec non nobilibus et sapientibus viris communi Veneciarum, amicis nostris carissimis.

Commemorialium VII 66, u mlet. arkivu.

CLVI. God. 1367. 9 veljače, u Mletcih.

Gospodaru padovanskomu dozvoljeno, da odpravi u Senj po moru do 300 pješaka za ugar.-hrv. kralja.

1366. die IX februarii. Dominus, consiliarii et capita de XL. Capta: quia dominus Padue per suum nuncium nobis fecit exponi, quod ad requisitionem domini regis Hungarie proponit sibi mittere pedites CCC per viam Segnie, rogans, ut possint transire cum navigiis nostris usque Segniam; vadit pars, quod respondeatur ei, quod dispositi ad sibi grata, contenti sumus ei complacere libere, ut transire possint per aquas nostras et naulizare de nostris navigiis usque Segniam occasione predicta ad suas expensas.

Misti XXXII 32, u mlet. arkivu.

CLVII. God. 1367. 5 ožujka, u Višegradu.

Ljudevit ugar.-hrv. kralj zahvaljuje se Mletčanom za poklonjene mu dvie galije.

Exemplum quarumdam litterarum missarum per dominum regem Hungarie ducali dominio Venetiarum. Ludovicus dei gratia rex Hungarie. Amice carissime! Super eo, quod nobis duo corpora galearum cum suis corredis et opportunis armis per litteras vestras liberaliter obtulistis, amicitie vestre ad multiplices assurgimus gratiarum actiones, eandem scire desiderantes, quod ipsa galearum corpora debent esse longa pariter et lata, pro quibus etiam armandis et conducendis nuntios nostros ad vestri presentiam, cum de ipsis indigemus, transmittemus. Date Wisegradi die quinto mensis martii, anno LXVII. In suprascriptione continetur sic: Illustri domino Marco Cornario duci Venetiarum, amico nostro carissimo.

Commemorialium VI 74, u mlet. arkivu.

CLVIII. God. 1367. 13 ožujka, u Mletcih.

Committitur Andreae Geno, ituro capitaneo culfi, quod in via sua declinet ad partes Valonae, et requirat ibi satisfactionem de iniuriis factis civibus venetis, et punitionem de culpabilibus; et si ista obtinere non posset, tunc assignet eis terminum pro emenda. Si emendatum non foret ad dictum terminum, tunc capitaneus intromittat omnia bona dictorum de la Valona usque ad integram solutionem et satisfactionem etiam damnorum et expensarum.

Misti XXXII 35, u mlet. arkivu.

CLIX. God. 1367. 8 travnja, u Mletcih.

Cum Andreas Lauredano iam diu receperit damnum a quodam castellano Buduae Poveresto, et pluries scriptum fuerit presenti castellano et domino Buduae Balso, ut satisfaciat eidem civi nostro, quod ipse etiam saepius per litteras facere obtulit, sed nunquam facere curavit; ideo capta fuit pars, quod committatur capitaneo culfi Andreae Geno, ut ordinet eidem Balso, quod infra quatuor menses integre satisfaciat illi damno (VI cen-

tum ducatorum); elapso vero dicto termino sine effectu, capitaneus et rectores intromittant bona sua ubicumque reperiri poterunt usque ad integram satisfactionem.

Misti XXXII 41, u mlet. arkivu.

CLX. God. 1367. 6 svibnja, u Mletcih.

Dozvoljeno ugar.-hrv. poslaniku proći s družbom u Cipar ili u Rod.

1367. die VI maii. Si videtur vobis per ea, que dicta et lecta sunt, quod iste ambaxator domini regis Hungarie cum VII vel VIII personis, sicut apparet per litteras eiusdem domini regis patentes et clausas, intelligatur de personis prohibitis ire in Ciprum vel Rodum per partem captam in isto consilio die primo mensis maii presentis vel non.

Ser Petrus Steno, ser Marcus Dolfino, ser Paulus Geno consiliarii. Prima: quod non intelligatur, quod ire possit 202, 224, 229, 230, 234.

Ser Franciscus Mauroceno, ser Franciscus Bragadino, ser Marinus Fuscari, capita XL loco consiliariorum. Secunda: quod intelligatur, quod ire non possit 227, 230, 233, 232, 233. Non sinceri 40, 39, 39, 29, 31.

Iterum posite fuerunt dicte partes, videlicet, capta prima, quod non intelligatur in parte, et quod ire possit 306; secunda quod intelligatur et quod ire non possit 232; non sinceri 36.

Maius consilium. Novella 106, u mlet. arkivu.

CLXI. God. 1367. 13 svibnja, u Mletcih.

Prohibitur facere societatem pro emendo argentum tanquam inhonestum sub poena solidorum X pro libra et unius anni carceris. „Item quod nullus, cuiuscumque conditionis existat, audeat vel presumat ire vel mittere ad vendendum aliquod argentum Theothonicum, Raguseum vel alterius cuiuscumque maneriei nisi ad publicum incantum ad campanellam sub dicta pena solidorum X pro libris tam illi, qui irent pro se proprio, quam illi vel illis, qui irent pro aliis, et similiter subiaceat dicte pene carceris, ut superius dictum est, et predicta committantur inquirenda provisoribus communis et catavere etc.“

Misti XXXII 49, u mlet. arkivu.

CLXII. God. 1367. 22 studenoga, u Mletcih.

Captum: „quod pro expeditione et bono omnium mercatorum tam Theuthonicorum, Raguxeorum, quam aliorum vendentium suum argentum ad incantum ordinetur, quod de cetero omnes, qui emerint argentum affinatum et non affinatum, teneantur et debeant facere ponderari illud argentum illa die, qua ipsum emerint vel alia sequenti immediate usque ad vesperas sub pena solidorum II pro libra, et dictum argentum sic ponderatum non accipere vel movere de super bancho officialium argenti, donec facta fuerit solutio integra dicti argenti in pecunia numerata etc.“

Misti XXXII 93, u mlet. arkivu.

CLXIII. God. 1368. 1 siečnja, u Mletcih.

Da se ugar.-hrv. kralju ugodi dopušćen prolaz njekoj četi kroz mlet. zemlje u papinsku državu.

1367 die primo ianuarii. Capta: quod pro complacendo domino regi Hungarie hoc curialiter requirenti per litteras destinatas Luce de Medio fiant littere patentes, per quas gentes sue, quas mittit ad sanctissimum dominum papam, possint transire per districtus nostros Tervisane et Cenete. Et insuper possit mittere per districtus nostros tam per terram quam per aquam omnem pecunie quantitatem, ipsamque deponere in Veneciis ad beneplacitum suum. Scribendo rectoribus nostris, quod dictam gentem eundo sine lesione nostrorum transire permittant extra fortilicias, receptando eos curialiter, et faciendo sibi provideri de victualibus pro pecunia sua, habendo de locis sibi commissis bonam custodiam atque curam.

Misti XXXII 102, u mlet. arkizu.

CLXIV. God. 1368. 28 ožujka, u Mletcih.

Ordinatum capitaneo culfi, quod intromittat et comburi faciat barchas castellani Buduae, et eidem prohibeat de caetero tenere navigia armata in mari ad damnum alicuius. Eidem capitaneo committitur etiam, quod ab illis de la Valona requirat satisfactionem certi damni illati civibus venetis, alioquin intromittat eorum bona usque ad integram solutionem.

Misti XXXII 117, u mlet. arkivu.

CLXV. God. 1368. 26 travnja, u Mletcih.

Riešeno, da se primi Skutari u Turskoj ponudjen od sultana Murata.

Quod in bona gratia comittatur ambaxatori nostro ituro Constantinopolim etc. 1368 die XXVI aprilis. Sapientes excepto ser Andrea Venerio. Capta: quia tam per litteras olim ser Aurei Pasqualigo baiuli Constantinopolis quam per relationem ser Petri Permarino et ser Marci Geno olim ibidem consiliariorum habetur, quod Moratus condam Orchani libenter vellet, quod conversaremur in partibus suis, et esset contentus dare nobis quemdam locum ad velle nostrum in partibus Turchie, et dictus ser Aureus cum consiliariis suis examinare fecerit quemdam locum vocatum Scutari, et scripserit, ipsum esse locum abilem et dextrum pro nobis, et quod habet bonum portum, et posset prohici una cathena, et bonum sit non relinquere istud factum, sed in ipso procedere pro bono et dextro nostrorum mercatorum et securitate haveris et navigiorum suorum; vadit pars, quod committatur ambaxatori nostro ituro Constantinopolim, quod, quando sibi videbitur, per illum dexteriorem et cautiorem modum, quo poterit, faciat tractare et procurare cum dicto Morato, quod det nobis locum predictum pro habitatione et reducto nostrorum mercatorum, quem locum faciat omnibus suis expensis reducere et fortificare taliter, quod in ipso nostri mercatores stent securi, et possint facere facta sua sine dubio vel periculo aliquo, et quod in ipso loco nostri sint franchi et liberi, et possint uti, stare et mercari ad beneplacitum suum libere sine aliquo datio vel co-

merclo persolvendo tam intrando quam exeundo et tam emendo quam vendendo, et quod habeamus etiam in aliis locis suis omnes illas franchisias, avantagia et iurisdictiones ac libertates, quas melius poterit obtinere; et si dictus Moratus erit contentus dare nobis dictum locum, et facere nobis dicta avantagia, tunc procuret dictus ambaxator, quod ipse locus fortificetur quam citius esse poterit, et quod de hoc fiant per ipsum Moratum privilegia publica cum cautelis et obligationibus necessariis et opportunis, et omnia, que in predictis dictus noster ambaxator fecerit et habuerit, nobis notificet per suas litteras quam citius poterit. De parte 66.

Misti XXXII 121, u mlet. arkivu.

CLXVI. God. 1368. 13 svibnja, u Mletcih.

Dubrovčani pozvani na izvršenje svojih dužnosti, ako neće, da budu lišeni mletačkoga gradjanstva.

Die XIII mai 1368. Capta: cum homines et communitas Ragusii facti fuerint cives Veneti, per gratiam alias eis factam, cum conditione, quod teneantur ad observationem omnium ordinum Veneciarum, prout alii nostri cives, quod quidem minime faciunt nec facere volunt, sed cotidie multa contrabanna committunt in non modicum detrimentum terre nostre, et pridie scriptum fuerit eis, quod disponerent se ad observationem dictorum ordinum, secundum quod in gratia sibi facta plenius continetur, aliter dicta gratia cessaretur; super quibus nuper per suas litteras dominationi rescripserunt, quod si debent dictis ordinibus subiacere, specificare velit ducale dominium dictos ordines, ut habito suo consilio, valeant debitam facere responsionem etc., et cum ordines Veneciarum proclamentur singulis annis in festo sancti Michaelis in locis solitis per officium provisorum communis, ut omnibus sint noti, nec conveniens aut decens esset, ipsos nostros ordines, qui multi et varii sunt, in scriptis mittere ipsis Raguseis; vadit pars, secundum consilium provisorum communis, quod scribatur dicte communitati et hominibus de Ragusio, quod usque per totum mensem augusti proxime debeant misisse Venecias acceptum illam informationem nostrorum ordinum, quam habere volent, ad quorum observationem debeant se obligare, sicut tenentur, per formam gratie sibi facte, cum in hoc nulla novitas fiat eis, aliter dicta gratia annulletur.

Misti XXXII 126, u mlet. arkivu.

CLXVII. God. 1368. 31 srpnja, u Mletcih.

Gjorgj Balsić gospodar Zente i Budve moli Mletčane, neka mu dozvole, da može držati oružane brodove na moru.

1368. die ultimo iulii, VI indictione. Ser Leo Bembo, ser Marcus Barixa, ser Laurentius Zane, sapientes ordinum. Quod considerata bona dispositione istius Jure de Balsa domini Zente, castellani Budue, civis nostri concedatur ei, quod possit armare in mari barchas et navigia ad suum beneplacitum, dando sufficientem plezariam in Veneciis, que placeat dominio, de subiacendo ordinibus, nostris et de non offendendo vel damnificando aliquem nostrum mercatorem, subditum vel fidelem, nec aliquos alios mer-

catores navigantes per mare ullo modo, faciente ipso Jura venire a domino imperatore Raxie litteras, per quas contentetur de hoc 24, 23.

Ser Paulus Quirino consiliarius, ser Andreas Venerio sapiens. Capta: cum habeamus pacta cum domino rege Raxie de non favendo alicui, qui vellet movere novitatem vel guerram contra eum, et ipse dominus rex nobis scripserit, quod dictus Jura est suus rebellis, et quod propterea eidem non demus auxilium nec favorem; vadit pars, quod respondeatur ambaxatori istius Jure, quod faciat primo venire litteras a dicto domino rege, quod sit contentus, quod ipse Jura possit armare, et postea sibi dabimus responsionem superinde, pro ut nobis iustum videbitur. 31, 36, non 8, non sinceri 7, 16.

Misti XXXII 140, u mlet. arkivu.

CLXVIII. God. 1368. 29 kolovoza, u Mletcih.

Neprima se, da se odgodi riešenje dubrovačkih stvari na dva miesecа.

1368 indictione VII, die 29 augusti. Dominus, ser Andreas Lauredano, ser Paulus Quirino, consiliarii; ser Mapheus Civrano; ser Leo Bembo, ser Andreas Venerio, sapientes; ser Marcus Barixa. Quod terminus Raguseorum, qui expirat hodie, prorogetur usque duos menses proximos. 39, 37. Capta de non 41, 48, non sinceri 7, 3.

Misti XXXII 47, u mlet. arkivu.

CLXIX. God. 1369. 17 ožujka, u Mletcih.

Upućuje se pomorski kapetan, neka dade sažgati brodove naoružane Gjorgja Balsića, ako iznadje, da po moru robe.

1369 indictione VII, die XVIIII martii. Sapientes ordinum. Capta: cum per ser Paulum Quirino et ser Franciscum Ruzini ac alios nostros mercatores dicatur, quod per Juram de Balsce armantur in Buda, Dulcigno et Tivari aliqua ligna et barche, cum quibus damnificantur navigia euntia per mare, et bonum sit super hoc pro bono et securitate nostrorum mercatorum et navigiorum providere; vadit pars, quod comittatur capitaneo culfi, quod in via sua debeat se presentare Budue, Dulcigno et Tivari, et se nomine nostro aggravare de armamento dictorum lignorum et barcarum cum illis verbis et minis, que sibi convenientia videbuntur, precipiendo, quod de cetero in dictis locis non armetur ad damnum alicuius, alioquin de ipsis faciemus sicut de publicis cursariis. Et ex nunc comittatur dicto capitaneo, quod in casu quo inveniat aliqua navigia vel barchas armatas in dictis locis, que damnificassent navigio vel mercatores nostros, observet formam sue commissionis; si vero nondum damnificassent navigia vel mercatores nostros, et constaret sibi capitaneo, quod forent in actu pro damnificando aliquem, tunc intromittat ipsa navigia et barcas armatas, quas comburi faciat, et homines ipsarum barcharum et navigiorum abire permittat, dicendo eis, quod, si amplius venient in manibus nostris, faciemus de ipsis sicut de cursariis, habendo nichilominus dictum capitaneum respectum in omni casu ad securitatem galearum et gentis nostre sibi comisse. De parte alii, de non o, non sinceri 3. Scripta capitaneo.

Senato misti XXXIII 12, u mlet. arkivu.

CLXX. God. 1369. 8 lipnja, u Mletcih.

Dozvoljeno Gjorgju Balsiću proti neprijateljem naoružati brodove, samo ako nedira u mletačke i ma koje druge trgovce na moru.

1369 indictione VII, die VIII iunii. Ser Andreas Venerio, ser Petrus de Bernardo, sapientes ordinum. Capta: quod respondeatur isti ambaxatori Jure de Balsce, quod attenta bona dispositione et fidelitate sua, nos non prohibemus ei, quod possit armare in mari ad damnum solum suorum inimicorum, dummodo non damnifiet nec offendat aliquem nostrum venetum vel fidelem nec aliquem mercatorem vel alium navigantem per mare in aliqua parte. Et ex nunc scribimus, et sic scribatur, capitaneo nostro culfi, quod in casu quo non damnificet aliquem navigantem per mare exceptis suis inimicis, ut dictum est, non molestet nec intromittat navigia vel genten suam. Et si consilium etc. De partes 46, non 6, non sinceri 5.

Misti XXXIII 22, u mlet. arkivu.

CLXXI. God. 1369. 18 rujna, u Mletcih.

Odpremljen poslanik, da posrieduje mir medj Gjorgjem Balsićem i Kotorani.

1369. indictione VIII, die XVIII septembris. Ser Andreas Venerio, ser Nicolaus Baseyo, ser Petrus de Bernardo, sapientes ordinum. Capta: cum dominus inperator Raxie ad nos miserit ambaxatorem suum, rogando nos, ut sua civitas Catari obsessa per mare et per terram a Jura de Balsce rebelle suo, sit nobis commendata, ne veniat ad manus dicti Jure, per quem ambaxatorem ipsi Catarini etiam hoc a nobis suplicant, et superinde etiam nobis scripsit dominus papa, et bonum sit super hiis pro bono et securitate nostrorum mercatorum etiam providere, ne dicta civitas Catari vadat ad manus dicti Jure, quod verteretur in maximum preiudicium nostrorum in dictis partibus conversantium, quia totum trafigum mercatus, quod fit in Cataro, fieret in Ragusio, ut est notum; et inter alia magnus honor esset nobis, si nobis mediantibus possit tractari concordium et pax inter dictum Juram et Catarinos; vadit pars, sequendo in hoc vestigia nostrorum progenitorum, quod mittatur unus ambaxiator noster ad dictum Juram et Catarinos, qui pro parte nostra super hoc faciat ambaxatam utrique parti cum illis verbis, que sibi videbuntur, et informet se de discordiis existentibus hinc inde, procurando cum omni studio et solicitudine, quantum plus poterit cum honore nostro, pacem et concordium inter dictas partes, et quod primo et ante omnia abstineantur ab offendendo se invicem pendente tractatu concordii et pacis predicte, eundo tociens ad utramque partem, quotiens opus fuerit pro bona conclusione negotiorum predictorum; et obtentis pace et concordio predictis inter dictas partes, tunc noster ambaxator predictus in bona gratia Venetias revertatur. Si autem per ambas ipsas partes remanebit de volendo ipsum concordium et pacem, videlicet quod utraque ipsarum peteret et vellet inconvenientia, tunc ipse ambaxator, facto per eo superinde quicquid boni poterit, similiter redeat Venetias.

In casu vero, quo remaneret solum pro Jura predicto, tunc dicat ei dictus noster ambaxator cum illis verbis, que sibi videbuntur, quod post-

quam non vult condescendere ad pacem cum Catarinis, nostra intentio omnino est, quod galeas, ligna et navigia sua, que tenet armata in mari ad damnum et offensam ipsorum Catarinorum, removeat et disarmet omni causo remota, nec ipsa vel alia navigia, galee vel ligna de cetero armata in mari teneat ad damnum vel offensam aliquorum, et quod iam comisimus nostro capitaneo culfi, quod in casu, quod dicta pax remaneat solum pro dicto Jura, et quod ipse non removeat et disarmet dictas suas galeas, ligna et navigia, ut est dictum, ipsas galeas, ligna et navigia cum personis super ipsis existentibus intromittat, offendat et damnificet tanquam publicos et manifestos cursarios. Et si per dicta verba dictus Jura contentabitur et condescendet ad pacem, bene quidem; alioquin dictus noster ambaxator quam cicius poterit redeat Venetias, scribendo capitaneo culfi et dando ei informationem, qualiter pax remanserit solum per dictum Juram, ut idem capitaneus facere et adimplere possit mandatum nostrum.

Cui capitaneo culfi mandetur auctoritate istius consilii rogatorum, quod quam citius poterit, habita dicta informatione ab ambaxatore nostro, cum galeis, cum quibus se reperiet, vadat ad partes dicti Jure, et in casu, quo idem Jura non removerit et disarmaverit galeas, ligna et naviglia sua predicta, et sibi constaverit, quod damnificaverunt aliquos nostros Venetos vel fideles, ipsas galeas, ligna et navigia cum personis super ipsis existentibus intromittat, offendat et damnificet tamquam publicos et manifestos cursarios. Si vero non constaverit dicto capitaneo, quod damnificaverunt aliquos nostros Venetos vel fideles, tunc ipsas galeas, ligna et navigia comburat, et homines abire permittat, dicendo eis, quod si amplius venerint in forciam suam, de ipsis faciet, prout de publicis cursariis. Et similiter observet et faciat dictus capitaneus, si decetero ipse Jura armaret in mari aliquas galeas, ligna et navigia ad damnum vel ofensam dictorum Catarinorum vel aliquorum aliorum. Verum apponat dictus capitaneus bene mentem de faciendo hoc cum bona provisione et cum securitate armate nostre sibi comisse, et predicta etiam addantur in comissione aliorum capitaneorum culfi futurorum, que similiter debeant observare.

Qui ambaxator elligatur per duas manus ellectionum in consilio rogatorum, applicando ellectos ad unum, et ille, qui plures ballotas habuerit, transeundo medium consilium, sit firmus, et habeat de salario libras ducentum pro duobus mensibus et inde in antea libras quinquaginta in mense et ratione mensis, et possit expendere in omnibus expensis quomodocumque sibi occurrentibus ducatos duos in die non computatis nabulis navigiorum nec agociis equorum; et ducat secum tres famulos et unum notarium curie cum uno famulo, et teneatur ire et recedere sicut et quando videbitur dominio omni causa remota. Et pecunia necessaria pro dicta ambaxata accipiatur mutuo a camera frumenti cum ordinibus terre, de qua restituenda postea in reditu dicti ambaxatoris providebitur, sicut utilius apparebit.

Ambaxatori autem domini regis Raxie et Catarinorum respondeatur cum illis pulcris verbis, que dominio videbuntur, quod intendimus mittere ambaxatorem nostrum pro pace et concordio tractandis inter partes predictas. De parte 55, de non 9, non sinceri 6. Electus ambaxator ser Gibertus Dandulo, plezius ser Donatus Mauro.

Misti XXXIII 32, u mlet. arkivu.

CLXXII. God. 1369. 25 rujna, u Mletcih.

Naputak za poslanika odredjena, da izposluje mir medj Balsićem i Kotorani.

1369. die XXV septembris. Sapientes ordinum. Capta: quod ambaxator noster iturus Catarum habeat libertatem in casu quo pax remaneat solum pro Jura de Balsce dandi terminum XV dierum vel inde infra eidem Jura ad removendum et disarmandum sua navigia.

Item in casu quo pax remaneat solum pro Catarinis, vel quod nollent condescendere ad pacta alias habita cum dicto Jura, et dictus Jura vellet et esset contentus habere et observare ipsa pacta, quod dictus ambaxator, facto superinde quicquid boni poterit, Venetias revertatur, et pro hoc non intelligatur, quod pax remaneat pro ipso Jura.

Item possit dictus ambaxator accipere unum interpretem ultra familiam et expensas supra limitatas. De partes 47, de non 1, non sinceri 10.

Misti XXXIII. 33, u mlet. arkivu.

CLXXIII. God. 1369. 6 studenoga, u Mletcih.

O njekih živinah, koje je knez zetski Gjuro Balsić Mlctčanom povratiti morao.

Serenissimo et excellentissimo domino domino Andree Contareno dei gratia inclito duci Veneciarum etc. Serenissime domine noster. Excelse dominationi vestre nos recommendamus. Noscat vestra dominatio, quod de mense septembris nuper elapsi ad requisitionem Dragonis de Cataro factoris et procuratoris nobilis viri ser Pauli Quirini domino Georgio de Balsa scripsisse, quatenus sibi placeret reddi facere dicto Dragoni certam quantitatem animalium et vini per suos homines tempore presentis guerre preterite in districtu Cathari acceptam tanquam bona ipsius domini Pauli, valoris MCC ducatorum auri, et ultra, ut dictus Drago asseruit. Qui dominus Georgius nobis par Jacobum de Galiera civem nostrum ambaxatorem per nos ad ipsum destinatum respondit, quod mitteret suum ambaxatorem ad vestram excelsam dominationem, quod si dominus Paulus iuraret in manibus nostre dominationis, quod dicta animalia et vinum supradictum essent sue rationis et ad ipsum expectantia, quod paratus erat sibi integraliter omnia restituere et emendare. Hoc autem vestre excelse dominationi notificare curavimus. Vestri Marcus ingenerius consul et socii eius in Catharo. Data ibi VI novembris.

Commemorialium VII. 121, u mlet. arkivu.

CLXXIV. God. 1370. 8 veljače, u Mletcih.

Uslied ponude Gjorgja Balsića, da Mletčani dodju trgom u Zentu, republika pristaje samo uz povoljne uvjete.

1369. indictione octava, die VIII februarii. Ser Johannes Darpino, ser Leo Bembo, ser Daniel Cornario, ser Marcus Capello, sapientes ordinum. Capta: cum ambaxator Jure de Balsce multa dicat et promittat pro parte dicti domini sui, videlicet, quod esset valde contentus, quod nostri Veneti conversarentur in partibus suis, et quod mittemus consulem nostrum ad dictas partes, et conversatio nostrorum ibidem valde possit esse utilis

et fructuosa pro bono et dextro nostrorum mercatorum; vadit pars, quod postquam dictus ambaxator est contentus redire ad dictum dominum suum nulla habita responsione super facto guerre, quam petebat, et ferre secum et presentare domino suo predicto copiam libertatum et franchisiarum, quas habere volumus in dictis partibus; dominus, consiliarii, capita et sapientes ordinum habeant libertatem per maiorem partem dare dicto ambaxatori illa capitula, que sibi utilia videbuntur super facto dictarum franchisiarum et libertatum; et habita responsione superinde, venietur postea huc, et fiet sicut videbitur. Verum dicatur dicto ambaxatori, quod primo et ante omnia nostre dispositionis et intentionis est, quod satisfiat per dictum dominum Juram nostris Venetis, que habere debent ab ipso de debitis et damnis suis, ut iustum est. De parte 78, de non 2, non sinceri 6.

Misti XXXIII. 45, u mlet. arkivu.

CLXXV. God. 1370. 7 ožujka, u Mletcih.

Opet Gjorgj Balsić moli republiku, da mu bude slobodno držati naoružane brodove na moru, ali bude odbit.

1370. indictione VIII, die septimo marcii. Ser Johannes Darpino sapiens ordinum. Quod isti ambaxatori Jura de Balsce petenti, ut gratia alias sibi concessa de possendo armare in mari ad damnum solum suorum inimicorum etc. confirmetur ei, nec habeat pro revocata, respondetur: quod, sicut ipse scit, nos fuimus principalis causa, ut pax fieret inter ipsum Juram et Catarinos, et speramus concedente domino, quod per Catarinos observabitur ipsa pax; quapropter non videtur nobis, quod foret honor noster confirmare sibi dictam gratiam, antequam per Catarinos contrafiat paci predicte. Sed tamen, considerata bona dispositione sua erga nos, sumus contenti et concedimus ei, quod possit cum navigiis suis navigare per mare honeste, dummodo non damnificet nec offendat cum dictis suis navibus aliquem nostrum venetum vel fidelem nec aliquem alium mercatorem vel personam in aliqua parte ullo modo; quia si contrarium faceret, non possemus transire super inde, quia provideremus, prout nostro honori conveniret 13.

Misti XXXIII. 47, u mlet. arkivu.

CLXXVI. God. 1370. 7 ožujka, u Mletcih.

Ovlašćen Gjorgj Balsić, da drži naoružane brodove na moru uz uvjete odprije mu stavljene.

1370. indictione VIII, die septimo marcii. Ser Leo Bembo, ser Daniel Cornario, ser Marcus Capello sapientes ordinum. Capta: quia Jura de Balsce, civis noster missit quendam suum ambaxatorem ad nos, offerendo dominationi multa, que speramus fore utilia valde pro statu nostro, et requirat, ut certificemus ipsum, si gratia alias sibi concessa per nos de navigando in mari non offendendo aliquem mercatorem vel venetum, sed tantum suos inimicos, est revocata vel non; vadit pars, considerata bona dispositione sua, et etiam quia dicta impetracio talis gracie cedit ad augmentum honoris nostri, habito quoque respectu, quod non invenitur, quod

dicta gratia sit revocata, quod respondeatur sibi, quod nos non habemus, quod dicta gratia sit revocata ipso observante clausulas contentas in concessione alias sibi facta. Verum non est nostre intentionis, quod sub colore dicte gratie dictus Jura frangat pacem Catarinis. Et scribantur littere ipso Jure et Catarinis, hortando eos ad observationem pacis. De parte 58, de non 4, non sinceri 11.

Misti XXXIII 47, u mlet. arkivu.

CLXXVIII. God. 1371. 30 listopada, u Mletcih.

Scribitur capitaneo culfi et capitaneis galearum, quod requirant a regimine Lesnae res recuperatas vel recuperandas de galea, quae naufragavit in partibus illis.

Misti XXXIII 140, u mlet. arkivu.

CLXXVII. God. 1372. 9 siečnja, u Mletcih.

Missi ser Johannes de Vidoro et ser Jacobus Barozi, ambasciatores in partibus Sclavoniae, ad regem Hungariae pro recuperatione mercationum galeae Dandulae.

Misti XXXIII 146, u mlet. arkivu.

CLXXIX. God. 1372. 26 siečnja, u Mletcih.

Loco ambasciatorum in partibus Sclavoniae, qui redierunt Venetias antequam reciperent mandatum eundi ad regem Hungariae, missus nobilis vir Nicolaus Valaresso.

Misti XXXIII 146, u mlet. arkivu.

CLXXX. God. 1372. 26 siečnja, u Mletcih.

Commissum ambasciatori ituro ad regem Hungariae, ut faciat, quidquid poterit pro recuperatione rerum cuiusdam navigii rupti in partibus Curzolae.

Misti XXXIII 147, u mlet. arkivu.

CLXXXI. God. 1372. 6 veljače, u Mletcih.

Mletački poslanik za Ugarsku stavlja se na put.

1371. die VI februarii, capta: quod communitati Verone complaceatur, sicut supplicat, in faciendo levari nuncium suum cum eius famulis super lignum riperie Istrie, quod conducere debet ser Nicolaum Valeresso usque Segniam, qui vadit ambaxator ad dominum regem Hungarie, cum dictus nuncius portet ex dono aliqua arma prefato domino regi.

Misti XXXIII 147, u mlet. arkivu.

CLXXXII. God. 1372. 22 veljače, u Mletcih.

Cum Tragurini se offerant restituere res existentes apud ipsos de galea Dandula, captum, quod ser Johannes de Vidovo redeat ambasciator

ad illas partes cum potestate quietare et facere finem et securitatem restitutoribus, habendo unam et dimidiam pro centenario de rebus restitutis.

Misti XXXIII 150, u mlet. arkivu.

CLXXXIII. God. 1372. 23 ožujka, u Mletcih.

Capta, quod scribatur capitaneo culfi, ut vadat Dyrachium, et procuret habere solutionem pecuniae, silicet ducatorum LXXV, quos ser Franciscus Zorzi „mutuavit cuidam capitaneo, qui venit Dyrachium nomine domini duche, et librarum XVIII solid. XIV grossorum pro resto solutionis certe quantitatis frumenti et milei ser Aloysii Cornario accepti ad Briegum per dictos de Dyrachio de quodam navigio Gasparini Doncello veniente Venetias."

Misti XXXIV 2, u mlet. arkivu.

CLXXXIV. God. 1372. 23 ožujka, u Mletcih.

Commissum capitaneo culphi, quod vadat ad partes Catari, et se informet a civibus Venetis de damnis ipsis illatis per barcas sive scabas armatas circa Catarum, et secundum informationem procuret habere emendam, et ordinet illis, qui damna faciunt per mare, quod de cetero talia facere non presumant; et si non poterit obtinere satisfactionem, intromittat et damnificet bona et havere illorum, in quorum locis illae barchae armatae fuerint; et si in via invenerit similes barchas, eas capiat.

Misti XXXIV 2, u mlet. arkivu.

CLXXXV. God. 1372. 23 ožujka, u Mletcih.

Cum alias Jura de Balscae dominus Avalonae, Budvae et aliorum locorum miserit ambasciatorem Venetias pro confirmando certa pacta, in quibus inter alia continebatur, quod primo satisfieri deberet civibus Venetis de omnibus debitis et damnis ipsis illatis, quod minime facere curavit, imo intulit nova damna, ideo scribitur capitaneo culphi, quod procuret habere solutionem de omnibus, alioquin assignet terminum civibus Venetis in illis partibus conversantibus, intra quem debeant cum personis et bonis suis de dictis locis recedere, et tunc intrommittat bona omnia ipsius Jurae et subditorum suorum, ubicumque poterunt inveniri.

Misti XXXIV 2, u mlet. arkivu.

CLXXXVI. God. 1372. 12 travnja, u Padovi.

Ambasciatores regis Hungarie, Florentiae et Pisarum denotant duci Venetiarum, quod dominus Paduae omnia ad pristinum statum restituit, et quod est ad pacem et concordiam dispositus et paratus.

Commemorialium VII 150, u mlet. arkivu.

CLXXXVII. God. 1372. 15 svibnja, u Mletcih.

Dopušća se knezu krčkomn Nikoli, da dodje u Mletke.

1372. die XV maii. Capta: quod ad instanciam nostrorum officialium rationum concedatur licencia nobili viro Nicolao comiti Veglensi, quod possit venire Venecias per quindecim dies pro aliquibus spectantibus officio nostrorum officialium predictorum. Et scribatur capitaneo nostro Tergesti, quod hoc eidem Nicolao notificet.

Misti XXXIV 6, u mlet. arkivu.

CLXXXVIII. God. 1372. 22 svibnja, u Mletcih.

Cum quidam Venetus Marcus Conzanano captus et derobatus fuerit a quodam Derchae Raguseo in Narento, respublica veneta requirit a regimine Ragusii, quod compellat suum civem ad satisfactionem taxatam apud officiales venetos in libris LXXX grossorum, apud quos officiales fuit de antiquissimo et semper observato more probatio damnorum illatorum Venetis subditis, alioquin pro indemnitate ipsorum civium absque alia requisitione providebit.

Misti XXXIV 9, u mlet. arkivu.

CLXXXIX. God. 1372. 28 svibnja, u Mletcih.

Dozvoljen brod knezu krčkomu Stjepanu, da ga preveze u Mletke.

1372 die 28. mensis maii. Capta: quia egregius vir comes Stephanus Vegle, Modrusie et Gerth supplicaverit, quod cum sit venturus Venecias, inde Paduam, placeret nobis concedere sibi unum de lignis riperie Istrie bene fulcitum, vadit pars, considerato, quod est civis noster et quod ipse et progenitores sui semper fuerunt devotissimi nostri dominii, quod complaceatur comiti Signie de concedendo unum de dictis lignis suprascripto comiti occasione predicta.

Misti XXXIV 11, u mlet. arkivu.

CXC. God. 1372. 28 lipnja, u Mletcih.

A. 1372, ind. X, die 28 iunii. Sapientes ordinum. Capta: »quod scribatur capitaneo culphi“, ut „procuret habere emendam et satisfactionem damni“, quod secundum litteras Francisci Ruzini, consulis veneti Catari illatum est civi veneto Filippo Barelli „per gentes Nicole Zupani“; secus „intromittat dictum Nicolam et eius subditos, damnificando etiam navigia et loca sua.“

Misti XXXIV 16, u mlet. arkivu.

CXCI. God. 1372. 5 srpnja, u Mletcih.

Scribitur ad capitaneum culphi, ut inducat illos, qui ab Avalona reducti sunt ad Sasnum, quod se conferant ad loca Mothoni e Coroni, et ibi habitent; et si hoc facere recusarent, permittat, quod remaneant in Sasno, et sint per quattuor annos franchi ab omni impositione, sed jurent fidelitatem veneto dominio.

Misti XXXIV 18, u mlet. arkivu.

CXCII. God. 1372. 5 srpnja, u Mletcih.

Cum illi de Dyrachio fuerunt tazati per extraordinarios in libris XVIII sol. XIV grossorum debitis Aloysio Cornario, et iste fecerit cum ipsis pactum de habendo solum ducatos LXXX, quod pactum per ipsos minime fuit observatum, ordinatur capitaneo culphi, quod sustineat quantum plus potest iura Aloysii in plenum; sed si obtinere non posset totum, accipiat dictos LXXX ducatos; et si nec istos obtinere non posset, tunc intromittat de bonis illorum de Dyrachio usque ad totam solutionem.

Misti XXXIV 18, u mlet. arkivu.

CXCIII. God. 1372. 5 srpnja, u Mletcih.

Respublica Veneta per suum consulem in Cataro requirit a communitate Catari, quod satisfiat Phylippo Barelli de damnis ipsi ilatis per ipsorum barcas et in eorum districtu; alioquin jubet, quod mercatores veneti exeant cum suis bonis de districtu Catari, et quod capitaneus vadat ad partes Catari ad levandos dictos mercatores, et ipsos conducat ad partes, ubi stare possint securi.

Misti XXXIV 18, u mlet. arkivu.

CXCIV. God. 1372. 27 kolovoza, u Mletcih.

Šalje se nješto oružja i drugih stvari za obranu onih na otoku Sasinu, tamo pribjeglih iz Valone.

1372. die XXVII augusti. Consiliarii et capita. Capta: quia illi de Valona, qui sunt reducti ad Sasnum, iuraverunt fidelitatem nobis, et venerunt ad obedientiam nostram, sicut scribit capitaneus noster culphy, et ipsis sunt necessaria certa furnimenta et res pro custodia et conservacione sua; vadit pars, quod dominus, consiliarii et capita ac sapientes ordinum habeant libertatem per maiorem partem mittendi res, arma et furnimenta predictis, et providendi de securitate sua, prout ipsi collegio vel maiori parti utilius videbitur. De parte alii, non 5, non sinceri 1.

Misti XXXIV 25, u mlet. arkivu.

CXCV. God. 1372. 8 rujna, u Mletcih.

O daćah na kovine, što su se izvažale iz Dubrovnika.

1372. indictione XI, die VIII septembris. Ser Petrus Mauroceno sapiens ordinum. Capta: cum sit quedam pars capta in nostris consiliis, quod cum aliquo navigio armato non possint extrahi de intra culfum pro portando extra culfum alique mercationes, excepto auro et argento, que pars capta fuit propter metalla de Ragusio, que caricabantur super nostris galeis cum maximo damno nostri communis, et sint aliqui, qui dicta metalla extraxerunt de Raguzio et conduxerunt Corfu et in Romaniam bassam pro caricando ipsa super galeis a mercato, quod esset contra intencionem terre; vadit pars, quod nunc et de cetero totum metallum cuiuslibet condicionis, excepto auro et argento, quod caricabitur extra culfum super no-

stris galeis, et fuerit extractum de intra culfum, solvere debeat dacium nostro communi et nabulum galeis, sicut si esset conductum Venecias, et caricatum in Veneciis super galeis. Et addatur in commissione capitaneorum galearum a mercato, quod exigant dictum dacium et nabulum, dando patronis galearum illam partem nabuli, que eos tanget, et residuum nabuli cum dacio reservent et assignent nostro communi. De parte alii, non 4, non sinceri 2.

Misti XXXIV 26, u mlet. arkivu.

CXCVI. God. 1372. 19 listopada, u Mletcih.

Ad instantiam ambasciatoris Catari, et cum non inveniatur, quod damnum Phylippi Bareli „sit illatum per illos de Cataro, scribetur consuli in Cataro, quod mercatores veneti, si remaneant ibi vel exeant iuxta ipsorum velle. Non capta, nisi quod inducietur pro nunc in definiendo istud factum usque ad adventum prenominati Phylippi.

Misti XXXIV 31, u mlet, arkivu.

CXCVII. God. 1372. 11 studenoga, u Mletcih.

Odgovara se poslaniku Gjorgja Balsića, neka najprije namiri mletačke podanike za štete i dugove, a zatim da će se riešiti stvar tičuća se onih na Sasinu.

1372. indictione XI, die XI novembris. Ser Marinus Bono, ser Petrus Grimani, sapientes ordinum. Capta: quod respondeatur isti ambaxatori Jure de Balsce, quod omnino nostre intencionis est, quod per Juram predictum fiat emenda et satisfactio civibus et fidelibus nostris de damnis et debitis, in quibus ipse Jura tenetur secundum quod captum est in nostris consiliis et prout nomine suo promisit ambaxator suus, qui fuit hic. Facta vero emenda et satisfactione predicta, postea dabimus responsionem ad factum illorum de Sasno, prout honori nostro videbitur convenire. De parte alii, de non 2, non sinceri 7.

Misti XXXIV 32, u mlet. arkivu.

CXCVIII. God. 1372. 23 prosinca, u Mletcih.

1372. indictione XI, die XXIII decembris. Ser Petrus Mauroceno sapiens ordinum. Quod super hoc facto Raguxeorum pro omni bono respectu supersedeatur usque per totum mensem ianuarii proximum, habita consideratione ad tempus presens, et videbitur, quod sequetur, et postea elapso dicto termino veniatur huc, et fiet, sicut videbitur 15.

Misti XXXIV 34, u mlet. arkivu.

CXCIX. God. 1372. 23 prosinca, u Mletcih.

Radi njeke naredbe izdane u Dubrovniku proti mletačkim trgovcem, odredjuje se, da Dubrovčani nesmiju ništa ni dovesti ni izvesti iz Mletaka.

1372. Die XXIII decembris. Ser Andreas Trivisano, ser Marinus Bono, ser Petrus Grimani sapientes ordinum. Capta: cum Ragusei noviter

fecerint quendam ordinem in Raguxio, per quem privant nostros Venetos franchisiis et libertatibus, quas habent in Raguxio iam longissimo tempore, prout in eorum catasticis ordinate continentur, et per hunc novum ordinem dant nostris Venetis comeatum, ut non conversentur in Raguxio, quia observando dictum ordinem expedit omnino, ut recedant inde, et super hoc scriptum fuerit regitoribus Raguxii, ut vellent revocare dictum ordinem, quod facere recusant, ut palet per responsionem per eos nobis factam super inde per literas suas, et bonum sit super hoc pro honore nostro et bono nostrorum mercatorum providere; vadit pars, quod ordinetur et cridetur publice in locis solitis, quod, elapso mense januarii proxime, aliquis Raguseus non audeat nec possit extrahere de Veneciis aliquas mercationes, nec in Veneciis aliquas mercationes ponere vel conducere per se vel alios ullo modo vel ingenio, sub pena perdendi totum id, in quo fuerit contrafactum, et ultra hoc cadat quilibet contrafaciens et quilibet, qui tanxaret mercationes alicuius Ragusei per aliquem modum vel ingenium, ad penas, stricturas, ligaminaque contra ordinum haveris subtillis. Et hec committantur omnibus officialibus contrabannorum, qui inquirant de contrafacientibus, et penas exigant, habendo terminum ipsarum, et due partes veniant in commune. Et si fuerit accusator de predictis, habeat tercium ipsarum penarum, et teneatur de credentia. Verum non intelligantur in hac strictura mercationes, que iam essent in via. De parte 55, de non 2, non sinceri 5. Ego Johannes Nicholaus Rubeus m. m. subscripsi. Ego Nicholaus Delfino m. m. subscripsi. Ego Francischus Contareno m. m. subscripsi. Ego Johannes Vido notarius curie suprascriptam partem de mandato suprascriptorum dominorum cancellari 1376. 11 decembris.

Misti XXXIV 35, u mlet. arkivu.

CC. God. 1373. 15 ožujka, u Mletcih.

Committitur capitaneo culfi „quod procuret habere a Jura de Balsce, qui non curat facere solutionem debitorum et emendam damnorum ad summam ducatorum circa novem millia, solutionem et satisfactionem plenariam; alioquin quod intromittat bona omnia et havere ipsius Jure, civium et subditorum suorum ubicumque poterunt inveniri usque integram solutionem et emendam.

Misti XXXIV 43, u mlet. arkivu.

CCI. God. 1373. 2 travnja, u Mletcih.

Zabranjeno mletačkim podložnikom voziti trgovinu u Dubrovnik i u ona mjesta, odkud bi se u Dubrovnik izvesti mogla.

1373 die secundo aprilis. Sapientes ordinum. Capta: cum per ea, que habentur, per aliquos cives nostros per indirectum contrafiat intentionibus terre et ordinibus captis super facto Raguseorum, et bonum sit super predictis providere; vadit pars, quod de cetero aliquis noster civis, subditus vel fidelis, non audeat, possit vel presumat per se vel alios directe vel indirecte modo aliquo vel ingenio conducere seu conduci facere aliquod havere, res, pannos vel mercationes de Veneciis vel de aliqua alia parte ad partes Raguxii, nec ad aliquas alias partes intra culfum, unde possint con-

duci Raguxium sub penis omnibus et stricturis novis contrabannorum; et hoc cridentur publice in locis solitis, et committantur omnibus officialibus contrabannorum, quod inquirant de contrafacientibus, et penas exigant, habendo partem, qui primo invenerint, prout habent de aliis sui officii. De parte alii, de non 8, non sinceri 9.

Misti XXXIV 44, u mlet. arkivu.

CCII. God. 1373. 29 travnja, u Mletcih.

Responsum ambasciatori Catari, quod mercatores veneti possint remanere et mercari Catari usque ad tres menses, sed non amplius, si intra dictum terminum non fuerit satisfactum Phylippo Barcelli de damno sibi illato, omni causa remota. Capitaneo autem culphi ordinatum: si ad dictum terminum non fuerit satisfactum, observet id, quod alias de eo captum fuit.

Misti XXXIV. 45, u mlet. arkivu.

CCIII. God. 1373. 12 svibnja, u Mletcih.

Republika mletačka po svom pomorskom kapetanu zahtjeva od vojvode arbanaškoga Karla Topie, da pusti na slobodu dva broda braće Dandulo nepravedno uzapćena.

1373. indictione XI, die XII maii. Ser Marinus Bono, ser Petrus Grimani, ser Marcus Contareno, sapientes ordinum. Capta, cum per Karolum Topie principem Albanie retenta sit una cocha et unus panphilus nobilium virorum Andree et Gratoni Dandulo fratrum civium nostrorum sub pretextu, quod non solverint doanam suam de lignamine posito in dictis navigiis laboratis in illis partibus, quam doanam dicti nobiles asserunt non debere solvere, eo quod habuerunt pactum cum ipso Karulo de non solvendo aliquid pro dicto lignamine, nisi solum una peciam panni; propter retentionem quorum navigiorum ipsi nobiles maximum damnum sustinuerunt, et bonum sit nostris civibus subvenire; vadit pars, quod scribatur capitaneo culfi, quod in casu quo per litteras, quas dirrigimus dicto Karulo superinde, quarum copia ipsi capitaneo transmittatur, dicti nostri nobiles non possent suam intentionem obtinere, tunc ipse capitaneus, facta diligenti inquisitione et habita plenaria informatione de hoc facto, si invenerint ita esse, prout asserunt dicti nostri nobiles, procuret efficaciter relascationem et recuperationem dictorum navigiorum cum omnibus illis modis et experimentis, qui sibi videbuntur pro bono facti predicti. De parte 49.

Ser Johannes de Pirolis sapiens ordinum: vult partem suprascriptam per totum cum hoc additione, quod capitaneus pro hoc facto non procedat ad aliquam novitatem. De parte 42, non 0, non sinceri 2.

Misti XXXIV 50, u mlet. arkivu.

CCIV. God. 1373. srpnja, u Mletcih.

Zarobljeni od Mletčana u bitki od 1 srpnja 1373. za rata proti Padovi.

Infrascripti sunt carzerati, missi a bastiis nostris, capti in conflictu dato inimicis die primo iulii 1373, indictione XI, in guerra contra Pa-

duanos: Nobilis vir ser Petrus Grimani capitaneus ganzarolarum presentavit die 4 iulii: D. Vayvoda capitaneus Ungarorum et alii sex milites Hungari. Nobilis vir ser Franciscus a Bocolis presentavit: dominus comes Ubol et alii milites Ungari, item d. Niger de Nigris paduanus miles. Ser Marcus Peldi presentavit: alii hongari. Nobilis vir ser Joannes Barbadico presentavit: Hungari. Ser Zaninus Alberto et ser Paieus Mauroceno presentavit: Bon Zanelum de Vigonza de Padua. Item multi alii presentaverunt multi hongari capti. Item fuerunt deputati sex nobiles ad custodiam predicti domini vayvode, videlicet sex omni die, ut p. in dicto notario.

Estratti dei notatorii del collegio 1292—1393, list 28 u arkivu mlet.

CCV. God. 1373. srpnja, u Mletcih.

Describitur victoria, quam Veneti reportarunt super exercitum domini Paduae Francisci de Carrara in partibus Lupae territorii Paduani, in quo exercitu „erant Hungari III mille et etc. Gentes Padue resistere non valentes, vilissime posite sunt in fugam, captivos relinquentes ac vinctos magnificum et potentem dominum . . . voyvodam Transilvanum capitaneum Hungarorum, qui erat secundus apud regem, cum banderario et banderia domini regis . . . nec non aliis XXX notabiles milites Hungaros“ etc.

Pactorum V 8, u mlet. arkivu.

CCVI. God. 1374. 9 ožujka, u Mletcih.

Scriptum Carolo de Topia domino Ouratii, quod provideat de satisfatione et emenda civis veneti Philippi Barelli, cui violenter ablata fuit una balla pannorum et barilia sex compostarum per quemdam suum capitaneum in postu s. Anastasiae, et similiter capitaneo culphi, ut procuret cum omni instantia apud ipsum Karolum, quod civi veneto fiat emenda et satisfactio de suo damno.

Misti XXXIV 88, u mlet. arkivu.

CCVII. God. 1374. 17 ožujka, u Mletcih.

Knezu Nikoli krčkomu, koj je u Trstu obnašao vojničku službu, dozvoljava se, da dodje u Mletke za petnaest dana.

1374. die 17 marcii, capta: quod comiti Nicolao Vegle provisionato nostro in Tergesto, concedatur, quod pro quibusdam suis negociis possit venire et stare Venetiis per XV dies.

Misti XXXIV 91, u mlet. arkivu.

CCVIII. God. 1374. 26 travnja, u Senju.

Knez krčki Stjepan izviešćuje mletačku republiku, da je njezinomu poslaniku dozvolio, neka se ondje nastani mletački konzul, i da izloži mletačku zastavu.

Serenissimo principi et domino domino Andree Contareno dei gratia inclito duci Venetiarum etc. nostro amico honorando. Serenissime princeps

et domine. Salutationis honorificentia premittente vestre magnificentie ducali, quam erga nos semper reperimus gratiosam, duximus tenore presentium declarandum, quod sicut providus vir dominus Guilelmus, notarius et ambaxiator vester, huc ad nostri presentiam accedens, nobis pro vestri parte de facto consulatus et erectione seu elevatione vexili oretenus exposuit. Ita vestri intuitu amoris et requisitionis ad hoc consensimus, et plene fecimus, ut idem ambaxiator vester vobis de hoc poterit enarrare distintius, paratos nos pro posse nostri honoris semper habentes ad queque vobis grata. Stephanus comes Vegle, Modrusse etc. Ubi data die vigesima sexta aprilis.

Commemorialium VII 182, u mlet. arkivu.

CCIX. God. 1374. 28 travnja, u Senju.

Druga poslanica kneza krčkoga na mlet. vladu o istom predmetu.

Serenissimo principi et domino domino Andree Contareno dei gratia inclito duci venetiarum, domino et amico honorando. Serenissime princeps, domine et amice honorande, votive salutacionis honorificentia intellecta, ducali magnificentie vestre, quam erga nos semper reperimus graciosam, duximus tenore presentium declarandum, quod sicut providus vir dominus Guilelmus Filippi, notarius et ambaxiator vester huc ad nostri presentiam accedens, nobis pro vestri parte de facto consulatus et elevatione vexili Segne residentium, oretenus exposuit. Ita vestri amoris intuitu et requisitione ad hoc consensimus et plene fecimus, ut idem ambaxator vester vobis de hoc abilius poterit oretenus enarrare, paratos nos iuxta posse nostri honoris semper nobis habentibus ad queque vobis grata. Johannes comes Vegle modrusie atque gezeghe. Datum Segne die XXVIII aprilis.

Commemorialium VII 182, u mlet. arkivu.

CCX. God. 1374. 11 lipnja, u Mletcih.

Captum, quod videtur publice in locis solitis, quod nemo audeat mittere aliquid ad partes Catari sub penis et stricturis contentis in parte contrabannorum; et quod scrivatur consuli et civibus venetis in Cataro, quatenus intra tres menses a receptione hujus mandati debeant se levare de dictis partibus sub poena perdendi sua bona, reservato officio advocatorum communis procedendi contra illos, qui forent inhobedientes.

Misti XXXIV 116, u mlet. arkivu.

CCXI. God. 1374. 28 rujna, u Mletcih.

1374, die 28 septembris. Dominus et consiliarii. Capta: „Cum dominus rex Hungariae miserit ad nos ambaxatorem suum pro factis Raguseorum, qui ambaxator tetigit etiam incidenter de factis Catarinorum, vadit pars“, ut deputati pro factis damne audiant dictum ambaxatorem, et desuper dent „nobis suum consilium“.

Misti XXXIV 138, u mlet. arkivu.

CCXII. God. 1374. 18 listopada, u Mletcih.

Dopušćeno, da jedan mletački brod, koj je službu obavljao u Istri, preveze poslanike ugarske, biskupa zagrebačkoga i Suterpetra, dolazeće iz Francezke i Rima, u Senj.

1374. indictione XIII; die XVIII octobris. Capta: quod reverendus pater dominus episcopus Zagrabiensis et egregius vir dominus Suterpetre, ambaxatores serenissimi domini regis Hungarie, redeuntes de Francia et romana curia, possint levari super uno ex lignis riperie Istrie in Caprulis vel alibi, et conduci Segniam cum eorum comitiva et arnesiis.

Misti XXXIV 140, u mlet. arkivu.

CCXIII. God. 1374. 3 studenoga, u Mletcih.

Na molbu poslanika francezkoga kralja, idućih u Ugarsku, da preplove u Senj, bude riešeno, da jih istarski brod preveze.

1374 indictione XIII, die III novembris. Dominus, consiliarii, capita et sapientes. Capta: cum ambaxiatores solemnes illustris domini regis Francie, euntes in Hungariam, venerint Venecias et rogaverint curialiter pro parte domini regis prefati, quod possint habere transitum per mare usque Segniam cum aliquo nostro navigio, vadit pars, quod cum ligno riperie Istrie leventur et postentur Segniam.

Misti XXXIV 143, u mlet. arkivu.

CCXIV. God. 1375. 20 siečnja, u Mletcih.

Nalog na kapetana istarskoga broda, neka podje do Senja, i ukrca francezke poslanike, pošto se pročulo, da su obavili posao glede ženitbe i da se vraćaju.

1375. indictione XIII, die XX ianuarii. Sapientes ordinum. Capta: cum ambaxatores domini regis Francie per ea, que sentiuntur, compleverint ambaxatam suam apud dominum regem Hungarie pro facto illius matrimonii, et sunt in proximo Venecias redituri pro eundo domum, et pro honore nostro faciat honorare istam ambaxatam; vadit pars, quod die presenti scribatur capitaneo riperie Istrie, quod vadat per riperiam usque Segnam, et in omni loco et parte, ubi reperiet ipsos ambaxatores, debeat eos levare, honorare et conducere Venecias; et in casu quo nundiem aplicuissent Segnam ambaxatores predicti, prestoletur capitaneus riperie per quatuor dies, et conpletis ipsis quatuor diebus, si sentiret, quod ambaxata predicta deberet esse in Segna usque alios duos dies, prestoletur eos, et honoret et conducat Venecia, ut est dictum.

Misti XXXIV 154, u mlet. arkivu.

CCXV. God. 1375. 13 ožujka, u Mletcih.

Prima se, da se dade knezovom krčkim u zajam do 2000 dukata uz uvjet, da sva vesla, koja se u njihovom području izrade, prodadu nadstojnikom pomorske mlet. oružane.

1375. indictione XIII, die XIII marcii, capta: cum patroni nostri arsenatus sint pro faciendo unam compositionem sive conventionem cum

comitibus Segnie vel aliquo eorum, videlicet, quod debeant dare dictis patronis pro nostro communi et non alicui persone omnes remos de mensuris nostris, et similiter facere teneantur subditi dictorum comitum; qui comites petunt ducatos duo millia mutuo; vadit par, quod dicta conventio fieri possit et mutuari dicta pecunia vel inde infra, quamminus poterunt, recipiendo bonam plezariam, et faciendo dictam conventionem cum illis melioramentis et avantagiis, que videbuntur domino, consiliariis et capitibus, vel maiori parti. Omnes.

Misti XXXV 4, u mlel. arkivu.

CCXVI. God. 1375. 17 travnja, u Mletcih.

Dozvoljena naoružana galija krčkomu knezu Stjepanu, koji je radi zavjeta kanio putovati k svetoj Mariji od Kasopa; a isto tako daje se galija, da ju na svoje troškove oboruža, knezu Djevinskomu, želećemu pohoditi sveti grob.

1375. indictione XIII, die XVII aprilis. Sapientes ordinum. Capta: cum magnificus dominus Stefanus comes Vegle et cet. carissimus amicus et civis noster nobis instanter requiri fecerit per suum ambaxatorem, quatenus nobis placeat concedere ei unam de nostris galeis pro complendo quoddam votum per ipsum factum ad sanctam Mariam de Casopo. Qui comes Stefanus et sui progenitores semper complacuerunt nobis de omnibus requisitis ab eis, ita, quod honore nostro facit conservare et argumentare ipsum in amore et benevolentia nostra, vadit pars, quod per viam mutui complaceatur dicto domino comiti de una galearum nostri communis de mensura Romanie vel de uno bucentauro parato omnibus coredis opportunis sicut melius videbitur collegio domini consiliariorum capitum et sapientum ordinum vel maiori parti. Et ultra hoc concedatur ei, quod possit soldare in Venetiis tot homines de pede, quot sint sufficentes ad gubernationem dicte galee pro dicto voto complendo.

Domino Duyni conceditur galea, eiusdem expensis armanda, ad visitandum s. sepulchrum.

Senato Misti XXXV 17, u mlet. arkivu.

CCXVII. God. 1375. 9 srpnja, u Mletcih.

Pošto je Gjorgje Balsić, gospodar Zete, po nagovoru Dubrovčana kanio lišiti Mletčane onih prava u njegovih zemljah, koja su davno uživali, s toga republika ga nagovara, neka se te nakane ostavi; a svomu konzulu u Olgunu nalaže, neka nastoji Balsića od one namjere odvratiti, te odgovor na ovaj list od njega dobiti.

1375. die VIIII iulii. Sapientes ordinum. Capta: quod scribatur domino Jure de Balsce in hac forma, videlicet: nuper cum maxima displicentia recepimus a consule et mercatoribus nostris in Dulcigni partibus commorantibus litteras continentes, quod magnificentia vestra ad Ragusinorum instantiam ipsis nostri consuli et mercatoribus literas suas scripsit, per quas videtur fore intencionis vestre velle taliter ipsos gravare novitatibus insuetis contra franchisias, libertates et bonas consuetudines solitas, quod de Dulcigno recedere compellatur. De quibus quidem novitatibus et

gravaminibus vehementissime turbamur et gravamur, considerantes liberales promissiones per vos et nuncios ac ambaxatores vestros nobis ac capitaneis et ambaxatoribus nostris factas, nec unquam credere potuissemus, quod a magnificentia vestra talia processissent, imo eramus certi, quod si per alios talia contra nostrates facta forent, vos ipsa turbare et nostros iuvare et defendere contra quoscunque debuissetis, et sperabamus, vos ipsos continue prosequi, et agenda sua favoribus et beneficiis amplioribus, attento specialiter, quod civis noster estis, et vos et negotia vestra semper favorabiliter et benigne tractavimus et tractamus, et etiam quantum commoda et utilis est conversatio nostrorum in terris et locis vestris magis quam alicuius alterius generationis. Quare magnitudinem vestram attente requirimus et rogamus, quatenus novitates predictas, si facte sunt, revocare et reformare placeat et velitis, et ab ipsis vel similibus de cetero vos abstinere, permittentes cives et mercatores nostros morari et mercari in terris et locis vobis subditis salvos et securos, et tractantes et conservantes ac tractari et conservari facientes ipsos cum eorum bonis et mercationibus favorabiliter et benigee secundum bonas consuetudines, franchisias et libertates solitas, prout de magnificentia vestra plene speramus. Super quibus quidem omnibus nobis per vestras litteras intencionem vestram placeat reservare quam cicius esse potest, quas consuli nostro predicto assignare velitis. De parte 93, de non 0, non sinceri 0.

Facta littera et missa. Die suprascripto: quod scribatur consuli nostro in Dulcigno et mercatoribus nostris ibidem existentibus, quod presentare debeant et procurare effectum literarum, quas scribimus domino Jure de Balsce in forma superius annotata, quarum copiam sibi misimus in nostras litteras interclusam, remittendo nobis ad quam cicius poterit responsionem, quam nobis faciet dictus Jura.

Misti XXXV 32, u mlet. arkivu.

CCXVIII. God. 1375. 16 srpnja, u Mletcih.

Conceditur Primo de Ragusio, qui a. 1354 in puerili etate venit habitatum Venecias, et semper se tractavit pro Veneto, quod possit suum havere usque summam ducatorum trium millium conducere Venetias ibique investire solvendo una pro centenario ultra id, quod solvunt cives Veneti.

Misti XXXV 34, u mlet. arkivu.

CCXVIX. God. 1376. 29 siečnja, u Mletcih.

Permissum Karulo Thopiae, quod possit ire cum una sua galea armata et cum alio ligno armato ad percomplendum vota sua, sub conditione, quod non audeat alicui damnum inferre nec mercationes facere, et quod prius se concordet cum Andrea et Gratono Dandulo et Philippo Sanuto de hiis, quae isti ab eo petunt, alioquin dicta concessio sit nullius valoris.

Misti XXXV 80, u mlet. arkivu.

CCXX. God. 1376. 13 ožujka, u Mletcih.

1376, indict. XIV, die 13 marcii. Sapientes ordinum. Capta: Committatur capitaneo generali, ut a Jure de Balsce et fratre suo, domini

Avalone, requirant emendam et satisfactionem plenariam damnorum civibus venetis illatorum „in locis ipsi Jure et fratri suo subditis"; „alioquin intromittat havere ipsorum ac subditorum suorum usque ad integram solutionem et satisfactionem."

Misti XXXV 94, u mlet. arkivu.

CCXXI. God. 1376. 13 ožujka, u Mletcih.

Naloženo kapetanu pomorskomu, neka zahtjeva od Balsića gospodara Valone, da popravi sve škode nanešene Mletčanom i kazni krivce; a kad Balsić nebi u odredjeno mu vrieme to učinio, neka uzapti od dobara Balsićevih i njegovih podanika onoliko, koliko treba za popravu.

1376. indictione XIV, die XIII marcii. Sapientes ordinum. Capta: cum in partibus Avalone per illos dicti loci nequiter et malo modo interfecti fuerint viri nobiles Girardus Dandulo et Pancratius Contareno cives nostri, et eorum bona intromissa ad petitionem Balsce domini illius loci ad summam ducatorum quinque mille inter pannos, setam, folexellos, botas centum vini, salem, pisces salitos, pannos, arma et arnesias suas de domo tam de sua ratione propria quam de ratione aliorum; et ultra hoc fiant nostratibus multe novitates et extorsiones in dictis partibus, videlicet in faciendo ipsos solvere dohanam et arboracium contra franchisias et consuetudines suas antiquas; et super predictis sit penitus providendum pro honore nostro et securitate nostrorum mercatorum in diversis mundi partibus conversantium; vadit pars, quod committatur capitaneo generali maris, quod in via sua ire vel mittere debeat ad dictas partes Avalone, et se nomine nostro vehementer gravare de excessu comisso in personis nobilium nostrorum, et procurare cum domino dicti loci vel eiusdem locumtenente, quod fiat iustitia de culpabilibus et restitutio verum intromissarum et ablatarum, ut est iustum; et quod nostri conserventur in consuetudinibus antiquis et franchisiis et libertatibus suis solitis, et eis restituatur quod indebite acceptum est contra dictas consuetudines antiquas, assignando ad faciendum predicta illum terminum, qui dicto capitaneo videbitur. Et in reversione sua de partibus Romanie si invenerit predicta adimpleta fore effectualiter, ut est dictum, bene quidem, alioquin elapso terminus superius dicto, cum securitate armate nostre intromittere debeat illos de Avalona et dominum dicti loci realiter er personaliter ubicumque poterit reperiri; et omnia bona, que habuerint tam per viam concordii quam per intromissionem, penes se habeat, rescribendo nobis quidquid fecerit in predictis. Facta littera.

Misti XXXV 94, u mlet. arkivu.

CCXXII. God. 1376. 13 lipnja, u Mletcih.

Na molbu ugarskoga kralja dozvoljava se slobodan prolaz kroz mlet. zemlje četam, koje je isti kralj kanio poslati u pomoć rimskomu dvoru.

1376. indictione XIV, die XIII iunii. Dominus, consiliarii et capita. Capta: cum duo ambaxiatores domini regis Hungarie post amicabilem salutationem exposuerint dominio, quod dominus rex, sequens suorum pro-

genitorum vestigia, qui fuerunt conservatores et defensores sancte matris ecclesie, intendit prebere auxilium et favorem dicte ecclesie ac domino pape ad recuperandum statum suum pro novitatibus, que facte sunt in Italia per rebelles ecclesie. Et ideo vult ipse dominus rex scire, si in casu, quo ipse mittat gentes in subsidium ecclesie et aliquorum amicorum suorum, velimus dare passum per territoria nostra ac etiam victualia pro dictis gentibus, et de hoc nos rogabat: vadit pars, habito respectu in omnem partem, quod respondeatur eis, quod nos ob sancte matris ecclesie riverentiam, cuius etiam sumus devotissimi zelatores, intuitu quoque regie maiestatis, cui optamus in cunctis possibilibus libentissime complacere, placet nobis et ex nunc contenti sumus, quod gentes, quas regia maiestas ad subsidium prefate ecclesie et amicorum suorum destinabit, transire valeant per territoria nostra libere et absque impedimento, quibus pro eorum pecuniis subveniri faciemus de victualibus in his, que comode fieri poterunt, transeuntibus ipsis, sicut firmiter speramus, cum bono ordine et absque damno territoriorum et infidelium nostrorum, quemadmodum constanter scimus esse intencionis regie maiestatis.

Misti XXXV 120, u mlet. arkivu.

CCXXIII. God. 1376. 30 lipnja, u Mletcih.

Respondetur Stephano voyvodae Transilvano: „quod parati sumus complacere sibi in faciendo ipsum conduci libere cum una nostra galea Barutum, de quo loco poterit comode ire ad sanctum sepulcrum, et cum eadem galea redire Venetias“.

Misti XXXV 122, u mlet. arkivu.

CCXXIV. God. 1376. 14 kolovoza, u Mletcih.

Quia voyvoda Transilvanus desiderat visitare etiam s. Catarinam de monte Synay, unde non posset venire ad tempus pro redeundo Venetias, captum „quod dicatur sibi, quod faciemus ipsum conduci Barutum vel in Alexandriam, et capitaneus generalis mittet unam ex galeis culfi ad levandum eum Baruto.“

Misti XXXV 130, u mlet. arkivu.

CCXXV. God. 1376. 22 kolovoza, u Mletcih.

Ad instantiam ambasciatorum regis Hungariae respublica veneta assentit, quod ipsi tractent pacem inter ipsam et Leopoldum et alios duces Austriae, quamvis ipse „dux Leopoldus contra deum et sacramentum suum et contra formam pacis alias celebrate inter duces Austrie et nos, pro qua pace, quia fregerunt eam, ceciderunt ad penam de ducatis L millia, nulla difida vel noticia nobis facta, velut hostiliter ad damnum nostrum in territorio nostro tervisino et cenetensi“ etc. Ipsa vero desiderat, ut ambasciatores ducum veniant Venetias, ubi habilius tractari poterit.

Secreta consilii rogatorum D. 29, u mlet. arkivu.

CCXXVI. God. 1376. 2 rujna u Mletcih.

Veneti consentiunt, ut rex Hungariae sit mediator in pace concludenda inter ipsos et duces Austriae, non dubitantes, quod mediante in-

terpositione suae regiae maiestatis non possit sequi nisi bonum et contentatio utriusque partis; et declarant, quod propterea libenter sint missuri solemnem ambasciatam ad ipsum regem.

Secreta consilii rogatorum D. 30, u mlet. arkivu.

CCXXVII. God. 1376. 5 rujna, u Mletcih.

Voyvodae Transilvano pro labore impenso in facto concordiae celebratae cum ducibus Austriae donatur „una pulcra cultra, duo linteamina alias parata pro adventu domini pape et etiam duo caratelli manovaxie.“ Ordinatum rectoribus, quod debeant honorabiliter recipere dominum voyvodam in suo itinere ad sanctum sepulcrum.

Misti XXXV 132, u mlet. arkivu.

CCXXVIII. God. 1376. 9 rujna, u Mletcih.

A. 1376, ind. XV, die 5 septembris. Capta: mittatur nuncius ad dominum Paduae, qui ei gratias aget de communicatis sibi novis per nuncium Antonium „super factis Feltri et Cividalis“, et comendabit illi ulteriorem communicationem, ipsi domino e sua parte referendo „de novis nuper habitis per nos de partibus Istrie, de damnis et preda per nostros illatis in partibus communitatis Pisini.“

Secreta consilii rogatorum D. 30, u mlet. arkivu.

CCXXIX. God. 1376. 19 listopada, u Mletcih.

Ad mediationem domini Paduae et patriarchae Aquilegiensis Veneti declarant, quod dispositi sint mittere ambasciatam Coneglanum pro tractanda tregua cum duce Austriae Leopoldo. Electi ambasciatores Leonardus Dandulo et Federicus Cornario sancti Apolinaris.

Secreta consilii rogatorum D. 37, u mlet. arkivu.

CCXXX. God. 1376. 27 listopada, u Mletcih.

Deliberatum, quod secundum propositionem ambaxatoris regis Hungariae concludantur treguae cum ducibus Austriae, ita ut durent a modo usque s. Georgium de mense aprilis proximum et inde usque ad unum annum.

Secreta consilii rogatorum D. 38, u mlet. arkivu.

CCXXXI. God. 1376. 27 listopada, u Mletcih.

Suspenditur expeditio ambaxatae iturae Coneglanum ad tractandas treguas, cum ducibus Austriae, et deliberatur, quod ipsas treguas tractet ambasciator regis Hungariae. De hoc informatur dominus Paduae, et hortatur, quod circa hec informet suos ambasciatores missos Sacilum et alteram partem.

Secreta consilii rogatorum D. 40, u mlet. arkivu.

CCXXXII. God. 1376. 3 studenoga, u Mletcih.

Dux venetus omnibus facit manifestum, quod mediatione ambasciatoris regis Hungariae Nicolai filii Leuchus, aulae regiae militis, firmatae fuerint treuguae superius indicatae cum ducibus Austriae.

Secreta consilii rogatorum D. 40, u mlet. arkivu.

CCXXXIII. God. 1376. 10 studenoga, u Mletcih.

Scribitur regi Hungariae, quod respectu ipsius factae fuerint treuguae cum ducibus Austriae per suum ambasciatorem Nicolaum Hungarum, qui sapienter, soliciter et diligenter in hoc facto se gessit, iuxta formam vero in presentibus interclusam. Regratiatur propter interpositionem suam, et subjungitur, quod ambasciata pro tractanda pace ad suam praesentiam ventura esset, quandocumque ipse rex duxerit requirendum.

Secreta consilii rogatorum D. 41, u mlet. arkivu

CCXXXIV. God. 1376. 16 prosinca, u Mletcih.

Odpušta se od službe knez krčki Nikola zabavljen u Trstu, pošto ga netreba.

1376. indictione XV, die XVI decembris. Sapientes. Capta: quod similiter cassetur a provisione, quam habet comes Nicolaus de Vegla provisionatus noster in Tergesto pro bono nostri communis, et quia non est nobis necessarius. De non 4, non sinceri 10.

Secreta consilii rogatorum D. 44, u mlet. arkivu.

CCXXXV. God. 1377. 29 svibnja, u Mletcih.

Odredjuje se dan, kada se morao staviti na put poslanik iduči u Ugarsku.

1377. die XXIX maii. Sapientes Istrie et Tervisii. Capta: quod ambaxator iturus ad dominum regem Hungarie teneatur recedere de Veneciis pro eundo ad ambaxatam suam die martis proximo per diem omni causa remota, et die lune vel martis venietur ad istud consilium, et fiet sua commissio, sicut videbitur isti consilio.

Misti XXXVI. 11, u mlet. arkivu.

CCXXXVI. God. 1378. 4 veljače, u Mletcih.

Pridjeljeno poslanikom odlazećim u Ugarsku još nješto osoblja.

1377. indictione prima, die quarto februarii. Capta: quod ambaxatores nostri ituri in Hungariam possint ducere secum Hugulinum mareschalchum, reservando postas equestres, quas faciet interim per personas, que placeant capitaneo. Item possint ducere unum dispensatorem ultra familiam ordinatam.

Misti XXXVI. 48, u mlet. arkivu.

CCXXXVII. God. 1378. 12 rujna, u Mletcih.

Šalje se poslanik u Olgun, neka mlet. trgovce povede, da svoja imanja uklone daleko u kopno sbog opasnosti, koja prieti od galija gjenuvezkih i dubrovačkih.

1378. die XII septembris. Capta: quod mercatores Dulcigni possint mittere unum nuncium suum super istis galeis, qui deponatur in partibus, ubi melius videbitur ser Petro Gradonico capitaneo nostro vel in partibus Sclavonie vel Apulee pro faciendo tirari havere suum infra terram pro dubio galearum Januensium et Raguseorum.

Misti XXXVI 67, u mlet. arkivu.

CCXXXVIII. God. 1378. 10 studenoga, kod luke u Rabu.

Rab se predaje mlet. republiki.

In Christi nomine amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo trecentesimo septuagesimo octavo, indictione prima, mensis novembris die decimo. Juxta portum civitatis Arbi super pupim galee, cui est supercomitus dominus Jacobus Valaresso. Honorabilis dominus Jacobus Valaresso nobilis Veneciarum armizatus cum duobus ferris in aqua et duabus palumbariis ad scopulum sancti Georgii Arbensis districtus, presentibus viris nobilibus dominis Francisco a Bocolis olim domini Marini de Veneciis sancte Trinitatis, Johanne de Vidorio sancti Simeonis de Veneciis olim domini Anctoni, Lodovico Contareno olim domini Francisci sancti Appolinaris, Johanne Miani olim domini Francisci sancti Vitalis, domino Johanne de Nordolis de Ymola cancellario dicte civitatis Arbi, et Zongelo de Desco de Arbo, testibus rogatis et ad que specialiter convocatis, et aliis ibidem. Cum egregius et sapiens vir dominus Lodovicus Lauredanus, unus ex provisoribus armate Veneciarum et capitaneus decem galearum armate communis Veneciarum constitutus, prout apparet in infrascripto instrumento sindicatus et procuratorii, comparuisset ibidem cum dictis decem galeis tanquam sindicus, actor factorum negociorum domini ducis et communis Veneciarum, gestor ac legiptimus procurator, cum instrumento quodam sindicatus et procuratorii scripto manu Steni filii Bortholi de Steno sancte Lucie de Veneciis, publici imperiali auctoritate notarii, ac notario domini Vittoris Pisani pro ducali dominacione Veneciarum generalis capitanei maris in millesimo trecentesimo septuagesimo octavo, indictione prima, mensis novembris die septimo in aquis Jadre apud Jadram super galea armizata ad ferrum egregii et potentis viri domini Victoris Pisani, pro ducali dominio Veneciarum honorandus capitaneus generalis maris, inter cetera continens, qualiter predictus dominus Victor Pisani predictus capitaneus generalis maris, dominus Panthaleo Barbus et Lodovicus Lauredano, provisores super felici armata communis Veneciarum pro ipsa ducali dominatione Veneciarum, ac dominus Jacobus Delphino milles, et Petrus Gradenico, pro eadem dominatione Veneciarum capitanei, agentes nomine et vice domini ducis et communis Veneciarum, virtute et auctoritate, quam habent a ducali dominatione Veneciarum tam virtute commissionum ipsorum dominorum capitaneorum agentium nomine et vice domini ducis et communis Venetiarum virtute et auctoritate, quam habent a ducali dominatione Veneciarum tam

virtute commissionum ipsorum dominorum capitaneorum et provisorum, quam alterius cuiuscumque mandati vel ducalium litterarum omnibus modo, via et iure et forma, quibus melius siverint et potuerint tam de iure quam de consuetudine quarumlibet civitatum et locorum fecerunt, creaverunt, constituerunt, ordinaverunt suum seu dicti domini ducis et communis Veneciarum sindicum, actorem, factorem negociorum domini ducis Veneciarum et eius communis, gestorem ac legiptimum procuratorem, seu aliud quicquid melius et verius dici potest, virum nobilem dominum Lodovicum Lauredano predictum capitaneum decem galearum, constitutum per ceteros prefactos dominos in sua terminatione consilii predicti, ibi presente et volente et consentiente et hoc mandante sponte suscipiente ad eundum cum gratia sancti spiritus capitaneus decem galearum de armata dicte communitatis Veneciarum ad partes sive locos civitatis Arbi et districtorum et locorum ac terrarum circumstantium et quorumlibet inimicorum et rebellium dominationis Venetiarum inimicos et rebelles dominationis Veneciarum toto suo posse offendendo et dampnifficando realiter et personaliter ubicumque compererit cum dictis decem galeis in mari et in terra, et ad presentandum se cum dictis galeis ad partes Arbi et districtorum et locorum et terrarum circumstantium, et requirendum homines et personas quaslibet, inimicos dominationis Veneciarum, ut ad gratiam et obedientiam et fidelem subiectionem perpetuam domini ducis et communis Veneciarum venire et declinare vellint et veniant, ac dicto domino Lodovico stipulanti et recipienti nomine predicto dictas civitates et locos dare et tradere cum omnibus suis iuribus, actionibus et rationibus et pertinentiis quibuscumque; omnes, qui ad eandem gratiam et obedientiam dominationis Veneciarum venire et declinare volentes, benigniter recipiendum nomine et vice predictis cum fidei iuramento de perpetua fidelitate, obedientia et fide servanda dictis domino duci et communi Venetiarum, cum omnibus pactis, condicionibus, formis et clausulis, que videbuntur providentie dicti constituti, et ad promittendum in eorum constituentium et constitutorum fidem et animabus cum omni debito et necessario iuramento nomine et vice ipsius communitatis Veneciarum omnes ad eius gratiam venire volentes de eorum et suorum locorum deffensione, protectione et gubernatione perpetuo conservanda ab omnibus hominibus et personis mundi et ad stipulandum et paciscendum cum hominibus quarumlibet civitatum et locorum, civitatum et locorum mundi, universitatibus, communitatibus et colegiis quarumlibet civitatum et locorum mundi ad prefactam gratiam venire volentibus nomine quo supra pacta, instrumenta atque promissiones quaslibet et omnes necessarias et opportunas faciendum; dantes et concedentes predicti constituentes eidem domino Lodovico Lauredano constituto, ut dictum est, omnem auctoritatem, potestatem, libertatem et bailiam, quam habent a dominacione Venetiarum, ut dictum est; omnia predicta et singula predictorum et eis connexa et ab ipsis dependentia dicendi, faciendi, procurandi, iurandi et promittendi sic ipsimet constituentes et constitutus ad invicem congregati facere possent de suo concordi et unanimi consilio, promittentes dicti constituentes habere firmum et ratum totum et gratum, quod per predictum dominum Ludovicum Lauredano constitutum dictum, gestum, factum et procuratum fuerit in predictis et singulis predictorum, et cetera, prout in dicto instrumento plene legitur, a me infrascripto no-

tario viso et lecto, requirens nomine, quo supra, cives omnes, universitatem et comumne Arbi, ut venire et inclinare debeant ad subiectionem, protectionem et fidelitatem perpetuam domini ducis Veneciarum et eius communis. Accesserunt coram eo viri nobiles ser Stephanus de Dominis, ser Nicolaus de Cernota, ser Pribe de Martinusio, ser Hermolaus condam ser Cibre de Hermolao, nec non Creste de Bubogna, Creste de Bomic, Franzolus de Dome et Dominicus de Machia, tanquam sindici, procuratores et actores universitatis, communitatis et civium omnium predictorum Arbi, ut de eorum sindicatu per publicum instrumentum scriptum et actum Arbi in cancelaria communis eiusdem per me notarium infrascriptum in predictis millesimo, indictione et die nono mensis novembris, inter cetera continens, nobiles et sapientes viri ser Salbe de Gauzina, ser Hermolaus condam ser Nicolai de Hermolao et ser Colanus de Zudenico, iudices civitatis Arbensis, auctoritate et bailia eis concessa et atributa in maiori et generali consilio civitatis predicte, ut patet in reformacione quadam consilii, scripta in quaterno reformationum dicti communis sub instanti millesimo, indictione et die, per ser Johannem de Nordile de Ymola, eiusdem communis cancellario, in qua substancialiter cavetur, ut sindici infrascripti habeant meram facultatem, omnia infrascripta peragendi, tractandi et ordinandi, quia in ipsa parte fuerunt octuaginta unum de sic, nullus de non, et quatuor de non sinceri, fecerunt, constituerunt et ordinaverunt viros nobiles ser Stephanum de Dominis, ser Nicolaum de Cernota, ser Pribe de Martinussio et ser Hermolaum condam ser Cibre de Hermolao, nec non Creste de Bubogna, Creste de Bomic, Franzolum de Dome, et Dominicum de Machia, presentes et mandatum sponte recipientes eorum et dicti consilii et communis veros sindicos, actores, procuratores et nuntios, et negotiorum gestores, specialiter ad comparendum coram egregio et sapienti viro domino Lodovico Loredano, cive Veneciarum honorabili, provisore ducalis dominii Venetorum ad felicem armatam dicti communis Veneciarum et capetaneum decem galearum nunc in obsidionem civitatis Arbensis existentium, constitutum per egregium et generosum sapientem et belicosum virum dominum Victorem Pisanum eiusdem armate generalem capitaneum, nec non per alios provisores consiliarios eiusdem domini capitanei, et ordinatum et factum sindicum, procuratorem, actorem generalem et specialem ad hec infrascripta et alia tractanda et percomplenda, prout in eius auctoritate cavetur, et se nomine dicti regiminis, consilii et communis subiciendum potestati, gubernationi et dominio incliti ducalis dominii Veneciarum prenotati, et pro bono, pacifico atque felici statu dicti regiminis, consilii et communis recipiendi ipsum dominum provisorem et capitaneum nomine et vice dicti ducalis dominii, consilii et communis Veneciarum in dominum, rectorem, gubernatorem, protectorem et deffensorem dicti regiminis, consilii et communis Arbensis, vel quos substituerit, decreverit et ordinaverit, iuxta antiquas libertates et iurisdictiones dicti communis Arbensis, fidelitatem perpetuam et subiectionem in manibus eius, nomine quo supra, recipientis iurandum et omne genus sacramenti necessarium ad inde exponendum et versa vice recipiendum ab eo provisore et capitaneo prenotato, nomine quo supra, caucionem neccessariam et opportunam, sacramentum, et fidem, et omnia, que requiruntur secundum leges et observantias tam communis iamdicti, communis Veneciarum, et generaliter ad omnia et sin-

gula facienda, tractanda et exercenda atque percomplenda, que honori et excelentie ipsius ducalis dominii et communis Veneciarum atque conservationi, statui proficuo et roborationi antiquorum ordinum, statutorum et libertatum dicti communis Arbensis aridebuut; concedentes ipsi constituentes, nomine quo supra, ipsis constitutis plenum admodum et liberum et generalem mandatum et speciale faciendi supra modum quicquid fuerit opportunum secundum utrumque ius et secundum quod in predictis casibus requiritur, non obstante quod aliqua clausula generalis vel specialis in presenti sindicatu fuerit obmissa; et promittentes nominibus, quibus supra, ipsis constitutis pro se et eorum heredibus stipulantes, se ratum et gratum et firmum habituros, quicquid per eosdem in predictis et circa predicta fuerint tractata, gesta, commissa et completa et ordinata sub obligatione omnium bonorum dicti communis Arbensis presentium et futurorum. Et dederunt et tribuerunt predicto domino Lodovico Lauredano, capitaneo dictarum decem galearum, ut sindico et procuratori predicto nomine et vice eiusdem domini ducis et communis Veneciarum recipienti et stipulanti totum dominium liberum et expeditum civitatis, insule et districtus Arbi cum omnibus iuribus, rationibus et actionibus, pertinenciis et iurisdictionibus et honorificentiis, angariis, spectantibus et debentibus, pertinentibus dicto communi Arbi quoquo modo, cum assignatione clavium civitatis in signum possessionis et dominii dicte civitatis et districtus, salvis et reservatis eisdem universitati, communi et civibus Arbi omnibus suis statutis, legibus, consuetudinibus et gratiis, quas semper habuerunt cum predicto domino duce et communi Veneciarum, donec sub eorum protectione permanserunt; excepto quod electio, creatio et condictio comitis Arbi remaneat et esse debeat in libertate et voluntate prefati domini ducis et communis Venetiarum ad terminandum de ipsis, ut sibi videbitur et placebit; et quod predictis duci et communi Veneciarum sit licitum facere fabricare et fortificare civitatem predictam Arbi et alias fortilicias et machinas omnes fieri facere, que eidem domino duci communique Veneciarum vel eius officialibus apparebunt pro fortificatione et conservatione dicte civitatis et portus eius facienda de denariis introituum et redituum dicti communis Arbi, soluto primo comiti et aliis officialibus dicte civitatis et salariatis. Pro quibus omnibus supradictis firmius observandis et attendendis predicti sindici et procuratores, nomine quo supra, iuraverunt corporaliter ad sacra dei evangelia, tactis scripturis, ipsi domino Lodovico stipulanti et recipienti nomine supradicto dominium dicte civitatis et regiminis et districtus recognoscere ab eadem ducali dominacione, et eidem perpetuam servare fidelitatem; et e converso dictus dominus Ludovicus, nomine quo supra, iuravit corporaliter ad sacra dei evangelia, tactis scripturis, dictis sindicis et procuratoribus stipulantibus et recipientibus nominibus supra dictis prefactos cives, universitatem et commune Arbi semper deffendere, manutenere, guarentare et deffendere ab omnibus hostibus et personis, colegiis et universitatibus et communibus quibuscumque cum modis et condicionibus, consuetudinibus et gratiis supradictis. De quibus duo debeant fieri instrumenta eiusdem sententie et tenoris, quorum unus sit penes commune Veneciarum, et aliud penes commune Arbi.

Ego Francissono de Bochollis testis subscripsi. Ego Joahnes de Vidorio testis subscripsi. Ego Johannes Miani testis subscripsi. Ego Lodo-

vicus Contareno testis subscripsi. Ego Johannes de Nordolis de Imola cancellarius Arbensis etc. me subscripsi. L. S. Ego Nicolaus Johannis Mathei de Curtarondlis pred. distr. publica imperiali auctoritate notarius et Arbensis iuratus hiis omnibus interfui, et rogatus scribere, scripsi, publicavi et roboravi.

Izvornik na pergameni u mletačkom arkivu, br. 61.

CCXXXIX. God. 1379. 13 svibnja, u Mletcih.

Quidam Mataracius de Ortona exponit „quod tempore, quo galee seu armata nostra fuit ad Sibenichum, accidit, quod ipse habebat ibi unam suam barcham, quam caricaverat vino in dicta terra causa portandi illud aliquo, ubi lucrari putasset, que barcha fuit intromissa per nostros et combusta, vinum autem fuit ablatum, et quod ipse venit ad nostras galeas tamquam amicus, unde ipse fuit captus et missus Venetias cum aliis captivis Sibenici et positus in carceribus", ideo rogat, quod relaxetur. Consilium, audito etiam ser Lodovico Lauredano, assentit, quod fiat ei gratia.

Misti XXXVI 78, u mlet. arkivu.

CCXL. God. 1379. 20 srpnja, u Mletcih.

1379, 20 iulii. Consilium sapientum guerre concedit, ut Primus Premzi de Ragusio, carceratus cum Januensibus, possit ob gravem infirmitatem transferi e carcere in domum Pauli Pancogli s. Gervasii erga plezariam 1000 den. donec convaluerit.

Misti XXXVI. 128, u mlet. arkivu.

CCXLI. God. 1381. 8 i 24 kolovoza, u Turinu.

Pogodba mira sklopljena medju Ljudevitom ugar.-hrv. kraljem i republikom mletačkom i dotično njihovimi saveznici, kano i punomoćja.

I.

Instrumentum pacis celebrate in Taurino cum domino rege Ungarie, Januensibus, Paduano et patriarchata Aquilegiensi.

In nomine sancte et individue trinitatis, patris et filii et spiritus sancti, et gloriose virginis matris eius ac totius curie supernorum feliciter amen. Anno dominice nativitatis millesimo, trecentesimo octuagesimo primo, indictione quarta, die iovis octavo mensis augusti ante et circa horam vesperarum, in civitate Taurini provincie Pedemontium, in castro, in quo illustris et magnificus princeps et dominus dominus Amadeus commes, Sabaudie princeps, dux Chablaysii et Auguste, et marchio Italie suam residentiam faciebat, et (sic) in aula maiori dicti castri, presentibus reverendis in christo patribus dominis Johanne episcopo Taurinensi, Phylippo episcopo Trossellano, Guidone abbate sancti Michaelis Clusini; illustribus viris Amadeo de Sabaudia, domino Brerssie et Vallis bone, inclito genito domini comitis memorati, Amadeo de Sabaudia principe Achaye, Ludovico de Sabaudia ipsius domini principis germano; presentibus etiam honorabilibus et egregiis viris domino Donato de Aldigeriis legum doctore, Johanne

Cambii et Marco Benvenuti, oratoribus et ambaxiatoribus communis Florentie; et presentibus magistro Anthonio Marcellini, ordinis minorum sacre pagine magistro, oratore et ambaxiatore communis Ancone; viris egregiis et potentibus dominis Ybleto de Chalant, domino Montisioveti, Amedeo domino Vrteriarum, Girardo de Stres cancellario Sabaudie, Gaspardo de Montemaiori, domino Villarii Saleti, Stephano de Balma, Aymone Bonivardi, Bartholomeo de Chignino, Phylippo domino Collegii, Girardo de Novocastro, Richardo Musardi, Johannardo Pronane, militibus, Savino de Florano, Šurleono de Mediis Barbis, Thominó Borgesii, Romeo Canalis, Milone Gruati, legum doctoribus; Johanne domino Miolani, Bernardo nato domini et comitis Vallislangini, Bartholomeo et Vieto, condominis sancti Georgii ex comitibus Blandrate, Vieto et Bertheto condominis Ailladii ex comitibus sancti Martini, Georgio condomino Feruczasci, Aymone de Mentone, Petremando Ravasii, Guliemo de Seravalle, Sybueto Revoyrie, Cavallino de Cavallis, Johannino Provane condomino Durventi, et Petro Vicini de Confleto, et pluribus aliis testibus ad infrascripta vocatis specialiter et rogatis. Ab inicio nascentis mundi provida et ineffabilis dei sapientia, cui consilia non communicant aliena, rectum plasmavit hominem ad ipsius preclaram effigiem, ceteris animantibus prerogativa pollentem, conferens eidem cognitionem et scientiam boni et mali, ut iussibus dominicis proprium dedicaret propositum, et ad illicita suum animum imposterum non lapsaret, ut sic genus nobile suos motus refrenaret insobrios, et alter alterum non lederet indiscrete. Ad idem misericors et miserator dominus de summis celorum fastibus ad terre inferiora descendens per effusionem proprii sanguinis pacem, vicio parentum primitivorum infectam, rex pacificus misericorditer reformavit in terris, proprios nempe discipulos, de quorum firma stabilitate pensaverat, cum discessit ab eis, pace facta, munifica largitione dotavit, cum dixit: pax vobis. Quid autem aliud, nisi pacem ymnus dicit angelicus et tercius agnus dei? Verumtamen serpentis antiqui perfidia in humanum genus iniquitatis venena transfundens, ipsius diris conatibus portu salutis properam interdicto a semitis tranquilitatis et fidei repellere nequam non desinit incessanter, non permittens illos quiescere, qui solent esse voluntatum unanimes, solo momento firma stabilitate conformes. Cum igitur insurgente vario guerarum discrimine inter partes inferius nominatas, quod iam processu temporis malignorum impetibus in tantum invaluerat inter ipsas, quod ex inde cedes, vulnera, raptus, incendia et alia multipharia nephanda crimina sunt secuta, plerisque ab origine propria factis exulibus, aliis carcerum et vinculorum angustiis interclusis, multis viduatis uxoribus et parentum suorum solatio destitutis. Quot nobiles et potentes galearum impetibus submersis navibus perierunt; infinitis virginibus claustro virginitatis corruptis, quibus villis, castris et locis flammarum incendiis iam exustis variis hominibus membratim decisis, et aliis abhorendis criminibus, que narare non licet, in multitudine glomerosa commissis, adeo quod pre effusione sanguinis pugnatorum equora facta sunt multis ipsorum undis cruentantibus, proh dolor, rubicunda! Turbatur siquidem ex eis christianorum sincera devotio, corrumpitur monarchia et detestatur plurimum tota machina mundialis. Letantur quin ymo perfidi nequam orthodosorum emuli viribus reassumptis, errigentes nichilominus cornua superbe cetere barbare nationes. Quod attendens et consi-

derans prefatus illustris et magnificus princeps et dominus dominus Amedeus comes Sabaudie etc. tanquam verus pacis promotor et sincere christianitatis atleta, in archivo sue considerationis solita meditatione revolvens bona singula, que fructu pacis eminent proventura, quam bonum sit quamque iucundum habitare fratres in unum, quamque humanis laudibus attollendum, desiderans idem ipse princeps christianissimus, tanquam zelator federis et solicitus irrenarcha, furores partium mulcere, iras compescere et rancores expellere a cordibus earumdem carceres aperire et carceratorum dissolutis vinculis querere liberationem petitam, ita quod omni rancoris expulsa caligine, quod bellorum calamitas introduxit, hoc pacis lenitas sopiret. Hinc est, quod ad fidelem tractatum procurationem, promotionem et deliberationem felicem eiusdem preclarissimi et christianissimi principis et domini domini Amedei Sabaudie comitis memorati ipsis partibus de remotis regionibus ad ipsius domini comitis presentiam non sine variis sudoribus et expensis propterea convocatis, visis etiam et studio frequenti, matura deliberatione pensatis ac examinatis proinde petitionibus, demandis et singulis questionibus et querelis ac etiam responsionibus et exceptionibus factis subtiliter hinc et inde, ipse partes, videlicet reverendi in christo patres et domini, dominus Valentinus Quinqueecclesiensis decretorum doctor et dominus Paulus Zagrabiensis, episcopi, procuratores, actores, nuntii et legati serenissimi et invitissimi principis et domini domini Ludovici, dei gratia Ungarie, Polonie, Dalmatie, Croacie, Rame, Servie, Galicie, Lodomerie, Bulgarie, Comanieque regis, principis Salernitani et Honoris montis sancti Angeli domini, procuratorio et actorio nomine prefati domini regis habentes ad infrascripta plenum et sufficiens mandatum, prout constat publicis literis regiis magno sigillo maiestatis regie sigillatis in pendenti, datis Bude in palacio regali decima tercia februarii millesimo trecentesimo octuagesimo primo, quarum tenor inferius est insertus; cum quibus dominis procuratoribus regiis fuit presens egregius dominus Johannes Dominici de Postoh, miles aule regie, qui cum dictis dominis ambaxiatoribus fuerat ad ea, sicut asseruerunt, per regiam maiestatem transmissus; et cum eis fuerunt etiam presentes egregii viri domini Paulus de Georgiis miles et Jacobus de Raduchis legum doctor, communis Jadre ambaxiatores, ut asserebant, ex una parte, et honorabiles et egregii viri dominus Leonardus de Montealto, legum doctor, Franciscus Embriacus, Neapolionus Lomellinus et Matheus Marucius, cives Janue, sindici, actores, procuratores, ambaxatores et nuntii speciales illustris et magnifici domini domini Nicolai de Goarco, dei gratia Januensis ducis et populi defensoris et eius consilii et communis Janue nomine et vice prefatorum illustris et magnifici domini ducis, consilii et communis, habentes ad infrascripta plenum et sufficiens mandatum, ut patet publico instrumento scripto manu Baldasalis Nicolai de Pineto, imperiali autoritate notarii et prefatorum illustris domini ducis eius consilii et communis Janue cancelariii, sub anno dominice nativitatis millesimo trecentesimo octuagesimo primo, indictione tercia secundum cursum Janue die nona maii, hora paulo ante tercias, cuius tenor inferius est insertus ex una alia parte; et egregii viri domini Thadeus de Azoguidis miles Bononiensis, Antonius de Zechis de Montecalerio et Jacobus Turchetus, legum doctores, actores et procuratores, ambaxiatores et nuntii speciales magnifici et excelsi domini domini Francisci de Carraria Padue etc. impe-

rialis vicarii generalis, filii quondam recollende memorie magnifici domini Jacobi de Carraria, olim domini Padue, et magnifici domini Francisci iunioris, nati ipsius domini Francisci de Carraria, nomine et vice ipsorum et cuiuslibet eorundem; et dictus dominus Jacobus Turchetus sindicus, actor et procurator communis et universitatis dicte civitatis Padue nomine et vice dicti communis, habentes ad infrascripta plena et sufficientia mandata, prout apparet tenore duorum publicorum instrumentorum, unius videlicet prefactorum dominorum patris et filii, scriptu manu Bandini filii Angeli notarii de Bandino de Brazis civis Padue, imperiali auctoritate notarii, ipsius magnifici domini Padue scribe sub anno nativitatis domini millesimo trecentesimo octuagesimo primo, indictione quarta, die iovis decima octava mensis aprilis, et alterius, scilicet communis Padue scripti manu Johannis de Bassanello filii ser Rolandi civis Padue, imperiali auctoritate notarii, sub anno nativitatis domini millesimo trecentesimo octuagesimo primo, indictione quarta, die sabati vicesimo mensis aprilis, quorum tenores inferius sunt descripti dictis nominibus ex una alia parte; et venerabilis et egregius et circumspectus viri domini, Georgius de Tortis de Papia iuris utriusque peritus, decanus ecclesie Aquilegiensis, Fredericus de Savorgnano miles et Nicolaus Zerbini de Utino, judici, actores, procuratores, ambaxatores et nuncii speciales egregii et venerabilis viri domini Frederici comitis de Porciliis, Aquilegiensi sede vacante, vicedomini generalis patrie Fori iulii ac dominorum . . . . . consilii, parlamenti, prelatorum, nobilium, communitatum et capituli ipsius patrie, nomine et vice predictorum habentes ad infrascripta plena et sufficientia mandata, ut apparet ex forma duorum publicorum instrumentorum scriptorum, unius videlicet manu Anthonii quondam Nicolai olim ser Guarnerini de Sonunbergo, publici imperiali auctoritate notarii et iudicis ordinarii, nec non et patriarchalis curie spiritualis acquilegiensis officialis et scribe, sub anno dominice nativitatis millesimo trecentesimo octuagesimo primo, indictione quarta, die nona mensis aprilis, et alterius manu Johannis quondam Lancelloti de Cacanea, aquilegiensis diocesis clerici, imperiali auctoritate notarii et notarii capituli Acquilegiensis sub anno nativitatis domini millesimo trecentesimo octuagesimo primo, indictione quarta, die undecimo mensis ianuarii, sigillo dicti acquilegiensis capituli sigillati in pedenti, quorum tenores inferius sunt inserti, ex una alia parte. Et honorabiles et egregii viri domini Zacharias Contareno, Johannes Gradonico et Michael Mauroceno procurator ecclesie sancti Marci, cives venetiarum, sindici, procuratores, actores, ambaxiatores et nuncii speciales illustris et magnifici domini domini Andree Contareno dei gratia ducis Venetiarum etc. etc. . . . consiliorum eius et communis Venetiarum nomine et vice prefatorum, illustris et magnifici domini ducis, consiliorum et communis Venetiarum, habentes ad infrascripta plenum et sufficiens mandatum, ut patet publico instrumento scripto manu Leonardi de Anzollellis de Venetiis notarii, sub anno domini millesimo trecentesimo octuagesimo primo, indictione quarta, die quinto mensis aprilis, cuius tenor inferius est insertus dictis nominibus ex una altera parte. Ad infrascriptam pacem, transactionem, compositionem, conventiones, et pacta solemnibus stipulationibus hinc inde mutuo et vicissim interpositis, concedente domino perpetuo duraturas, pervenerunt et pervenisse dictis nominibus et quolibet dictorum nominum singula singulis refferendo confitentur in forma infrascripta:

In primis namque prefati reverendi in christo patres domini quinqueecclesiensis et zagrabiensis episcopi, cum quibus, ut supra, erat dominus Johannes Dominici de Postoh, nominibus quibus supra ex parte una; et prefati domini Zacharias Contareno, Johannes Gradonico, et Michael Mauroceno, nominibus quibus supra ex altera, sibi invicem mutuo et vicissim remiserunt omnes injurias, rancores, odia, offensas, incendia, homicidia, furta, rapinas, cedes, predas, et alia quecumque et cuiuscunque generis offensiones, damna realia et personalia, illatas et illata per unam ipsarum partium contra aliam seu alteram, contra reliquam, seu terras, universitates, gentes, subditos, seu singulares personas, adherentes, valitores et sequaces ipsarum partium et cuiuslibet earum, seu inter eas, per eas, vel contra eas, toto tempore preterito usque in diem presentem, et omnes penas et interesse, in quibus per presentem guerram, vel aliqua hinc retro inter dictas partes facta vel commissa fuisset, in cursum. Facientes dicte partes dictis nominibus de predictis omnibus et singulis sibi invicem et vicissim finem, quietationem, omnimodam libertationem et pactum de ulterius non petendo; ac se invicem et mutuo liberantes per acceptilationem et acquilianam stipulationem, verbis solennibus et legitimis interpositas. Promittentes sibi invicem et vicissim, quod occasionibus supradictis nulla imperpetuum lix, causa, molestia, controversia vel requisitio fiet vel movebitur per aliquam ipsarum partium, terras, universitates, gentes, subditos seu singulares personas subditas ipsarum partium, contra alteram partem, terras, universitates, gentes, subditos seu singulares personas subditas ipsarum seu adherentes et sequaces ipsarum partium, vel alicuius earum, in iudicio vel extra, de iure vel de facto. Et non obstantibus predictis dicte partes inter se mutuo et vicissim nominibus, quibus supra, firmaverunt bonam et veram pacem, deo propicio, perpetuis temporibus inviolabiliter duraturam.

Item fuit actum inter dictas partes, quod omnes et singuli captivi, carcerati et detenti parcium predictarum et cuiuslibet ipsarum ac subditorum ipsorum, ubicunque sint et penes quemcunque capti vel detenti sint, et quicunque sint sive capti fuerint per ipsas partes vel gentes ipsarum vel per singulares personas seu stipendiarios ipsarum partium et cuiuslibet earum, sive si fuerint detenti in virtute sue potestatis ipsarum partium, vel quarumcunque singularium personarum cuiuscunque conditionis et gradus sint, libere et sine aliqua redemptione, exactione vel impedimento quocunque reali vel personali relaxentur, liberentur et expediantur, ac restituantur pristine libertati infra tempora et prout inter dictas partes extiterit ordinatum.

Successive, cum guerre, lites, questiones et controversie verterentur, verti sperarentur, et in futurum verti possent inter prefatum serenissimum dominum regem ex una parte, et dictum commune Veneciarum ex alia super eo quod prefatus serenissimus dominus rex Ungarie dicebat, buccas fluminum Gulfi ad se spectare et pertinere; et quod sibi et suis subditis licebat libere et impune ad dictas buccas, et in eis navigare, intrare et exire, imittere et exportare sal et alias quascumque merces pro sue libito voluntatis, sicut et quemadmodum in aliis partibus dicti Gulfi habet. Sic etiam dicebat habere a Pulmentorio et ab Arimino exclusive versus Venecias, nec dicto communi Veneciarum competere jus prohibendi ipsi do-

mino regi vel eius subditis introitum et exitum dictarum buccarum cum quibuscunque navigiis, rebus et mercibus; ac etiam diceret ipse serenissimus rex, quod ad apperiendum dictas buccas et libere permittendum ipsum dominum regem et suos subditos dictas buccas et quamlibet earum intrare, exire, imittere et extrahere, erat et est commune Veneciarum eidem expresse et specialiter obligatum vigore pacis alias facte et firmate inter dictas partes, de qua apparet publice litere ipsorum dominorum regis et ducis date regie videlicet Jadre millesimo trecentesimo quinquagesimo octavo, die octavodecimo februarii, et ducis die vigesima quinta februarii, ac etiam vigore iuris communis, et multis aliis racionibus et ex causis. Ex adverso, prefatum commune Venetiarum diceret, dictas buccas ad se pleno iure spectare, sibique legitime competere ius prohibendi et vetandi dictas buccas et accessum ad eas, in eis et per eas et versus earum; et quod ipsi serenissimo domino regi nec eius subditis licebat contra dicti communis Veneciarum voluntatem ad dictas buccas accedere vel navigare vel in eis quidquam imittere vel de eis extrahere contra ipsius communis voluntatem; ac negaret dictum commune vigore dicte pacis prefato serenissimo regi, vel suis subditis ad predicta se fore aliqualiter obligatum, et dicto domino regi vel subditis suis seu alicui alii in dictis buccis ius aliquod competere quovis modo seu occasione qualibet sive causa. Finaliter dicte partes sub tractatu prefati illustris domini Amedei comitis Sabaudie et ad infrascriptam transactionem, compositionem et pacta solempnitus stipulationibus hinc inde intervenientibus pervenerunt in forma infrascripta, videlicet, quod pro omni iure ipsi domino regi et eius succesoribus et subditis quomodocunque et qualitercunque competenti navigandi per culfum, silicet intra dictos confines, videlicet a Pulmentorio et ab Arimino exclusive versus Venecias, et ad dictas buccas et in eis, et imittendi quascumque res et merces, et inde extrahendi et exportandi, et pro quocunque interesse ipsius domini regis et subditorum suorum pro eo quod per dictum commune Veneciarum prohibeantur uti dictis buccis, et pro omni iure, petitione, actione et requisitione, que in eis buccis vel pro eis vel earum occasione competerent dicto domino regi, successoribus et subditis suis, quomodocunque et qualitercunque, et occasione qualibet sive causa; et ut ipsi domino regi et eius successoribus et subditis in dictis buccis perpetuum silencium imponatur, sic et taliter, quod intra dictos limitos, videlicet a Pulmentorio et ab Arimino exclusive versus Venecias navigare cum mercibus seu aliis quibuscunque victualibus sive rebus, exceptis tamen hiis, que pro victu et vestitu ipsorum quomodolibet expedirent, alio quam Venecias non valeant nec possint, sine mercibus autem etiam victualibus et rebus predictis, cum hiis tamen que pro victu et vestitu ipsorum expedirent, ut supra intra dictos limites navigare valeant atque possint. Dictum commune Venetiarum dare et solvere debeat dicto domino regi et eius successoribus in regno et corona et ipsi corone representanti regnum et presidentibus pro ipsa corona imperpetuum annuatim ducatorum septemmilia boni auri et in auro et boni et iusti ponderis, solvenda dicto domino regi et eius successoribus et corone et presidentibus predictis vel thesaurariis ipsorum et cuilibet alii habenti ydoneam potestatem recipiendi solutionem predictorum septem milium ducatorum, et de ipsa solutione quietationem, absolutionem et liberationem debitam faciendi per procuratorem

seu sindicum dicti communis in festo sancti regis Stephani vicesima die augusti cuiuslibet anni, vel ante dictum festum. Qua solutione facta, quietationem et liberationem de receptis facere teneatur et teneantur nuntio et sindico Venetorum. Quod si nullus predictorum ibi esset, tunc consignent et deponant dictam pecunie quantitatem vel pignora aurea vel argentea infrascripta infra viginti dierum terminum inferius descriptorum; et quod dicta pecunia risico et periculo communis Veneciarum portetur usque ad civitatem Jadre, et ibi et ab inde in antea usque ad civitatem Bude, et in Buda per officiales et gentes dicti domini regis successorum et corone debeant salva fieri, sociari et conduci risico et periculo dicti domini regis successorum et corone predictorum. Sic tamen, quod si, postquam dicta pecunia quo parte dictorum Venetorum Jadra conducta fuerit ut prefertur, aliquo casu fortuito perderetur, intelligatur et sit dictum commune Venetiarum liberatum penitus et quietatum de ipsa quantitate predicta; conducatur tamen expensis dicti communis Veneciarum, quantum de vectura et nuncio seu sindico Venetorum; et si dicta solutio dictis loco et tempore facta non fuerit, tunc procurator vel sindicus nomine dicti communis Veneciarum teneatur et debeat se presentare coram suprascriptis, vel aliquo eorum, ut supra, quibus dicta solutio fieri debet infra viginti dies ex tunc proxime subsequentes, et ponere et conducere et realiter consignare eo modo quo dicta pecunia conduci debet, ut supra, in Buda tot pignora aurea vel argentea equivalentia dicte quantitati septem milium ducatorum, que pignora communi extimatione vendi possint usque ad dictam quantitatem septem milium ducatorum; que si facta non fuerint, ut supra, tunc incurrat commune Veneciarum in penam ducatorum decem millium pro qualibet vice seu anno. Et si tribus annis, seu per tres vices in solutione, depositione et consignatione predictis dictum commune Veneciarum cessaverit, tunc per dominum regem, eius successores, coronam presidentes predictos singula singulis refferendo, seu pro eius parte, fieri debeant protestationes et denuntiationes contra dictum commune Veneciarum tres et per temporum intervalla, videlicet pro una quaque denuntiatione inter denuntiationem et denuntiationem sex mensium. Que protestationes et denuntiationes fiant coram infra scripto iudice, sic tamen et taliter, quod per dictum iudicem dicte tres denuntiationes et protestationes ad noticiam dictorum ducis et communis Veneciarum deducantur. Et si tribus vicibus seu tribus annis continuis vel interpollatis cessatum et contra factum fuerit, et facte fuerint, ut supra, dicte protestationes et denuntiationes, et non fuerit soluta sors predicta in loco predicto, vel facta non esset consignatio pecunie et depositio pignorum predictorum cum solutione dictarum penarum dicto domino regi vel suis successoribus, vel corone vel alicui predictorum nomine ipsorum recipientium, ut prefertur, et elapsa forent tempora omnia predicta, tunc dumtaxat et non ante intelligatur presens pax rupta dicto domino regi. Item quod dicto casu liceat dicto serenissimo domino regi et successoribus eius in regno et corona petere et exigere dictas sortes sive prestationes pro dictis annis, quibus solutio facta non esset, et dictas penas, in quas dicta occasione esset incursum. Et ultra liceat dicto domino regi et successoribus eius predictis uti quibuscunque juribus suis sibi competentibus in dictis buccis et ad eas, et usum earum contra commune Veneciarum, non obstante in aliquo presenti transactione nec pactis proinde ac

si facta non essent, et prout poterat ante presentem guerram. Sane tamen intellecto quod dicto casu occasione presentis pacis vel transactionis, vel aliquorum contentorum in eis sine occasione solutionis seu prestationis dicte quantitatis septem milium ducatorum, ad quam dicti Veneti se obligaverunt, seu aliqua occasione vel causa ex presenti pace vel transactione seu aliquorum contentorum in ea, dicto domino regi nullum ius in ipsis buccis vel aliqua ipsarum acquiratur, augeatur vel amplietur, ultra quam haberet ante proximam presentem guerram. Nec ipsi communi Veneciarum in ipsius vel aliqua ipsarum, seu iuribus suis aliquod preiudicium generetur, nec ius aliquod, rupta pace, prout supra, per dictos Venetos acquisitum intelligatur dicto communi Veneciarum nec dicto domino regi in aliquo diminutum. Et pro maiori cautela et stabilimento predictorum dicte partes teneantur ratificare presentem pacem et contenta in ea. Et quod dictus dominus dux in consilio habente omnimodam potestatem, in quo debeant adesse ipse dominus dux et sex consiliarii sui, tria capita de quadraginta, sapientes de guerra, consilium de quadraginta, consilium rogatorum et consilium adiuncte, nomine dicti communis teneantur emologare et approbare presens capitulum. Et dominus dux et omnes de dicto consilio teneantur de observantia corporaliter et expresse iurare super tota pace et specialiter capitulo supradicto. Et quod omnes duces Veneciarum, qui pro tempore erunt, cum eorum consiliis predictis semper et quandocunque ad requisitionem prefati serenissimi domini regis et successorum eius teneantur semel tamen pro quolibet duce prestare dictum iuramentum. Et versa vice prefatus dominus rex et singuli eius imposterum successores similiter teneantur de observantia totius presentis pacis et transactionis et omnium contentorum in ea iurare corporaliter, ut prefertur, pro quolibet rege semel tantum.

Demum pro stabilimento predictorum, et ut predicta omnia et singula firma sint et effectum et exequutionem debitam assequantur, dicte partes super omnibus et singulis in presenti pace et instrumento contentis elligunt et assumunt in iudicem, cognitorem et executorem omnium predictorum sanctissimum dominum nostrum papam, in quem et cuius iurisdictionem et tribunal expresse consentiunt, eius iurisdictionem expresse et solenniter prorogando. Cuius cognitioni et deliberationi dicte partes stare promittunt, et sibi invicem dare, facere et observare omne et quidquid per ipsum sanctissimum dominum nostrum papam dictum, sententiatum seu declaratum fuerit, et solutionem in terra seu loco tribunalis et iudicii prefati sanctissimi domini nostri pape sibi invicem facere promittunt, per quem pro omnibus et singulis in presenti pace contentis voluerunt contra dictas partes et quamlibet earum realiter et personaliter, temporaliter et spiritualiter posse et debere procedi. Renuntiantes fori privilegio non sui iudicis legi, si convenerit ff. de iurisdictione omnium iudicum et omni alii iuri canonico et civili.

Item cum in pace antiqua alias facta inter prefatum serenissimum dominum regem et commune Veneciarum contineatur, quod dominus dux et commune Veneciarum effectualiter renuntiant de facto in manibus prefati domini regis Ungarie et successorum suorum toti Dalmatie, nuncque dicti sindici procuratores et ambaxatores dicti domini ducis et communis Veneciarum, nomine dictorum dominorum ducis et communis Veneciarum

in presenti pace renuntiant effectualiter de iure et de facto in manibus supradictorum dominorum episcoporum procuratorum et actorum dicti domini regis, recipientium nomine et vice dicti domini regis et successorum suorum, in regno et corona toti Dalmatie, a medietate scilicet quarnarii usque ad confines Duracii, tanquam ab antiquo de iure regno et corone Ungarie spectanti et pertinenti.

Item fuit actum inter dictas partes, quod super facto standalis sancti Marci de Segna et iurisdictionis consulatus, quam commune Veneciarum in loco Segne obtinet, sit et esse debeat in electione serenissimi domini regis et dominorum comitum Segne simul in hac forma, videlicet quod si disposuerint vel elegerint standale et consulatum de Segna tolli, quod hoc casu dicti domini comites de Segna carere debeant omnibus et singulis beneficiis, honoribus, privilegiis, pactis et conventionibus, que haberet in Veneciis et cum communi Veneciarum, nisi tamen ipsi domini comites Segne ostenderint se in Veneciis et cum comunitate Veneciarum habere alia privilegia, honores, beneficia, pacta et conventiones alia occasione, quam occasione dictorum standalis et consulatus, que dicti de Veneciis habent in loco Segne; quo casu illa alia, que alia occasione ostenderent se habere, etiam imposterum habeant, non obstante remocione dictorum standalis et consulatus.

Item fuit actum et solenniter conventum inter dictas partes, quod omnes subditi regii, et precipue Jadratini, tam in civitate Veneciarum, quam in quibuscunque terris et locis sibi subditis possint et valeant tute et sicure mercari et mercationes facere, et alia quecunque, que et prout ante presentem guerram facere poterant, et quod dicti subditi regii, et precipue Jadratini, per commune Veneciarum et eius officiales benigne et favorabiliter tractentur sine aliqua iniuria vel offensa; sane semper intelligendo, quod per presens capitulum, nec aliqua in ipso contenta non intelligantur dicti subditi regii seu Jadratini navigare seu mercari posse in dictis buccis, nec aliis locis in presenti instrumento prohibitis. Et versa vice dicti Veneti et subditi eorum in regno Ungarie et terris et locis sibi subditis, possint et valeant tute et secure mercari et mercationes facere et alia quecunque, que et prout ante presentem guerram facere poterant; et quod dicti Veneti et eorum subditi per prefatum serenissimum dominum regem et eius officiales benigne et favorabiliter tractentur sine aliqua iniuria vel offensa. Et ultra predicta, quod dicti Jadratini usque ad annos viginti singulis annis et quolibet anno, et alii dalmatini usque ad dictos annos viginti singulis annis et quolibet anno, possint et valeant et eis conceditur et concessum esse intelligatur per dictum commune Veneciarum portare vel portari facere ad dictam civitatem Veneciarum tot res seu merces ex illis, que nascuntur vel extrahuntur de teritorio dicti domini regis, que valeant ducatorum vigintiquinque milia auri, videlicet dicti Jadratini valorem ducatorum vigintimilium, et alii dalmatini valorem ducatorum quindecim milium. Quas res et merces ad dictam civitatem Veneciarum per dictos Jadratinos et dalmatinos delatas vel transmissas vendere et vendi facere, et alio quocunque titulo alienare possint in dicta civitate Veneciarum quibuscunque personis eis placuerit etiam non Venetis. Et in dicta civitate Veneciarum dicti Jadratini et dalmatini emere et alio quocunque titulo acquirere possint sigulis annis et quolibet anno ex dictis

annis viginti tantam quantitatem mercium, mobilium, que valeant dicta vigintiquinque milia ducatorum, dividenda inter dictos Jadratinos et dalmatinos pro rata predicta a quibnscunque personis etiam non Venetis, et ipsas merces portare possint Jadram et Dalmatiam et ad alias partes subditas dicto domino regi, ipsis Jadratinis et dalmatinis solventibus tam portando quam extrahendo, et tam ementibus quam vendentibus gabellas, dacia, pedagia et alia onera consueta, que per Venetos tantum solvuntur. Et quod per dictum commune Venetiarum licentia concedatur quibuscunque non Venetis emendi a dictis Jadratinis et dalmatinis, ut supra, et similiter eisdem vendendi absque aliquo banno sive pena, et hoc singulis annis pro quantitatibus et usque in quantitates contentas in presenti capitulo, dummodo per predicta non intelligatur, quod dicti Jadratini et dalmatini possint Venecias portare sal, nec imittere vel extrahere de Veneciis ea, que Veneti proprii imittere vel extrahere non possunt. Et sic predicta fiant sine dolo et tali cautela adhibita, quod salvis predictis et concessione predicta commune Veneciarum desfraudari non possit.

Item quod per dictum commune Veneciarum conceditur et concessum intelligatur in perpetuum dictis Jadratinis, quod eisdem liceat emere in Veneciis et inde extrahere cupos seu tegulas et matones tantum pro constructione et reparatione edificiorum suorum, absque solutione alicuius pedagii, dacii vel gabelle.

Item fuit solenniter conventum inter partes predictas nominibus antedictis, quod commune Veneciarum, nec aliquis officialis eiusdem non possit facere aliquod statutum, devetum vel provisionem specialem contra subditos dicti domini regis, et precipue contra Jadratinos seu in ipsorum preiudicium. Generaliter vero statuere et ordinare liceat pro libito voluntatis.

Item fuit actum et conventum inter dictas partes dictis nominibus, quod bona immobilia singularum personarum existentia in Veneciis vel territorio dicti communis Veneciarum, que tempore inchoationis presentis guerre erant aliquorum subditorum dicti domini regis seu per eos possidebantur, restituantur eisdem in eo iure possessionis et dominii, quo tenebantur tempore inchoationis presentis guerre. Et eodem modo omnia bona immobilia singularum personarum de Veneciis vel eorum territorio existentia in territoriis prefati serenissimi domini regis dictis singularibus personis restituantur in eo iure possessionis et dominii, quibus tenebantur ante presentem guerram.

Item fuit actum et specialiter conventum inter dictas partes dictis nominibus, quod de debitis, ad que subditi unius partis tenebantur subditis alterius partis tempore inchoationis presentis guerre, fiat iusticia perinde ac si presens guerra non occurisset.

Item quod Veneti cum aliqua galea vel galeis armatis intrare non possint aliquem portum de catena dicti domini regis seu subditorum suorum, contra voluntatem habitancium seu tenencium dictum portum.

Item fuit actum et specialiter conventum inter dictas partes dictis nominibus, quod dicto domino regi restituantur omnes terre, loca et castra, que per commune Veneciarum tenentur, que dicto domino regi ablata fuissent per Venetos tempore presentis guerre, et specialiter civitas et castrum Cathari; et versa vice dictis domino duci et communi Veneciarum restituantur omnes terre, loca et castra, que per dictum dominum regem tenen-

tur, que dicto domino duci seu communi Veneciarum ablata fuissent tempore presentis guerre. Acto tamen inter ipsas partes, quod vigore huius capituli prefatus dominus rex non sit obligatus quo ad Tarvisium et terras et loca traditas et tradita domino duci Leopoldo per dominum ducem et commune Veneciarum in Tarvisio et territorio Tarvisino seu que per dictum dominum Leupoldum detinentur, nec etiam aliquod ius competens dicto domino duci et communi Veneciarum in ipsis in aliquo minuatur, sed in eis sua iura remaneant semper salva, nec per aliqua in presenti capitulo contenta intelligantur commune Veneciarum seu dicti sindici eius nomine aliquid immutasse, nec sibi quomodolibet derogasse, seu innovasse vel preiudicasse etiam quovis modo aliquibus conventionibus seu pactis, que habeant vel hactenus habuerint cum prefato domino duce Leopoldo in, super, de, seu pro civitate Tarvisii et Cenetensi, seu territorio Tarvisino et Cenetensi. Et similiter etiam vigore presentis capituli prefatus dominus rex non sit obligatus quo ad terras et castra, que de dicto territorio Tarvisino tenet magnificus dominus Franciscus de Carraria dominus Padue, videlicet castra Anoalis, castri Franci, Asili, bastitam Romani et turrim rotundam, de supra Silere, bastitam Casalis, bastitam castri Alverii, cum territoriis, villis et iurisdictionibus spectantibus ad dicta loca. Nec etiam intelligatur dictus dominus rex vigore dicti capituli obligatus ad restitutionem bastite de Colle et Roche sancti Martini de Ceneda cum villis, territoriis et jurisdictionibus eorum, que per dictum dominum regem vel suas gentes tenentur. Nec etiam intelligatur vigore presentis capituli prefatus dominus rex obligatus quo ad terras et castra, que dominus patriarcha seu illi de patriarchatu Aquilegensi tenent seu occupaverunt in presenti guerra. Hoc tamen salvo et sane intellecto, quod prefatus serenissimus dominus dominus rex per se vel alium non possit nec debeat capere, occupare vel tenere aliquam ex terris, castris vel locis, que in guerra presenti capta seu occupata sunt vel fuerunt per dictum dominum patriarcham vel vicedominum vel gentes de patriarchatu, que vigore seu virtute presentis pacis facte et firmate cum sindicis, actoribus et procuratoribus dicti patriarchatus debent relinqui et dimitti libera et expedita dicto communi Veneciarum, nisi prius facta restitutione dicto communi Veneciarum per dictos Aquilegenses. Ita tamen et taliter, quod per dicta verba etiam post dictam restitutionem non intelligatur, quod dictum dominum regem contra formam presentis pacis posse capere vel invadere dicta loca.

Item fuit actum inter dictas partes, quod adherentes et sequaces dicti domini regis intelligantur et sint inclusi in presenti pace, videlicet spectabiles viri Guecelonus Gerardus et Rizardus de Camino comites Cenetenses cum ipsorum subditis, locis et fortiliciis quibuscunque. Et similiter pro parte communis Veneciarum spectabiles viri Rambaldus et Ansedisius comites de Colalto tanquam ipsorum Venetorum adherentes, cum ipsorum subditis, locis et fortiliciis quibuscumque includantur in pace presenti.

Demum fuit inter partes predictas dictis nominibus conventum, quod super non specificatis et declaratis in presenti pace stetur paci antique inter parte predictas hactenus celebrate.

Et supradicti syndici, actores et procurates, ambaxatores et nuntii dictorum dominorum ducum, consiliorum et communium Janue ex una parte et Venetiarum ex altera pro dictis dominis ducibus, consiliis, civitatibus,

communitatibus, terris, subditis et fidelibus, adherentibus, valitoribus et sequacibus ipsarum partium et cuiuslibet eorum in quibuscumque mundi partibus existentibus, contraxerunt sibi invicem mutuo et vicissim et inter se bonam et veram pacem dirigente domino perpetuo duraturam. Et primo sibi invicem et vicissim remiserunt omnia odia, rancores, iniurias, offensas, cedes, vulnera, captiones, raptus, rapinas, incendia, violentias et alia quecumque dampna tam realia quam personalia per dictas partes vel aliquos subditos ipsarum partium vel alterius earum seu aliquas gentes vel singulares personas ipsarum vel alterius earum seu adherentes, complices, valitores vel sequaces ipsarum partium communiter vel divisim contra reliquam partem, terras, subditos, gentes vel singulares personas ipsarum seu adherentes, complices, valitores vel sequaces alterius partis quomodocumque et qualitercumque illata, data seu facta fuissent et in quibuscumque mundi partibus et tam in mari quam in terra hinc retro usque in diem et horam presentes, et omnes penas et interesse, in quibus per presentem guerram vel aliqua hinc retro inter dictas partes facta vel commissa fuisset incursum. Facientes sibi invicem et vicissim dicte partes nominibus antedictis de predictis omnibus et singulis finem, quietationem, omnimodam liberationem et pactum de ulterius non petendo. Nec non de predictis omnibus et singulis per acceptilationem et aquilianam stipulationem verbis solempnibus et legiptimis interpositas, plenarie sese invicem liberando, sibi invicem mutuo et vicissim promittentes bonam et veram pacem predictis non obstantibus perpetuo observare: et quod occasionibus supradictis nulla in perpetuo lis, causa, molestia, contraversia vel requisitio fiet vel movebitur per unam partem contra aliam vel per singulares personas unius partis contra alteram vel contra singulares personas alterius partis, complices, adherentes, valitores et sequaces ipsarum partium vel alterius ipsarum in iudicio vel extra tam de iure quem de facto.

Item fuit actum inter dictas partes, quod omnes et singuli captivi et carcerati et detenti partium predictarum et cuiuslibet ipsarum ac subditorum ipsorum ubicunque sint et penes quoscumque capti vel detenti sint et quicumque sint sive capti fuerint per ipsas partes vel gentes ipsarum vel per singulares personas seu stipendiarios ipsarum partium et cuiuslibet earum sive etiam si fuerint detenti in virtute seu potestate ipsarum partium vel quarumcumque singularium personarum cuiuscumque conditionis et gradus sint, libere et sine aliqua redemptione, exactione vel impedimento quomodocumque reali vel personali relaxentur, liberentur, expediantur ac restituantur pristine libertati infra tempora et prout infra inter dictas partes extiterit ordinatum.

Item fuit actum inter dictas partes nominibus antedictis, quod insula de Tanedon cum omnibus et singulis castris, burgis, villis, locis, domibus, edificiis et habitationibus in eadem insula existentibus cum ipsorum iuribus et pertinentiis infra menses duos cum dimidio proxime venturos in manibus prefati domini Sabaudie comitis seu eius certi vel certorum nuntiorum per Venetos libere relaxentur et expediantur tenenda per eos vel eius nuncios sumptibus communibus partium predictarum. Qui siquidem dominus comes Sabaudie de eadem insula, castris, burgis et aliis ipsorum pertinentiis per se et alium seu alios eius certos nuntios possit facere prout sue fuerit voluntatis. Acto tamen et in pacto expressum deducto

pariter et convento inter prefatos dominos Sabaudie comitem et ambaxiatores Januensium et de consensu et conscientia dictorum syndicorum et ambaxiatorum Venetorum, quod omnia castra, edificia, burgos, domos et habitationes quascumque dicte insule quandocumque placuerit dictis domino duci et communitati Janue ipse dominus Sabaudie comes dirui ac demoliri a summo usque ad deorsum totaliter facere teneatur, sumptibus tamen dicti communis Janue, sic etiam et taliter, quod nunquam rehedificari nec habitari valeat ipse locus. Quam quidem relaxationem et expeditionem dicte insule Tenedi et omnium predictorum per prefatum dominum ducem et commune Veneciarum eidem domino comiti libere et realiter ut premittitur facere infra tempus predictum solempniter promittunt dicti sindici et procuratores prefati domini ducis et communis Veneciarum sindicario nomine ipsorum sindicis et procuratoribus supradictis domini ducis et communis Janue sindicario nomine ipsorum recipientibus, et facere et observare sub pena florenorum centum quinquaginta milium boni auri et iusti ponderis. Pro qua pena infra dies quinquaginta proxime venturos promittunt deponere penes unam ex communitatibus Bononie, Florentie, Pisarum et Ancone vel penes duas ipsarum communitatum tot jocalia, que extimabuntur valoris dictorum florenorum centum quinquaginta milium. Que quidem jocalia penes unam vel duas ex dictis communitatibus stare debeant usque ad dictum tempus, quo dicta restitutio Tenedi prefato domino Sabaudie comiti fieri debet ut supra. Et si dicta restitutio infra dictum tempus et terminum fuerit facta, debeant dicta jocalia prefatis domino duci et communi Venetiarum vel eorum certis nuntiis libere et integre restitui atque reddi. Si vero infra dictum tempus et terminum dicta relaxatio et expeditio predictorum insule et locorum facta non fuerit, ut prefertur, eo casu dicta iocalia predictis domino duci et communi Janue libere per dictum vel dictos depositarios debeant expediri et tradi et pene predicte cedere in solutum. Que quidem communitas et communitates, penes quam vel quas dicta depositio fiet, debeat vel debeant ad predicta se solemniter obligare cum promissionibus et iuramentis, quod predicta facient et complebunt, non obstantibus quibuslibet represaliis, compensationibus, questionibus, querelis et ceteris quibuscumque, vigore quorum restitutio predictorum jocalium ut premittitur communi Januensi facienda posset aliqualiter impediri. Et tradita eidem domino comiti aut eius certis nunciis vel nuncio possessione dicte insule de Tenedon, castrorum, burgorum et pertinentiorum suorum, dicte partes teneantur et debeant earum expensibus communibus de tota ipsarum partium potentia protegere et defensare dictum dominum comitem et alios ibidem eius nomine deputandos ab omnibus et contra omnes, qui dictam insulam, castrum, burgos vel pertinentias aut ibidem pro domino comite habitantes invaderent seu alias offendere presumeret quovis modo.

Item cum illustris et serenissimus princeps et dominus Petrus dei gratia rex Jerusalem et Cypri non venerit nec transmiserit aliquem procuratorem pro ipso cum ydoneo et sufficienti mandato ad tractatum pacis presentis cum Januensibus faciende, quod dicti Veneti seu commune Veneciarum guerra durante presenti inter dictum dominum regem et commune Janue de ipso domino rege et suis se nulactenus intromittent directe vel indirecte publice vel occulte: eidemque ipsa presenti guerra durante non prebeant quovis modo auxilium, consilium vel favorem. Eo excepto,

quod dominus Fredericus et Franciscus Cornarii et ceteri Veneti et successores ipsorum fructus, redditus, exitus, obventiones et emolumenta, que et quos nasci et provenire contigerit ex prediis, possessionibus, vel bonis ipsorum, que et quas habebant ante presentem guerram et que vere et non ficticie et sine fraude usque in presentem diem aquisiverint, non intelligendo quod acquirere potuerint aliqua casalia vel loca que fuerint communis Janue vel aliquorum Januensium, de dicta insula extrahere et quo voluerint portare et portari facere valeant quandocumque libere et impune; recipiendo tamen bulletam de predictis extrahendis in civitate Famagoste, dummodo portare vel extrahere debentes iurent in manibus officialium Famagoste vel alicuius ipsorum ea, que tunc extraherentur, ex possessionibus, prediis vel bonis ipsorum Venetorum infra Cyprum existentes crevisse, quam bulletam dicti officiales Famagoste requisiti tradere libere tociens quociens dictis Venetis opus erit sine contraditione qualibet teneantur. Possint autem dicti officiales super navigio vel navigiis, super quo vel quibus huiusmodi res extrahi debuerint, mittere unum eorum nuncium, qui videat res per dictos Venetos ut premittitur deferendas. In civitate autem Famagoste et ex ipsa et ad ipsam possint ire, stare, redire et conversare pro mercando et alia sua negotia exercendo quicumque Veneti, et ibidem etiam quo ad commercia et gabellas tractentur et tractari debeant ipsi Veneti favorabiliter et benigne tanquam cives proprii Januenses.

Item fuit actum et solemniter conventum inter dictas partes nominibus antedictis, quod si ubi inter serenissimum principem et dominum dominum Grecorum imperatorem Caloianum seu nuntios vel factores eius et dominum ducem et commune Janue seu nuncios vel factores eorum sit presentialiter, sicut per aliquos asseritur, pax et concordia celebrata, eo casu liceat quibuslibet Venetis et singulis ipsorum cum ipsorum navigiis et mercimoniis et bonis aliis pro sue voluntatis libito navigare more solito ad imperium et per imperium Constantinopolitano absque impedimento vel molestia eisdem in personis vel bonis per Januenses vel eorum subditos vel stipendiarios quomodolibet inferendis: si vero nudum facta sit concordia memorata inter partes superius nominatas, eo casu dicti domini dux et commune Janue teneantur et debeant omnino dare pacem ac facere cum dicto domino imperatore Chaloiano, dummodo ipse imperator Chaloianus duntaxat promittat observare conventiones et pacta, que vigebant inter ipsum dominum imperatorem et commune Janue ante inceptam guerram presentem: et det potestatem dicto domino comiti Sabaudie et deputandis ab eo et cuilibet ipsorum, si qua alia dubia nova occurrissent, inter ipsum dominum imperatorem et Januenses predictos super ipsis cognoscendi, dicendi, declarandi, pronunciandi et disponendi, prout ipsius domini comitis vel eius nunciorum fuerit voluntatis. Et recipiat in se dominus imperator Chaloianus dominum Andronicum eius filium ad eius gratiam, ordinando, quod ipse dominus Andronicus eidem patri suo succedat in imperio Constantinopolitano post eius dicti patris obitum et decessum, ipso tamen domino Chaloiano dum vixerit domino dicti imperii remanente; quibus pendentibus dicti Veneti prefato domino Chaloiano non prebeant auxilium, consilium vel favorem: ipsis tamen, factis ut supra vel saltem per dictum dominum Chaloianum non staret quominus predicta fierent ut prefertur, tunc eo casu et incontinenti etiam predictis novis dubiis non sedatis, super

quibus sedandis prefato domino comiti potestas extiterit ut predicitur attributa, possint ipsi Veneti et eis liceat per dictum Grecorum imperium cum ipsorum mercimoniis et rebus libere more solito navigare: et si forte dictus dominus Andronicus eiusdem patris sui servata forma predicta pacem facere et recipere recusaret vel per eum staret quominus fieret dicta forma, tunc etiam liceat dictis Venetis libere per dictum Grecorum imperium cum eorum et cuiuslibet eorum bonis, mercimoniis et rebus more solito navigare. Acto tamen quod facta vel non facta pace predicta inter prefatos dominos imperatorem Chaloianum, Andronicum ac Januenses ut supra, dicto imperatore Chaloiano se et suos ad fidem catholicam reducere recusante, semper dicti Januenses et Veneti teneantur et debeant, quandocumque pro parte dicti domini comitis fuerint requisiti, eidem domino comiti Sabaudie toto eorum posse prestare auxilium, consilium et favorem contra dictum dominum imperatorem Chaloianum sic et taliter, quod ipsorum viribus et potentia mediantibus ad fidem catholicam deo propicio convertatur. Quia vero supradicti syndici, procuratores, ambaxatores et nuncii prefati illustris domini ducis et communis Veneciarum dubitare videntur, ne virtute presentis capituli si treugua Cathenium status vel abstinentie fierent vel facte essent inter dictum dominum imperatorem et commune Janue, ipsi Veneti ad dictum et per dictum imperium navigare non possent durantibus dictis treuguis Catheniis statu vel abstinentiis, donec pax firmata esset, voluerunt et consenserunt dicti syndici, ambaxatores et nuncii communis Janue, quod tempore dictarum induciarum Chataneorum status, trenguarum et abstinentiarum navigare possint et conversari dicti Veneti ad dictum imperium et per illud cum ipsorum personis, mercimoniis et rebus, prout possent tempore pacis. Successive fuit actum inter dictas partes nominibus antedictis, quod omnia et singula castra, ville, civitates et loca, que per partes predictas hinc inde capta fuerint a tempore incepte guerre presentis, que per ipsas partes vel ipsarum alteram tenerentur, libere restituantur hinc inde.

Item quod non obstantibus aliquibus supra vel inferius declaratis omnia et singula hinc inde singularibus personis debita per aliquem subditum partium predictarum vel alterius earum per debentem vel debentes creditoribus integre persolvantur, exceptis his debitis, qui legiptimis probationibus reperientur fuisse levata vel exacta a debitoribus per dominum imperatorem Andronicum vel per dominationes alterutrius partium predictarum.

Item fuit actum inter partes predictas dictis nominibus, quod dicti Januenses possint et valeant navigare per culfum Veneciarum prout, sicut et quemadmodum continetur in pace veteri inter dictas partes alias celebrata millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto.

Item fuit actum inter dictas dictis nominibus, quod super facto Thane, ad quam Januenses petierunt, dictos Venetos navigare non debere usque ad certum tempus et terminum statuendum, quod super hoc idem dominus Sabaudie comes possit disponere et ordinare pro sue libito voluntatis. Qui illustris dominus comes incontinenti in presencia dictarum partium dixit, disposuit et ordinavit, quod dicti Veneti ad dictum locum Thane accedere vel navigare non debeant nec possint per duos annos continuos proxime secuturos, quo tempore durante fuit actum inter dictas partes aliquos Ja-

nuenses ad dictum locum Thane navigare non debere nec posse sicut nec dicti Veneti facere possunt nec debent.

Item fuit actum et solemniter conventum inter dictas partes dictis nominibus, quod predicta omnia et singula, super quibus specialiter est provisum in presenti pace inter partes predictas, penitus observentur, in omnibus autem aliis et singulis, de quibus in presenti pace non disponitur, dicte partes pacibus veteribus stare promittunt et ipsarum continentie et tenori.

Demum inter dictas partes nominibus antedictis actum fuit ac voluerunt et ordinaverunt dicte partes nominibus quibus supra, quod presens pax et omnia et singula in ea contenta per dictas partes et earum subditos debeant inviolabiliter observari, et aliquo modo vel causa per aliquam ipsarum partium infringi, rumpi, vel violari non debeat neque possit; et si forte contigerit, quod deus avertat, quod per ipsas partes vel alteram earum seu gentes vel subditos alicuius ipsarum partium contra alteram partem, gentes vel subditos eiusdem fieret aliqua violentia, iniuria, lesio seu dampnum quovis modo, quod propterea dicta pax rumpi, infringi vel violari non debeat nec possit, sed teneri debeat et observari modus et forma infrascripti videlicet, quod pars, que diceret se offensam, requirere debeat partem, per quam assertur contrafactum, quod eidem emendam faciat de illatis, quam quidem emendam contrafaciens facere teneatur infra menses tres a die requisitionis ex quo constiterit de dicta dampnificatione vel contrafactione seu offensione: quam si fecerit bene quidem, nec propter hoc dici possit si satisfecerit ut prefertur penam aliquam incurrisse. Si vero dictam emendam non fecerit sicut supra nullam excusationem debitam faciendo, tunc ad dictam emendam faciendam et penam, quam propter hoc incurrerit, persolvendam parti lese prout infra sequitur compellatur. Et si ad dictam emendam se asseretur non teneri, forte pretendens hoc fecisse aliqua iusta causa vel aliter, tunc eligantur quatuor probi viri, videlicet duo a qualibet partium predictarum, qui quatuor electi teneantur et debeant iurare super corpore domini nostri Jesu Christi bene et bona fide prius tamen informatione recepta cognoscere, pronunciare et declarare in et super huiusmodi tunc commissis infra menses tres a die electionis de ipsis facte inchoandos. Et quicquid super his per dictos quatuor seu tres ex eis infra dictum terminum fuerit cognitum, pronunciatum vel declaratum, penitus observetur, et infra alios tres menses a die dicte cognitionis, sententie seu declarationis executioni mandetur. Quod si dicti quatuor electi vel tres ex eis inter se non poterunt convenire, ex nunc dicte partes nominibus supradictis eligunt et assumunt prefatum illustrem principem et dominum dominum Amedeum comitem Sabaudie, cui dicte partes dictis nominibus dant et concedunt omnimodam potestatem cognoscendi, pronunciandi, declarandi, partes citandi et procedendi summarie simpliciter et de plano sine strepitu et figura iudicii iuris ordine servato sola mera et pura facti veritate prospecta, et quicquid per dictum dominum comitem dictum, pronunciatum, sententiatum et declaratum fuerit in predictis et circa predicta, illud a dictis partibus et earum qualibet observetur et debeat executioni mandari infra menses tres a dicte eius declarationis die et sententie et notificationis facte parti de dicto pronunciamento, sententia et declaratione eiusdem: et interim predictis pendentibus non liceat dictis partibus seu aliquibus vel alicui ex ipsis vel alicuius earum quovis modo pro-

cedere in hac parte ad aliquod opus facti. Si vero cognita pronunciata et declarata per prefatum dominum comitem non fuerint observata et ut premittitur executa, tunc presens pax per partem non observantem habeatur pro rupta.

Item ulterius fuit actum inter dictas partes, quod si super aliquibus contentis in pace predicta quevis obscuritas, dubietas, ambiguitas vel contrarietas aliqua, quod avertat deus, oriretur inter partes superius nominatas seu aliquam earumdem, quod idem dominus Sabaudie comes habeat plenam et liberam potestatem declarandi et interpretandi super ipsis ambiguitatibus, contrarietatibus, obscuritatibus et dubiis ortis prout sibi videbitur faciendum.

Suprascripti etiam sindici, actores, procuratores, ambaxatores et nuncii speciales prefati illustris domini ducis, consiliorum et communis Venetiarum nomine et vice dictorum domini ducis et communis ex una parte, et predicti procuratores, actores, sindici, ambaxatores et nuncii speciales prefatorum magnificorum dominorum domini Francisci de Carraria imperialis vicarii generalis Padue etc. et domini Francisci iunioris generosi eius nati et dicti communis Padue nomine et vice supradictorum magnificorum dominorum et dicti communis ex altera, pro se, civitate, locis, terris, subditis suis et fidelibus, adherentibus, valitoribus et sequacibus ipsarum partim et cuiuslibet earum contraxerunt et firmaverunt sibi invicem mutuo et vicissim et inter se bonam et veram pacem dirigente domino perpetuo duraturam.

Et primo sibi mutuo, invicem et vicissim remiserunt et remittunt omnia odia, rancores, iniurias, offensas, cedes, vulnera, captiones, raptus, rapinas, incendia, violentias et alia quecumque dampna tam realia quam personalia per dictas partes vel aliquos subditos dictarum partium vel alterius earum seu aliquas gentes vel singulares personas ipsarum vel alterutrius earum seu adherentes, complices, valitores vel sequaces ipsarum partium comuniter vel divisim contra reliquam partem, terras, loca, subditos, gentes, vel singulares personas ipsarum seu adherentes, complices, valitores vel sequaces alterutrius partium quomodocumque et qualitercumque illata, data seu facta fuissent, et omnes penas et interesse, in quibus per presentem guerram vel aliqua hinc retro inter dictas partes facta vel commissa fuisset incursum: facientes sibi invicem et vicissim dicte partes nominibus antedictis de predictis omnibus et singulis finem, quietationem, omnimodam liberationem et pactum de ulterius non petendo, nec non de predictis omnibus et singulis per acceptilationem et aquilianam stipulationem verbis solemnibus et legitimis interpositas plenarie sese invicem liberando, sibi mutuo et vicissim promitentes bonam et veram pacem predictis non obstantibus perpetuo observare, et quod occasionibus supradictis nec aliqua earum nulla in perpetuum lis, causa, molestia, controversia vel requisitio fiet vel movebitur per unam partem contra aliam vel per singulares personas unius partis contra aliam vel contra singulares personas alterius partis, complices, adherentes, valitores, vel sequaces ipsarum partium vel alterius earum, in iudicio vel extra, tam de iure quam de facto.

Item fuit actum inter dictas partes, quod omnes et singuli captivi, carcerati et detenti partium predictarum et cuiuslibet earum ac subditorum ipsarum, ubicumque sint et penes quemcumque capti vel detenti sint et

quicumque sint sive capti sint per dictas partes vel gentes ipsarum vel per singulares personas seu stipendiarios ipsarum partium et cuiuslibet ipsarum sive etiam fuerint detenti in virtute et potestate ipsarum partium vel quarumcumque singularium personarum cuiuscumque conditionis et gradus sint, libere et sine aliqua redemptione, exactione vel impedimento quocumque reali vel personali relaxentur, liberentur et expediantur ac restituantur pristine libertati.

Item est actum inter dictas partes dictis nominibus, quod super castris, bastitis, terris et locis, que dominus Padue tenet super territorio Tarvisino, commune Veneciarum ipsos dominos Franciscum de Carrario et eius natum et dictum commune Padue non debeat quomodolibet molestare de iure vel de facto.

Item quod prefatus dominus Franciscus dominus Padue, natus eius et commune Padue restituant et remittant communi Veneciarum castrum Capitis Aggeris et bastitam Morenzani in eo stato in quo sunt, salvis tamen munitionibus in ipsis castro et bastita existentibus et aliis mobilibus, que dictus dominus Paduanus in dictis locis haberet, que de dictis castro et bastita extrahi facere possit. Et quod si a kalendis julii proximi preteriti citra aliquod castrum vel fortiticium alicuius partium predictarum captum vel occupatum fuisset vel de cetero fuerit tam in territorio ducatus Veneciarum quam Tarvisino, quod debeat hinc inde restitutio fieri; et similiter si a dictis kalendis julii citra et de cetero aliqua bastita seu fortilicium aliquod de novo facta vel factum esset supper territorio, quod altera dictarum partium a dictis kalendis julii citra possedisset vel tenuisset, debeat tolli et libere dimiti parti, que dictum territorium a dictis kalendis julii citra possideret vel teneret.

Item quod turris Curani, que detinetur per commune Veneciarum, dimittatur et relaxetur domino Paduano in eo statu, in quo est, salvis tamen munitionibus in ipsa turri existentibus et aliis mobilibus, que dictum commune Veneciarum in dicta turri haberet, que de dicta turri extrahi facere possit.

Item super facto confinium fuit actum et specialiter conventum inter dictas partes dictis nominibus, quod pax nova ultimo inita millesimo trecentesimo septuagesimo tercio indictione undecima die vigesimo primo septembris inter dictos dominum ducem et commune Veneciarum ex una parte et dictum dominum Franciscum de Carrario dominum et commune Padue ex altera nec oppositio seu declaratio terminorum vigore dicte pacis facta quoad terminos predictos non obsit nec prosit nec preiudicet alicui ipsarum partium, sed predictis non obstantibus dicti termini de novo apponi debeant in illis locis, in quibus iuste et rationabiliter stare debent, ita quod per predicta non preiudicetur nec in aliquo derogetur aliquibus pactis seu conventionibus factis inter dictas partes ante dictam pacem de dictis confinibus facientibus mentionem. Quibus pactis et conventionibus de dictis confinibus loquentibus ille vel illi quis vel qui dictos confines apponere debuerit vel debuerint se debeant quantum poterunt conformare. Quibus pactis ante dictam ultimam pacem factis inter partes predictas de dictis confinibus loquentibus et quo ad dictos confines per dictam pacem ultimam seu per aliqua in ipsa contenta non intelligatur in aliquo derogatum, sed sint in ea firmitate, in qua esse debebant ante dictam pacem.

Item super eo quod per alteram dictarum partium petebatur, quod pactum assessinorum et pactum sententiarum, que inter dictas partes vigebant, tollerentur vel equaliter servarentur, actum fuit et conventum inter dictas partes, quod pacta et conventiones super predictis inita et facta inter dictas partes ante supradictam pacem ultimo factam, inter easdem partes debeant inviolabiliter observare, custodiri et executioni mandari.

Item super eo quod per alteram dictarum partium petebatur, quod coloni Venetorum habitantes in districtu Paduano tenerentur onera et factiones subire sicunt faciunt alii coloni civium Paduanorum, actum fuit et conventum inter dictas partes, quod super hoc serventur pacta inita inter dictas partes ante dictam pacem novam superius designatam, et ubi pacta deficerent, servetur ius commune.

Item super requisitione per alteram dictarum partium facta continente de expensis factis per dominum Paduanum in constructione et destruxione castrorum Portusnovi et Castri Carri, actum fuit inter partes predictas, quod dicta occasione dicto domino Paduano nihil restitui vel dari debeat per commune Veneciarum.

Item super requisitione alterius ipsarum partium loquente de pecuniis, quas Veneti coegerunt dominum Paduanum dare domino Marsilio eius fratri, actum fuit inter dictas partes nominibus antedictis, quod, ex quo dicta pecunia per dominum Paduanum predictum soluta fuit eius fratri, non debeat restitui per commune Veneciarum.

Item super eo quod a dicto communi Veneciarum petebantur pro parte domini Francisci Docti ducati quatuor mille auri, actum fuit inter dictas partes, quod si reperiatur vel appareat, quod propter defectum justicie dicti communis Veneciarum seu eius officialium dictus dominus Franciscus Doctus dampnificatus fuerit, quod sibi fieri debeat restitutio et satisfactio per dictum communem Veneciarum, si vero dictum commune Veneciarum seu eius officiales in exhibitione iusticie secundum usum et consuetudinem dicte civitatis Veneciarum non fuerit in defectu, nichil restituere teneatur.

Item super eo quod per ambas dictas partes petebantur expense, dampna et interesse istius et alterius guerre, actum fuit inter dictas partes et solemniter conventum, quod dicte expense, dampna et interesse compensentur hinc inde et omnino cassentur et tollantur et pro cassatis, remissis, abolitis penitus habeantur.

Item super eo quod per alteram dictarum partium petebatur, quod bona mobilia accepta vel occupata per dictas partes vel singulares personas ipsarum partium remitterentur et quietarentur, actum et conventum fuit inter dictas partes nominibus antedictis, quod omnia bona mobilia capta tempore presentis guerre per quamlibet ipsarum partium vel in alium translata quantum ad dictas partes vel earum subditos pertinerent non debeant hinc inde restitui. Si vero que reperirentur non capta vel non translata, restituantur in statu quo reperirentur et essent tempore presentis pacis: super debitis vero singularium personarum, que per communia vel dominationes dictarum partium capta non essent, fiat iusticie complementum et possint compelli ad solucionem sicut poterant ante presentem guerram.

Item super eo quod pro parte prefatorum magnificorum dominorum Padue et communitatis eiusdem petebatur sibi sal dari per commune Ve-

neciarum, actum et conventum fuit inter dictas partes, quod per commune Veneciarum dicto domino et communi Padue dictum sal dari debeat secundum pacta inita inter dictas partes ante predictam ultimam pacem, et super hoc dicta pacta ante dictam pacem inita observentur et debeant observari.

Item super requisitione facta pro parte magnifici domini Paduani prefati de ducatis viginti millibus domine Fine olim consortis dicti magnifici domini Padue, actum et conventum fuit inter dictas partes, quod si legitime probetur dictam pecuniam in toto vel parte pervenisse in commune Veneciarum vel eius officiales, quod in totum vel pro ea parte, que ad eos pervenisset, per dictum commune Veneciarum fiet et fieri debeat dicto domino Paduano seu heredibus dicte domine Fine restitutio; si vero in singulares personas pervenisset, fiet inde plenum et expeditum justitie complementum.

Item fuit actum et conventum inter dictas partes, quod omnia pacta inita inter dictas partes ante dictam pacem ultimo facta, de qua superius facta est mentio, debeant inter ipsas partes inviolabiliter observari super his, super quibus per presentem pacem specialiter non est provisum.

Item super eo quod per alteram dictarum partium petebatur, quod dirui deberent et dirupta stare omnia castra, bastite et loca, que contra pacem supradictam reedificari fecisse dicitur prefatus dominus Paduanus videlicet, castrum Carrum, Ordiacum, alias Portusnovus cum suis fortiliciis et turris que est ex opposito dicti castri, actum et conventum fuit inter dictas partes nominibus ante dictis, quod dicta castra, bastite, turris, fortilicie et loca stare debeant vel dirui pro libito voluntatis dicti domini Paduani non obstante pace predicta.

Item fuit actum inter dictas partes, ut domini comites de Colalto velut adherentes dicti communis Veneciarum in presenti pace cum eorum subditis, rebus et bonis includantur et inclusi habeantur.

Item fuit actum inter dictas partes dictis nominibus, quod non obstantibus aliquibus pactis vel conventionibus inter dictas partes hinc retro factis tam commune Veneciarum, quam prefati domini et commune Padue et quilibet eorum intra confines, que terminabuntur et declarabuntur ad quamlibet ipsarum partium pertinere, possit et valeat quelibet ipsarum partium intra terminos et confines suos licite et impune et pro suo beneplacito voluntatis construere et edificare et construi seu edificari facere quecumque castra, turres et fortilicia et constructa tenere.

Item fuit actum inter dictas partes nominibus antedictis, quod si contingat prefatos dominos et commune Padue vel alterum ipsorum in futurum acquirere vel in eos vel eorum alterum quomodolibet pervenire civitates Feltri et Belluni vel ipsarum alteram, quod non obstantibus aliquibus pactis vel conventionibus inter dictas partes dictis nominibus hinc retro initis prefati domini et commune Padue seu aliqui eorum non intelligantur nec sint obligatum vel obligati dicto domino duci et communi Veneciarum ad sibi tradendum, restituendum vel dimittendum Casamatam, turrim sancti Boldi et Clusam Queri nec aliquem dictorum locorum.

Item fuit actum et conventum inter dictas partes, quod facta pace presenti omnes pallate et passus ducalis dominii et prefatorum dominorum

communis Padue aperiantur hinc inde sicut et prout erant ante presentem guerram.

Item cum in pace supradicta inita inter prefatum magnificium dominum ducem et commune Veneciarum ex una parte et dictum dominum et commune Padue ex altera facta millessimo trecentesimo septuagesimo tercio die XXI septembriis scripta manu Bandini de Brozis notarii prefati magnifici domini Padue scribe appositum et insertum fuerit quoddam capitulum tenoris et continentie subsequentis: Ceterum promiserunt dicti procuratores et sindici prefati domini seu vicarii et communis Padue dictis nominibus suprascriptis sindicis domini ducis et communis Veneciarum stipulantibus et recipientibus nominibus quibus supra, quod dominus Marsilius de Carrara integraliter gaudebit reditibus et bonis suis, que habebat antequam exhiret de Padua, et quod non fiet ei aliqua novitas in bonis suis, facientes ex nunc dictum dominum vicarium debitorem de hoc ducali dominio et communi Veneciarum, et quod ipse dominus Marsilius possit ipsa bona conducere vel conduci facere Venetias tamquam Venetus et communis Veneciarum; voluerunt dicte partes nominibus antedictis et solemniter convenerunt, quod dictum capitulum cassetur et irritetur et pro cassato et irrito habeatur, et quod vigore dicti capituli prefatus dominus et commune Padue dictis domino duci et communi Veneciarum non sint in aliquo obligati.

Item quod in non specificatis et non determinatis in presenti pace stetur dicte alteri paci ante presentem pacem inter partes predictas facte.

Ceterum suprascripti sindici, actores, procuratores, ambaxiatores et nuntii speciales egregii et venerabilis viri domini Frederici comitis de Porciliis Aquilegiensi sede vacante vicedomini Patrie Fori Julii nomine et vice ipsius domini . . vicedomini ac dominorum . . consilii, . . parlamenti . . prelatorum . . nobilium et communitatum ipsius patrie Fori Julii ex una parte, et supradicti sindici, actores, procuratores, ambaxatores et nuncii speciales prefatorum illustris domini ducis, consiliorum et communis Veneciarum, nomine et vice dictorum domini ducis, consiliorum, et communis Veneciarum ex altera parte pro se, civitatibus, terris, locis, subditis, fidelibus, adherentibus, valitoribus et sequacibus ipsarum partium et cuiuslibet earum firmaverunt et contraxerunt sibi invicem mutuo et vicissim et inter se bonam et veram pacem dirigente domino perpetuo duraturam. Et primo sibi invicem, mutuo et vicissim remiserunt et remittunt omnia odia, rancores, iniurias, offensas, cedes, vulnera, captiones, raptus, rapinas, incendia et alia quecumque dampna tam realia quam personalia per dictas partes vel aliquos subditos ipsarum partium vel alterius earum seu aliquas gentes vel singulares personas ipsarum vel alterius earum seu adherentes, complices, valitores, vel sequaces ipsarum partium vel alterius earum, communiter vel divisim contra reliquam partem, terras, loca, subditos, gentes vel singulares personas ipsarum seu adherentes, complices, valitores, vel sequaces alterutrius partis quomodocumque et qualitercumque illata, data seu facta fuissent, et omnes pene et interesse, in quibus per presentem guerram vel aliqua hinc retro inter dictas partes facta vel commissa fuisset incursum: facientes sibi invicem et vicissim dicte partes dictis nominibus de predictis omnibus et singulis finem, quietationem, remissionem et omnimodam liberationem et pactum de ul-

terius non petendo nec non de predictis omnibus et singulis per acceptilationem et aquilianam stipulationem verbis solemnibus et legitimis interpositas plenarie sese invicem liberando et sibi mutuo et vicissim promittentes bonam et veram pacem, predictis non obstantibus, perpetuo observare, et quod occasionibus supradictis nec aliqua earum nulla in perpetuum lis, molestia, contraversia vel requisitio fiet vel movebitur per unam partem contra aliam vel per singulares personas unius partis contra aliam vel contra singulares personas alterius partis, complices, adherentes, valitores vel sequaces ipsarum partium vel alterius earum in iudicio vel extra tam de iure quam de facto.

Item fuit actum inter dictas partes nominibus predictis, quod omnes captivi, carcerati et detenti partium predictarum et cuiuslibet earum ac subditorum ipsarum partium ubicumque sint et penes quemcumque capti vel detenti fuerint et quicumque sint sive capti sint per ipsas partes vel gentes ipsarum vel singulares personas seu stipendiarios ipsarum partium et cuiuslibet earum sive etiam si fuerint detenti in virtute seu potestate ipsarum partium vel qualiumcumque singularium personarum cuiuscumque conditionis et gradus sint, libere et sine aliqua redemptione, exatione vel impedimento quocumque reali vel personali relaxentur, liberentur et expediantur ac restituantur pristine libertati.

Item fuit actum inter partes predictas nominibus predictis, quod omnes civitates, castra, terre et loca, que tempore incohationis presentis guerre tenebantur seu possidebantur per aliquam ipsarum partium seu ipsarum partium subditos vel adherentes, que in presenti guerra per aliquam ipsarum partium subditos vel adherentes ipsarum capta vel capte occupata vel occupate tenerentur, relaxentur et expediantur per partem occupantem seu tenentem in eo statu, in quo hodie sunt, exceptis munitionibus mobilibus, quas ipse partes vel aliqua ipsarum possuisset in dictis locis vel aliquo ipsorum, quas libere exportari facere possint taliter, quod illa pars vel persone, que dicta loca castra vel terras tenebant tempore dicte inchoacte guerre, ipsa possint intrare, tenere et munire sic et taliter, quod dicta loca, que ante presentem guerram per commune et dominationem Venecciarum seu eorum nominibus tenebantur, sine aliquo impedimento ad manus et potestatem dicti communis Veneciarum poterunt pervenire et pervenient, si ipsa capere volent, salvo iure compromissi subscripti, et consimiliter loca, que ante presentem guerram per dominum patriarcham et ecclesiam Aquilegiensem seu eorum nominibus tenebantur, sine aliquo impedimento ad manus et potestatem dicte ecclesie poterunt devenire et provenient si ipsa capere volent, et ipsa tenere possint prout tenebant et tenere poterant ante presentem guerram in omni et tali iure possessionis et dominii, quibus ante presentem guerram tenebantur, ita quod per dictam occupationem vel relaxationem vel expeditionem ipsarum terrarum vel alicuius earum nullum ius de novo intelligatur aquisitum, auctum vel diminutum alicui ipsarum partium nisi prout habebant ante presentem guerram: exceptis a predictis omnibus et singulis civitate Tergesti, castris de Mucco et Mucculano, territoriis, districtibus, villis et pertinentiis ipsius et ipsarum et cuiuslibet eorum cum omnibus fortiliciis et locis, que intra eorum continentur confines et districtus: quam civitatem, comunitates et loca predicti sindici, actores et procuratores prefati domini ducis et com-

munis Veneciarum nomine antedicto liberant et absolvunt perpetuo ab omni iure possessionis et dominii, quam seu quod in dictis locis vel aliquo eorum haberent, et ab omni vinculo cuiuscumque omagii, fidelitatis, iurisdictionis et obligationis alterius cuiuscumque quocumque nomine censeatur et que dici vel excogitari possit, qua seu per quam dicte civitas et castra, communia, terre et homines forent quomodocumque et qualitercumque dicto domino duci et communi Veneciarum obligati vel quomodolibet tenerentur, liberantes et absolventes nos notarios infrascriptos tamquam personas publicas stipulantes et recipientes nomine et vice predictorum civitatis, castrorum, communium, universitatum et singularium personarum earumdem a predictis omnibus et singulis per acceptilationem et aquilianam stipulationem verbis solemnibus et legiptimis interpositis, facientes nobis dictis notariis ut supra recipientibus de predictis omnibus et singulis finem, quietationem, omnimodam liberationem de ulterius non petendo, promittentes nobis dictis notariis ut supra stipulantibus et recipientibus nec non predictis venerabilibus et egregiis syndicis, actoribus, procuratoribus, ambaxiatoribus et nunciis specialibus dicti domini, vicedomini, ecclesie et capituli Aquilegiensis et patrie Foriiulii nomine et vice dicti patriarchatus et ecclesie Aquilegiensis recipientibus, quod nulla in perpetuum lis, causa, molestia, controversia vel requisitio fiet vel movebitur contra dictas civitatem, castra, communia et personas nec non contra dominum patriarcham et ecclesiam Aquilegiensem in iudicio nec extra de iure nec de facto publice vel occulte directe vel per indirectum, exceptis et reservatis a predictis omnibus et singulis prestatione annua illius quantitatis vini, ribolei et olei, que per dictos Venetos et commune Veneciarum regalia appellantur, que dicta civitas et communitas Tergesti dicto domino duci et communi Veneciarum solite et consueta sunt prestari antequam dominus dux et commune Venetiarum haberent dominium et possessionem et tenerent civitatem Tergesti, que prefato magnifico domino duci et communi Veneciarum prestari debeant predictis non obstantibus prout et secundum quod commune Tergesti consuetum et solitum erat prestare, antequam commune Veneciarum teneret et possideret dictam civitatem Tergesti, et excepto etiam quod dictis domino duci et communi Veneciarum et subditis et districtualibus eorumdem remaneant salva, integra, illibata et illesa iura mercandi libere et absque solutione alicuius pedagii, datii, vel gabelle seu alterius impositionis cuiuscumque, et transeundi, standi et redeundi cum suis navigiis, mercimoniis atque rebus, que habebant in ipsa civitate et territorio eo modo et forma, prout soliti et consueti erant, antequam dominus dux et commune Veneciarum haberent dominium et possessionem et tenerent civitatem Tergesti. Et versa vice dicti dominus dux et commune Venetiarum teneantur et debeant solvere et prestare omnia illa, que soliti et consueti erant solvere et prestare communi Tergesti et singularibus personis, si eis solvere et prestare aliquid consueverunt. Et insuper fuit actum inter dictas partes nominibus predictis non obstantibus suprascriptis, quod omnes domus, possessiones et bona immobilia singularium personarum subditarum dicti communis Veneciarum quos habent in dicta civitate et territorio Tergesti, castrorum, locorum et districtuum predictorum, que tenebant et possidebant ante presentem guerram, eisdem restituantur talia, qualia sunt in eo iure possessionis et do-

minii, quod habebant ante presentem guerram, et eodem modo dictis Tergestinis et districtualibus dictorum locorum restituantur omnes domus, terras et possessiones, quas habebant ante presentem guerram in Venetiis, territoriis et districtu communis Veneciarum tales, quales sunt, et restituantur in eo iure possessionis et dominii, in quibus erant ante presentem guerram. Hoc acto et specialiter convento inter dictas partes, quod syndici, procuratores, actores, ambaxatores et nuntii speciales ecclesie Aquileiensis nomine et vice dicte ecclesie promiserunt per stipulationem solempnem prescriptis sindicis et procuratoribus dictorum domini ducis et communis Veneciarum stipulantibus et recipientibus vice et nomine dictorum domini ducis et communis Veneciarum se facturos et curaturos cum effectu, quod dictum commune Tergesti ratificabit et approbabit per publicum instrumentum suprascriptum capitulum infra duos menses a presenti die numerandos sub pena in presenti pace apposita, que pena ipso facto communi Veneciarum applicetur et possit exigi cum effectu, et quod pro dicta pena possint conveniri, et restari, et detineri personaliter et realiter; acto et convento inter ipsas partes, quod omnes domus, possessiones, predia et bona immobilia partium predictarum et singularium personarum ipsarum, que per ipsas partes et singulares personas ipsarum ante presentem guerram tenebantur, in eo statu in quo nunc sunt restituantur hinc inde illis partibus et personis, que ipsa tenebant ante presentem guerram.

Item fuit actum inter predictas partes quod omnia debita, ad que dicte communitates vel singulares persone subdite et districtuales dictarum partium et cuiuslibet earum sibi invicem tenebantur ante presentem guerram, que per dominia ipsarum partium vel alicuius earum exacta non fuerint seu capta, remaneant inter ipsas partes in eo statu, in quo erant ante presentem guerram, et fieri debeat hinc et inde iusticia inter partes et plenum et expeditum iusticie complementum.

Item fuit actum inter partes predictas nominibus predictis, quod prefatus dominus dux et commune Veneciarum teneantur et debeant de cetero solvere, facere et prestare dicto domino patriarche et ecclesie Aquilegiensi et eius ecclesiis et subditis annuas prestationes pecuniarum et aliarum quarumcumque rerum, que solvere, facere et prestare ante presentem guerram consueverint et tenentur ex forma pactorum initorum inter dictam ecclesiam et patriarcham seu patriarchatum Aquilegiensem et dominum ducem et commune Veneciarum. Et quod dictus dominus patriarcha et ecclesia Aquilegiensis restituantur et restituti esse intelligantur ad omnia iura, immunitates et facultates, que ex forma dictorum pactorum sibi competebant ante presentem guerram: que pacta inter dictas partes debeant super predictis inviolabiliter observari; et similiter prefatus dominus patriarcha et eius ecclesia Aquilegiensis et subditi de cetero solvere, facere et prestare teneantur dictis domino duci et communi Veneciarum et eorum ecclesiis et subditis annuas prestationes pecuniarum et aliarum quarumcumque rerum, quas solvere et prestare ante presentem guerram consueverunt et tenentur ex forma dictorum pactorum. Et quod dicti dominus dux et commune Veneciarum restituantur et restituti intelligantur ad omnia iura, immunitates et facultates, que ex forma dictorum pactorum eis competebant ante presentem guerram: que pacta inter predictas partes super predictis inviolabiliter observentur.

Item fuit actum et solemniter conventum inter dictas partes dictis nominibus, quod dominus dux et consilia nomine et vice ipsius et dicti communis, Veneciarum infra unum mensem a die publicationis presentis pacis facient compromissum super questionibus, controversiis et discordi s, que sunt et esse possunt inter dominum patriarcham et ecclesiam Aquilegiensem ex una parte et ipsum dominum ducem et commune Venetiarum ex altera super iurisdictionibus et iuribus tocius provincie Istrie in sanctissimum dominum nostrum papam, ita quod dictus sanctissimus dominus noster papa cognoscat et simul et semel diffiniat tam de proprietate quam de possessione dicte iurisdictionis et aliorum dictorum iurium per arbitrationem, per arbitruim, per rationem, laudationem, ordinationem et amicabilem compositionem alte et basse sicut ei videbitur, sub pena mille marcarum auri, medietas cuius pene cedat romane ecclesie et alia medietas cedat parti observanti predicta prout et sicut continetur alias fuisse compromissum per dictas partes in dominum papam Nicolaum quartum secundum quod apparet in quodam publico instrumento scripto manu Donati Lombardi imperiali auctoritate notarii publici et ducatus Venetiarum scribe et Gualterii Civitatensis apostolica et imperiali auctoritate notarii et Henrici imperiali auctoritate anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo indictione quarta die undecimo intrante novembrio. Et si post predictum instrumentum compromissi facti per dictas partes de predictis in dictum dominum papam vel alium papam ultimo confectum stetur ultimo compromisso quantum ad formam baylie date. Et sic per presens capitulum illa baylia intelligatur esse data dicto santissimo domino nostro pape presenti et successoribus suis, que in ipso ultimo compromisso reperiretur, si contingat ultimum reperiri; sane semper intellecto et excepto ab omnibus predictis, quod civitas Tergesti cum castris de Mocco et Moccolano cum territoriis, districtibus, villis, et pertinentiis ipsius vel ipsorum et cuiuslibet eorum cum omnibus fortiliciis et locis, que infra eorum continentur confines et districtus, de quibus fit mencio in speciali capitulo presentis pacis, non includatur nec veniat nec venire intelligatur in supradicta cognitione, arbitrio et potestate data predicto sanctissimo domino nostro pape per presens capitulum. Et quod interim donec et quousque dictum compromissum in forma predicta factum fuerit, dicti domini, vicedominus et alii gubernantes, regentes seu representantes ecclesiam Aquilegiensem et dictam patriam Fori Julii non teneantur nec sint astricti seu obligati vigore presentis pacis ad relaxandum, dimittendum seu expediendum dicto domino duci et communi Veneciarum civitates, castra, terras et loca, que eis dimittere et relaxare tenentur secundum formam presentis pacis, sed de dictis locis nec aliquo ipsorum dictus dominus dux et commune Veneciarum, nisi prius facto dicto compromisso, se impedire non debeant neque possint nec dictam ecclesiam in dictis locis et terris molestare: facto autem dicto compromisso ut supra dictus dominus, vicedominus et dicti representantes seu gubernantes dictam ecclesiam Aquilegiensem et patriam Fori Julii teneantur et debeant observare et executioni mandare contenta in dicto capitulo de relaxatione et expeditione dictarum terrarum et locorum mentionem faciente. Et in casu quo supradicti sindici, actores et procuratores dicte ecclesie et patrie Foriiulii vel alter ipsorum habens in solidum potestatem infra dies viginti quinque dicti mensis

non fecerint dictum compromissum insimul et una cum dicto domino duce et consiliis, quod prefatus dominus dux et consilia nomine dicti communis Veneciarum soli et per se possint dictum compromissum facere in forma predicta: hoc acto et specialiter convento inter dictas partes, quod prefatus dominus noster papa vigore dicti compromissi cognoscere vel procedere non possit nec dicti Aquilegienses vel presidentes ecclesie Aquilegiensis possint vigore dicti compromissi procedere vel dominum nostrum papam requirere, nisi prius dictum compromissum factum per dictum dominum ducem, consilia et commune Veneciarum ex una parte et supradictos sindicos, actores et procuratores ambaxatores et nuncios speciales dicte ecclesie Aquilegiensis et patrie Foriiulii vel alterum ipsorum ex altera ratificatum et approbatum fuerit per personam vel personas legitime presidentem vel presidentes ecclesie supradicte.

Item fuit actum inter dictas partes nominibus antedictis, quod omnes homines et persone cuiuscumque status, conditionis et sexus existant, que ante presentem guerram habitabant seu solite sunt habitare seu que habebant possessiones et bona et que poterant habitare ante presentem guerram in aliqua civitate, terrarum, villarum, castrorum et locorum tocius provincie Istrie, qui adhesissent quovis modo in presenti guerra dicto domino patriarche et ecclesie Aquilegiensi seu eius gentibus et subditis seu aliquid fecissent, perpetuassent vel commisissent toto tempore presentis guerre contra dominum ducem et commune Veneciarum seu eorum adherentes, subditos et sequaces in personis et rebus, restituantur in integrum quo ad personas statum et bona in eo statu, in quo dicta bona hodie sunt, et restituantur et restituti esse intelligatur ad gratiam dictorum domini ducis et communis Veneciarum, cassatis, irritatis et abolitis quibuscumque processibus, sententiis, bannis et forestationibus factis hactenus contra eos vel ipsorum aliquem toto tempore presentis guerre, et quod possint dictis bonis suis gaudere, et stare et habitare, ubi eis placuerit. Et idem et eodem modo in omnibus et per omnia fiat et observetur per ecclesiam Aquilegiensem de hominibus et super hominibus dicti patriarchatus et subditis suis, qui quovis modo adhesissent in presenti guerra dictis domino duci et communi Veneciarum.

Item quod super non specificatis in presenti pace stetur pactis et conventionibus initis inter ipsas partes, que inter dictas partes debeant inviolabiliter observari, salvo semper compromisso predicto. Denuo cum inter dictum serenissimum dominum regem Hungarie etc. ex una parte et commune Janue ex alia nec non inter prefatum serenissimum dominum regem ex una parte et prefatum dominum et commune Padue ex una alia parte ac etiam inter prefatum serenissimum dominum regem ex una parte, dominum patriarcham et ecclesiam Aquilegiensem ex alia parte vigeant colligationes seu lige, de quibus apparent publica instrumenta, fuit actum et specialiter conventum in omnibus pacibus supradictis inter omnes et singulas partes predictas, quod si presens pax rupta fuerit dicto domino regi vel alicui ex colligatis predictis, quod intelligatur rupta omnibus colligatis et cuilibet ex eis. Quo capitulo lecto prefatus reverendus pater dominus Paulus Zagrabiensis episcopus procurator et procuratorio nomine regie maiestatis ut supra, statim et incontinenti dixit, qualiter prenominatus dominus Paduanus pro adherente eiusdem domini regis in pace huiusmodi et non

pro colligatò scriberetur. Quibus dictis dominus Jacobus Turchetus et ceteri ambaxiatores dicti domini Paduani nomine eiusdem domini Paduani dixerunt, quod ymo pro colligato scriberetur, quum colligatus erat dicti domini regis, ut apparere dicebant per publicum instrumentum: quibus dominus dominus Zagrabiensis.respondit, quod non erat colligatus dicti domini regis, nec eum pro colligato etiam reputabat. His sermonibus intervenientibus sepedictus dominus Leonardus de Montealto dixit, quod si appareret per instrumentum publicum, dictum dominum Paduanum fore colligatum eiusdem domini regis, quod ipse pro colligato habeatur, sin autem, pro adherente ipsius teneretur.

Item quod omnes adherentes dictarum partium et cuiuslibet earum, qui superius sunt descripti, intelligantur et sint inclusi in presenti pace. Et quia non esset conveniens neque iustum, quod presens pax quoad offensiones et restitutiones dampnorum ligaret ignorantes, actum fiut et specialiter conventum inter omnes dictas partes, quod offensiones inter dictas partes et earum gentes, subditos, adherentes et complices cessare debeant secundum determinationem et limitationem locorum et temporum, que fient inter dictas partes, de qua conficietur instrumentum publicum. Post que tempora secundum distinctionem ipsorum temporum et locorum, que fiet, si aliquod dampnum fiat per alteram ipsarum partium vel eius subditos, gentes adherentes vel sequaces, debeat fieri parti lese emendatio et restitutio ipsorum dampnorum. Pro offensionibus autem et dampnis, que inter dictas partes infererentur ante tempora ordinanda in locis singulis, nulla emendatio vel restitutio fieri debeat, nec contra presentem pacem intelligantur illata, ita quod omnia castra, loca, terre, fortilicie et captivi, que et qui caperentur vel occuperentur a die firmate presentis pacis etiam ante seu infra dictum terminum et tempus statuendum per aliquam partium predictarum seu gentes earum, hinc inde semper et in omni casu restituantur et libere relaxentur. Que omnia et singula supradicta omnes dicte partes dictis nominibus et quelibet ipsarum sibi invicem et vicissim solemnibus stipulacionibus hinc inde interpositis promiserunt attendere, complere et observare, et contra in aliquo non facere vel venire sub pena florenorum centum milium auri solempniter stipulata, in quam penam incidat quelibet ipsarum partium, que predicta non observaverit, et committatur et applicetur parti observanti, contra quam esset contrafactum, tociens quociens fuerit contrafactum, satis manentibus omnibus et singulis supradictis; sane semper intellecto, quod dicta pena generalis in presenti capitulo apposita locum non habeat in illis casibus seu capitulis, in quibus seu per que in presenti pace de pena specialiter est provisum, sub ypotecha et obligatione omnium bonorum dictarum partium et cuiuslibet earum presentium et futurorum. Et ad maiorem roboris firmitatem dicte partes in animas constituentium corporaliter tactis sacrosanctis scripturis iuraverunt ad sancta dei evangelia predicta omnia et singula habere et tenere rata, grata et firma, attendere, complere et observare et non contrafacere vel venire beneficio restitutionis in integrum nec alio quocumque iure generali vel speciali, quod dici vel excogitari possit, quomodolibet non obstante. Promiserunt etiam et solemniter convenerunt omnes partes suprascripte videlicet quelibet ipsarum nominibus antedictis, quod presens pax publicabitur in principalibus civitatibus ipsarum partium, et ratificabitur

per dominia et communitates constituencium earumdem modìs et formis consuetis, videlicet per prefatum serenissimum dominum regem Hungarie infra duos menses hodie inchoandos, et per omnes alias partes infra unum mensem; de quibus publicatione et ratificatione fiant plena et sufficientia instrumenta cum cautelis, iuramentis, penis. et solemnitatibus opportunis et in talibus fieri consuetis.

II.

Tenores mandatorum.

Tenores vero mandatorum, de quibus supra fit mentio, secuuntur prout inferius. Et primum *mandatum regie maiestatis.* In Christi nomine amen. Nos Ludovicus dei gratia Hungarie, Polonie, Dalmatie, Croacie, Rame, Servie, Galicie, Lodomerie, Bulgarie, Comanieque rex, princeps Salernitanus et honoris montis sancti Angeli dominus, omni via, iure, modo et forma, quibus melius et efficacius possimus et valemus, pro nobis, heredibus et successoribus nostris sponte et ex certa omni scientia facimus, constituimus, creamus et ordinamus fideles nostros dilectos venerabiles in christo patres et dominos Valentinum Quinqueclesiensem et Paulum Zagrabiensem episcopos absentes tanquam presentes nostros certos nuncios, negociorum gestores, missos, actores et legitimos ac speciales procuratores et quicquid melius magis amplius atque majus censeri, dici et esse possunt, ita quod de infra dicendis, agendis ac gerendis incipere seu mediare valeant, concludere vel finire, et quomodolibet ipsarum in solidum, ita quod non sit melior conditio occupantis, sed altero absente unus eorum et quilibet prosequi aut incipere, mediare valeant et finire in omnibus causis, litibus, nostris controversiis et querelis civilibus et criminalibus presentibus et futuris, specialiter ad tractandum, ineundum et complendum, faciendum, firmandum et concludendum nomine nostro bonam, veram, sinceram, perpetuam, solidam et tranquillam pacem atque concordiam cum magnifico domino Andrea Contareno dei gratia duce Veneciarum etc. et cum ipso communi Veneciarum seu cum eorum procuratoribus et sindicis ad hec legitime constitutis de omnibus et singulis guerris, discordiis, dissidiis, discensionibus, differentiis, questionibus, litibus et controversiis vertentibus et existentibus seu quoquo modo verti et existere et esse possent inter maiestatem nostram ex una parte et prefatum ducem et commune Veneciarum et adherentes, subditos, fideles et sequaces suos ex alia; et de omnibus et singulis dampnis, iniuriis, cedibus incendiis, violentiis et offensionibus personalibus vel realibus per partes predictas vel alteram earum factis, dictis, commissis vol perpetratis in aliam partem seu subditos, benivolos, adherentes et sequaces eiusdem quomodocumque et qualitercumque et alia quacumque ratione et causa seu occasione sub illis modis, formis, pactis, conventionibus, promissionibus, obligationibus realibus et personalibus, penarum adictionibus, renunciationibus, cautelis et clausulis opportunis, que dictis nostris procuratoribus videbuntur vel eorum alteri alio absente videbitur; finem quoque, remissionem, liberationem, refutationem, quietationem, absolutionem et pactum de ulterius non petendo, faciendum et recipiendum cum stipulationibus et clausulis necessariis, et ad prestandum nomine nostro dictis procuratoribus et sindicis domini ducis et com-

munis Veneciarum omnem promissionem et obligationem, de qua invicem convenerint, et similiter eas a dictis procuratoribus et sindicis domini ducis et communis Veneciarum regio nomine nostro recipiendas seu recipiendum. Et quod pro observatione eorum omnium et singulorum, que hinc inde promissa et gesta fuerint, nos et bona nostra et heredes obligandum, et ab ipsis procuratoribus et sindicis domini ducis et communis Veneciarum obligationem recipiendam seu recipiendum perpetuam. Item et specialiter ad recipiendum seu alter eorum recipiendum et acceptandum ab ipso domino duce et commune Veneciarum seu ab eorum procuratoribus et sindicis quascumque civitates, terras, castra, oppida et loca quecumque cum mero et mixto imperio, iurisdictione, subiectione, obedientia et ditione quocumque ad ipsum dominum ducem et commune Veneciarum quomodocumque spectantes vel spectantia, quas et que dictus dominus dux et commune Veneciarum seu sindici et procuratores sui ex pactis et in pactis hinc inde firmandis et fiendis et in ipsius pacis conclusione culmini nostro tradere, submittere, subicere et applicare vellent, de ipsisque maiestatis nostre nomine tenutam et possessionem corporalem intrandi, accipiendi et apprehendendi cum omnibus solemnitatibus, que in huiusmodi similibusque contractibus de iure ac de consuetudine requirantur. Et ad iurandum in animam nostram perpetuo attendere et inviolabiliter observare, quecumque dicti procuratores nostri ambo simul vel alio absente alter eorum per se duxerint vel duxerit promittenda, et prout super premissis et quolibet predictorum convenerint, simile quoque iuramentum recipiendum ab aliis. Volumus insuper et ordinamus, ut quecumque occurerint facienda, ipsi domini episcopi predicti ambo simul vel alter eorum procuratores et sindici nostri incipere, mediare, concludere, exequi valeant ambo simul vel alio absente alter eorum valeat et finire. Et generaliter ad omnia alia et singula agendum, dicendum, faciendum, procurandum tractandum, promittendum et executioni mandandum, que in premissis et circa ea et in dependentibus et connexis ab eis fuerint necesaria, utilia et opportuna, et que nos idem Ludovicus rex predictus dicere, facere et exercere, tractari et exequi possemus, atque concludere, si ibidem se nostra ad hec personalis presentia offerret, et que quilibet verus vel veri et legitimus vel legitimi procurator vel procuratores dicere, facere et exercere posset vel possent. Dantes et concedentes dictis procuratoribus et nunciis nostris plenum, liberum, generale et speciale mandatum cum plena, libera, generali et speciali administratione omnia et singula agendi, dicendi, faciendi, promittendi, tractandi, concludendi et executioni mandandi nomine maiestatis nostre in premissis et circa premissa et dependentibus et connexis ab eis etiam, si talia maiora vel graviora forent ac prorsus extranea, que mandatum exigerent speciale. Promittentes per nos et successores nostros semper firma, rata et grata habere, tenere, attendere et inviolabiliter observare, quecumque per ipsos procuratores et nuntios nostros vel alio absente per unum eorum dicta, facta, gesta, promissa, conclusa et ordinata fuerint in premissis et circa premissa et in dependentibus et connexis ab eis, et non contrafacere vel venire aliqua ratione vel causa, de iure vel de facto, sub obligatione nostra, heredum et successorum nostrorum et bonorum omnium ypoteca. Presentium per sigillum nostre maiestatis appensionem testimonio litte-

rarum. Actum Bude in nostro palacio regali terciadecima die februarii, anno domini millesimo trecentesimo octuagesimo primo.

Tenor *procurationis Venetorum*. In Christi nomine amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo trecentesimo octuagesimo primo, indictione quarta, die quintodecimo mensis aprilis. Excelsus et illustris dominus dominus Andreas Contareno dei gratia dux Venetiarum etc. una cum suis consiliis habentibus ad infrascripta et alia exercenda plenisssimam libertatem ad sonum compane et voce preconia more solito specialiter convocatis et congregatis et ipsa consilia una cum ipso domino duce unanimiter et concorditer nemine discrepante omnibus modis, iuribus, formis et causis, quibus melius potuerunt, pro se et successoribus suis ac nomine et vice communis Veneciarum fecerunt, constituerunt et ordinaverunt suos et dicti communis Veneciarum sindycos, actores, defensores, procuratores legitimos et negotiorum gestores, et quicquid melius esse et dici possunt, nobiles et sapientes viros dominos Zachariam Contareno, Johannem Gradonico et Michaelem Mauroceno procuratorem ecclesie sancti Marci honorabiles cives Veneciarum absentes tamquam presentes et quemlibet eorum in solidum ita, quod occupantis conditio potior non existat, et quod unus vel plures eorum inceperint, alii vel alius possint prosequi et finire, in omnibus eorum et dicti communis Veneciarum litibus, controversis et querelis civilibus et criminalibus presentibus et futuris, et specialiter ad tractandum, conveniendum, transigendum et paciscendum atque tractactus, conventiones, transationes et pacta iniendum, faciendum et firmandum cum serenissimo et excellentissimo domino domino Ludovico dei gratia illustre rege Hungarie etc. seu cum quibuscumque prelatis, baronibus, commissariis et procuratoribus deputatis vel deputandis a prefata serenissima regia maiestate Hungarie et quolibet eorum; nec non cum excelso et illustri domino Nicolao de Goarco duce Janue et commune Janue eiusdem maiestatis Hungarie colligatis, seu cum sindicis, procuratoribus, ambaxiatoribus ipsius domini ducis et communis Janue; et cum patriarcatu et ecclesia Aquilegiense colligatis eiusdem maiestatis Hungarie, seu cum rectoribus, administratoribus et agentibus pro ipso patriarchatu et ecclesia Aquilegiense; ac etiam cum magnifico et potenti domino Francisco de Carraria civitatis Padue et districtus pro imperiali maiestate Romanorum vicario generali, colligato etiam prelibate regie maiestatis Hungarie, seu cum procuratoribus suis et cuiuslibet predictorum et cum quibuscumque aliis colligatis, adherentibus, fautoribus, complicibus, subditis et fidelibus eiusdem regie maiestatis et quolibet eorum simul vel divisim, et ad tractandum, faciendum, complendum et firmandum cum prelibata serenissima maiestate Hungarie et cum suprascriptis et quibuscumque aliis colligatis, adherentibus, fautoribus, complicibus, subditis et fidelibus eiusdem maiestatis et quolibet eorum simul vel divisim bonam, veram et perpetuam pacem et concordiam vel treuguas de omnibus guerris, discordiis, dissidiis, questionibus, discensionibus et rancoribus vigentibus seu que vigere possent inter prefatam serenissimam maiestatem Hungarie et eius colligatos, adherentes, fautores, complices, subditos et fideles et quemlibet eorum simul vel divisim ex una parte, et prefatum dominum ducem et commune Veneciarum ac eorum colligatos, adherentes, fautores, complices ac subditos et fideles et quemlibet eorum simul vel divisim ex parte altera, causa et occasione seu ratione quacum-

que, sub illis pactis, modis, additionibus, obligationibus, promissionibus, penarum adiectionibus, terminis, conventionibus, formis et articulis, cautelis et clausulis, que dictis sindicis et cuilibet eorum videbuntur, et ad faciendum et recipiendum finem, absolutionem, liberationem et pactum de ulterius non petendo, promissiones et pacta ab ipsa regia maiestate et colligatis suis vel ab agentibus pro eis et quolibet eorum simul vel divisim seu a procuratoribus et sindicis eorum et cuiuslibet eorum recipiendum nomine predicti domini ducis et communis Veneciarum, et ad compromittendum et compromissum unum et plura semel et pluries tam de iure quam de facto faciendum in arbitros, arbitratores et amicabiles compositores de et super guerris, discordiis, questionibus, dissensionibus et rancoribus suprascriptis vel aliquibus eorum sub illis terminis, penis, modis et conditionibus, que dictis sindicis et cuilibet eorum videbuntur, cartas, instrumenta quecumque pro predictis et singulis et quolibet predictorum et dependentibus et connexis et prorsus extraneis faciendum, firmandum et recipiendum cum stipulationibus, promissionibus, pactis, obligationibus penarum, adiectionibus, iuramentis, prestationibus, renuntiationibus, cautelis et clausulis opportunis, et ad obligandum bona prelibati domini ducis et communis Veneciarum, et ad iurandum in animas eiusdem domini ducis et singularium personarum communis Veneciarum pro observatione eorum, que dicti sindici vel aliqui eorum duxerint promittendo, et cuiuslibet generis sacramentum prestandum, et generaliter ad omnia alia et singula faciendum, promittendum, recipiendum, firmandum et validandum, que in predictis et singulis et in dependentibus et connexis et prorsus extraneis necessaria fuerint et opportuna, et que merita earum et negociorum exigunt et requirunt, etiam si talia forent, que mandatum exigerent speciale, et que ipsimet constituentes facere possent, si presentes forent; dantes et concedentes dictis eorum sindicis et procuratoribus et cuilibet eorum in predictis et circa predicta et in dependentibus et connexis et prorsus extraneis plenum, liberum et generale mandatum, ac etiam speciale, ubi exigitur, cum plena, libera et generali administratione et potestate; et promittentes, firma, rata et grata se perpetuo habere, tenere, attendere et observare, quecumque dicti eorum sindici et procuratores et quilibet eorum in predictis et singulis et dependentibus et connexis et prorsus extraneis duxerint facienda et promittenda, et non contrafacere vel venire sub obligatione et ypoteca omnium bonorum prefatorum domini ducis et communis Veneciarum. Actum Veneciis in ducali palatio presentibus sapiente et circumspecto viro domino Raphayno de Caresinis ducatus Veneciarum cancellario ac providis viris ser Amedeo de Bonguadagnis, ser Johanne Vido et ser Petro quondam ser Jacopini de Rubeis ducatus Veneciarum scribis, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis et aliis. In premissorum autem fidem et evidentiam pleniorem prefatus inclitus dominus dux presens instrumentum sindicatus fieri mandavit, et sua bulla plumbea pendente muniri. Ego Leonardus de Anzolellis de Veneciis filius quondam ser Francisci imperiali auctoritate notarius predictis omnibus et singulis presens fui, et ea de mandato prefati incliti domini ducis publicavi rogatus.

Tenor *sindicatus Januensium.* In nomine domini amen. Illustris et magnificus dominus dominus Nicolaus de Goarco dei gratia Januensis dux et populi defensor, in presentia, consilio, deliberatione sui spectabilis et

prudentis Ancianorum consilii in pleno numero congregati, et quorum de dicto consilio nomina sunt hec: dominus Nicolaus de Recho prior, dominus Bartholomeus de Jacopo legum doctor, dominus Vicentius de Flisco, dominus Quilicus Bondinarius, dominus Percival Cibo, dominus Franciscus de Anthona, dominus Anthonius Lercarius, dominus Bartholomeus de Prato de Bulzaneto, dominus Thomas Cataneus, dominus Petrus Cazanus, dominus Illarius Lezavellus et dominus Thomas Spinula nec non dictum concilium seu consiliarii anciani in presencia, auctoritate, voluntate et decreto prefati illustris et magnifici domini ducis nomine et vice communis Janue et pro ipso commune ac quibuscumque subditis et districtualibus eiusdem communis, absolventes et deliberantes se prius super infrascriptis ad ballotulas albas et nigras, que reperte fuerunt omnes albe numero quatuordecim, nulla nigra, et ad cautelam in presencia, voluntate, deliberatione et consensu infrascriptorum octo prudentum officialium guerre maris dicti communis Janue etiam in pleno numero congregatorum, nomina quorum sunt hec: Babilanus Ventus prior, Demanus [1]) de Claparia, Cataneus [2]) de Auria, Franciscus Leardus, Luchinus de Bomavey [3]), Bartholomeus Pindeben de Vernacia, Ambaldus Lomelinus et Anthonius Grilus, omnique iure, via, modo et forma, quibus melius potuerunt et possunt, fecerunt, constituerunt, elegerunt et ordinaverunt ac faciunt, constituunt, eligunt et ordinant eorum dictique communis Janue veros, certos, indubitatos, legitimos sindicos et procuratores, nuncios ac actores, et prout de iure melius dici, censeri vel appellari possunt, nobiles et circumspectos viros dominos Leonardum de Montaldo iurisperitum, Franciscum Embriacum, Neapolionem Lomelinum et Matheum Maruffum nobiles cives Janue licet absentes tamquam presentes et tres eorum semper in solidum, quociens contingerit, unum eorum causa absentie vel infirmitatis seu alia iusta et rationabili causa una cum aliis tribus interesse non posse, ad tractandum, perveniendum, iniendum et firmandum bonam, veram sinceram pacem et bonum, verum, sincerum acordium, deo propicio perpetuo duraturam et duraturum, cum illustri et magnifico domino domino Andrea Contareno duce Veneciarum cumque suo prudente consilio et cum communi et universitate eiusdem civitatis Veneciarum seu cum persona vel personis legitime pro eis seu eorum nominibus interveniente vel intervenientibus cum pleno et sufficienti mandato de et pro omni guerra, discordia, rancore, odio, inimicicia, que sunt, vertuntur et vigent, queque fuerunt et viguerunt et in futurum fuerint et viguerint seu vertentur inter dictas partes nominibus antedictis et de et pro quibuscumque hominibus captivis dictarum partium et cuiuslibet earum, nec non de et pro quibuscumque homicidiis, cedibus, vulneribus, dampnis, incendiis, robariis, predis, rapinis, aliisque criminibus, iniuriis, offensionibus, sceleribus et delictis, commissis, illatis et perpetratis hinc inde ac commitendis, inferrendis et perpetrandis in futurum usque ad diem dicte pacis tam dicta guerra vigente quam ante, pactis, conventionibus, promissionibus, modis, formis, conditionibus, penarum adiectionibus, securitatibus, fideiussionibus, iuramentis, obligationibus, ypotecis, solemni-

[1]) In altero originali Damianus de Clapania.
[2]) In altero originali Catheneus.
[3]) In alio originali Bonavensis.

tatibus, clausulis et cautelis, de quibus eisdem sindicis seu tribus eorum in solidum, contingente aliqua predictarum causarum, melius videbitur et placuerit. Item etiam ad componendum, paciscendum, transigendum ac finem et acordium faciendum cum prefatis illustri domino duce, consilio et commune Veneciarum seu cum persona vel personis legitimis pro eisdem de omnibus et singulis, ad que dicte partes sibi invicem tenentur seu obligate sunt vigore quarumcumque pacium seu instrumentorum pacium hinc retro interventarum inter ipsas partes seu alias personas pro eisdem partibus sub novis pactis, promissionibus, transactionibus, compositionibus, penarum adiectionibus, obligationibus, ypotecis, iuramentis, securitatibus, fideiussionibus, clausulis et cautelis, et in omnibus et per omnia prout et sicut dictis sindicis visum fuerit seu tribus eorum in solidum contingente aliqua causarum predictarum. Et denum et generaliter ad omnia et singula faciendum, que in predictis omnibus et singulis ac in dependentibus, incidentibus, emergentibus, accessoriis annexis et connexis, predictis et a predictis et quolibet predictorum necessaria fuerint, seu utilia videbuntur, etiam si talia forent, de quibus oporteret specialem et expressam fieri mentionem, et que ipsimet constituentes dictis nominibus seu dictum commune Janue facere posset seu possent, si personaliter interessent vel interesset; dantes et concedentes nominibus antedictis eisdem sindicis et tribus eorum in solidum, contingente aliqua causarum predictarum in predictis et circa predicta ac in dependentibus, incidentibus, emergentibus, accessoriis, annexis et connexis ab eis et quolibet eorum, plenum, liberum et generalissimum mandatum cum plena libera et generali administratione. Promittentes et convenientes nominibus antedictis michi infrascripto notario, ut publice persone officio publico stipulanti et recipienti vice et nomine omnium et singulorum, quorum interest, intererit seu interesse poterit, sese dictis nominibus dictumque commune Janue habituros et observaturos ac habiturum et servaturum perpetuo grata, solida, firma omnia et singula, que vigore presentis mandati per dictos sindicos et procuratores nominibus ipsorum et dicti communis Janue acta, gesta, facta, promissa, conventa seu quomodolibet procurata fuerint, sub ypoteca et obligatione omnium bonorum et rerum dicti communis Janue presentium et futurorum, et duratura sint ac vim et robur obtineant presentia, sindicatus, mandatum et baylia hinc ad menses tres proxime secuturos; rogantes me notarium infrascriptum, quatenus de predictis hoc conficere instrumentum. Actum Janue in capella ducalis palacii, anno dominice nativitatis millesimo trecentesimo octuagesimo primo; indicione tercia secundum cursum Janue, die nona maii, hora paulo ante tercias, presentibus testibus vocatis et rogatis: Anthonio Panizario, Raphaele de Casanova, notariis et cancellariis, Manuele de Valente de Rappto [1]) et Johanne de Alegro, notariis et subcancellariis, omnibus civibus Janue. Ego Baldasal Nicolai de Pineto imperiali auctoritate notarius et prefatorum illustris domini ducis, eius consilii et communis Janue cancellarius, predictis omnibus interfui, et rogatus hoc publicum instrumentum composui.

Tenor *procuratorii patris et filii dominorum Paduanorum.* In Christi nomine amen. Anno eiusdem nativitatis millesimo trecentesimo octuage-

---

[1]) Idem in alio originali et VI. pacta.

simo primo, indictione quarta, die jovis decimo octavo mensis aprilis, Padue, in palaciis habitationum infrascriptorum dominorum patris et filii in camera a quadris, presentibus egregiis et strenuis militibus domino Bonifacio de Luppis de Parma marchione Soranee, filio quondam egregii militis domini Ugulotti de Luppis de Parma de contracta sancti Firmi de Padua, domino Romeo de Pepolis de Bononia quondam magnifici domini Johannis de Pepulis Padue habitantis in contrata Braydi, ac domino Simone de Luppis de Parma, marchione Soranee, quondam nobilis militis domini Guidonis de Luppis de Parma de contracta domi de Padua, egregio legum doctore domino Paganino de Sala cive Patavo filio quondam domini Coradi de Sala de contracta sancti Laurentii, nobile viro Checco quondam Petri de Leone de Padua de contrata sancte Lucie, et circumspecto et prudente viro ser Francisco Turcheto infrascripti domini Francisci de Carraria referendario filio quondam ser Anthonii Turcheti de contracta domi de Padua, testibus vocatis et rogatis et aliis. Ibique magnificus et excelsus dominus dominus Franciscus de Carraria Padue etc. natus olim felicis recordationis magnifici domini Jacobi de Carraria similiter domini domini Padue, ac magnificus natus eius dominus Franciscus de Carraria auctoritate, consensu et licentia dicti magnifici genitoris sui domini Francisci de Carraria ibi presentis, volentis, consentientis et parabolam ei dantis, uterque ipsorum in solidum et pro se omni iure, via, modo et forma, quibus melius et efficacius potuerunt et possunt, pro se et eorum heredibus et successoribus sponte et ex certa scientia fecerunt, constituerunt et creaverunt et ordinaverunt egregios et honorabiles viros dominum Arsendinum de Arsendis de Forlivio legum doctorem eximium, natum quondam famosissimi legum doctoris domini Raynerii de Forlivio, dominum Thadeum de Azoguidis Bononiensem militem, dominum Anthonium de Zechis de Pedemontium legum doctorem, ipsius magnifici domini Padue generalem vicarium, filium quondam domini Manuelis de Montecalerio, nec non dominum Jacobum Turchetum legum doctorem filium quondam ser Anthonii Turcheti civem Patavum, omnes Padue habitatores ibi presentes et onus mandati sponte suscipientes quemlibet eorum in solidum, ita quod occupantis conditio potior non existat, et id, quod unus ipsorum incepit, alius possit mediare, prosequi et finire, suos certos et veros nuncios, missos, actores, negotiorum gestores et legitimos et speciales procuratores et quicquid, magis melius et amplius censeri, dici et esse possunt in omnibus suis et communis Padue causis, litibus, controversiis et querelis civilibus et criminalibus presentibus et futuris, et specialiter ad tractandum, iniendum, complendum, faciendum, firmandum, ultimandum et concludendum nomine magnificorum dominorum patris et filii et communis Padue bonam, veram, puram, sinceram, perpetuam, solidam et tranquillam pacem, unanimitatem et concordiam cum illustre et magnifico domino domino Andrea Contareno dei gratia duce Veneciarum etc. et cum ipso communi Veneciarum seu cum eorum procuratoribus et sindicis ad hec legitime constitutis de omnibus et singulis guerris, discordiis, dissidiis, discensionibus, differentiis, questionibus, litibus et controversiis vertentibus et existentibus seu verti, existere et esse possent inter prefatos magnificos dominos patrem et filium de Carraria seu commune Padue ex parte una et prefatum dominum ducem et commune Veneciarum et adherentes, subditos, fideles et sequaces

suos ex altera, et de omnibus et singulis dampnis, iniuriis, cedibus, violentiis, incendiis, rapinis, robariis et offensis realibus et personalibus per partes predictas sibi invicem vel alteram earum alteri factis, dictis commissisque vel perpetratis in alteram partem seu subditos, benivolos, adherentes et sequaces eiusdem quomodocumque et qualitercumque et quacumque alia ratione, causa et occasione sub illis modis, formis, pactis, conventionibus, promissionibus, obligationibus realibus et personalibus et cum receptionibus quorumcumque et iurisdictionis cuiuslibet, admissionibus, penarum adiectionibus, renuntiationibus, cautelis et clausulis oportunis, que dictis eorum procuratoribus videbuntur, finem quoque, remissionem, liberationem, refutationem, quietationem, absolucionem et pactum de ulterius non petendo, faciendum et recipiendum cum stipulationibus et clausulis necessariis, et ad prestandum nomine dictorum magnificorum dominorum constituentium dictis procuratoribus et sindicis domini ducis et communis Veneciarum omnem promissionem et obligationem, de qua invicem convenerint, et similiter eas a dictis procuratoribus et sindicis domini ducis et communis Veneciarum nomine ipsorum magnificorum constituentium recipiendum, et pro observatione eorum omnium et singulorum, que hinc inde promissa et gesta fuerint, ipsos magnificos dominos constituentes de Carraria et heredes, successores et bona obligandum, et ab ipsis procuratoribus et sindicis domini ducis et communis Veneciarum obligationem similem et reciprocam recipiendum, et ad iurandum in animas ipsorum magnificorum dominorum patris et filii constituentium, perpetuo attendere et inviolabiliter observare, quecumque dicti procuratores eorum duxerint promittenda, et prout super predictis et quolibet predictorum convenerint; simile quoque et solempne iuramentum a dictis procuratoribus et syndicis domini ducis et communis Veneciarum seu ab aliis quibuslibet recipiendum, et de premissis et quolibet premissorum instrumentum unum et plura rogandum, faciendum et celebrandum ac recipiendum semel et pluries, ipsamque quocumque valamine roborandum, et generaliter ad omnia alia et singula agendum, dicendum, faciendum, promittendum, procurandum, tractandum et executioni mandandum, que in premissis et circa ea et in dependentibus et connexis ab eis et eorum quolibet fuerint necessaria, fructuosa, utilia et opportuna, et que ipsimet constituentes dicere, facere et exercere possent, si ad premissa personaliter interessent, et que quilibet verus et legitimus procurator et sindicus dicere, facere et exercere posset. Dantes et concedentes dictis procuratoribus suis et cuilibet ipsorum in solidum plenum, liberum et generale ac speciale mandatum cum plena libera generali et speciali administratione omnia et singula agendi, dicendi, faciendi, promittendi, tractandi, concludendi ac executioni mandandi nomine predictorum constituentium in premissis et circa premissa et in dependentibus et connexis ab eis et eorum quolibet etiam, si talia vel graviora et prorsus extranea forent, que mandatum exigerent speciale. Promittentes prefati magnificus dominus Franciscus de Carraria et magnificus natus suus dominus Franciscus pro se ac heredibus ac successoribus suis et communi Padue michi Bandino notario infrascripto ut publice persone stipulanti et recipienti nomine et vice omnium et singulorum, quorum interest vel interesse posset, se semper firma, rata et grata per se et suos heredes et successores et commune Padue habere, tenere, attendere et observare,

quecumque per ipsos procuratores suos et quemlibet ipsorum in solidum dicta, facta, gesta, promissa, conclusa et ordinata fuerint in premissis et circa premissa et quolibet premissorum et in dependentibus et connexis ab eis, et non contrafacere vel venire aliqua ratione vel causa de iure vel de facto sub sua ac heredum et successorum suorum et communis Padue obligatione ac bonorum omnium ypotheca mobilium et immobilium presentium et futurorum. Ego Bandinus filius Angeli notarii de Bandino de Brazis, civis et habitator civitatis Padue in quarterio domi Centenario et contracta sancte Lucie, imperiali auctoritate notarius et iudex ordinarius ac prefati magnifici domini Francisci de Carraria Padue etc. scriba, hiis omnibus interfui, et rogatus hec omnia bona fide scripsi.

Tenor *sindicatus communis Padue.* In nomine domini nostri Jesu Christi amen. Anno eiusdem nativitatis millesimo trecentesimo octuagesimo primo, indictione quarta, die sabati vigesimo mensis aprilis post nonam super sala maioris consilii communis Padue, presentibus providis viris ser Marsilio Roverino notario quondam domini Anthonii de contracta omnium sanctorum, ser Jacobino filio ser Ture de contracta sancti Johannis a navibus, ser Anthonio notario quondam domini Alberti a Toaglis de contracta sancti Danielis, ser Gilberto notario quondam domini Danielis a statutis de contracta sancti Bartholommei et sapiente viro domino Francisco de Raynis quondam magistri Johannis de contracta sancti Andree, omnibus civibus Patavis ad hec specialiter vocatis, habitis et rogatis, et aliis. In pleno et generali consilio communis et hominum civitatis Padue ad sonum campane voce preconia more et loco solitis in unum congregato, in quo quidem consilio interfuerunt: egregius et spectabilis miles dominus Rizardus de sancto Bonifatio comes Verone, civitatis Padue honorabilis potestas, sapiens et honorabilis vir dominus Machagninus de Grumpo de Padua legum doctore, iudex dominorum Ancianorum civitatis Padue ac iuris sufficiens, consiliariorum, ancianorum, gastaldionum fratalearum dicte civitatis Padue secundum morem et ritum ipsius civitatis Padue, ipsi domini potestas, iudex ancianorum, anciani, gastaldiones et consiliarii dicte civitatis Padue et communis Padue unanimiter et concorditer nemine discrepante, ipse silicet dominus potestas una cum ipso domino iudice ancianorum, ancianis, gastaldionibus et consiliariis et idem dominus iudex ancianorum, anciani, gastaldiones et consiliarii una cum ipso domino potestate totum commune Padue presentantes omni modo, iure, via et forma, quibus melius et efficacius potuerunt et possunt, pro se et successoribus suis ac nomine et vice communis Padue fecerunt, constituerunt, creaverunt et ordinaverunt honorabilem et egregium legum doctorem dominum Jacobum Turchetum quondam domini Antonii Turcheti civem Padue absentem tamquam presentem suum et dicti communis Padue certum nuncium, actorem, missum, negotiorum gestorem et legitimum et speciale sindicum et procuratorem et quicquid magis, amplius atque melius censeri, dici et esse potest in omnibus eorum causis, litibus, controversis et guerelis civilibus et criminalibus presentibus et futuris, specialiter ad tractandum, ineundum, complendum, faciendum, firmandum, ultimandum et concludendum nomine dicti communis Padue bonam, veram, puram, sinceram, perpetuam, solidam et tranquillam pacem, unanimitatem et concordiam cum illustri et magnifico domino domino Andrea Contareno dei gratia, duce Venetiarum etc. et cum

ipso communi Veneciarum seu cum eorum procuratoribus et sindicis ad hec legitime constitutis de omnibus et singulis guerris, discordiis, discensionibus, differentiis, questionibus, litibus et controversiis vertentibus et existentibus seu que verti, existere et esse possent inter predictum commune Padue ex una parte et prefatum dominum ducem et commune Veneciarum ac adherentes, subditos et fideles et sequaces suos ex alia, et de omnibus et singulis dampnis, iniuriis, cedibus, incendiis, violenciis, rapinis, robariis et offensionibus personalibus et realibus per partes predictas vel alteram earum factis, dictis, commissis vel perpetratis in alteram partem seu subditos, adherentes, benivolos, fideles et sequaces eiusdem quomodocumque et qualitercumque et quacumque alia ratione, causa et occasione sub illis modis, formis, pactis, conventionibus, promissionibus, obligationibus realibus et personalibus et cum receptione quorumcumque et iurisdictionis cuiuslibet receptionibus, penarum adiectionibus, renunciationibus, cautelis et clausulis opportunis, que dicto procuratori et sindico videbuntur, finemque, remissionem, liberationem, refutationem, quietationem, absolutionem et pactum de ulterius non petendo, faciendum et recipiendum cum stipulacionibus et clausulis necessariis, et ad prestandum nomine dicti communis Padue dictis procuratoribus et sindicis domini ducis et communis Veneciarum omnem promissionem et obligationem, de qua invicem convenerint, et similiter eas a dictis procuratoribus et sindicis domini ducis et communis Veneciarum nomine dicti communis Padue recipiendum. Et pro observatione eorum omnium et singulorum, que hinc inde promissa et gesta fuerint, ipsum commune Padue ac eius successores et bona obligandum, et ab ipsis procuratoribus et sindicis domini ducis et communis Veneciarum obligationem similem et reciprocam recipiendum, et ad iurandum in animas personarum et hominum dicti communis Padue perpetuo attendere et inviolabiliter observare, quecumque dictus procurator et sindicus suus duxerit promittenda, et prout super predictis et quolibet predictorum convenerint, simile quoque et solempne iuramentum a dictis procuratoribus et sindicis domini ducis et communis Veneciarum seu ab aliis quibusvis recipiendum, et de premissis et quolibet premissorum instrumentum unum et plura rogandum, faciendum et recipiendum semel et pluries, ipsaque quocumque valamine roborandum, et generaliter ad omnia alia et singula agendum,, dicendum, faciendum, procurandum, tractandum et executioni mandandum que in premissis et circa ea et in dependentibus et connexis ab eis fuerint necessaria, utilia et opportuna, et que ipsi iidem domini potestas, iudex ancianorum, anciani, gastaldiones fratalearum et consiliarii communis Padue ac ipsum commune et homines civitatis Padue dicere, facere et exercere possent, si ad premissa personaliter interessent, et que quilibet verus et legitimus procurator et sindicus dicere, facere et exercere potest; dantes et concedentes dicto suo sindico et procuratori plenum, liberum, generale et speciale mandatum cum plena, libera, generali et speciali administratione omnia et singula agendi, dicendi, faciendi, promittendi, tractandi et concludendi ac executioni mandandi nomine dicti communis Padue in premissis et circa premissa et in dependentibus et connexis ab eis, etiam si talia maiora vel graviora ac prorsus extranea forent, que mandatum exigerent speciale; promittentes michi Johanne de Bassanello notario subscripto, ut publice persone, stipulanti et recipienti nomine et vice omnium,

quorum interest vel intesse posset, se semper firma, rata et grata per se et successores suos ac commune Padue habere, tenere, attendere et observare, quecumque per ipsum procuratorem et sindicum suum dicta, facta, gesta, promissa, conclusa et ordinata fuerint in premissis et circa premissa et in dependentibus et connexis ab eis, et non contrafacere vel venire aliqua ratione vel causa de iure vel de facto, sub ypoteca et obligatione omnium bonorum dicti communis Padue mobilium et immobilium presentium et futurorum. Ego Johannes de Bassanello filius ser Rolandi, civis et habitator civitatis Padue in quarterio et contracta Turrissellarum ac centenario sancti Danielis, imperiali auctoritate notarius ac existentis in officio communis Padue ad discum sigilli coram prefato domino potestate Padue, his omnibus interfui, et rogatus, hec omnia bona fide scripsi, ac in hanc publicam formam redegi sub meis signo et nomine consuetis.

Tenor *mandati vicedomini Aquileiensis.* In Christi nomine amen. Anno dominice nativitatis millesimo trecentesimo octuagesimo primo, indictione quarta, die nono mensis aprilis, actum in castro Sacili Aquilegiensis dyocesis in camera novi palacii, presentibus: reverendo patre domino Karolo abbate monasterii Rosacensis et venerabilibus egregiis et honorandis viris dominis Johanne iuniore de la Turre et Antonio de Rancone canonicis Aquilegiensibus, Nicolao, Johanne, Ofurlano et Artico comitibus de Porciliis, Rizardo comite de Prata, Andrea et Nicolao eius filio comitibus de Pulcinicho, Nicolao de Mols, Bernardo de Strasoldo, Johanne Fazatto de Sbrogliavaca, Lodovico de Vilalto, Nicolao de Strasoldo, Federico de Mucio, Otthaco et Utussio de civitate Austria, Nicolao Bonben et Nicolao magistri Gregorii de Utino, Thomado et Fantono de Glemona et Symone de Venzono testibus et aliis pluribus vocatis et rogatis. Ibique spectabilis et venerabilis vir dominus Federicus comes de Porcileis Aquilegiensis ecclesie sede patriarchali Aquilegiense vacante vicedominus generalis, de unanimi et matura deliberatione, voluntate, assensu pariter et consensu consilii, parlamenti, prelatorum, nobilium et communitatum patrie Fori Julii in unum ad sonum campane super infrascriptis more solito congregati in loco prefato tractandis et specialiter peragendis et ipsum consilium una cum ipso domino Frederico vicedomino et de ipsius voluntate, deliberatione, mandatu, assensu pariter et consensu, modis omnibus atque formis, quibus melius sciverunt et potuerunt, fecerunt, constituerunt et ordinaverunt suis et Aquilegiensis ecclesie sede vacante ac patrie Foriiulii et tocius patriarchatus Aquilegiensis nominibus, subditorum et adherentium earumdem venerabilem virum dominum Georgium de Fortis decanum Aquilegie et ipsius Aquilegiensis capituli dicta sede vacante in spiritualibus vicarium generalem et egregium militem dominum Fredericum de Savorgnano quondam spectabilis militis domini Francisci de Savorgnano et nobilem Johannem de Cuccanea, ibidem presentes et hoc mandatum in se sponte suscipientes, nec non venerabiles et prudentes viros dominos Octobonum de Ceneta decanum collegiate ecclesie sancte Marie de Utino Aquilegiensis dyocesis et Nicolaum Zerbini de Utino secretarium olim bone memorie reverendissimi patris domini Marquardi patriarche Aquilegiensis absentes tanquam presentes et quemlibet ipsorum in solidum ita, quod occupantis conditio potior non existat, sed quod unus ipsorum inceperit alius seu alii mediare valeant, prosequi et finire, suos et dicte Aquile-

giensis ecclesie et patrie Foriiulii ac tocius patriarchatus Aquileiensis veros et certos nuntios, actores, factores, legitimos procuratores, sindicos et nuncios speciales, et quicquid melius esse possunt, specialiter et nominatim ad tractandum, ineundum, componendum et firmandum, faciendum, dandum et recipiendum, compiendum et consumandum nominibus antedictis auctore deo puram, veram pacem, concordiam et amorem seu treuguas, inducias et substinimenta tam in perpetuum quam ad tempus, si et prout eisdem syndicis et procuratoribus et ipsorum cuilibet modis et formis quibuscumque videbitur expedire, cum illustri et eccelso domino domino duce Venetiarum ipsiusque consilio et communitate Veneciarum eorumque subditis, fidelibus, colligatis, adherentibus quibuscumque, seu cum egregiis et honorabilibus viris dominis syndicis, procuratoribus et ambaxiatoribus dictorum domini ducis et communitatis Veneciarum coram illustri et excelso principe domino domino Amedeo comite Sabaudie seu quibuscumque aliis dominis, commissariis per regiam maiestatem Hungarie deputatis seu in posterum deputandis de et super quibuscumque guerris, rancoribus, discordiis, differentiis, litibus, causis et questionibus, controversiis et querelis inter dictas partes dictis nominibus versis, vertentibus presentialiter, seu que quomodolibet verti possent, specialiter nomine et occasione civitatum, terrarum, castrorum et locorum quorumcumque tocius Istrie, nec non quarentesimi portus Parentini et omnium et singulorum emergentium, dependentium et connexorum a predictis et quolibet predictorum, nec non omnium et singulorum aliorum etiam maiorum equalium seu minorum ac etiam extraneorum et remotorum ab eis et quolibet ipsorum. Insuper nomine et occasione insule Gradensis, tocius territorii siti infra Plavim et Liguentiam, terrarum, castrorum et locorum omnium eiusdem ac monasterii de Piro et aliarum curiarum, nemorumque et pertinentiarum ipsorum sitarum in partibus Tarvisinis, nec non dominii Garittus, iurisdictionis omnimode meri et mixti imperii et gladii potestatis, omnium predictorum et cuiuslibet ipsorum et aliorum quorumcumque etiam maiorum, equalium, minorum ac etiam extraneorum et remotorum et ipsorum quolibet, nec non nomine et occasione salinarum factarum et fiendarum tam in partibus Istrie quam etiam in Foroiulii et ubicumque in patriarchatu Aquilegiense fuerit opportunum, nec non confinium et piscationum existentium inter dictas partes tam in mari, fluminibus, lacuminibus, et tam in Istria quam in Foroiulii et in partibus Tarvisinis et alibi ubicumque locorum, ac etiam occasione libere navigationis per mare fidelium et subditorum omnium dicte Aquilegiensis ecclesie et aliarum quarumcumque personarum, et omnium et singularum conventionum et pactionum alias, ut dicitur, factarum inter bone memorie reverendissimos patres dominos patriarchos Aquilegieses et Aquilegiensem ecclesiam et illustres dominos duces et communitatem Veneciarum de et super omnibus supradictis et quolibet predictorum, et super quibuscumque aliis etiam maioribus, equalibus seu minoribus ac etiam dependentibus et connexis ac remotis et extraneis ab eisdem et quolibet ipsorum, insuper et occasione quorumcumque censium et pecunie summarum debitarum ipsi Aquileiensi ecclesie et mense patriarchali per ipsos dominum ducem et commune Venetiarum, et generaliter nomine et occasione omnium et singulorum, que ipse partes dictis nominibus sibi invicem quomodocumque et qualitercumque et quibuscumque modis, nominibus, ra-

tionibus et de causis quovis modo petere possent. Et ad paciscendum, transigendum, componendum active et passive et compromittendum super premissis et quolibet predictorum et aliis equalibus, maioribus, extraneis et remotis, que nunc et in futurum quomodolibet apparerent, si et in quantum eisdem syndicis et procuratoribus et ipsorum cuilibet in solidum videbitur expedire, in quoscumque dominos arbitrum et arbitros, arbitratores, amicabiles compositores et communes amicos, semel bis et pluries, et ad audiendum et approbandum et ratificandum quascumque compositiones, transactiones, pronunciationes, declarationes et sententias, que dari et ferri contingerit quomodolibet in premissis et quolibet premissorum, et ad faciendum et recipiendum quascumque conventiones, transactiones, cessiones, pacta et dationes, obligationes, renuntiationes, sacramenta cuiuscumque generis in ipsorum constituentium animos, promissiones, absolutiones, quietationes, fines, remissiones et alia omnia et singula, que in predictis et predictorum quolibet et quibuscumque aliis emergentibus, dependentibus et connexis, et in quibuscumque aliis equalibus, maioribus, extraneis et remotis necessaria fuerint quovis modo et etiam opportuna, et prout dictis sindicis et procuratoribus et cuilibet ipsorum videbitur cum debitis et necessariis et quibuscumque allis stipulacionibus, obligationibus, penarum adiectionibus, literis, instrumentis, promissionibus et clausulis, iuris et consuetudinis opportunis seu quovis modo expedientibus, et prout dictis sindicis et cuilibet ipsorum in solidum videbitur, et generaliter ad omnia alia et singula faciendum, procurandum et exercendum in predictis et circa predicta et quolibet predictorum et quibuscumque aliis dependentibus et connexis ab eis et aliis equalibus, maioribus etiam extraneis et remotis, que necessaria fuerint et etiam opportuna, et prout dictis sindicis et cuilibet ipsorum in solidum videbitur, etiam si talia forent, de quibus hic deberet fieri expressa mentio specialis. Dantes et concedentes prefati domini constituentes nominibus quibus supra eisdem suis subditis et procuratoribus eorum cuilibet in solidum plenum, liberum et generale mandatum cum plena, libera et generali administratione agendi, procurandi et exercendi in omnibus et singulis supradictis et ipsorum quolibet omnia et singula, que ipsimet domini constituentes facere possent communiter vel divisim, etiam si personaliter interessent, ac etiam quibus supra nominibus, promittentes mihi notario infrascripto tanquam publice persone stipulanti et recipienti vice et nomine omnium et singulorum, quorum interest seu interesse poterit quomodolibet in futurum, se firmum ratum et gratum perpetuo habituros omne id et totum et quicquid per dictos suos sindicos et procuratores et ipsorum quemlibet in solidum actum, factum et gestum fuerit in omnibus supradictis et quolibet seu quibuscumque aliis equalibus, maioribus, extraneis et remotis et quomodolibet procuratum. Quos quidem sindicos et procuratores et quemlibet ipsorum in solidum prefati domini constituentes promiserunt nominibus quibus supra et se obligaverunt ac pro eis fideiusserunt ab omni satisdationis onere relevare. Et ex nunc tenore presentis instrumenti relevaverunt et relevant sub ypotheca et obligatione omnium ecclesie Aquilegiensis bonorum presentium et futurorum.

Eisdem millesimo, indictione die vero duodecimo mensis aprilis suprascripti. Actum Aquilegie in capitulo Aquilegiensi, presentibus providis viris dominis presbiteris Guidone et Nicolao beneficiatis in Aquilegiensi


ecclesia nobilibus viris dominis Philippono et Zufridino fratribus quondam nobilis viri domini Antonioli de la Turre testibus et aliis pluribus vocatis et rogatis. Congregato capitulo Aquilegiensi more et loco solitis pro suprascriptis in suprascripto sindicatus instrumento contentis et infrascriptis specialiter exequendis. In quo quidem capitulo interfuerunt venerabiles viri domini Hermacoras de Murutio vicedecanus, Johannes senior et Johannes iunior de la Turre, Antonius de Rancone, Franciscus de Spegnembergo, Muschinus de la Turre et Bartholomeus de Bobio omnes Aquilegienses canonici prebendati facientes et constituentes capitulum Aquilegiensem, maturis deliberatione et tractatibus in et super suprascriptis contentis in suprascripto instrumento sindicatus sub presentibus millesimo et indictione die vero nono mensis aprilis per me infrascriptum notarium scripto et publicato prius habitis, prefati domini vicedecanus, canonici et capitulum Aquilegiense, considerantes constitutionem dictorum sindicorum, ut premittitur, in dicto instrumento contentorum, in et super omnibus et singulis contentis in predicto instrumento, utile et ydoneum fore, omnia et singula in dicto instrumento sindicatus contenta cum omnibus et singulis suis clausulis et articulis approbaverunt, ratificaverunt et consensum prebuerunt pariter et assensum. Et nihilominus ad maiorem et pleniorem firmitatem et cautelam prefati domini vicedecanus, canonici et capitulum Aquilegiense dictos dominos Georgium decanum, Fredericum militem de Savorgnano et Johannem de Cuccanea et Octobonum de Ceneta, decanum Utinensem ac Nicolaum Zerbini omnes absentes tamquam presentes et quemlibet ipsorum in solidum fecerunt, constituerunt et ordinaverunt modis omnibus et forma, quibus melius sciverunt et potuerunt, suis et Aquilegiensis ecclesie sede vacante ac patrie Fori Julii et tocius patriarchatus Aquilegiensis nominibus subditorum et adherentium eorumdem ad omnia et singula suprascripta et contenta cum omnibus et singulis clausulis et articulis in prefato instrumento sindicatus per me notarium infrascriptum sub predictis millesimo et indictione die vero nono mensis aprilis, ut premittitur, scripto et publicato. Promittentes nominibus antedictis michi notario infrascripto tanquam persone publice stipulanti et recipienti vice et nomine omnium et singulorum, quorum interest seu interesse poterit quomodolibet in futurum, se firmum, ratum atque gratum perpetuo habituros omne id et totum et quicquid per dictos suos sindicos et procuratores et ipsorum quemlibet in solidum actum, factum et gestum fuerit in omnibus supradictis et quolibet ipsorum seu quibuscumque aliis equalibus, maioribus, extraneis et remotis et quomodolibet procuratum. Quos quidem sindicos et procuratores et quemlibet ipsorum in solidum prefati domini constituentes promiserunt nominibus quibus supra et se obligaverunt ac pro eis fideiusserunt, ab omni satisdationis onere relevare. Et ex nunc tenore presentis instrumenti relevaverunt et relevant, sub ypotheca et obligatione omnium Aquilegiensis ecclesie bonorum presentium et futurorum. Et ego Antonius quondam Nicolai olim ser Guarnerini de Sonumbergo publicus imperiali auctoritate notarius et iudex ordinarius nec non patriarchalis curie spiritualis Aquilegiensis officialis et scriba, premissis omnibus et singulis contentis in prefatis duobus procurationis sindicatus ac ratificationis instrumentis, dum sic agerentur, una cum dictis testibus presens fui, et rogatus per pre-

dictos dominos constituentes fideliter scripsi et publicavi, meis signo et nomine appositis consuetis in testimonium premissorum.


Tenor *instrumenti sigillo Aquilegiensis capituli sigillati.* In Christi nomine amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo trecentesimo octuagesimo primo, indictione quarta, die undecimo mensis ianuarii, Aquilegie, in ecclesia Aquilegiensi, in loco, in quo dicte ecclesie capitulum pro capitularibus actibus expediendis et negociis pertractandis consuevit evocari et congregari. Presentibus nobilibus viris dominis: Praogna de Sbroglia vaca, Johanne Furlano fratre infrascripti domini Frederici de Porciliis, Nicolao de Strasoldo, Leonardo de Castellerio et Bucino de Strasoldo testibus, et aliis ad hec specialiter vocatis et rogatis. Convocato et congregato in loco supradicto dicte ecclesie Aquilegiensis capitulo pro infrascriptis tractandis, agendis et perficiendis, in quo quidem capitulo sic congregato interfuerunt venerabiles viri domini Georgius de Fortis decanus, Hermacoras de Murucio, Johannes senior de la Turre, Thomasinus de Pontarolis de Furlivio, Johannes iunior de la Turre, Johannes de Spiritellis de civitate Belluni, Octobonus de Ceneta, Christoforus de Spegnembergo, Odoricus de Ragonia, Johannes de Ribisino de Civitate Austria suo et procuratorio nominibus domini Mathei de Ravaniis de Regio, Antonius de Verneto, Antonius de Rancone de Utino, Thomas de Spegnembergo, Johannes de Utino, Johannes Perotti de supradicta civitate Austria suo et procuratorio nominibus domini Jacobi de Mutina, Muschinus de la Turre et Bartholomeus de Bobio canonici prebendati prefate ecclesie Aquilegiensis totum ipsius ecclesie capitulum representantes et facientes. Cum plures dicte ecclesie canonici non essent presentes nec absentes in loco, in quo vel de quo de iure debuerit vel de consuetudine ipsius ecclesie consueverit ad infrascripta vel alios actus capitulores evocari, predicti decanus, canonici et capitulum, ad quos tam de iure quam antiqua et legittima prescripta consuetudine spectavit et pertinuit patriarchali sede Aquilegiense vacante omnis et omnimoda in spiritualibus et temporalibus iurisdictio et potestas et iurisdictionis et potestatis exercicium et cunctorum dispositio et ordinatio in tota patria Forijulii et extra in locis, de locis et circa loca ecclesie prefate Aquilegiensis subiecta, prout et quemadmodum predicta et quodlibet predictorum spectant et pertinent et spectare et pertinere possunt ad dominum patriarcham Aquilegiensem, dum vitam tenet in humanis, et ecclesie Aquilegiensi presidet antedicte, ad quos etiam decanum, canonicos et capitulum spectavit et pertinuit spectat et pertinet eligere, ordinare, creare, facere et constituere vicedominum ad generale regimen, gubernationem, dispositionem et defensionem cunctorum in temporalibus ecclesie et patrie predictorum et ceteros officiales generales et particulares tam in temporalibus quam in spiritualibus, et e converso quibuscumque nominibus censeantur, considerantes, dictas ecclesiam Aquilegiensem et patriam Foriiulii fore de presenti earum pastore, rectore et domino destitutam et desolatam per obitum pie memorie reverendissimi quondam in christo patris et domini domini Marquardi ultimi dicte ecclesie Aquilegiensis patriarche et potestatis et dicte patrie Foriiulii domini generalis, et ipsas ecclesiam et patriam indigere provisione et studio magni et studiosi regiminis et diligentis et provide gubernationis, et se non posse ad singula et in singulis sufficere, et non decere eos circa omnia occurrentia maxime in temporalibus se actua-

liter immiscere, deliberatione prehabita deliberaverunt et decreverunt unum dictorum ecclesie et patrie inter alios officiales ordinandos eligere, constituere et facere vicedominum generalem. Et attendens ipsum capitulum strenuitatem, industriam et probitatem magnifici et egregii viri domini Federici comitis de Porcileis, per cuius virtutem et circumspectam providentiam ac industriam et potentiam ipsum capitulum sperat indubie et sperat ex certo, predictam ecclesiam Aquilegiensem et iamdictam patriam Foriiulii laudabiliter, utiliter, feliciter et cum profesto et felicitate et pacis incremento in temporalibus posse et debere gubernari, regi et defensari, ipsum iamdictum capitulum eumdem dominum Fredericum suum et ecclesie Aquilegiensis et totius patrie Foriiulii fecit, ordinavit, constituit et creavit ac per seriem presentis publici instrumenti facit, constituit et ordinat et creat vicedominum generalem cum plena et libera et generali auctoritate et potestate dictas ecclesiam Aquilegiensem et patriam Foriiulii et queque loca dicte ecclesie subiecta et ad eamdem spectantia quovismodo in temporalibus generaliter regendi, gubernandi et defendendi preordinandique et disponendi in temporalibus in ipsa patria et extra, prout et quemadmodum ipsi domini decanus, canonici et capitulum per se ipsos et quoscumque alios eorum officiales ad premissa et premissarum quodlibet facienda et exercenda seu faciendum et exercendum sufficienter et legitime cum omni iure, observatione, constitutos et ordinatos facere et exercere possent in premissis omnibus et singulis et circa premissa omnia et singula, committens ipsum capitulum dicto domino Federico eorum vicedomino sponte, libere et ex certa scientia, dicta patriarchali sede vacante, plenarie vices suas, donec eas dictum capitulum ad se duxerit revocandas. De quibus omnibus et singulis suprascriptis dictum capitulum mandavit per me Johannem notarium infrascriptum unum et plura in premissorum testimonium debere confici publica instrumenta, et ad maioris roboris firmitatem ipsum capitulum mandavit et fecit presens publicum instrumentum sigilli munimine roborari. Et ego Johannes quondam Lancelloti de Cuccanea, Aquilegiensis diocesis clericus, imperiali auctoritate notarius et notarius capituli Aquilegiensis, predictis omnibus interfui, et rogatus scribere scripsi, meumque consignum consuetum apposui in fidem et testimonium omnium premissorum.

Et de predictis omnibus partes omnes superius nominate rogaverunt per nos notarios infrascriptos et quemlibet nostrum fieri et confici debere plura publica instrumenta unius et eiusdem continentie et tenoris et absque ulla variatione substantie videlicet per discretum virum Johannem Ravaisii notarium et prefati illustris magnifici domini comitis secretarium, per Boniohannem de Bressariis notarium camere dominorum advocatorum communis Veneciarum et cancellarium dictorum dominorum ambaxiatorum Veneciarum, per Anthonium de Credentia notarium et domini ducis, consilii et communis Janue cancellarium, per Bandinum filium Angeli de Bandino de Brazis notarium et domini Padue scribam, per Antonium quondam Nicolai olim ser Guarnerini de Sonumbergo notarium, patriarchalis curie spiritualis Aquilegiensis scribam et dictorum dominorum ambaxiatorum Aquilegiensis notarium et me Galvanum notarium infrascriptum in fidem et testimonium omnium premissorum.



Ego vero Johannes Ravaisii auctoritate Imperiali et prefati illustris et magnifici principis et domini domini Amedei comitis Sabaudie etc. publicus notarius et eiusdem domini comitis secretarius premissis omnibus et singulis, dum sic fieret et agerentur, una cum supradictis testibus et subscripto notario presens fui, et una cum eodem notario presens instrumentum rogatus recepi, subscripsi et signum meum apposui in testimonium premissorum; per quem subscripsum notarium dictum instrumentum scriptum extitit et correctum, ut in eius subscriptione cavetur.



Ego Galvanus quondam ser Bartholomei de Castrobaldo, civis patavus, publicus et imperiali auctoritate notarius ac iudex ordinarius et prefatorum dominorum Quinqueclesiensis et Zagrabiensis Episcoporùm oratorum sacre regie maiestatis Hungarie scriba, premissis omnibus affui, dum inter dictas partes memoratas agerentur, et ea una cum suprascriptis notariis rogatus sub meis signo et nomine consuetis fideliter scripsi. Verba vero superius zifrata, videlicet in vigesima secunda linea prime carte descendendo, verbum scilicet *laudibus* quod sequitur post verbum *attollendis*, et in vigesimaquarta linea eiusdem prime carte verbum scilicet *tractatum*, quod sequitur post verbum *fidelem*. Item in prima linea secunde carte descendendo in fine ipsius linee verba scilicet *ac etiam vigore iuris communis et multis aliis rationibus et ex causis*, que sequuntur post verbum *februarii*. Item in secunda linea eiusdem secunde carte etiam fine linee verbum scilicet *regi*, quod sequitur post verbum *domino*. Item in vigesima linea dicte secunde carte verbum *dictam*, quod sequitur post *propositionem* ad scriptum in spacio linee. Item in vigesima septima linea dicte secunde carte verbum *regi*, quod sequitur post verbum *domini*. Item in prima linea quarte carte verba scilicet *vel alterius earum*, que sequitur post verbum *predictarum*, et in vigesima quinta linea eiusdem carte verbum *locis*, quod sequitur post verbum *terris*, que verba conscribenda ommiseram per errorem, mea propria manu in marginibus scripsi et zifravi.

Nos autem Amedeus comes, Sabaudie princeps, dux Chablaysii et Auguste, et marchio Ytbalie. Notum fieri volumus tenore presencium universis quod .... suprascripto et omnibus et singulis contentis in eodem attestantes et veridice profitentes ea omnia et singula fore vera et processisse prout et .... reverendis in christo patribus dominis Valentino Quinquecclesiensi et Paulo Zagrabiensi episcopis, ambaxatoribus, nunciis, procuratoribus et legitimis regie maiestatis Ungarie ...... in premissorum robur et testimonium presens instrumentum publicum maioris sigilli sub contra sigillo nostro iubsimus appensione muniri. Datum Taurini die XXIIII augusti, anno domini millesimo trecentesimo octuagesimo primo.

Per dominum: Amedeo de Sabaudia genito
presentibus dominis: Amedeo de Sabaudia principe Achaie
Amedeo domino Urteriarum — Bavais
G. de Stres cancellario Sabaudie
G. de Monte Maiore
Franc. de Arentone — militibus
Ricardo Musardi
Jo. de Verneto et
Savino de Florano legum doctore.

U mlet. arkivu. Patti sciolti serie I nr. 270. Origin. pergamena. Item Patti sciolti ser. II nr. 366. Origin. pergamena. Patti VI Copia.

CCXLII. God. 1381. 8 kolovoza, u Turinu.

Ambasciatores Ungari et Veneti de communi consensu observant quod in contractu pacis die presenti firmatae appositum sit capitulum, in quo dicitur, quod partes „super omnibus et singulis in presenti pace et instrumento contentis eligunt et assumunt in iudicem, cognitorem et executorem omnium predictorum santissimum dominum nostrum papam“ ita quod fuerit per ipsum sententiatum seu declaratum, sit firmum. Nunc vero declarant: „quod non obstante capitulo superius descripto, nec aliquibus contentis in eo, quantum est super iuribus bucarum in dicta pace contentarum et nominatarum et aliis dicto domino regi competentibus, exceptis illis ducatis septemilibus annuis et penis, de quibus in dicto instrumento pacis fit mentio, non possit lix, questio vel controversia fieri vel moveri coram dicto domino papa vel eius successoribus, donec et quousque ecclesia dei, deo disponente, ad unitatem unius pape reducta fuerit, quo casu coram ipso unico sanctissimo papa de predictis omnibus libere agi possit et omnis questio agitari“. Notarius: Johannes Ravaysii.

Pacta VI 20, u mlet. arkivu.

CCXLIII. God. 1381. 16 kolovoza, u Turinu.

Mletčani se obvezuju predati u ruke Pavla Gjorgjevića Zadranina na ime ugar.-hrv. kralja grad Kotor u smislu sklopljena mira, a kralj obećaje, da će jim izplatiti bojnu spravu, koju bi si ondje pridržao.

Promissio ambaxatorum domini regis Hungarie facta ambaxiatoribus domini ducis et communis Veneciarum etc. de faciendo dictis domino duci

et communi Veneciarum finem et remissionem de castro Cathari et civitate, si eam tenerent, ipsis restitutis, et de solvendo munitionem, que retineretur in castro.

Anno a nativitate domini millesimo trecentesimo octuagesimo primo, indicione quarta, die decima sexta mensis augusti, per presens publicum instrumentum cunctis appareat evidenter, quod cum in tractatu pacis inter serenissimum et excellentissimum principem et dominum dominum regem Hungarie seu reuerendos in christo patres et dominos dominos Valentinum Quinque ecclesiensis decretorum doctorem et Paulum Zagrabiensem episcopos, prefati serenissimi domini regis procuratores, actores, legatos et nuncios speciales, ut patet presentibus litteris patentibus regiis magno sigillo regie maiestatis in pendenti sigillatis, datis Bude in palacio regali decima tercia februarii MCCC octuagesimo primo, procuratorio et actorio nomine supradicto ex una parte; et illustrem et magnificum dominum dominum ducem et communem Venetiarum, seu egregios et honorabiles viros dominos Zachariam Contareno, Johannem Tradonico et Michaelem Mauroceno procuratorem ecclesie sancti Marci ambaxiatores, syndicos et procuratores, actores et nuntios speciales predicti illustris domini ducis et communis Veneciarum ex altera parte, facte et celebrate, firmate et iurate hoc presenti anno, indicione, mense, die jovis octavo eiusdem, inter cetera actum fuerit specialiter et conventum inter dictas partes, quod dicto domino regi restituantur omnes terre, loca et castra, que per communem Veneciarum tenentur, que dicto domino regi ablata fuissent per Venetos tempore presentis guerre, et specialiter civitas et castrum Cathari etc., ut in ipso capitulo continetur; et quia prefati ambaxiatores et nuncii supradicti domini regis personaliter accedere nequeuntes mittant egregium militem dominum Paulum de Georgiis de Jadra in eorum nuncium ad accipiendum et capiendum nomine domini regis predicti tenutam castri Cathari et etiam civitatis, si dicti Veneti tenerent, quod dicti Veneti tenent et habent in suis manibus et custodia, et illud custodiendum et servandum nomine quo supra, quod castrum et civitatem, si tenerent predicti nuncii et ambaxiatores illustris domini ducis et communis Veneciarum, ad requisitionem dictorum dominorum ambaxatorum et procuratorum prefati serenissimi domini regis fuerunt et sunt contenti et promittunt solenniter secundum formam et tenorem predicte pacis et capituli predicti nominibus quibus supra eidem domino Paulo militi tradi et libere designari facere nomine domini regis prefati et dictorum dominorum ambaxatorum suorum, dummodo eis fiat promissio et obligatio per dictos dominos ambaxatores regios, quod, tradito dicto castro Cathari seu possessione ipsius et civitatis, si tenerent, in manibus prefati domini Pauli, prefatus dominus rex solleniter liberabit, absolvet et quietabit prefatum dominum ducem et commune Venetiarum ab omni restitutione predicte civitatis et castri Cathari, ad quam prefatus dominus dux et commune Veneciarum tenetur et obligati sunt predicto serenissimo domino regi vigore prefate pacis et capituli supradicti. Idcirco supradicti reverendi in christo patres et domini domini Valentinus Quinque ecclesiensis et Paulus Zagabriensis episcopi procuratores, actores et nuncii supradicti domini regis procuratorio et actorio nomine supradicto solemnibus stipulationibus intervenientibus hinc inde solenniter promiserunt prefatis dominis ambaxatoribus et syndicis prefati domini

ducis et communis Veneciarum stipulantibus et recipientibus nomine et vice predictorum domini ducis et communis Veneciarum, quod si et in quantum restitutio, designatio seu traditio dicti castri Cathari et civitatis, si tenerent seu possessio eius fiat, detur et tradatur et designetur in manibus prefati domini Pauli militis, quod predictus serenissimus dominus rex eosdem dominum ducem et cemmune Veneciarum, facta dicta restitutione et assignatione libera castri predicti Cathari et civitatis, si tenerent, ut est dictum, dicto domino Paulo, solenniter liberabit, absolvet et quietavit per publicum instrumentum seu per publicas patentes litteras dicti serenissimi domini regis bulla regia bullatas ab omni et qualibet obligatione, ad quam predicti dominus dux et commune Venetiarum eidem domino regi tenentur et obligati sunt restituere civitatem et castrum predictum Cathari vigore dicte pacis et capituli memorati cum omnibus solemnitatibus, promissionibus, cautelis necessariis et opportunis; et nichilominus ex nunc prout ex tunc predicti domini dux et commune Veneciarum, facta designatione et restitutione predicta dicti castri et civitatis, si tenerent, predicto domino Paulo militi, sit et esse intelligatur ab obligatione predicta et restitutione dicte civitatis et castri Cathari fienda pro forma dicte pacis capituli predicti liberatus, absolutus et penitus quietatus, et ipsi domini ambaxiatores et procuratores regii ex nunc pro ut ex tunc, facta restitutione et designatione predicti castri Cathari et civitatis, si tenerent, dicto domino Paulo, predictos dominum ducem et commune Venetiarum ab obligatione predicta per acceptilationem et aquilianam stipulationem, legittimis et sollenibus verbis interpositis, solenniter liberant et absolvunt. Ita tamen, quod predicta liberatio sive absolutio non sortiatur effectum, nisi prius habita per dictum dominum Paulum possessione libera dicti castri Cathari et civitatis, si tenerent, ut est dictum. Ceterum cum predicti domini ambaxiatores regii ex una parte et ambaxiatores domini ducis et communis Venetiarum ex altera in simul ad invicem et vicissim convenerunt, quod predictus dominus Paulus de Jadra miles in traditione, restitutione et assignatione castri Cathari sibi nomine domini regis predicti recipienti facienda per dictum dominum ducem et commune Venetiarum seu per eos nuncios possit in se nomine domini regis de munitione dicti castri illud, quod voluerit, retinere, hoc per acto et condicione, quod totum illud, quod retinuerit et retinere voluerit, debeat extimari, et de receptione eius, quod taliter retinuerit et extimatum fuerit, dictus dominus Paulus debeat et teneatur illis, qui nomine domini ducis predicti et communis Venetiarum castrum predictum dabunt et restituunt et assignabunt, eisdem ut supra facere publicum instrumentum, et quod predictus dominus rex dare et solvere debeat et teneatur extimationem totius eius, quod per dictum instrumentum apparebit dictum dominum Paulum habuisse et recepisse de munitione predicta ad valorem ipsius secundum extimationem predictam domino duci et communi Venetiarum, aut defalcare et dimittere eidem domino duci et communi Venetiarum de prestatione presentis anni septem millium ducatorum, quam solvere tenetur et debet prefato domino regi vigore pacis predicte Ideo predicti domini ambaxiatores et procuratores regii procuratorio et actorio nomine, nomine predicto, solemnibus stipulationibus hinc inde intervenientibus, solenniter promiserunt dictis dominis ambaxiatoribus et procuratoribus domini ducis et communis Venetiarum

stipulantibus et recipientibus dare, solvere et restituere extimationem et valorem totius eius, quod per dictum instrumentum apparebit dictum dominum Paulum habuisse et recepisse de munitione dicti castri, ut superius dictum est, aut tantam quantitatem defalcare et diminuere dicto domino duci et communi Venetiarum de prestatione predicta, quam dominus dux et commune Venetiarum solvere debent et tenentur pro anno presenti, quanta fuerit extimatio supradicta et fuisse apparuerit per instrumentum predictum; promittentes procuratorio et actorio nomine predicti domini regii ambaxiatores, solennibus stipulationibus hinc inde intervenientibus, dictis ambaxiatoribus domini ducis et communis Venetiarum nomine predicto domini ducis et communis Veneciarum recipientibus predicta omnia et singula firma et rata habere, tenere, observare et non contrafacere vel venire aliqua ratione vel causa, de iure vel de facto sub pena et obligatione omnium bonorum in dicti domini regis presentium et futurorum. Acta fuerunt hec Thaurini in aula domus heredum Mathei de Panarelio. Presentibus ad ea vocatis testibus: domino Jacobo de Raduquis de Jadra, legum doctore, domino Rodulpho Vasmudi thesaurario Quinque ecclesiensis, Antonio Bartholameo marescalco de Venetiis, et pluribus aliis. Ego vero Gingo Marchiandi, illustris domini comitis Sabaudie secretarius, imperiali auctoritate notarius publicus, qui unam cum prenominatis testibus ad premissa, dum sic fiebant, presens interfui, hoc publicum instrumentum rogatus recepi, manu mea propria subscripsi, et signum meum apposui consuetum in roburis et veritatis testimonium contentorum in eodem, ac tradidi, facti substantia non mutata.

Pactorum VI, 105, u mlet. arkivu.

CCXLIV. God. 1381. 26 rujna, u Mletcih.

Mletački zapoviednik u Kotoru Jakov de Ripa u ime svoje vlade predaje isti grad Pavlu Gjorgjeviću kao zastupniku ugar.-hrv. kralja.

Mandatum factum viro nobili Jacobo de Ripa per ducale dominium de assignatione civitatis et castri Cathari facta domino Georgio de Paulo nomine regie maiestatis Hungarie.

In christi nomine domini amen. MCCCLXXXI, indictione quarta secundum cursum Janue, die XXVI septembris. Nobilis et sapiens vir dominus Jacobus de Rippa, capitaneus sive castellanus pro dominatione ducali Veneciarum castri Cathari, habens speciale mandato ad infrascripta agenda et facienda a suprascripta dominatione ducali, ut constat publico instrumento scripto manu Guillielmini filii ser Tomasini de Vinceciis publici imperiali auctoritate notarii et ducatus Veneciarum scribe, de mandato et voluntate suprascripti serenissimi domini ducis cum sigillo et bulla plumbea pendente dicti communis Veneciarum, cuius quidem baylie, mandati et commissionis tenor talis est. Nos Andreas Contareno dei gratia dux Veneciarum etc. cum nostris consiliis consuetis et opportunis nomine nostro et successorum nostrorum ac communis Venetiarum presentium per tenorem damus et concedimus tibi nobili viro Jacobo de Rippa de nostro mandato capitaneo sive castellano castri Cathari plenissimum mandatum, vigorem et potestatem et te sindicum et procuratorem ac negotiorum ge-

storem constituimus ac facimus specialiter et nominatum ad dandum et assignandum nomine nostro nostrique communis nobili et sapienti viro domino Paulo de Georgiis de Jadra militi, recipienti nomine et vice serenissimi et excellentissimi domini domini Lodovici Ungarie etc. regis illustris, castrum Catari et munitionem dicti castri in toto vel in parte, sicut ipse dominuus Paulus voluerit, faciendo ipsam munitionem, quam receperit, extinari, et ad recipiendum a dicto domino Paulo confessionem de receptione dicti castri et munitionis, et finem et remissionem, quietationem, absolutionem et pactum de ulterius non petendo, et instrumenta necessaria faciendum et recipiendum cum stipulationibus, promissionibus et obbligationibus, cautelis et clausulis opportunis, promittens firmum, ratum et gratum proprio habere et tenere, quicquid duxeris facienda, et non contrafacere vel venire sub obligatione bonorum nostri communis. In promissorum autem fidem et evidentiam pleniorem presentes nostras patentes litteras ac mandatum fieri mandavimus per nostrum notarium infrascriptum, et bullam nostra plumbea pendente muniri. Datum in nostro ducali palatio die septimo septembris, quinta indictione, anno domini MCCCLXXXI. — Ego Guillielminus filius ser Thomasini de Vicenciis publicus imperiali auctoritate notarius et ducatus Veneciarum scriba, de mandato et voluntate suprascripti serenissimi domini ducis scripsi manu mea, et meo solito signo signavi.

Visis et diligenter examinatis omnibus et singulis hiis, que in dicto mandato et commissione dicte ducalis dominacionis continentur, dedit et tradidit ac imposuit et induxit idem dominus Jacobus de Rippa in tenutam et corporalem possessionem, dominium et bayliam dicti castri Catari et secundum pacta contenta in tractatu pacis inite inter illustrissimum et serenissimum dominum regem predictum, Januenses, Venetos et ceteros coaligatos nobilem et egregium virum dominum Paulum de Georgiis de Jadra militem antedictum ac etiam munitionis eiusdem loci sibi integraliter dicto nomine assignavit, suscipientem eundem dominum Paulum dicto nomine dictum castrum et monitionem nomine et vice prefati domini regis Ungarie, dans et concedens idem dominus Jacobus de Ripa castellanus predictus domino Paulo militi recipienti nomine et vice quo supra plenam autoritatem et bayliam, pro ut in commissione ducali continetur et in pactis pacis plenissime dicitur contineri, apprehendendi, intrandi et ingrediendi dictum castrum cum munitione antedicta et cum omnibus et singulis suis iuribus, actionibus, rationibus et confinibus eidem castro spectantibus et pertinentibus quoquomodo, ac claves dicti castri in manus prefati domini Pauli posuit atque dedit, et in omnibus et per omnia cum illis obligationibus, clausulis et cautelis necessariis et opportunis, pro ut in tractatu dicte pacis seriosius dicitur contineri, et sub pena et in pena in dicta pace contenta; promittens dicto nomine michi notario infrascripto velut persone publice stipulanti et recipienti nomine quo supra et omnium et singulorum, quorum interest, intererit seu interesse poterit, perpetuo dicto nomine habere ratum, gratum et firmum et in nullo contrafacere vel venire aliqua ratione vel causa de iure vel de facto per se vel alium seu alios vel per interpositam personam seu personas sub pena et in pena in dicta pace contenta. Et ad maiorem cautelam et roboris firmitatem et ad perpetuam rei memoriam de predictis omnibus et singulis ipse partes

regaverunt me notarium infrascriptum confici debere duo publica instrumenta, videlicet unum pro parte simillis tenoris. Actum in civitate Catari iuxta preditam cvitatem, presentibus testibus nobilibus et egregiis viris dominis Francisco de Benedicto cive et sindico communis Janue, Andrea Paradiso cive et sindico communis Veneciarum, Geronimo Contareno cive Venetiarum, et quam pluribus aliis ad predicta vocatis ad regatis.

Ego Johannes Birorsus de Diane, natus quondam Dominici, imperiali auctoritate notarius, predictis omnibus et singulis interfui, et rogatus scripsi.

In nomine domini amen. MCCCLXXXI, indictione IIII secundum cursum Janue, die XXVI septembris. Nobilis et sapiens vir dominus Paulus de Georgiis de Jadra miles fuit contentus, confessus et manifestus, se habere, tenere et penes se habuisse et recepisse ac sibi datum, traditum et consignatum fuisse et esse castrum Cathari (cum omnibus et singulis suis iuribus et pertinentiis cum adherentibus et pertinentibus ab eodem, et munitionem eiusdem loci integraliter habuisse et recepisse et penes se habere, tenere et possidere ac de eo in corporalem possessionem, dominium et tenutam intrasse et apprehendisse nomine et vice antedicti domini regis secundum pacta pacis; renuntians exceptioni non habiti, recepti, traditi ac consignati dicti castri et munitionis predicte et omnium et singulorum iurium, confinium, dependentium et conexorum ab eodem speique future traditionis, dationis et consignationis pacto dicto nomine omnino renuntiavit), a nobili viro domino Jacobo de Rippa castellano et capitaneo pro commune Veneciarum; faciens eidem domino Jacobo antedicto dicto nomine finem, quietationem, remissionem, liberationem et plenam securitatem et pactum de amplius dictum castrum cum omnibus suis iuribus et rebus dicte munitionis non petendo, liberans et absolvens dictus dominus Paulus dicto nomine ipsum dominum Jacobum nomine predicto suscipientem per acceptilationem et acquilianam stipulacionem, verbis solemnibus introductis, et omni modo, via, iure et forma, quibus melius et efficatius fieri et esse potest. Quam finem, remissionem, quietationem et pactum et omnia et singula suprascripta et infrascripta idem dominus Paulus dicto nomine cum expensis, dannis et interesse litis et extra reficiendis et obligacione omnium bonorum prefati domini regis presentium et futurorum firma, rata et grata habere et tenere promisit, in nullo contrafacere vel venire aliqua ratione, occasione vel causa de iure vel de facto per se dicto nomine vel per alium seu alios neque per interpositam personam vel personas, que dici vel escogitari possit, et hoc sub penis in pace contenta. Que pena tociens peti et exigi possit cum effectu per dictum dominum Jacobum vel per habentes causam ab eo dicto nomine, quociens contra predicta vel predictorum aliquid et singulorum super scriptorum capitulorum a dicto domino Paulo dicto nomine fuerit in aliquo contrafactum vel commissum, et pena quoque commissa, petita, soluta et exacta vel non, semel aut pluries, nil minus presens contractus sui roboris obtineat firmitatem. Actum in civitate Cathari iuxta portam civitatis, presentibus testibus nobilibus viris dominis Francisco de Benedicto cive et sindico communis Janue, Andrea Paradiso cive et sindico communis Veneciarum, Geronimo Contareno cive Veneciarum, et quam pluribus aliis ad predicta vocatis et rogatis. Ego Johannes Birorsus de Diano, natus quondam Dominici, imperiali auctoritate notarius, predictis omnibus et singulis interfui, et rogatus scripsi.

Notandum vere est, quod hoc ultimum instrumentum hic scriptum scripsi, et in hoc libro posui in scriptis sicut inveni signatum cum talibus signis in duobus locis, videlicet primo ubi dicit *et consignatum fuisse et esse castrum Cathari,* quod signum est tale, videlicet; (et in secundo loco, ubi dicit *a nobili viro domino Jacobo de Rippa,* quod signum est simile videlicet).

Pactorum VI. 106, u mlet. arkivu.

CCXLV. God. 1381. 1 listopada, u Mletcih.

Odredjen dar za poslanike kralja ugarskoga.

1381. indictione V, die primo octubris. Sapientes omnes. Capta: quod possint expendi in honorando dominum episcopum Isagrabiensem id, quod erit necessarium usque quantitatem ducatorum CC; postea captum fuit, quia etiam venit Venecias dominus episcopus Quinque ecclesiarum, quod possint expendi alii C ducati, videlicet ducati CCC in totum pro honorando ambos ipsos dominos episcopos.

Misti XXXVII 11, u mlet. arkivu.

CCXLVI. God. 1481. 4 listopada, u Mletcih.

Mletački dužd potvrdjuje turinski mir.

Ratificatio pacis Hungarie facta per ducale dominium Venetiarum. — In Christi nomine amen. Anno nativitatis eiusdem MCCCLXXXI, indictione quarta, die veneris quarto mensis octubris. Illustris et magnificus dominus dominus Andreas Contareno dei gratia dux Venetiarum etc. de voluntate et consensu suorum consiliorum minoris, rogatorum, quadraginta et additionis, ad sonum campane more solito vocatorum et congregatorum, et ipsa consilia una cum ipso domino duce, tam nomine suo, quam communis et singularium personarum de Veneciis et fidelium et subditorum suorum et dicti communis, in quibus consiliis affuerunt prefatus illustris dominus dux Veneciarum, et inter alios de dictis consiliis nobiles et sapientes viri sex consiliarii eiusdem domini ducis, videlicet domini Nicolaus Lauredano, Andreas Donato, Johannes Miani, Lucas Gradonico bone memorie domini Johannis Gradonico ducis Venetiarum, Thomas Minoto et Johanes Barbo, et tria capita de quadraginta, scilicet nobiles viri domini Johannes Gradonico sancti Leonis, Andreas Mauroceno et Blanchus Aymo, et quinque sapientes consilii guerre, scilicet nobiles viri domini Franciscus Bembo, Zacharias Contareno, Johannes Gradonico, Michael Mauroceno et Petrus Aimo, qui quidem dominus dux et consilia habent ad infrascripta et alia exercenda omnimodam potestatem. volentes pacem et pacta et conventiones et remissiones generales et omnia et singula, que in ipsa pace seu in instrumentis ipsius continentur, observare, factis et firmatis per reverendos in christo patres dominos Valentinum Quinque ecclesiensem decretorum doctorem et Paulum Zagrabiensem episcopos, procuratores, actores, nuntios et legatos serenissimi et invictissimi principis et domini domini Ludovici dei gratia Hungarie, Polonie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Galitie, Lodomerie, Bulgarie, Comanieque regis, principis Salerni-

tani, et honoris montis sancti Angeli domini nomine et vice prefati domini regis, cum quibus erat et fuit presens egregius dominus Johannes Dominici de Postoch miles aule regie, qui cum dominis ambaxiatoribus fuerat ad ea, sicut asseruerunt, per regiam maiestatem transmissus ex una parte, et nobiles et sapientes viros dominos Zachariam Contareno, Johannem Gradonico et Michaelem Mauroceno procuratorem ecclesie sancti Marci, cives Veneciarum, sindicos, procuratores, actores, ambaxiatores et nuntios speciales prefati incliti domini ducis, consiliorum et communis Veneciarum ex parte altera, interventu et laudabilibus operibus excelsi et illustris principis domini Amedei, comitis Sabaudie, anno domini MCCCLXXXI, indictione quarta, die jovis octavo mensis augusti proxime preteriti, in castro Taurini, de cuius quidem pacis instrumentis conficiendis eiusdem tenoris fuerunt rogati notarii infrascripti, videlicet Johannes Ravaysii secretarius illustris domini comitis Sabaudie, Anthonius de Credentia notarius Janue, Bandinus filius Angeli notarii de Brazis notarius Paduanus, Galvanus quondam ser Bartholomei de castro Baldo notarius reverendi patris domini episcopi Quinque ecclesiarum, Anthonius quondam Nicolai olim ser Guarnerii de Sonumbergo notarii Furlanorum, et Bon Johannes de Brixariis notarius ducalis dominationis Veneciarum, cuius quidem pacis tenor per omnia talis est, videlicet successive . . . Idcirco prefatus inclitus dominus dux Veneciarum una cum suprascriptis suis sex consiliariis, tribus capitibus de XL et quinque sapientibus consilii guerre, cum omnibus aliis de dictis consiliis et ipsi consiliarii, capita et sapientes et omnes et singuli de dictis consiliis sponte et ex certa animi sciencia et non per errorem, et omni modo, iure, forma et causa, quibus melius et efficatius potuerunt et possunt, ipsam pacem et suprascriptum capitulum, pacta, conventiones, finem et remissionem, et omnia et singula in dictis pace et capitulo seu instrumentis ipsius pacis contenta, in presentia prefatorum reverendorum patrum dominorum Quinque ecclesiensis et Zagrabiensis episcoporum procuratorum et legatorum regie maiestatis Hungarie, ibi presentium, stipulantium et recipientium procuratorio nomine prefate regie maiestatis Hungarie ad hec specialiter constitutorum, ut constat publicis litteris regiis magno sigillo maiestatis regie sigillatis in pendenti, datis Bude in palatio regali decima tercia februari MCCCLXXXI, a me notario infrascripto visis et lectis, ratificaverunt, laudaverunt, admiserunt, approbaverunt et confirmaverunt ac emologaverunt, atque ratificant, laudant, admittunt, approbant, confirmant et emologant; prommittentes nomine suo et successorum suorum et communis Veneciarum et fidelium et subditorum suorum suprascriptis reverendis patribus dominis Quinque ecclesiensi et Zagrabiensi episcopis, procuratoribus et legatis suprascriptis ac procuratorio nomine suprascripto stipulantibus et recipientibus, ipsam pacem et capitula, pacta, conventiones ac remissiones et omnia et singula in instrumentis dicte pacis contenta perpetuo firmiter attendere et observare et attendi et observari facere sine aliqua exceptione vel dolo, et non contrafacere vel venire aliqua ratione vel causa, modo vel ingenio. Insuper prelibatus dominus dux ac omnes et singuli de dictis consiliis, corporaliter tactis scripturis, iuraverunt ad sancta dei evangelia, predictam pacem et suprascriptum capitulum et pacta et conventiones ac remissiones et omnia et singula in instrumentis dicte pacis contenta attendere et observare ac

attendi et observari facere absque exceptione vel dolo in pena et sub pena contenta in contractibus pacis predicte et sub obligatione bonorum omnium communis Veneciarum, renunciantes super omnibus et singulis suprascriptis exceptioni, doli, mali et in factum conditioni sine causa vel ex iniusta causa, fori privilegio et omnibus iuribus cuilibet canonicis, municipalibus, quibus possent contra predicta vel aliquid predictorum quomodolibet se tueri. De predictis autem omnibus et singulis rogati fuerunt notarii infrascripti conficere unum et plura eiusdem tenoris et consonantie publica instrumenta, videlicet providi viri Stephanus archidiaconus Camercensis de ecclesia Zagrabiensi, Gregorius canonicus ecclesie sancti spiritus Tasinensis collegiate Zagrabiensis diocesis, imperiali auctoritate notarii. Et ego Guillielminus de Vinceciis, imperiali auctoritate notarius et ducatus Veneciarum scriba.

Actum Veneciis in ducali palacio, presentibus domino Michaele Michael milite de Charna, domino Nicolao germano quondam domini Nicolai episcopi Quinque ecclesiensis, domino Jacobo de Jadra legum doctore, ac nobili et circumspecto viro domino Raphayno de Caresinis cancellario communis Veneciarum, et providis viris ser Amadeo de Bonguadagnis, ser desiderato Luceo, ser Petro quondam ser Jacopini de Rubeis et ser Nicolao de Girardo notario ducatus Veneciarum, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis et aliis. In premissorum autem fidem et evidentiam pleniorem prefatus illustris dominus dux presens instrumentum ratificationis et iuramenti fieri mandavit, et bulla sua plumbea pendente muniri.

Ego Guillielmus de Vincenciis etc.

Pactorum VI. 21, u mlet. arkivu.

CCXLVII. God. 1381. 21 listopada, u Mletcih.

Naputak za poslanike iduće u Ugarsku.

1381. die XXI octubris. Sapientes. Capta: quod ista sit comissio nobilium virorum ser Leonardi Dandulo et ser Fantini Georgio militum, ambaxatorum ad dominum regem Hungarie. Nos Andreas Contareno dei gratia dux Venetiarum etc., committimus vobis nobilibus viris Leonardo Dandulo et Fantino Georgio militibus dilectis civibus et fidelibus nostris, quod in nostros ambaxatores solemnes ire debeatis ad serenissimum et excellentissimum dominum Ludovicum regem Hungarie cum literis nostris credulitatis. Cui, facta reverentia et salutatione cum verbis amoris et dilectionis sicut convenit pro honore nostri domini, exponere debeatis, quod sicut placuit divine maiestati, a qua bona cuncta procedunt, nuper in partibus Taurini mediante interpositione illustris et excelsi domini comitis Sabaudie celebrata et firmata fuit bona et perpetua pax inter serenitatem suam et omnes colligatos, adherentes et sequaces sue regie maiestatis ex una parte et nos et commune nostrum et adherentes et sequaces nostros ex altera, quam pacem et contenta in ea sumus dispositi observare cum effectu et facere inviolabiliter observari, non dubitantes, imo firmiter tenentes, quod simile propositum est et erit per futura tempora in serenissima maiestate sua ad laudem dei et consolationem et bonum partium.

Subsequenter exponetis, quod in pace ipsa inter alia continetur unum capitulum istius tenoris, videlicet, quod pro maiori cautela et stabilimento

pacis firmate inter serenissimam regiam maiestatem suam et nos et commune nostrum dicte partes teneantur ratificare presentem pacem et contenta in ea, et quod dominus dux in consilio habente omnimodam potestatem, in quo debeant adesse ipse dominus dux, sex consiliarii, tria capita de XL, sapientes de guerra, consilium de XL, consilium rogatorum et consilium adiuncte nomine dicti communis teneantur emologare et approbare ipsam pacem et omnia contenta in ea, cuius pacis copiam vobis fecimus exhiberi pro vestra informatione: et dominus dux et omnes de dicto consilio teneantur de observantia corporaliter et expresse iurare super tota pace predicta, et quod omnes duces Venetiarum, qui pro tempore erunt, cum eorum consiliis predictis semper et quandocumque ad requisitionem prefati serenissimi domini regis et successorum eius teneantur semel tantum pro quolibet duce prestare dictum iuramentum. Et versa vice prefatus dominus rex et singuli eius in posterum successores similiter teneantur de observantia tocius presentis pacis et transactionis et omnium contentorum in ea iurare corporaliter, ut prefertur, pro quolibet rege semel tantum et cet. Quam ratificationem et iuramentum in presentia reverendissimorum patrum dominorum episcoporum Quinque ecclesiarum, Izagrabiensis, legatorum et ambaxatorum serenissime regie maiestatis, fecimus solemniter et fieri etiam fecimus per nostros sex consiliarios, tria capita de XL, sapientes de guerra, consilium de XL, rogatorum et adiuncte, sicut fieri debuit per formam capituli pacis predicte. Et quia ex parte nostra et omnium consiliorum nostrorum predictorum factum est cum integritate, quicquid fieri debuit cum effectu, rogabitis regiam maiestatem suam, quatenus sibi placeat similiter ratificare et approbare ipsam pacem et omnia in ea contenta et facere iuramentum de observatione eius in presentia vestra sicut in dicta pace continetur. Et ipsam ratificationem et iuramentum facietis fieri in vestra presentia per ipsum dominum regem in forma, qua nos fecimus, per publicum instrumentum vel literas suas patentes seu sigillo bullatas. Et ut scitis de omnibus informati, ordinavimus vobis dari copiam instrumenti ratificationis et iuramenti facti per nos et nostra consilia predicta, ut faciatis fieri per dominum regem in simili forma mutatis mutandis vel per eius litteras patentes suo sigillo bullatas, ut dictum est. Item faciatis fieri per dominum regem ratificationem instrumenti unici pape, sicut in ipso instrumento continetur, cuius copiam vobis dari fecimus pro vestra informatione. Item faciatis fieri ratificationem per dominum regem instrumenti de facto Catari, sicut in ipso instrumento continetur, cuius copiam vobis dari fecimus pro vestra informatione.

Insuper quia per formam dicte pacis, cuius copiam ordinavimus vobis dari, ut est dictum, contineatur, quod nos et commune nostrum dare teneamur in perpetuum annuatim ducatos VII milia boni auri et in auro et boni et iusti ponderis domino regi et eius successoribus in regno et corona et ipsi corone representanti regnum et presidentibus pro ipsa corona, solvendos in festo sancti regis Stephani die vigesima augusti cuiuslibet anni vel ante dictum festum, et hoc est pro omni iure ipsi domino regi et eius successoribus et subditis quomodocumque et qualitercumque competenti navigandi per culfum, scilicet intra confines videlicet a Polmentorio et ab Arimino exclusive versus Venetias et cet., ut in dicta pace plenissime continetur, volentes attendere ex parte nostra id, quod promis-

sum et firmatum est, dictos ducatos VII millia auri vobis dari et assignari fecimus pro prima paga primi anni fienda ipsi domino regi secundum formam capituli pacis predicte, de qua paga vel solutione dicte pecunie facietis vobis fieri instrumentum quietationis et securitatis ad plenum, sicut fieri debet ordinate per formam capituli pacis predicte, vel eius litteras patentes suo sigillo bullatas, et ad cautellam ordinavimus vobis dari pro vestra informatione copiam dicti instrumenti quietationis fiendi in forma, qua fieri debet vel per patentes suas litteras, ut dictum est.

Et hiis factis et adimpletis, si serenissimus dominus rex Hungarie ultra vobis comissa vobis dicet vel dici fatiet aliqua de novo, super quibus ad iudicium et parere vestrum esset necessarium provideri et responderi, quia essent ponderis, scribatis nobis singulariter et distincte, quicquid habueritis, et expectetis nostrum mandatum. Si vero regia maiestas sua non dicet nec dici facit vobis aliqua de novo ultra vobis commissa, ut est dictum, tunc, accepto honorabili comeatu a domino rege et baronibus suis cum omnibus verbis amoris et dilectionis, et efferendo nos et commune nostrum ad sua beneplacita et honores, redeatis Venetias de omnibus informati.

Ad habundantem cautelam et pro honore nostri domini fieri fecimus vobis litteras credulitatis serenissime et excellentissime domine regine, ut ipsam, sicut et quando vobis videbitur, debeatis, nisi foret non existente ipsa longinqua ultra XII zornatas, visitare cum illis verbis utilibus et fructuosis, que sapientie vestre videbuntur pro honore nostri domini, et offere nos et commune nostrum ad honores et beneplacita excellentie sue.

Similiter fecimus vobis fieri litteras credulitatis in personas vestras domino cardinali et archiepiscopo Strigoniensi, domino magno comiti, domino Suderpetro et domino voivode, illustri domino olim duci Rossie, ut possitis eos visitare si, sicut et quando vobis videbitur, cum illis verbis, que vobis utilia videbuntur.

Insuper quia sentimus, quod nostris civibus mercatoribus et fidelibus in partibus Segne conversantibus facta est vel vult fieri novitas in exigendo ab eis X pro centenario de mercationibus suis tam ad introitum quam ad exitum, quod expresse est contra antiquas consuetudines et contra formam pacis nuper celebrate, volumus, quod cum applicueritis Segnam, antequam de illis partibus recedatis cum favore dominorum episcoporum Quinque ecclesiarum et Isagrabie procuretis, quod dicta novitas remaneat toto posse vestro, et quod talis vel similis novitas non fiat ullo modo contra antiquas consuetudines et libertates nostrorum et contra formam pacis nuper celebrate, ut dictum est. Et si in Segna cum comitibus et favore dominorum episcoporum predictorum non possetis hoc obtinere, quando eritis ad presentiam domini regis procuretis, quod dicta novitas remaneat, sicut iustum est. Et ad istud factum procurandum et obtinendum dicti domini episcopi se liberaliter obtulerunt pro bono et observatione pacis. Item, quia facta est nobis conscia, quod nostris mercatoribus in partibus Segne conversantibus civibus et fidelibus nostris accepti fuerunt circa valorem ducatorum mille et ultra, procurabitis, quod fiat eis restitutio secundum formam pacis. Item procurabitis apud dominum regem, quod regia maiestas sua scribat in omnibus partibus Dalmatie et aliis terris et locis suis per litteras suas ad plenum, quod observent pacem nuper celebratam et omnes consuetu-

dines, libertates et ordines, qui servabantur ante guerram proxime preteritam, sicut in pace nuper celebrata plene cavetur. Et ad hoc etiam procurandum et fatiendum dicti domini episcopi se obtulerunt, quia nos similiter sumus dispositi facere ex parte nostra.

Item procurabitis, quod nostris civibus, mercatoribus et fidelibus fiat restitutio de bonis suis immobilibus et etiam de debitis specialium personarum, sicut fieri debet per formam pacis, et teneatis modum, quod istud fiat cum effectu, ita quod nostri recuperent et habeant, quod suum est, ut iustum est; et quia istud est multum nobis cordi, oneramus vos de hoc quantum plus possumus, et quod fiat et vadat de hoc preceptum expressum ex parte domini regis ad omnes partes, terras et loca sua. Item notificamus vobis, quod coram nobis comparuit vir nobilis Johannes Georgio filius condam nobilis viri ser Petri Georgio, qui ser Petrus fuit filius nobilis viri condam ser Johannis Georgio olim comitis Curzole, petens a nobis cum attinentibus suis subventionem super facto insule Curzole predicte. Et propterea committimus vobis ad instantiam dicti Johannis Georgio et eorum attinentium, ad quos spectat, quod expeditis omnibus factis predictis nostri communis, sicut et quando vobis videbitur, et apparendo vobis duobus hoc esse bonum, et accipiendo tempus dextrum et habile, debeatis exponere domino regi, quod, sicut est notorium, nobiles viri predicti de cha Georgio a maximo tempore citra, cuius non est memoria in contrarium, tenuerant et possiderant insulam predictam Curzole cum iuribus et pertinentiis suis. Et tempore, quo conclusimus in alia pace cum domino rege Hungarie, non habentibus nobis nec commune nostro Venetiarum aliquod ius in dicta insula, et in nullo nobis subiecta, solum pro contemplatione et contentamento sue regie maiestatis fuimus contenti renuntiare dicte insule, et de fatiendo preceptum comiti predicto, quod recederet de inde. Et quia insula ipsa semper fuit nostrorum nobilium predictorum, possessa per ipsos pacifice et quiete, salvo a tempore predicto citra, rogamus serenissimam maiestatem suam, quod pro dei reverentia et pro consolatione nostra placeat dictos nobiles de ca Georgio de facto dicte insule apud gratiam et benignitatem sue regie maiestatis habere recomissos, sicut plene speramus in serenitate et regia maiestate sua, cum pro causa predicta ab illo tempore citra dicti nostri nobiles de ca Georgio, quibus spectat, fuerunt et sunt in maxima paupertate.

Potestis expendere etc. Jurastis etc. Data etc.

Misti XXXVII. 17, u mlet. arkivu.

CCXLVIII. God. 1381. 26 studenoga, u Diosgyöru.

Ugar.-hrv. kralj Ljudevit potvrdjuje turinski mir.

Ratificatio domini regis Hungarie de pace celebrata in Taurino.

In Christi nomine amen. Anno eiusdem a nativitate MCCCLXXXI, indictione quarta, die martis XXVI novembris hora terciarum. Serenissimus et excellentissimus princeps et dominus dominus Ludovicus dei gratia Hungarie, Polonie, Dalmacie, Croacie, Rame, Servie, Ludomerie, Bulgarie, Cumanie rex, princeps Salernitanus et honoris montis sancti Angeli dominus, tam nomine suo quam heredum et successorum ac omnium et singulorum baronum, nobilium, subditorum et fidelium regnorum suorum,

volens pacem et pacta et conventiones et remissiones generales et omnia et singula, que in ipsa pace seu in instrumentis ipsius continentur, observare, factis et firmatis per reverendos in Christo patres dominos Valentinum Quinque ecclesiensem decretorum doctorem et Paulum Zagrabiensem, episcopos, procuratores, actores, nuntios et legatos ipsius serenissimi et invictissimi principis et domini domini regis premissi, cum quibus quidem reverendis dominis episcopis erat et fuit presens egregius dominus Johannes Dominici de Postoch miles aule regie, qui cum dictis dominis ambaxiatoribus fuerat ad ea, sicut asseruerunt, per regiam maiestatem transmissus ex una parte, et nobiles et sapientes viros dominos Zachariam Contareno, Johannem Gradonico et Michaelem Mauroceno procuratores ecclesie sancti Marci, cives Veneciarum, sindicos, procuratores, actores, ambaxatores et nuntios speciales illustris et excelsi domini domini Andree Contareno dei gratia Veneciarum ducis incliti et communis Veneciarum ex altera, interventu et laudabilibus operibus excelsi et illustris principis domini Amedei comitis Sabaudie, anno domini MCCCLXXXI, indictione quarta, die iovis octavo mensis augusti proxime preterito in castro Taurini, de cuius quidem pacis instrumentis conficiendis eiusdem tenoris fuerunt rogati notari infrascripti, videlicet Johannis Ravaysiis secretarius illustris domini comitis Sabaudie, Anthonius de Credentia notarius Januensis, Bandinus filius Angeli notarii de Brazis notarius Paduanus, Anthonius quondam Nicolai olim ser Guarnerii de Sonumbergo notarius Furlanorum, et Bon Johannis de Brixariis notarius ducalis dominacionis Veneciarum, ac ego Galvanus notarius infrascriptus, cuius quidem pacis tenor per omnia talis est; (Vide nr. CCXLI.) Deinde haec clausula sequitur:

Idcirco prefatus illustrissimus et excellentissimus dominus rex sponte et ex certa animi scientia et non per errorem et omni modo, iure, forma et causa, quibus melius et efficatius potuit et potest, tam nomine suo quam heredum et successorum suorum et omnium et singulorum baronum, nobilium, fidelium et subditorum regnorum suorum, ipsam pacem et suprascriptum capitulum, pacta, conventiones, finem et remissionem et omnia et singula in dictis pace et capitulo seu instrumentis ipsius pacis contenta, in presencia nobilium et egregiorum virorum dominorum Leonardi Dandulo et Fantini Georgio militum ambaxiatorum, sindicorum, procuratorum, actorum et nuntiorum specialium predicti illustris et excelsi domini ducis et communis Veneciarum, ibi presentium, stipulantium et recipientium nomine prefati incliti domini ducis et communis Veneciarum, ad hec et alia exercenda specialiter constitutorum, ut constat michi notario subnotato per quoddam publicum instrumentum sindicatus bullatum bulla plumbea pendenti ipsius incliti domini ducis et scriptum per Bonifacium quondam magistri Contini de Marchesiis de Carpo publicum imperiali auctoritate notarium et ducatus Veneciarum scribam MCCCLXXXI, indictione IIII, die sabbati V mensis octubris, a me infrascripto notario visum et lectum; ratificavit, laudavit, admisit, approbavit, confirmavit et emologavit, atque ratificat, laudat, admittit, approbat, confirmat et emologat; promittens nomine suo et heredum et successorum suorum, ac omnium et singulorum baronum, nobilium, fidelium et subditorum suorum regnorum suprascriptis dominis Leonardo Dandulo et Fantino Georgio militibus, ambaxatoribus, procuratoribus, actoribus et nuntiis specialibus antedictis ac procuratorio

et sindicario nomine suprascripto stipulantibus et recipientibus, ipsarum pacem et capitulum, pacta, conventiones ac remissiones et omnia et singula in instrumentis dicte pacis contenta perpetuo firmiter attendere et observare et attendi et observari facere sine aliqua exceptione vel dolo, et non contrafacere vel venire aliqua ratione vel causa, modo vel ingenio. Insuper prefatus serenissimus dominus rex tam nomine suo quam nomine heredum et successorum suorum ac omnium et singulorum baronum, nobilium, fidelium et subditorum suorum regnorum, corporaliter tactis scripturis, iuravit ad sancta dei evangelia, predictam pacem et capitulum et pacta et conventiones ac remissiones et omnia et singula in instrumentis dicte pacis contenta, attendere et observare et attendi et observari facere absque exceptione vel dolo, in et sub pena contenta in contractibus pacis predicte, et sub obligatione bonorum omnium dicti excellentissimi domini regis et regnorum suorum; renuntians super omnibus et singulis suprascriptis exceptioni doli, mali et in factum conditioni sine causa vel ex iniusta causa, fori privilegio et omnibus iuribus civilibus, canonicis et municipalibus, quibus posset contra predicta vel aliquid predictorum quolibet se tueri. Actum in Dyosgeur in castro prefati domini regis in camera penes stupam parvam, presentibus reverendis in christo patribus dominis Valentino Quinque ecclesiensi decretorum doctore, Ladislao Varadiensi, Paulo Zagrabiensi, Johanne Canadiensi, ecclesiarum episcopis; venerabilibus viris dominis Georgio Bozceno, Nicolao Chazmeno, ecclesiarum prepositis; magnificis viris dominis Petro Zudaro Rugie regni voyvoda, Georgio Bubech magistro Tarvernicorum reginialium, Emerico Bubech regnorum Dalmatie et Croatie bano, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis, atque pluribus aliis. In premissorum autem fidem pleniorem et evidens testimonium prefatus serenissimus dominus rex presens instrumentum fieri iussit, et sue maiestatis sigilli appensione muniri. Ego Galvanus quondam ser Bartholomei de Castrobaldo, civis patavus, publicus imperiali auctoritate notarius et iudex ordinarius, premissis omnibus et singulis affui, et per memoratum serenissimum dominum regem rogatus ea fideliter scripsi, et in hanc formam publicam redegi sub meis signo et nomine consuetis.

Pactorum VI. 25, u mlet. arkivu.

CCXLIX. God. 1381. 26 studenoga, u Diosgyőru.

Ludovicus Hungariae etc. rex retificat instrumentum factum Taurini die 8 augusti 1381 per suos ambaxatores episcopos dominum Valentinum Quinque ecclesiarum et Paulum Zagabriensem de non movendo litem super iuribus buccarum, donec ecclesia dei venerit ad unitatem unius pontificis.

Pactorum VI. 37, u mlet. arkivu.

CCL. God. 1381. 26 studenoga.

Ugar.-hrv. kralj Ljudevit potvrdjuje, da je primio Kotor od Mletčana po ugovoru mira turinskoga.

Instrumentum quietationis Cathari, facta per regem Hungarie. In Christi nomine amen. Anno eiusdem a nativitate millesimo trecentesimo octuagesimo primo, indicione quarta, die martis vigesimo sexto mensis

novembris hora terciarum. Cum in contractu pacis inter serenissimum et excellentissimum principem et dominum dominum regem Hungarie seu inter reverendos in Christo patres et dominos dominos Valentinum Quinque ecclesiensis decretorum doctorum et Paulum Zagrabiensem, episcopos, prefati domini regis procuratores, actores et nuncios speciales, ut patet publicis litteris patentibus regiis magno sigillo regie maiestatis in pendenti sigillatis, datis Budue in palatio regali decimatercia februarii millesimo trecentesimo octuagesimo primo, procuratorio et actorio nomine supradicto ex una parte, et illustrem et magnificum dominum dominum Andream Contareno Dei gratia ducem Venetiarum etecetera et commune Venetiarum seu egregios et honorabiles viros dominos Zachariam Contareno, Johannem Gradonico et Michaelem Mauroceno, procuratorem ecclesie beati Marci, ambaxiatores, syndicos, procuratores, actores et nuncios speciales predicti illustris domini ducis et communis Veneciarum ex parte altera, facte et celebrate, firmate et iurate hoc presenti anno et indicione, die vero octavo mensis augusti, inter cetera actum fuerit et specialiter conventum inter dictas partes, quod dicto domino regi restituantur omnes terre, loca et castra, que per commune Venetiarum tenentur, que dicto domino regi ablata fuissent per Venetos tempore presentis guerre, et specialiter civitas et castrum Cathari etc., ut in ipso capitulo continetur, et prefatus dominus dux Venetiarum plene restituerit nunciis regie maiestatis Hungarie castrum Cathari, quod erat in manibus et fortia ipsius domini ducis et communis Venetiarum. Idcirco prelibatus serenissimus dominus rex Hungarie pro se et maiestate sua regia et pro successoribus suis fuit confessus et contentus et manifestus, se et dictam maiestatem suam habuisse et recepisse et nunciis suis regiis restitutum et assignatum fuisse per nuncios prefati domini ducis Veneciarum suprascriptum castrum Cathari secundum formam supradicte pacis. Renuncians ipse dominus rex exceptioni non habiti, recepti ac nunciis suis regiis restituti et assignati castri predicti et spei future assignationis et omni exceptioni doli, mali et in factum. Unde prefatus serenissimus dominus rex per se et successores suos nobilibus et sapientibus viris dominis Leonardo Dandulo et Fantino Georgio, militibus, ambaxatoribus et syndicis, procuratoribus et nunciis prefati domini ducis et communis Venetiarum, ad hec et alia exercenda specialiter constitutis, ut constat instromento syndicatus eorum scripto manu Johannis Plumatii imperiali auctoritate notarii et ducatus Veneciarum scribe suprascriptis anno et indicione die vero septimo mensis octobris, ibi a me notario infrascripto viso et lecto, recipientibus nominibus quibus supra per Aquilianam stipulationem et acceptitationem legittime subsequutam, fecit finem, remissionem, quietationem et pactum de ulterius non petendo castrum Cathari predictum, et de omni eo et toto, quod prefata maiestas Hungarie petere vellet seu posset causa et occasione castri Cathari supradicti, quam quidem contentationem, finem et remissionem et omnia et singula suprascripta prelibatus dominus rex per se et successores suos promisit suprascriptis syndicis et procuratoribus domini ducis et communis Venetiarum, stipulantibus et recipientibus nominibus quibus supra, attendere et observare, et non contrafacere vel venire aliqua ratione vel causa, de iure vel de facto, sub pena duppli danni et interesse et sub obligatione bonorum regie maiestatis Hungarie mobilium, et immobilium presentium et futurorum. Acto in regali castro in

Dyesgeur in quadam camera ipsius castri penes stupam parvam, presentibus venerabilibus viris dominis Georgio Bosinensi, Nicolao Chasmensi ecclesiarum prepositis, magnificis viris dominis Georgio Bubech magistro tavernicorum reginalium, Emericho Bubech regnorum Dalmatie et Croacie bano, testibus ad predicta vocatis et rogatis, et aliis pluribus. Ego Galvanus quondam ser Bartholomei de Castrobaldo, civis patavus, publicus imperiali actoritate notarius ac iudex ordinarius et prefati domini episcopi Quinque ecclesiarum scriba, omnibus premissis interfui, et per prefatum dominum regem requisitus ea fideliter scripsi, et in hanc formam publicam redegi sub mei signo et nomine consuetis.

Pactorum VI. 38, u mlet. arkivu.

CCLI. God. 1381. 26 studenoga. u Diosgyőru.

Ljudevit ugar.-hrv. kralj sviedoči, da je od Mletčana primio 7000 dukata za prvu godinu.

Quietatio pecunie solute domino regi Hungarie pro primo anno.

In Christi nomine amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo trecentesimo octuagesimo primo, indicione quarta, die martis vigesimo sexto novembris. Cum in contractu pacis nuper scilicet die octavo mensis augusti proxime elapsi celebrate et firmate in civitate Taurini interventu et laudabilibus operibus excelsi et illustris domini domini Amedei comitis Sabbaudie inter reverendos patres dominos Valentinum Quinque ecclesiensem et Paulum Zagrabiensem, ecclesiarum episcopos, procuratores et legatos serenissimi et invictissimi domini domini Ludovici Dei gratia Hungarie, Polonie, Dalmatie, Croacie, Rame, Servie, Galicie, Ludomerie, Bulgarie, Cumanieque regis, principis Salernitani et honoris montis sancti angeli domini, procuratorio nomine prefati domini regis ex una parte, et nobiles et sapientes viros dominos Zachariam Contareno, Johannem Gradonico et Michaelem Mauroceno procuratorem ecclesie sancti Marci, honorabiles ambaxiatores, syndicos et procuratores excelsi et illustri domini Andree Contareno Dei gratia ducis Venetiarum etc. et communis Venetiarum, syndicario et procuratorio nomine eiusdem domini ducis et communis Venetiarum ex parte altera, inter cetera contineatur, quod dictum commune Veneciarum dare et solvere debeat dicto serenissimo domino regi et eius successoribus in regno et corona et ipsi corone representanti regnum et presidentibus pro ipsa corona in perpetuum annuatim ducatos septem millia boni auri et in auro et boni et iusti ponderis, solvenda dicto domino Regi et eius successoribus et corone et presidentibus predictis vel tesaurariis ipsorum et cuilibet alii habenti ydoneam potestatem recipiendi solutionem predictorum septem millium ducatorum, et de ipsa solutione, quietationem et liberationem debitam faciendi per procuratorem seu syndicum dicti communis in festo sancti regis Stephani vigesima die augusti cuiuslibet anni vel ante dictum festum, qua solutione facta, quietatione et liberatione de receptis, facere teneantur et teneatur nuncio et syndico Venetorum. Verum de prestatione dictorum septem millium ducatorum fienda prefato serenissimo domino regi pro anno presenti, quia propter temporis brevitatem non poterat fieri ad terminum ordinatum, conventum et contentatum fuit per

utramque partem, quod prelibatus dominus comes Sabbaudie de termino dicte prestationis fiende posset statuere sicut velet. Qui dominus comes statuit et ordinavit, quod dicta solutio primi anni fieret in festo nativitatis domini proxime sub modis et formis contentis in capitulo dicte solutionis. Id circo prefatus serenissimus dominus rex pro se et maiestate sua regia et succesoribus suis et sponte et certa sciencia fuit confessus, contentus et manifestus, se et dictam maiestatem suam habuisse et recepisse et magnifico militi domino Nicolao Tambo thesaurario et nuncio suo data, soluta et numerata integre fuisse septem millia ducatorum boni auri et in auro et boni et iusti ponderis a nobilibus et sapientibus viris dominis Leonardo Dandulo et Fantino Georgio militibus, ambaxiatoribus, syndicis, procuratoribus et nuncii sprefati domini ducis et communis Venetiarum, ad hec et alia exercenda specialiter constitutis, ut constat instrumento syndicatus eorum scripto manu Leonardi de Anzolelis imperiali auctoritate notariis et ducatus Venetiarum scribe suprascriptis anno, indicione, die lune septimo mensis octobris, ibi a me notario infrascripto viso et lecto, dantibus, solventibus et numerantibus syndicario et procuratorio nomine suprascripto et de propria pecunia predicti communis Venetiarum pro primo anno solutionis predicte, completuro in festo santi regis Stephani vigesima die augusti anni domini millesimi trecentesimi octuagesimi secundi proxime venturi, renuntians ipse dominus rex exceptioni non habitorum, receptorum et numeratorum ac designatorum suprascriptorum septem millium ducatorum et spei future numerationis et exceptioni doli, mali et in factum. Unde prefatus serenissimus dominus rex pro se et successoribus suis supradictis dominis ambaxiatoribus et sindicis prelibati domini ducis et communis Venecciarum, recipientibus nominibus quibus supra, per Aquilianam stipulationem precedentem et acceptilationem legittime substitutam, fecit finem, remissionem, quietationem et pactum de ulterius non petendo de suprascriptis septem millibus ducatis, et de omni eo et toto, quod prefata maiestas Hungarie petere vellet seu posset causa et occasione solutionis primi anni. Quam quidem contentationem, finem et remissionem et omnia et singula suprascripta prelibatus dominus rex pro se et successoribus suis promisit suprascriptis syndicis et procuratoribus dicti domini ducis et communis Venetiarum, stipulantibus et recipientibus nominibus quibus supra, attendere et observare et non contrafacere vel venire aliqua ratione vel causa, de iure vel de facto, sub pena dupli danni et interesse et sub obbligatione bonorum regie maiestatis Hungarie mobilium et immobilium presentium et futurorum. Actum in Dyosgeur in regali castro in camera penes stupam parvam, presentibus venerabilibus viris dominis Georgio Bosnensi, Nicolao Chagmensi, ecclesiarum prepositis, magnificis viris dominis Georgio Bubech magistro tavernicorum reginalium, Emerico Bubech regnorum Dalmacie et Croacie banno, et aliis pluribus ad premissa vocatis et rogatis.

Ego Galvanus quondam ser Bartholomei de Castrobaldo, civis paduanus, publicus et imperiali auctoritate notarius et iudex ordinarius ipsiusque domini episcopi ecclesiarum Quinque scriba, premissis omnibus interfui, et ipsa per prefatum dominum regem requisitus fideliter scripsi, et in hanc formam pubblicam redegi sub meo signo et nomine consuetis. Illa autem verba, *sponte et ex certa sciencia* in XVIIII. linea descendendo ante verbum *fuit confessus*, quia in ipsis erraveram, propria manu abrasi et rescripsi;

*

similiter quoque verba in marginibus scripta et zifrata *et successoribus suis*, que debent precedere verba, *scilicet fuit confessus* in eadem XVIIII linea descendendo; et subsequenter descendendo in XXVIII linea verba illa *per se et successores suos*, que debent sequi post illa verba *dominus rex*, et ante verbum *supradictis*, nec non eadem verba *pro se et succesoribus* in XXXII linea descendendo, que debent procedere verbum *promisit*, mea propria manu in ipsis marginibus scripsi et zifravi, quia verba ipsa omiseram ex errore.

Pactorum VI. 39, u mlet. arkivu.

CCLII. God. 1381. 6 prosinca, u Diosgyöru.

Listovi odpravljeni od ugar.-hrv. kralja na svoga poslanika zagrebačkoga biskupa, u kojih se upućuje, kako da se rieše njeke razmirice sa mletačkom republikom s obzirom na skoro sklopljeni turinski mir.

1381. de mense decembris. Copia litterarum missarum domino episcopo Zagrabiensi per dominum regem Hungarie, quarum superscripto erat talis: Fideli nostro dilecto venerabili in Christo patri domino Paulo episcopo ecclesie Zagrabiensis. Rex Hungarie etc.

Fidelis noster dilecte. Litteras vestras recepimus, et earum contenta intelleximus, ad quas vobis respondemus, quod vos et dominus Valentinus episcopus Quinque ecclesiarum bene scitis nostram voluntatem et intentionem, et pro ut processistis in factis nostris, sic habita deliberatione matura inter vos, et facta collatione cum domino d. cardinale Strigoniense et aliis baronibus nostris, concludatis facto in eodem, secundum quod conspicietis cedere nostro honori. Data in Dyosgeur in festo beati Nicolai episcopi et confessoris.

Ludovicus dei gratia rex Hungarie, Polonie, Dalmatie, etc. fidelibus suis magnifico viro Emerico Bubeh regnorum nostrorum Dalmatie et Chroatie banno vel suas vices gerentibus, item comitibus, rectoribus, consiliis et communitatibus civitatum et insularum Dalmatinarum salutem et gratiam. Quia ad presens cum magnifico domino Andrea Contareno duce nec non nobilibus et sapientibus viris communis Venetiarum, amicis nostris carissimis, ad pacis et unionis devenimus amenitatem, ideo volumus et fidelitati vestre damus in mandatis, quatenus, visis praesentibus, omnes et singulos homines et subditos dictorum domini ducis et communis Venetiarum amicabiliter et pro ut decet subiectos amicorum nostrorum pertractetis, et cum eis conversamini secundum formam ipsorum pacis et pactorum. Datum etc.

Ludovicus dei gratia rex Hungarie, Polonie, Dalmatie, etc. Fidelibus suis magnifico viro Emerico Bubeh regnorum nostrorum Dalmatie et Chroatie bano vel suas vices gerentibus, item comitibus, rectoribus, consiliis et communitatibus civitatum et insularum Dalmatinarum salutem, et gratiam. Magnificus dominus Andreas Contareno dux et nobiles et sapientes viri commune Venetiarum, missis nobilibus et sapientibus viris Leonardo Dandulo et Fantino Georgio militibus ambaxiatoribus eorum nostri ad conspectum, significaverunt nostre maiestati, quomodo durante pristina guerra cum eisdem domino duce et commune Venetiarum habita, in qua deo volente ad pacis venimus conclusionem, nonnulli homines tam

Dalmatini quam extranei possessiones, terras, domos, vineas et alia bona quamplurium Venetorum in territorio Dalmatino existentes occupassent, usurpassent et diversis aquisitionibus etiam coloribus pro se vendicassent. Cum tamen ex forma pacis et pactorum iam utrobique initorum omnia tempore dicte guerre occupata deberent hinc inde restitui, remitti et resignari, ea propter fidelitati vestre damus in mandatis, quatenus, visis presentibus, omnes et singulas possessiones, terras, damos et vineas et alia queque bona ipsorum Venetorum, pristina guerra astante per quoscumque nostros fideles occasione dicte guerre occupata, usurpata et vendicata, iuxta formam dictorum pacis et pactorum eisdem reddatis, restituatis et resignatis ac remittatis: dummodo versa vice fidelibus nostris et incolis regnorum nostrorum super occupatis, vendicatis et alienatis de bonis in territoriis Venetorum habitis similis fiat restitutionis cuidem equalitas et condigna. Et alliud nullatenus facere audeatis nostre gratie sub obtentu. Datum etc.

He sunt copie portate per dominos Valentinum Quinque ecclesiarum et Paulum Zagrabiensis ecclesiarum episcopos, date eis per harum latorem, ut disponant de eis secundum ordinationem per eos factam, et sicut prius sic et nunc concludant facto in eodem, et presentes copias apud se retineant. Et si erit necesse alias copias, prout eis videbitur, conscribi faciant iuxta voluntatem eorundem.

Ludovicus dei gratia rex Hungarie, Polonie, Dalmatie etc. fidelibus suis magnifico viro Emerico Bubeh regnorum nostrorum Dalmatie et Chroatie banno vel suas vices gerentibus. Item comitibus, rectoribus, consiliis, et communitatibus civitatum et insularum Dalmatinarum salutem et gratiam. Magnificus dominus Andreas Catareno dux, et nobiles et sapientes viri commune Venetiarum, missis nobilibus et sapientibus viris Leonardo Dandulo et Fantino Georgio militibus ambaxiatoribus eorum ad nostri conspectum, significarunt nostre maiestati, quod nonnulli nobiles cives et alterius status ipsius regni nostri Dalmatini homines quam pluribus subditis eorundem domini ducis et communis Venetiarum plerumque in aliquibus et magnis summis pecuniarum debitorie obligarentur, de quibus ratione pristine guerre, in qua annuente domino feliciter pervenimus ad pacis unionem, ipsis respondere non curarent. Cum tamen vigore pacis et pactorum utrobique initorum hinc inde debita universa deberent refundi, resarciri et persolvi; idcirco vestre fidelitati damus in mandatis, quatenus visis statim presentibus, ex parte omnium illorum nobilium, civium, insulanorum, ignobilium et aliorum quorumcumque Dalmatinorum, quos iidem subditi Venetorum debitores sibi fore ascribunt et asserunt, eis et singulis eorum iuxta formam dictorum pacis et pactorum supernominatam debitum, merum, plenum, iustum et indilatum iudicium exhibeatis, favore, odio et amore quibusvis semotis, dummodo fidelibus nostris subditis et incolis regnorum nostrorum de debitis, quibus sese Veneti sibi obligantur, equalis fiat justitie impensio reciproca vice. Aliud igitur non facturi gratie nostre sub obtentu. Datum etc.

In premissis autem litteris non erat expressa dies date.

Commemorialium VIII. 50, u mlet. arkivu.

CCLIII. God. 1381—1387.

Popis raznih izvornih listina spremljenih u njekoj dvorani crkve sv. Marka 27 srpnja 1389.

Instrumenta ducalis dominii et communis Venetiarum posita in procuraria superiori ecclesie sancti Marci in deposito et salvamento MCCCLXXXVIIII. de mense julii die XXVII. de ducali mandato per me Raphainum de Caresinis cancellarium Venetiarum.

In primo sacho:

Primo syndicatus Hungarie ad pacem, factus per serenissimum dominum Hungarie rege cum sigillo maiestatis Hungarie pendenti.

Tria instrumenta pacis celebrate in Taurino cum domino rege Ungarie, Januensibus, Paduano, et patriarchatu Aquileiensi eiusdem tenoris cum bulis domini comitis Subaudie.

Instrumentum conventionis cum ambaxiatoribus Ungarie de non possendo conveniri donec ecclesia fuerit ad unitatem.

Ratificatio domini regis Ungarie de pace celebrata in Taurino.

Ratificatio facta per dominum regem Ungarie super promissione facta per episcopum Quinque ecclesiarum et Zagrabiensem de non movendo litem super iuribus buccarum donec ecclesia dei pervenerit ad unitatem.

Instrumentum quietationis Cathari facte per regem Ungarie.

Quietatio pecunie solute domino regi Hungarie pro primo anno.

In secundo sacho sunt instrumenta infrascripta videlicet:

Instrumentum iuramenti prestiti per reginales maiestates Hungarie in manibus ser Saraceni Dandulo ambaxiatoris, super observantia pacis.

Littera domini regis Rasie et Bosine, pro immunitate Venetorum in civitate Cathari.

In tertio sacho sunt:

Sindicatus in personam nobilis viri Raphaini de Caresinis cancellarii Venetiarum pro prorogatione termini ad nativitatem domini prime solutionis ducatorum septem millium.

Compositio dominorum episcoporum Quinque ecclesiensum, et Zagrabiensis de prorogatione facta per illustrem dominum comitem Sabaudie, de prima solutione septem millium ducatorum ad festum nativitatis domini, et contentatione, quod portentur, et sint a Segna usque in Budam, et in Segnam ad risicum domini regis, sicut in Jadra esse debeat, et a Jadra in Buda.

In uno camerio de corio:

Littera domini de Duino pro contentatione consignationis castri Vragne.

Instrumentum secretum factum per nobiles, et comunitates patrie Foriiulii de portibus et locis non dandis corone et regno Ungarie.

In quarto sacho sunt:

Instrumentum traditionis castri Cathari et civitatis fiende per illustrem dominum ducem, et commune Venetiarum, si tenebuntur, et facta assignatione absolutio sequi debuit, et facta fuit domino regi Ungarie.

Instrumentum assignationis facte per commune Venetiarum domino regi Ungarie seu nuntio suo de castro Cathari.

Una scatula, in qua est quietatio facta per dominam Mariam reginam Ungarie de solutione ducatorum septem millium pro anno millesimo trecentesimo octuagesimo quinto.

In quinto sacho:

Instrumenta iuramenti prestiti per serenissimum dominum Sigismundum regem Hungarie de observando pacem factam Taurini.

Instrumentum procurationis factum per dominum Sigismundum regem Hungarie nomine suo et domine Marie regine et corone Ungarie in personam domini Dimitrii Nitriensis electi ad recipiendum septem millia ducatorum pro paga de 1387, et rogandum instrumentum quietationis de predictis.

Instrumentum quietationis septem millium ducatorum de 1387, rogatum per dominum Demitrium electum Nitriensem procuratorem domini Sigismundi regis et domine Marie regine et corone Hungarie.

Littera patens cum sigillo domini Sigismundi regis Hungarie confitentis solutionem septem millium ducatorum de 1387. ad maiorem cautelam, licet de ipsis solutis appareat per publicum instrumentum quietationis.

In sexto sacho sunt:

Finis quietationis facte septem millium ducatorum per serenissimas dominas reginas solutorum nomine ducalis dominii pro anno de 1386.

Item littera patens dominarum reginarum Hungarie de ducatis septem millibus solutis per ducale dominium pro anno 1386.

Littera patens serenissimi domini regis Hungarie ad recipiendum a ducali dominio ratificationem pacis.

Commemorialium VIII 141, u mlet. arkivu.

CCLIV. God. 1382. 2. siečnja, u Diosgyöru.

Ljudevit ugar.-hrv. kralj piše Mletčanom, neka danak od sedam godina u iznosu od 49000 dukata izplate gospodaru Paduanskomu, komu je on dugovao.

Ludovicus dei gratia Ungarie, Polonie, Dalmatie etc. rex. Carissimi amici. Mittimus ad vestri presentiam fidelem nostrum secretarium protonotarium honorabilem virum Stephanum dictum Czicher karum oblatorem de certis intentionibus nostris vestre amicitie fiducialiter exponendum, sufficientius informatum; summis desideriis deprecantes, quatenus eidem Stephano in dicendis nostri pro parte ista vice fidem credualam et indubiam velitis adhibere. Minime dubitamus, quin ea, que dixerit, effectui gratuito et desiderato mancipetis.

Data die secundo mensis ianuarii, anno millesimo trecentesimo octuagesimo secundo. In superscriptione continebatur sic: magnifico potenti domina Andree Contareno duci nec non nobilibus et sapientibus viris consilio et communitati Venetiarum, amicis nostris carissimis etc.

Memoria dicendorum pro partê illustrissimi domini Ludovici dei gratia regis Hungarie etc. duci, consilio et communitati civitatis Venetiarum ami-

ciis suis carissimis per honorabilem virum Stephanum secretarium et protonotarium suum.

Primo laudabilem et amicabilem regie maiestatis salutationem offerat magnifico et potenti domino duci, consilio et communitati Venetiarum amicis suis, et eo honore, quo decet.

Secundo dicat, quomodo ipse dominus rex de amicitia inter ipsos utrumque ex novorum pactuum unione contracta indubius manet, firmus stat, et confisus minime hesitans, quin ipsi Veneti amici sui ad complacentias eidem domino regi exhibendas benivolos et gratos se offerent in his signanter, que amicitie sunt et honoris. Quod vice reciproca ab eodem domino rege sperare habent indubitanter. Verum quia memoratus dominus rex magnifico domino Paduano communi amico sit in quinquaginta millia vel paulo plus florenorum summa obligatus, de quibus eidem satisfacere omnino dispositus habetur; considerans, quod ipse Paduanus certa pecuniarum quantitate obligatus existat eidem Venetis, Veneti autem domino regi singulis annis in festo beati regis Stephani septem millia ducatorum solvere sunt astricti, ut pacta demonstrant, ideo petit ipse dominus rex, quatenus dux, consilium et commune Venetiarum septem annorum solutionem in antea fiendam, que summam facerent qnadraginta novem millium ducatorum nomine huiusmodi solutionis debende domino Padue in sua solutione Venetis fienda difalcare velint contemplatione domini regis. Super quibus septem annorum integre revolvendorum solutione ipse dominus rex eisdem Venetis quietantias dabit sufficientes. Subiungendo, quod expletis et terminatis huiusmodi annis ad solutionem deinde faciendam, prout in pactis continetur, sint astricti et alligati in premissis, et omnino dicto domino regi gratam complacentiam et sinceram amicitiam ostendent. Ceterum huiusmodi quietationum litteras dominus rex eisdem transmittet ad Venetias in termino eis placido et convenienti; et si consentient in hoc regie maiestati, ex tunc domino Padue non velint instare de tanta pecunia solvenda ipsis et eorum communitati.

Data Diosgueur penultima die mensi decembris anno domini millesimo trecentesimo octuagesimo primo.

Commemorialium VIII 50, u mlet. arkivu.

CCLV. God. 1382. 30. siečnja, u Mletcih.

Ljudevit ugar.-hrv. kralj moli republiku, neka izplati godišnji danak od 7000 dukata, koj mu je dužna plaćati, za 7 godina naprvo t. j. 49000 duk. u ime njegovo paduvanskomu gospodaru; ali se republika obvezuje samo za jedan dio te svote.

1381. indictione V, die XXX ianuarii. Sapientes consilii rogatorum. Capta: cum serenissimus rex Hungarie per secretarium prothonotarium suum Stephaninum cum suis litteris credulitatis nobis exponi fecerit ambaxatam suam in hac forma, videlicet: quia ipse dominus rex magnifico domino Padue est obligatus in quinquaginta milibus florenis vel paulo plus, de quibus ipse dominus rex est omnino dispositus solvere et satisfacere ipsi domino Padue. Considerans ipse dominus rex, quod dominus Padue est nobis obligatus in certa pecuniarum quantitate per formam pacis, et quod nos et commune nostrum Venetiarum sumus obligati ipsi domino regi singulis

annis in festo sancti Stephani solvere ducatos VII milia, sicut in pactorum et pacis forma continetur etc. Ideo requirit et petit, quod nobis placeat solucionem septem annorum in antea fiendam, que summa capiunt quadraginta novem millium ducatorum nomine huiusmodi solutionis debende per dominum regem domino Padue, in solutione nobis et communi nostro fienda in Veneciis per dominum Padue difalchare pro contemptacione domini regis, quia ipse dominus rex nobis et communi nostro dabit de predictis quietancias sufficientes etc. Vadit pars, quod respendeatur dicto ambaxatori et nuntio domini regis, intellecta ambaxata sua predicta nobis sapienter exposita, quod spositio nostra est sincerissima et optima in complacendo serenissimo dodimino regi Hungarie in omnibus possibilibus et cum leto et bono corde, sed quantum ad factum pecunie, in qua tenetur nobis et nostro communi dominus Padue vigore pacis super celebrate sic dicimus et est veritas, quod prima paga pecunie antedicte recepimus ad terminum ordinatum et in pace contentum, silicet de mense octubris prossime elapso 1381, que pecunia sive prima paga fuit statim distribuita et posita in expensis necessariis pro factis nostris, secundam vero pagam fiendam ad pascha de mense aprilis proximo, jam cum maximis solempnitatibus, stricturis et obligationibus inrevocabilibus deputavimus multis quibus tenemur, qui mutuaverunt denarios nostro communi in guerra proxime preterita, nec possemus eis defficere de promissis nisi cum manifesto preiudicio et onore nostri dominii, quod sumus certissimi, quod dominus rex nollet ullo modo. De tercia vero paga nobis fienda per dominum Padue a pascha de mense aprilis proximo usque unum annum proximum sumus contenti ipsi domino regi alacriter complacere secundum requisitionem sue regie maiestatis, sicut in cedula ambaxate continetur, que tercia et ultima paga est ducatorum XVII millia vel circa. De parte 87, de non 15, non sinceri 4.

Misti XXXVII 51, u mlet. arkivu.

CCLVI. God. 1382. 21 ožujka, u Budimu.

Cum capitaneus Thenedi minime curaverit assignare ipsum locum juxta formam pacis Taurinensis, „sed ductu nequam spiritu, ipsum locum Thenedi contra proprium iuramentum et fidelitatis vinculum vobis (scilicet venete reipublice) debitum in suum dominium usurpavit", Ludovicus Hungariae rex scribit republicae, esse certum, hoc de suo animo non procesisse; atamen subjungit, quod cedit ad honorem ipsius „omnia ea, que in pactis firmata habentur, duci debitum ad effectum".

Commemorialium VII. 54, u mlet. arkivu.

CCLVII. God. 1382. 1 travnja, u Budimu.

Ljudevit ugar.-hrv. kralj potvrdjuje, da su Mletčani već izplatili danak za tri godine naime 1382-4, koj su mu dužni davati svake godine po ugovoru turinskoga mira, i da su taj novac u ime kraljevo dali gospodaru Padvanskomu.

Nos Lodovicus dei gratia Hungarie, Pollonie, Dalmatie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerie, Commanie, Bulgarieque rex, princeps Salermitanus et Honoris ac Montis sancti Angeli dominus, Notum facimus universis presen-

tes literas inspecturis pro nobis heredibus et successoribus nostris, publice recognoscentes, quod illustris et magnificus dominus Andreas Contareno dux, consilium et communitas Venetiarum, amici carissimi nostri, ac regni Hungarie perpetui debitores, annis singulis in septem millibus ducatorum boni auri iustique ponderis in festo beati Stephani regis in singulo mense augusti nobis, heredibus et successoribus nostris persolvendis obligati juxta formam pactorum pacis hinc inde vigentis initorum pro tribus annis, videlicet pro secunda solutione septem millium ducatorum nostre maiestati per ipsos fienda in festo beati Stephani regis de mense augusti proxime venturo anno domini millesimo trecentesimo octuagesimo secundo, item de tertia solutione septem milium ducatorum similiter fienda in dicto festo de mense augusti de millesimo trecentesimo octuagesimo tertio, item de quarta solutione septem millium ducatorum in eodem festo beati Stephani regis de mense augusti fienda de millesimo trecentesimo octuagesimo quarto, que quidem tres solutiones dictorum trium annorum ascendunt summam viginti et unum millia ducatorum boni anni ac justi ponderis. Que quidem viginti unum millia ducatorum in nostris heredum et successorum nostrorum personis magnifico et potenti domino Francisco de Carraria seniori domino Padue amico communi vice et nostrorum nomine recipienti et in compensam aliqualem debiti, quod nos eidem sumus debitorie obligati acceptanti dederunt et plenarie satisfecerunt de eisdem. Super quibus quidem viginti et uno millibus ducatorum auri vice et nomine nostris per prefatum dominum Padue in compensam aliqualem debiti sui receptorum et integre habitorum memoratos dominum Andream Contareno ducem, consilium et communitatem Veneciarum in nostra heredum et successorum nostrorum personis quitamus, absolvimus, liberamus et reddimus pro dictis tribus solutionibus ut supra expeditos; spopondentes pro nobis heredibus et successoribus nostris predictis bona fide absque omni dolo et fraude prefatos dominum ducem, consilium et commune Venetiarum pro dictis tribus annis superius expressatis, facientibus viginti unum millium ducatorum, ratione solutionis dictorum trium annorum ut supra nostris in personis domino Padue facte, amplius non impetere seu ullo modo, ingenio, colore vel causa inquietare qualibet occasione et exceptione remota sub nostre maiestatis sigilli appensione testimonio literarum. Presentibus reverendissimo in christo patre domino Demetrio tituli sanctorum IV.or coronatorum presbitero cardinali gubernatore metropolis Strigoniensis, supremo cancellario regni Hungarie, domino Nicolao de Garra eiusdem regni comite palatino, nec non domino Nicolao de Zeech iudice curie nostre maiestatis, qui huiusmodi quitationis testes sunt pro certitudine ampliori. Datum Bude prima die mensis aprilis in predicto anno domini millesimo trecentesimo octuagesimo secundo.

Commemorialium VIII. 71, u mlet. arkivu.

CCLVIII. 1382. 12 travnja, u Mletcih.

Dozvoljeno zagrebačkomu biskupu, da oboruža u Mletcih galiju, kojom bi putovao u svetu zemlju; te riešeno, da ga mletačke galije, na povratku iz onih krajeva, ukrcaju i prebrode u Hrvatsku.

1382. die X aprilis. Consiliarii, capita et sapientes omnes Capta: cum reverendissimus in christo pater dominus Isagrabiensis cum maxima instancia

rogaverit alias nostros ambaxatores, qui fuerunt ad partes Hungarie, quod dicerent nostro dominio, quod ipse posset armare in Venecia unam galeam ad suas expensas pro eundo ad sanctum sepulcrum pro sua maxima devocione, mutuando ei solum corpus galee cum furnimentis, vadit pars pro omni bono respectu, cosiderata optima dispositione sua ad honorem nostri dominii, quod concedatur sibi, quod possit ad suas expensas armare unam galeam in Veneciis secundum suam requisitionem, si placebit sue paternitati, et ultra hoc ordinetur ex nunc in casu quo vellet armare ipsam galeam et nollet ire cum aliis navigiis disarmatis, quod galee nostre, que mittentur hoc anno ad viagium Alexandrie, Baruti vel illarum partium in suo redditu versus Venetias, reperiente se domino episcopo predicto in partibus illis, debeant illum levare cum familia sua, et conducere versus Venecias ad partes Sclavonie vel in illis aquis vel partibus sine sinistro galearum nostrarum libere et sine aliquo nabulo. Et cum ista conditione incantari debeant galee viagiorum predictorum. Et si consilium etc.

Misti XXXVII. 67, u mlet. arkivu.

CCLIX. God. 1382. 29 travnja, u Mletcih.

Republika se zahvaljuje kralju bosanskomu na pomoć pruženu njezinom zapoviedniku Kotora, tako da je mogao on grad od neprijatelja obraniti.

1382. die 29 aprilis. Capta: cum nobilis vir ser Jacobus de Rippa exposuerit dominio, quod existens de nostro mandato castellanus Catari, recepit magnam et notabilem subventionem a domino rege Rascie tam de gentibus quam victualibus et aliis rebus taliter, quod mediante subventione sua sustinuit locum ad honorem dominii, vadit pars, quod possint scribi littere prefato domino regi, hostendendo habere ad bonum et ad complacentiam subventionem predictam, in illa forma, que videbitur dominio.

Misti XXXVII 72, u mlet. arkivu.

CCLX. God. 1382. 13 svibnja, u Mletcih.

Republika pristaje na zahtjeve ugar.-hrv. kralja u pogledu padovanskoga gospodara.

1382. die X maii. Consiliarii, capita et sapientes consilii. Capta: quod respondeatur isti nuntio serenissimi domini regis Hungarie, quod intellecta ambaxata sua nobis sapienter exposita et in scriptis exhibita pro parte serenissime regie maiestatis etc. sumus contenti et parati eidem regie maiestati secundum requisitionem suam liberaliter complacere; utendo hiis et aliis verbis, que pro honore nostri dominii utilia videbuntur, Et pro ista causa fieri possint instrumenta necessaria tam nomine domini regis quam domini Padue et nostri communis ad plenum, ut fuerit necessarium.

Factus fuit sindicus ad predicta complenda et fienda dominus cancelarius, et rogatus fuit de inscriptione ser Johanes Vido notarius curie maioris, presentibus providis vivis ser Amadeo, Johanne Plumatio et Petro dela Costa, notarii curie maioris, testibus ad premissa vocatis et rogatis, et aliis.

Misti XXXVII. 77, u mlet. arkivu.

CCLXI. God. 1382. 27. lipnja, u Mletcih.

Na listove ugar.-hrv. kralja Ljudevita republika odgovara, da će učiniti ono, o čem je umoljena, po želji istoga kralja i kralja napuljskoga Karla.

1382. indictione V, die 27 iunii. Dominus, consiliarii, capita et sapientes consilii. Capta: quod respondeatur domino regi Hungarie per literas nostras in forma infrascripta, et sic dicatur nuntio suo, qui est hic et expectat responsionem, videlicet: Serenissime regie maiestatis literas datas in castro Sygeth die XVI mensis maii super requisitione nobis facta per eandem serenissimam regiam maiestatem vestram ad facta serenissimi domini regis Karoli Jerusalem et Sicilie regis et domini duche Andegaviensis etc. nuper recepimus et intelleximus diligenter, ad quas excellentie regie presentibus respondemus, quod sumus dispositi ad omnia, que habeant nos conservare in amore et pace cum serenissima regia maiestate vestra et cum prefato serenissimo domino rege Karolo carissimis et intimis amicis nostri dominii.

Misti XXXVII. 88, u mlet. arkivu.

CCLXII God. 1382 25. srpnja u Mletcih.

Odbija se molba kralja bosanskoga, da mu se uz naknadu podiele dva naoružana broda.

1382. die 25 iulii. Dominus, consiliarii, capita et sapientes ambarum manuum. Capta: quod respendeatur istis ambaxatoribus domini regis Raxie, qui cum magna instantia nomine dicti domini regis requisiverunt a nobis duos brigentinos fulcitos suis rebus et arnesiis pro sua pecunia etc., lutanando nos a facto pro multis bonis respectibus cum illis verbis, que videbuntur collegio vel maiori parti, mostrando, quod ipsi brigentini sunt nobis neccessarii pro factis nostris Tenedi.

Misti XXXVII. 99, u mlet. arkivu.

CCLXIII. God. 1382. 21. rujna, u Mletcih.

Mletčani se izpričavaju pred ugar.-hrv. kraljem, koj jih molio, neka pruže pomoć rimskoj crkvi i Karlu, napuljskomu kralju, proti vojvodi Andegavskomu.

1383. indictiones sexta, die XXI septembris. Sapientes consilii. Capta: quod respendeatur ad ultimum capitulum ambaxiate domini regis Hungarie super facto auxilii et consilii, quod petunt eidem preberi per nos pro subsidio domini pape et ecclesie romane, ac domini regis Karoli et totius Italie contra dominum ducem Andegaviensem gentem eius ac colligatos suos etc., quod novit deus, cui cuncta sunt cognita, nos tanquam catholici et devotissimi fidei semper habuimus et habere intendimus singularem reverentiam et honorem ad sanctam matrem ecclesiam, et in speciali ad sanctissimum dominum papam Urbanum. Habemus etiam et habere intendimus intimam et precipuam devotionem et affectionem ad honorem et statum serenissime regie maiestatis Hungarie et ad serenissimum dominum regem Karolum; sed prefate regie maiestatis Hungarie et toti mundo noti sunt immensi labores nostri et expense, quos et quas passi sumus pro maximis guerris nuper elapsis, que licet deo dante, sopite sunt, tamen adhuc

commune nostrum gravatum est valde debitis, quibus tenetur civibus et fidelibus nostris, et restat adhuc exequi istud factum Thenedi, pro quo fecimus et facimus ac facere incessanter intendimus totum posse nostrum pro observatione promissorum per nos, sicut est de naturali more nostro. Etiam misimus potentes exercitus nostros maritimos et terrestres ad dictas partes Thenedi cum maximis et gravissimis expensis nostris, et pro maiori parte omnes galee nostre sunt extra Venecias, tum ad obsidionem dicti loci Thenedi tum pro mercatoribus in diversis partibus. Quibus omnibus attentis et consideratis non videmus, quod ullo modo prossimus nos impedire nec attendere ad ista facta. Sed debemus apud prefatam serenissimam regiam maiestatem Hungarie et totum mundum esse rationabiliter excusati. Et cum hiis et aliis verbis et rationibus lutanemus ab hoc facto per illud modum, qui videbitur utilior.

Et si aliqua alia verba per ambaxatores regios dicerentur circa predicta vel dependentia a predictis tam super facto consilii, quam super aliqua alia re in speciali, respondentur eis cum illis pulcris verbis et racionibus, que videbuntur, lutanando nos omnino a dictis factis per illum modum, qui domino, consiliariis, capitibus et sapientibus vel maiori parti utilior videbitur.

Misti XXXVII. 113, u mlet. arkivu.

CCLXIV. God. 1382. 7 listopada, u Mletcih.

Non capta propositio, quod eligantur duo solemnes ambaxiatores eundi causa in Hungariam ad serenissimam reginam „pro condolendo de morte illustrissimi domini regis Hungarie, et pro aliis, que huic consilio (sc. senatui) videbuntur“, et quod de hac transmissione per litteras informetur ipsa regina; sed concluditur,“ quod pro modo supersedeatur de faciendo hanc ambaxatam, et scribatur domine regine, filiabus suis et aliis, que videbuntur collegio.“

Misti XXXVII. 146, u mlet. arkivu.

CCLXV. God. 1382. 27 listopada, u Mletcih.

Republika neće da stupi u savez s ugar.-hrv. kraljicom, s vojvodom austrijskim Leopoldom i s Furlanci, tvrdeć, da kao što s njimi tako i s drugimi vlastmi goji najbolje prijateljstvo.

1382. indictione sexta, die XXVII octobris. Sapientes consilii. Capta: quod respondeatur istis ambaxatoribus domini ducis Leopoldi, et primo etc.

Ad factum autem lige fiende cum domina regina Hungarie et ipso domino duce Leopoldo et cum Furlanis contra omnes excepto imperio etc. respondeatur: quod cum serenissima domina regina et corona Hungarie ac ipso domino duce et Furlanis sumus et esse semper intendimus in perfecta pace et bona et sincera amicitia quantum plus fieri potest, et sumus dispositi vivere cum ipsis quiete, amicabiliter et fraterne toto posse, et in omnibus nobis possibilibus semper sumus et erimus prompti ad onores suos. Preterea nuper cum Januensibus et domino Padue fecimus et firmavimus bonam et perpetuam pacem, et similiter habemus cum aliis principibus, communibus et

dominis mundi pacem et pacta cum instrumentis, iuramentis et solemnitatibus opportunis, propter quod non videmus, quod ullo modo cum honore nostro possemus ad istam ligam generalem attendere, quia veniremus ad contrafaciendum. Verum si diceretur vel ostenderetur aliqua via, ad quam possemus attendere iuste et rationabiliter et cum honore et bono nostro ita, quod non contra faceremus fidei et sacramento nostro, id libenter audire parati sumus.

Misti XXXVII. 118, u mlet. arkivu.

CCLXVI. God. 1382. 12 studenoga u Mletcih.

Cum in literis reginae Hungariae missis, dicitur, quod deliberatum fuit mittere ambasciatam ad suam praesentiam ad condolendum de morte regis; ideo captum, quod fiant duo solemnes ambasciatores „ad dominas reginas".

Misti XXXVII. 119, u mlet. arkivu,

CCLXVII. God. 1382. 12 studenoga, u Mletcih.

Naknadjen njeki Martin nastanjen u Draču za nješto hrane zarobljene mu za predobića Kotora, s toga navlastito, pošto je mnogo doprinio na to, da se ovaj grad uzdrži.

1382. indictione sexta, die XII novembris. Sapientes consilii. Capta: cum per armatam nostram, cuius fuit capitaneus vir nobilis ser Victor Pisani tempore captionis Catari per ipsas galeas in aquis Catari repertum fuerit quoddam navigium oneratum frumento ad partes Briegi cuiusdam Martini de Arimino habitatoris Durachii, quod conducebatur ad partes Antivari, et ipsum navigium conductum fuerit per ipsam armatam Catarum, ac de mandato collegii datum et distributum fuerit ipsum frumentum cum certa quantitate biscoti nostri communis partim inter homines dicte civitatis Catari, partim in castro pro munitione eiusdem, et de ipso nulla unquam satisfactio facta fuerit Martino predicto: et propterea ad petitionem ipsius omnes Veneti cum bonis et mercationibus suis fuerunt in Durachio intromissi, quam intromissionem postea ipse Martinus revocari fecit, volens tanquam fidelis servitor huius dominii stare potius ad omnem declarationem, que fieret per dominationem super hoc, et ideo huc accessit petens et requirens satisfactionem predictorum; vadit pars per informationem habitam per sapientes nostros consilii a quam pluribus et specialiter a nobili viro Jacobo de Ripa, olim castellano dici loci Katari, exposita per dictum Martinum vera sint, et quod plus et, ipse Martinus fuerit causa conservationis dicti castri de tempore in tempus propter subventionem continuam exhibitam nostris, qui ibi erant; attenta etiam maxima devotione et bona dispositione quam semper habuit et habet erga nos, quod tam pro solutione dicti frumenti quam pro expensis, damno et interesse eidem Martino exhinde secutis, dentur ei de denariis nostri communis ducati quadringenti auri, faciente ipso finem et remissionem nostro communi de toto eo, quod petere posset tam pro dicto frumento, quam pro quacunque alia ratione vel causa usque in diem presentem, salvis et reservatis nostro communi omnibus iuribus, quas haberet in denariis sequestratis de butino Catari.

Misti XXXVII. 119, u mlet. arkivu.

CCLXVIII. God. 1382. 3 prosinca, u Mletcih.

Izabranim, da podju kao poslanici u Ugarsku, dozvoljeno, da službe, koje bi medjutim dobili, nastupe na njihovu povratku.

1382 indictione sexta, die tertio mensis decembris. Ser Guilelmus Quirino, ser Johannes Storlado, ser Galeacius Delphino, ser Johannes Mauroceno consiliarii; ser Johannes Gradonico procurator, ser Carolus Geno, sapientes. Capta: quod ambaxator, qui est electus ad partes Hungarie, et eiam acceptavit, et ille etiam, qui elligetur loco illius, qui refutavit, si elligerentur in posterum ad aliquod regimen, teneantur nichilominus ire et prosequi ambaxatam istam pro non impediendo facta terre, reservando ei vel eis regimen, ut est iustum. 81, de non 5, non sinceri 2.

Ellectus ambaxator ad partes Hungarie: Ser Bertucius Contareno, refutavit cum pena. Ser Petrus Aymo advocator, refutavit propter infirmitatem. Ser Bernardus Bragadino, refutavit cum pena Ser Marinus Memo, refutavit cum pena.

Misti XXXVII. 124, u mlet. arkivu,

CCLXIX. God. 1382. 6 prosinca, u Mletcih.

Radi bolesti odriešen Petar Aimo od dužnosti, da kao poslanik podje u Ugarsku.

1382. die VI decembris. Capta: quod nobilis vir ser Petrus Aymo, electus ambaxator ad serenissimas dominas reginas absolvatur a dicta ambaxata pro gravitate persone, iurante ipso causam esse veram.

Misti XXXVII. 125, u mlet. arkivu.

CCLXX God. 1382. 16 prosinca, u Mletcih.

Poslanikom za Ugarsku pridružen jedan tumačnik.

1382. indictione VI, die 16 decembris. Consiliarii, capita et sapientes. Capta: cum omnino sit necessarium nostris ambaxatoribus ituris ad serenissimas dominas reginas habere unum interpretem pro bono ambaxate, et sine quo facere non possunt ullo modo, et tres saumas; vadit pars, quod expense dicti interpretis et saumarum fieri possint et sint ultra expensas dictis nostris ambaxatoribus limitatas.

Misti XXXVII. 125, u mlet. arkivu.

CCLXXI. God. 1383. 2 siečnja, u Mletcih.

Poslanikom za Ugarsku odredjen rok za odlazak.

1382. die secunda ianuarii. Consiliarii. Capta: quia est de necessitate dare expeditionem ambaxatoribus nostris ituris ad serenissimas dominas reginas Hungarie et non perdere tempus; vadit pars, quod dicti ambaxatores omnino teneantur recedere et ire ad suam ambaxatam usque medium mensis presentis ianuarii sub pena librarum C pro quolibet, quam exigant advocatores communis, habendo partem ut de aliis sui officii.

Misti XXXVII. 126, u mlet. arkivu.

CCLXXII. God. 1383. 4 veljače, u Mletcih.

Odgodjen rok istim poslanikom za odlazak.

1382. indictione VI, die 4 fabruarii. Dominus, consiliarii, capita et sapientes consilii. Capta: quod ambaxatores ad partes Hungarie teneantur recedere usque dies novem mensis februarii sub pena librarum centum pro quolibet, quam exigunt advocatores communis, habendo partem ut de aliis sui offitii, et non possit iste terminus amplius ellongari, nec de pena eis fieri gratia sub pena ducatorum centum pro quolibet ponente vel consentiente partem in contrarium; et illis, qui ponerent vel consentirent partem vel gratiam contra hoc, non possit fieri gratia de pena ullo modo usque in infinitum sub pena predicta ducatorum centum pro quolibet ponente vel consentiente partem in contrarium.

Misti XXXVIII. 2, u mlet. arkivu.

CCLXXIII. God. 1383. 4 veljače, u Mletcih.

Naputak za poslanike iduće u Ugarsku.

1382. indictione sexta, die quarto februarii. Sapientes consilii. Capta: quod fiat commissio ambaxatoribus nostris ituris ad partes Hungarie in hac forma.

Nos Antonius Venerio dei gratia dux Venetiarum et cet. comittimus vobis nobilibus viris Paulo Mauroceno et Petro Bragadino dilectis civibus et fidelibus nostris, quod cum nostris literis credulitatis, quas vobis fieri fecimus, comparere debeatis coram serenissimis et excellentissimis dominabus reginis Hungarie cum illo bono ordine, qui videbitur sapientie vestre. Quibus facta reverentia et salutatione sicut convenit pro honore nostri dominii, exponere debeatis, quod cum maxima cordis amaritudine, sicut alias scripsimus excellentie sue, intelleximus de obitu felicissime et recolende memorie serenissimi et excellentissimi domini Ludovici regis Hungarie, de quo, teste deo, cui cuncta sunt cognita, dolorem maximum et displicentiam singularem sensimus et sentimus in intimis nostris, tum ob damnum inextimabile toti christianitati ex inde sequutum tum ob intrinsecam affectionem, quam gerebamus et gerere intendebamus in posterum sue regie maiestati; utendo hiis et aliis verbis, que vobis utilia videbuntur.

Subsequenter exponetis, quod de promotione et coronatione serenissimarum et excellentissimarum dominarum reginarum Hungarie et bono statu et salute earum recepimus et recipimus in cordibus nostris maximam letitiam et consolationem, supplicantes humiliter summo creatori, a quo bona cuncta procedunt, quod dignetur serenissimas et excellentissimas reginales personas suas in bono et pacifico statu per longissima tempora feliciter conservare ad laudem ipsius creatoris nostri, consolationem nostram et omnium amicorum; utendo etiam circa hoc hiis et aliis verbis, que sapientie vestre utilia videbuntur.

Ultimo debeatis offerre ipsis serenissimis et excellentissimis dominabus reginis nos et commune nostrum leta mente paratos ad sua beneplacita et honores cum omnibus verbis amoris et dilectionis, sicut convenit pro honore nostri dominii.

Et si per serenissimas dominas reginas Hungarie vel aliquam earum vel barones suos vel alias personas tangerentur vel moverentur vobis aliqua verba notabilia, que tangerent honorem et statum nostri dominii, tunc relinquimus in libertate vestra, confidentes plenissime de personis vestris, respondendi per verba generalia, ut vobis videbitur pro honore et bono nostri dominii, et trahendi quicquid poteritis de earum intentione; et si res videbitur vobis notabilis et cum honore et bono nostri dominii, quod sit in libertate vestra scribendi et expetandi nostrum mandatum, mittendo nobis ordinate omnia, que traxeritis pro nostra informatione. Si vero non tangerentur vobis aliqua verba tangentia statum et honorem nostri dominii, ut dictum est, vel tangerentur et non viderentur vobis notabilia, ut est dictum, tunc accepto honorabili comeatu a serenissimis et excellentissimis dominabus reginis et baronibus et omnibus aliis, qui vobis videbuntur pro honore nostri dominii, Venetias redeatis de omnibus plenissime informati.

Fecimus ad abundantem cautelam vobis fieri literas credulitatis in personis vestris serenissime et excellentissime domine Elisabeth regine Hungarie, item literas credulitatis serenissime et excellentissime domine Marie regine Hungarie, et literas ambabus reginis predictis in simul, et alias literas alteri filie condam domini regis Hungarie, quas literas et quamlibet earum et illas, que vobis videbuntur, presentare debeatis cum illo ordine, qui vobis videbitur pro utilitate et bono agendorum nostrorum.

Item fecimus vobis fieri multas alias literas credulitatis multis prelatis et baronibus de inde, de quibus disponatis et faciatis in presentando eas et quamlibet earum, sicut sapientie vestre utilius et melius apparebit, utendo omnibus predictis prelatis et baronibus et aliis illis verbis generabilibus amoris et dilectionis, que vobis pro honore nostri dominii utilia videbuntur.

Et tenemini habere vobiscum quatuor famulos pro quolibet, unum notarium curie cum uno famulo, duos ragatios pro quolibet, unum expensatorem, unum cochum et unum mareschalchum inter ambos, et potestis expendere in omnibus expensis quomodocumque occurrentibus pro vobis et tota familia vestra ducatos sex in die pro quolibet, exceptis scortis et nabulis navigiorum.

Item concedimus vobis, quod debeatis ultra predicta habere unum interpretem et tres saumas, et quod expense dicti interpretis et saumarum sint ultra dictas expensas vobis limitatas. Jurastis etc. Data et cet. VIII, februarii.

Misti XXXVIII. 3, u mlet. arkivu.

CCLXXIV. God. 1383. 4 veljače, u Mletcih.

Odgovara se poslaniku ugarskomu u pogledu pomoći, koju je molio za rimski i napuljski dvor.

1382, indictione sexta, die quarto mensis februarii. Ser Leonardus Dandulo miles, ser Johannes Gradenico procurator, ser Karolus Geno, ser Petrus Aymo. Capta: quod respondeatur isti ambaxatori Hungarie ad factam subsidii, quod petit a nobis pro domino papa et ecclesia romana ac dominno Karolo contra dominum ducem Andegaviensem et cet., quod novit deus,

cui cuncta sunt cognita, nos tamquam catholici et devotissimi fidei semper habuimus et habere intendimus singularem reverentiam et honorem ad sanctam matrem ecclesiam et in speciali ad sanctissimum dominum papam Urbanum, habemus etiam et habere intendimus intimam et precipuam devotionem et affectionem ad honorem et statum serenissime reginalis maiestatis Hungarie et ad serenissimum dominum regem Karolum, sed prefate reginali maiestati Hungarie et toti mundo noti sunt immensi labores nostri et expense, quos et quas passi sumus pro maximis guerris nuper elapsis, que licet dante deo sopite sint, tamen adhuc commune nostrum valde gravatum est debitis, quibus tenetur civibus et fidelibus nostris, et restat adhuc exequi factum Tenedi, pro quo fecimus et facimus ac facere intendimus posse nostrum pro observatione promissorum per nos, sicut est de naturali more nostro, et alias misimus potentes exercitus nostros maritimos et terrestres ad dictas partes Tenedi, et nunc de novo renfreschare et mittere intendimus ad ipsum exercitum in terra et in mari cum maximis et gravissimis expensis nostris. Quibus omnibus consideratis non videmus, quod ullo modo possimus nos impedire nec attendere ad ista facta, sed debemus esse apud omnes rationabiliter excusati, lutanando nos a facto cum hiis et aliis verbis, que utilia videbuntur.

Misti XXXVIII. 4, u mlet. arkivu.

CCLXXV. God. 1383. 10 veljače, u Mletcih.

Uslied molbe kraljice Ugarske odredjeno posriedovati mir medju oglejskim patriarhom i Furlanci.

1382. die decimo februarii. Dominus, consiliarii, capita et sapientes consilii. Capta: quod pro contemplantione sue serenissime et excellentissime domine regine Hungarie, que de hoc fecerit instantissime nos rogari per ambaxatores suos et etiam pro honore nostri dominii et pro omni bono respectu ordinetur, quod collegium silicet dominus, consiliarii, capita et sapientes consilii habeant libertatem mittendi ambaxatam ad partes Foroiulii pro tractando concordium inter reverendissimum patrem et dominum dominum cardinalem et patriarcham Aquilegiensem et illos de patria Foroiulii et aliunde, qui non sunt hobedientes domino cardinali et patriarche predicto, et circa hoc fiendum et procurandum fiat totum et quicquid fieri poterit per illum modum, cum illo ordine et sicut videbitur collegio vel maiori parti.

Terminatum per collegium, quod reverendus pater dominus patriarcha Gradensis vadat amaxator ad partes Foroiulii pro tractatu concordii et pacis.

Misti XXXVIII. 7, u mlet. arkivu.

CCLXXVI. God. 1383. 8 ožujka u Mletcih.

Dopušta se, da Nikola Basejo primi službu admirala, podieljenu mu od bosanskoga kralja.

1383. indictione sexta, die VIII marcii, capta: cum serenissimus et excellentissimus dominus rex Raxie nuper miserit quemdam nuncium suum specialem cum litera credulitatis nobili vivo ser Nicolao Baseio civi nostro,

per quem nuncium ipse dominus rex Raxie et Bossine notificat dicto ser Nicolao Baseio, quod elegit ipsum in admiratum suum cum magno honore civis nostri predicti, et pro statu et honore nostri dominii faciat et specialiter isto tempore conservare ymo augere amicitias et complacere dominis mundi in hiis casibus; sed dubium fit de hoc propter partem captam in maiori consilio MCCCLVI. XXVIII mensis novembris, per quam prohibetur, quod nostri cives non possint ire rectores in aliqua terra non subiecta communi Venetiarum, in qua parte etiam continetur, quod dicta strictura non se extendat ad terras vel loca de extra culphum; vadit pars in modum declarationis, servando in hoc facto sicud alias servatum fuit in similibus casibus, si videbitur vobis, quod ista electio, quam fecit dominus rex Raxie in persona dicti ser Nicolai Baseio pro suo admirato, subiaceat dicte stricture vel non.

Ser Johannes Storlado, ser Galeatius Delphyno, ser Guilelmus Quirino consiliarii. Prima capta: quod non subiaceat stricture, et per consequens quod possit ire. 279.

Ser Candianus Barbaro, ser Johannes Barbo, ser Johannes Mauroceno. Secunda, quod subiaceat stricture. 38, non sinceri 30.

Majus consilium. Novella 189, u mlet. arkivu.

CCLXXVII. God. 1383. 27 ožujka, u Mletcih.

Primljeno, da se dade bosanskomu kralju jedno tielo galije.

1383. indictione sexta, die XXVII mensis martii. Sapientes ordinum: ser Michael Contareno, ser Marcus Pasqualigo, ser Franciscus Maripetro. Capta: cum serenissimus et excellentissimus dominus rex Rascie, qui est civis noster, cum maxima instancia fecerit nos rogari et a nobis requiri per viam emptionis per nobilem virum ser Nicolaum Baseio civem nostrum unam galeam sotilem cum corredis et arnesiis suis, solvendo nobis statim pretium et estimationem galee predicte; vadit pars pro contemplatione et amore sue regie maiestatis, et quia est civis noster, quod complaceatur sibi de dicto corpore galee cum suis corredis et arnesiis, sicut requirit, solvendo statim precium, ut dictum est, secundum ordines nostros. Et ex nunc sit captum, quod detur ei unus falconus, quem habuit ser Marcus Pasqualigo supraconitus noster super riperia Janue prima vice cum ser Karolo Zeno, et patroni nostri arsenatus dicunt et laudant, hoc esse bonum nostri communis.

Misti XXXVIII. 15, u mlet. arkivu.

CCLXXVIII. God. 1383. 4 svibnja, u Mletcih.

Republika izkazuje se pripravna stupiti u savez s ugar.-hrv. vladom.

1383. indictione VI, die quarto mensis maii. Sapientes consilii. Capta: cum ambaxatores nostri, qui nuper redierunt de partibus Hungarie, inter alias dixerint nobis, quod dominus episcopus Segne, magnus comes et voivoda habuerunt eis facere mentionem de liga, que multum placeret eis inter reginalem maiestatem Hungarie et nos et commune nostrum, quibus dominis nostri ambaxatores fecerunt responsionem, quod non habebant mandatum nec libertatem a nobis super dicto facto, sed quod bene refferent nobis verba predicta; et pro honore et statu nostri dominii faciat non despicere

ista verba; vadit pars, quod comittatur nostris ambaxatoribus, quod debeant solum ex parte sua, et monstrando, quod scribant a se ipsis, respondere predictis domino episcopo Segnie, magno comiti et voivode, quod applicatis ipsis in Venecias, fuerunt ad conspectum nostri dominii et exposuerunt nobis verba predicta eis dicta per eos, et quod dominatio nostra ea audivit placibiliter et benigne, et quod per ea, que possunt comprendere, posset teneri modus, qui esset causa bone fraternitatis inter partes. Alii de parte, de non 24, non sinceri 11.

Misti XXXVIII. 26, u mlet. arkivu.

CCLXXIX. God. 1383. 23 svibnja, u Mletcih.

Izabran poslanik, da podje u Ugarsku i u ime republike primi prisegu kraljice u smislu mira.

1383. indictione VI, die XXIII mensis maii. Sapientes consilii. Capta: quod pro accipiendo sacramentum reginali maiestati Hungarie secundum formam pacis, sicut acceptum fuit a nostro dominio hic in Veneciis per istum dominum episcopum Hungarum, in bona gratia pro dicto facto et aliis, sicut videbitur isti consilio elligatur unus ambaxator solempnis per scruptinium in hoc consilio, qui possit accipi de illis locis, que possunt accipi ad testam coronatam, et respondeat die, qua fuerit ellectus vel alia ad tertias, et non possit reffutare sub pena ducatorum centum. Et debeat habere quatuor domicellos, unum notarium cum uno famulo, duos ragatios, unum exponsatorem et unum cochum, et possit expendere in omnibus expensis quomodocumque occurrentibus pro se et familia predicta ducatos sex in die, exceptis scortis et nabulis navigiorum. De commissione vero dicti ambaxiatoris providebitur ante suum recessum sicut videbitur isti consilio. De non 3, non sinceri 2.

Electus ambaxator in Hungaria:

Ser Petrus Iustiniano condam ser Marci, absolutus. Ser Nicolaus Geno condam ser Dragoni cum pena. Ser Marcus Geno advocator. Ser Johannes Contareno condam ser Fantini re. pro eundo extra 5. iunii. Ser Paulus Mauroceno condam ser Alexandri re. pro eundo extra. Ser Johannes Mauroceno condam domini ducis, reffutavit. † Ser Saracenus Dandulo.

Misti XXXVIII. 37, u mlet. arkivu.

CCLXXX. God. 1383. 16 lipnja u Mletcih.

Akoprem se radilo o mnogo važnijih poslovih, o kojih se razpravljati imalo pri ugarskom dvoru, primljeno ipak, da se za to odredi i odpravi jedan a ne dva poslanika.

1383. indictione VI, die 16 iunii. Ser Dominicus Michael sapiens consilii. Quia negotia, pro quibus debet mitti ambaxata ad partes Hungarie, sunt magna et ardua, et tangunt vehementer honorem et statum nostri dominii, quia non vadit solum pro accipiendo sacramentum secundum formam pacis sed pro aliis magnis negociis, tangentibus statum nostrum; vadit pars, quod sicut fieri debet unus ambaxator, ita fieri debeant duo ambaxatores cum familia et expensis in totum, cum quibus fuerunt ser Paulus

Mauroceno et ser Petrus Bragadino olim ambaxatores ad dictas partes, remanente pena reffutandi et aliis condicionibus alias captis pro dicta ambaxata in sua firmitate. 44, 43, 41., capta de non 38, 41, 44, non sinceri 7, 5, 3.

Misti XXXVIII. 45, u mlet. urkivu,

CCLXXXI. God. 1383. 19 lipnja, u Mletcih.

Opet predloženo, da se dva poslanika odprave u Ugarsku radi važnosti posala, koje su obaviti imali, ali odbijeno.

1383. die decimo nono mensis iunii, indictione VI. Consiliarius ser Johannes Storlato. Quod considerato, quantum negotia, pro quibus debet mitti ambaxata ad partes Hungarie, sunt magna et ardua, in bona gratia fieri debeant duo ambaxatores per scruptinium in hoc consilio, sicut erat captum de uno, qui duo habeant tres domicellos pro quolibet, sicut fuit captum alias de quatuor, cum omnibus aliis conditionibus alias captis in hoc consilio. Verum pro honore nostri dominii et ut terra habeat suum drictum de sufficienti persona, debeant dicti duo ambaxatores habere a nostro communi ducatos centum pro quolibet pro toto dicto viagio pro induendo se, et possint expendere ducatos quinque in die pro quolibet, sicut pridie captum fuit de sex. 29, 33.

Sapiens ser Donatus Trumo. Capta: quod in bona gratia fiat unus ambaxator ad partes Hungarie per quatuor manus electionum in isto consilio, qui habeat de salario vel provisione ducatos centum auri pro induendo se pro honore nostri dominii, cum omnibus conditionibus et modis alias captis in hoc consilio. 43, 47, de non 12, non sinceri 2, 6.

Misti XXXVIII. 46, u mlet. arkivu.

CCLXXXII. God. 1383. 6 srpnja, u Mletcih.

Naputak za poslanika idućeg u Ugarsku.

1383. die sexto mensis iulii. Ser Johannes Gradonico procurator, ser Lodovicus Lauredano procurator, ser Dominicus Michael, ser Karolus Geno sapientes consilii; ser Petrus Quirino, ser Nicolaus Fuscari, ser Laurencius Mauroceno, ser Marcus Pasqualigo, sapientes ordinum. Capta: quod fiat comissio nobili viro ser Saraceno Dandulo ambaxatori nostro ituro ad partes Hungarie in hac forma, videlicet: quod cum literis nostris credulitatis comparere debeat coram serenissima et excellentissima reginali maiestate Hungarie, cui facta reverentia et salutatione ex parte nostri dominii cum verbis amoris et dilectionis, offerendo nos et commune nostrum ad beneplacita et honores sue reginalis maiestatis; procurare debeat de accipiendo sacramentum ab ipsa reginali maiestate, sicut fieri debet per formam pacis, dando in scriptis dicto nostro ambaxatori copiam pacis predicte, que loquitur super facto predicto, et formam instrumenti soliti fieri de ipso sacramento fiendo per prefatam reginalem maiestatem cum omnibus scripturis et informationibus opportunis, ita quod nichil deficiat nostro ambaxatori predicto.

Insuper cum per multos de baronibus et prelatis serenissime reginalis maiestatis Hungarie fuerit facta mentio nostris ambaxatoribus, qui pridie

venerunt de partibus Hungarie, et etiam per dominum episcopum, qui huc venit pro dando sacramentum serenissimo domino duci nostro, de faciendo ligam et unionem inter serenissimam reginalem maiestatem Hungarie et nos et commune nostrum, informetur noster ambaxator, quod ipsa liga et unio nobis placeret per modum, qui continetur inferius, et propterea in casu quo dicto nostro ambaxatori fieret mentio per reginalem maiestatem Hungarie vel aliquem vel aliqua de baronibus vel prelatis suis, sumus contenti, quod condescendat ad ipsam ligam per modum notatum hic inferius; etiam in casu quo mentio aliqua sibi non fieret per aliquem de predictis, relinquatur in libertate ambaxatoris nostri, sicut et quando ei videbitur, tangendi et procurandi de ipsa liga et unione, quia habemus, quod esset utilis et bona in forma, qua volumus pro nobis et statu nostro.

Forma lige, que placeret nobis, est in hac forma, videlicet:

Primo, quod ipsa liga et unio sit inter serenissimam reginalem maiestatem Hungarie ex una parte et nos et commune nostrum ex altera.

Item quod ipsa liga et unio fiat et sit a Ragusio et a Ragusio citra per mare.

Item quod ipsa liga sit ad terminum decem annorum vel circa, sicut ambaxator noster melius poterit obtinere.

Modus vero et ordo lige sit, quod in casu quo per aliquem dominum vel dominos communitatem vel personam vel personas, cuius cumque conditionis existant, vellent damnificare vel offendi terre vel loca Sclavonie vel illarum partium a Ragusio et a Ragusio citra per mare, que sunt reginalis maiestatis Hungarie vel subditi et fideles reginalis maiestatis dictarum partium, quod nos et commune nostrum teneamur et debeamus armare in subsidium suum et terrarum et locorum suorum predictorum et ad damnum et confusionem illorum tamquam inimicorum nostrorum tot galeas ad nostras expensas, quot armabit reginalis maiestas predicta, et pro tanto tempore eas tenebimus armatas et paratas in terminos et confines predictos, quanto reginalis maiestas predicta tenebit suas bene paratas et armatas infra terminos et confines antedictos.

Capta: Et ultra hoc, si erunt necessaria reginali maiestati Hungarie aliqua corpora galearum de nostris pro causa prodicta vel armare in Veneciis, quod nos debeamus ei de hoc complacere pro suis denariis et ad suas expensas pro salute et conservatione dictarum terrarum et locorum suorum et dampno et confusione illorum, qui ostendere vel dampnificarē vellent, et quod in portubus nostris cum galeis et navigiis suis possint intrare et habere victualia et refrescamenta, pro eorum denariis, ut fuerit opportunum.

Item quod nos teneamur et debeamus penitus denegare illis talibus venientibus ad dampnum et offensionem reginalis maiestatis predicte omnes portus nostros marittimos terrarum et locorum nostrorum et omnia victualia et refrescamenta, et tractare illos tamquam inimicos.

Si vero aliquis vel aliqui, cuiuscumque conditionis existant, ut supra dictum est, vellent venire ad dampnam vel offensionem nostram vel terrarum et locorum et subditorum communis Venetiarum a Ragusio et a Ragusio citra per mare, quod serenissima reginalis maiestas teneatur et debeat ad dampnum et confusionem illorum armare ad suas expensas medietatem tot galearum, quot nos armabimus a decem galeis vel a decem galeis infra, et si ultra numerum X galearum armabimus, quod tunc reginalis maiestas

quinque galeas bene armatas et paratas ad omnes suas expensas nobis dare teneatur et debeat ad damnum et confusionem eorum, quas galeas reginalis maiestas predicta tenere debeat bene armatas et paratas infra terminos et confines predictos.

Item, quod reginalis maiestas predicta teneatur et debeat penitus denegare illis talibus venientibus ad dampnum et offensionem nostram omnes portus suos marittimos terrarum et locorum suorum predictorum et omnia victualia et refrescamenta, et tractare illos tamquam inimicos, et nobis, galeis et navigiis nostris consentire de possendo intrare in suis portibus predictis et habere victualia et refrescamenta pro nostra pecunia, sicut fuerit opportunum, et etiam quod in terris et locis suis Dalmatie possimus armare ad nostras expensas in dicto casu aliquas galeas, sicut fuerit opportunum. Et in predictis omnibus et circa predicta ambaxator noster procuret omnia illa maiora avantagia et melioramenta, que poterit pro bono nostri communis, sicut de persona sua plene speramus. Et si noster ambaxator poterit obtinere nostram intentionem per modum predictum, bene quidem, et tunc in dicto casu, imposito fine factis, accepto honorabili comeatu et rogato instrumento ad plenum cum clausulis opportunis, redeat Venetias de omnibus informatus; si vero non posset obtinere, ut superius dictum est, quia reginalis maiestas predicta vellet per alium modum, vel quia remaneret pro aliqua diferentia, tunc scribat quicquid fuerit et habuerit et in quo termino negotia remanserint singulariter et distincte, et expectet nostrum mandatum. Et fiat sindicatus ad plenum in forma solita nostro ambaxatori, sicut in casu simili fieri consuevit — 62.

Ser Vitalis Lando consiliarius: quod ad factum sacramenti accipiendi a reginali maiestate Hungarie comittatur ambaxatori nostro, sicut volunt sapientes. Ad factum vero lige, in casu quo fiat ei mentio, debeat ambaxator respondere, quod quia alias mota fuerunt verba nostris ambaxiatoribus de facto istius lige, ipse ambaxator noster habet in mandatis a nobis audiendi et intelligendi, quicquid sibi dicetur, et per quem modum ipsa liga et placeret, et scribendi et expectandi nostrum mandatum; et sic facere et observare debeat ambaxator noster. 22, de non 4, non sinceri 14.

Misti XXXVIII. 52, et Liber Secretorum Collegii 1382—1385 p. 15—17, u mlet. arkivu.

CCLXXXIII. God. 1383 26. srpnja, u Mletcih.

Naredjeno poslaniku u Ugarskoj, neka obustavi svaki dogovor o savezu.

1383. indictione sexta, die XXVI iulii. Dominus, ser Johannes Bembo, ser Vitalis Lando, consiliarii; ser Petrus Nani caput loco consiliarii; ser Jacobus Vallaresso ser Victor Marcello, capita de XL, ser Lodovicus Lauredano, ser Dominicus Michael, ser Karolus Geno, sapientes consilii. Capta: quod statim per duos veloces cursores scribatur nobili viro ser Saraceno Dandulo ambaxatori nostro in Hungaria, quod in casu quo sibi facta non sit aliqua mentio de facto lige nec ipse de ipso facto fecerit aliquam mentionem, nullo modo debeat de ipsa liga se impedire nec aliquam facere mentionem, sed expeditus de aliis sibi comissis, redeat Venetias. In casu vero quo eidem facta foret aliqua mentio de ipsa liga aut fieret ante recessum suum, vel ipse

ambaxator noster de ipsa liga mentionem aliquam fecisset, tunc non procedat ulterius superinde, sed supersedeat, ostendendo et dissimulando, quod velit ad nos pro aliqua libertate vel declaratione transmittere, et in dicto casu subito rescribat nobis, in quibus terminis se reperiet, et nostrum expectet mandatum. De parte 34.

Ser Ludovicus Mauroceno consiliarius vult, quod in casu quo noster ambaxator requisitus sit de liga, vel ipse fecerit de ea aliquam mentionem, quod non concludat, sed trahat omnem intentionem deinde super dicto facto, quam trahere poterit, et ostendat ac dissimulet, quod velit ad nos mittere pro aliqua declaratione vel libertate, et rescribat expectando nostrum mandatum; et in casu quo non foret de ipsa liga requisitus, nichilominus volumus, quod quando sibi videbitur tempus, exponat reginalibus maiestatibus vel aliis, qui sibi videbuntur, qualiter ambaxiator suus fuit hic, et movit aliqua verba de facto lige inter ipsas et nos. Et quia ignoramus modum et formam, quibus ipse reginales maiestates vellent ipsam ligam, propterea ipse est paratus audire intentionem suam super facto dicte lige, et nobis rescribere, ac nostrum expectare mandatum; et in dicto casu ipse ambaxator noster rescribat et informet nos plenissime de omnibus, et expectet nostrum mandatum. De parte 22, de non 3, non sinceri 6.

Misti XXXVIII. 59, u mlet. arkivu.

CCLXXXIV. God. 1383. 30. srpnja, u Mletcih.

Stjepan Tvrtko kralj bosanski mletačkim gradjanstvom odlikovan za se i za nasliednike.

Privilegium illustris et excelsi domini Stephani Tuertcho regis etc. de civilitate sua atque suorum filiorum et heredum. — Anthonius Venerio dei gratia dux Venetiarum etc. Universis et singulis presens privilegium inspecturis salutem et sincere dilectionis affectum. Ducalis benignitas in liberalitatis operibus solita celeberrime conservari, tanto personas illustres et excelsas prevenire studet honoribus et dotalibus ampliare favoribus, ipsarumque petitiones liberalius exaudire, quanto se nostro ducatui devotiores fide ac charitate laudabilium operum ostenderunt. Verum cum serenissimus dominus Stephanus Tuertcho dei gratia rex Rassie, Bossine maritimarumque partium etc. honoris et nominis nostri zelator assiduus, quem semper cum eius progenitoribus inclite memorie se verum expressit Venetum et perfectum, se penes ducatum nostrum sentiens suis meritis gratiosum plurimum et acceptum, nostram fecerit magnificantiam amirabiliter rogari, ut nobis placeret, ipsum eiusque filios et heredes aliorum nobilium Venetorum nostrorum et fidelium numero gratiosius aggregare, ut beneficiis citadinatus dotati, nobilium et civium Venetiarum privilegio congauderent. Nos attendentes dilectionem ingentem et gratum affectum et sinceritatem, quam semper prefatus dominus Stephanus rex ad nos et ducatum nostrum et singulares personas eiusdem ferventer et laudabiliter ostendit, acceptorum operum per effectum, benemeritas preces ipsius duximus digne retribuentes munere gratificabiliter acceptandas; notum igitur fieri volumdus universis et singulis tam presentibus quam futuris, quod omni juris, consiliorum et ordinamentorum nostrorum integra solemnitate servata, prefatum dominum

Stephanum regem cum suis filiis et heredibus in Venetos et cives nostros recepimus atque recipimus, et Venetos et cives nostros fecimus et facimus, et pro Venetis et civibus nostris in Venetiis et extra ubilibet haberi volumus et tractari, ipsos sincere dilectionis brachiis amplexantes, ac firmiter statuentes, quod eisdem libertatibus, beneficiis, gratiis, honoribus ac immunitatibus, quibus alii nobiles cives Venetiarum gaudent, prefati dominus Stephanus rex et sui filii. et heredes in Venetiis et extra ubique gaudeant plenissime et utantur. In quorum omnium fidem, testimonium et evidentiam pleniorem presens privilegium fieri mandavimus, et bulla nostra pendente aurea communiri. Datum in nostro ducali palatio anno dominice incarnationis millesimo trecentesimo octuagesimo tercio, die penultimo iulii, sexte indictionis.

Millesimo trecentesimo nonagesimo primo, mensis iunii die primo, indictione quartadecima, simile privilegium factum fuit domino Stephano de Bissa (Dabisa) dei gratia regi Rassie, Bossine, maritimeque etc. punctualiter, ut factum fuit domino Stephano Tuertcho, mutato solumodo nomine partis et tempore.

Millesimo quadringentesimo quarto, mensis augusti die septimo, indictione duodecima, factum fuit simile privilegium serenissimo domino Tuertcho, quondam Tuertkonis regis, dei gratia regi Rassie, Bossine, maritimeque etc. mutato nomine ducis et tempore.

Liber Privilegiorum I. 56, u mlet. arkivu.

CCLXXXV. God. 1383. 30 rujna, u Mletcih.

Republika nalaže svomu poslaniku u Ugarskoj, neka obustavi dogovaranje o savezu s onim dvorom.

1383. indictione septima, die ultimo septembris ser Vitalis Lando consiliarius. Capta: quod respondeatur ser Saraceno Dandulo ambaxatori nostro, quod recepimus literas suas datas Bude die octavo mensis septembris et replicata Viene die 18 dicti mensis super facto lige fiende cum reginali maiestate Hungarie etc., quibus plenissime intellectis, diligentiam suam comendantes, rescribimus, quod intentio nostra est et sic volumus et mandamus, quod ipse noster ambaxator debeat per literas suas, quas mittat ad manus Francisci de Bernardo secundum ordinem datum, respondere domino comiti palatino in hac forma videlicet: quod ipse ambaxator noster habuit responsionem a nostro dominio, quod debeat regratiari ipsi domino comiti de laudabili et sincera dispositione sua erga honorem et statum nostri dominii, tangendo etiam, qualiter dominatio nostra semper fuit, est et erit optime disposita ad omnem honorem, augmentum et conservationem reginalis maiestatis Hungarie cum omni sinceritate et bono corde. Ad factum vero lige, quod dominatio nostra, sicut est notorium toti mundo, est in bona et perpetua pace cum reginali maiestate Hungarie et etiam cum aliis, quam pacem sumus dispositi inviolabiliter observare, et vivere in pace cum omnibus nostro posse, quia sic semper fuit de more nostro, rogando, quod placeat ad factum dicte lige nos habere merito excusatos; et missa dicta litera per ambaxatorem nostrum domino comiti palatino cum ordine predicto, ambaxator noster Venetias revertatur. 66.

Sapiens consilii ser Lodovicus Lauredano procurator: quod respondeatur ser Saraceno Dandulo ambaxatori nostro, quod recepimus literas suas datas Bude 8 septembris et replicatas Viene 18 dicti mensis super facto lige fiende cum reginali maiestate Hungarie etc., quibus plenissime intellectis, recomendantes solicitudinem suam, rescribimus, quod intentio nostra est, quod debeat mittere Dexideratum notarium nostrum ad dominum comitem palatinum ad respondendum ipsi domino comiti in hac forma videlicet: quod habuerit responsionem de Veneciis a nostro dominio, quod primo debeat regratiari ipsi domino comiti de laudabili et sincera dispositione magnitudinis sue erga nos et honorem et statum nostri dominii. Super facto vero lige, quod quia ista negotia sunt magna et ardua, et cum maximo periculo et dubio scribi possunt, pro meliori et securiori modo dominatio nostra ellegit et deliberavit, quod ipse noster ambaxator debeat redire Venetias ad presentiam nostri dominii et ad informandum nos ore-renus, et quod, existente ipso ambaxatore nostro in Venetiis, dominatio nostra poterit providere super istis factis, sicut ei videbitur pro honore et bono utriusque partis.

Misso vero Dexiderato notario nostro cum dicta responsione ad dominum comitem palatinum, noster ambaxator Venetias revertatur; Dexideratus etiam, expositis predictis domino comiti palatino, similiter redeat Venetias quam cicius esse potest. 13.

Sapientes consilii ser Johannes Gradonico procurator, ser Dominicus Michael. Quod respondeatur ser Saraceno Dandulo ambaxatori nostro, quod recepimus literas suas datas Bude 8 mensis septembris replicata Viene 18 septembris super facto lige fiende cum reginali maiestate Hungarie etc. quibus plene intellectis, solicitudinem suam comendantes, rescribimus, quod intentio nostra est et sic volumus et mandamus, quod debeat mittere Dexideratum notarium nostrum ad ipsum dominum comitem ad respondendum magnitudini sue, videlicet: quod ipse noster ambaxator habuerit responsionem de Venetiis a nostro dominio, qualiter dominatio nostra contenta est esse super tractatu lige, et quod placeat ipsi domino comiti palatino dare informationem ipsi ambaxatori nostro de loco, modo et ordine, quem tenere debet pro dando principium huic facto, et secundum ordinem, quem dabit dominus comes palatinus, Dexideratus redeat ad informandum nostrum ambaxatorem, ut vadat ad illum locum, sicut dabit ordinem ipse dominus comes. Cum vero erunt in simul, noster, ambaxator cum illa industria et verbis, que videbuntur sapientie sue, procuret trahere et persentire de ultima et finali intentione reginalis maiestatis Hungarie ad factum lige predicte pro informando nos singulariter et distincte. Et ad cautelam informetur noster ambaxator, quod pro securitate galearum nostrarum de mercato et navigiorum optimum erit, quod Dexideratus in eundo ad ipsum dominum comitem et in redeundo cum responsione sua ad ipsum ambaxatorem nostrum, ac etiam ipse noster ambaxator in redeundo Budam vel ad alium locum ordinandum per dominum comitem, vadant tardando de via sua et dilatando tempus quantum honeste poterunt, ita quod applicatio sua ad locum, ubi tractari debebit de liga predicta, sit tali tempore, quod armate nostre predicte et navigia rationabiliter possint esse in partibus, de quibus non possit rationabiliter dubitari, faciendo predicta cum tali honestate, modo et ordine, quod non detur causa reginali maiestati vel ipsi domino comiti

alicuius turbationis contra nos in facto predicto, et scribat noster ambaxator quicquid traxerit, fecerit et habuerit in predictis, et expectet nostrum mandatum. — 19.

Consiliarii: ser Remisius Superantio, ser Karolus Geno sapiens consilii, ser Tomas Faletro sapiens ordinum: quod respondeatur ambaxatori nostro, quod recepimus literas suas datas Bude 8 septembris et replicatas Viene 18 dicti mensis super facto lige fiende cum reginali maiestate Hungarie etc., quibus plene intellectis, suam diligentiam comendantes, respondemus, quod recepto presenti mandato, debeat mittere Dexideratum notarium nostrum ad dominum comitem palatinum ad respondendum ei in hac forma, quod ipse ambaxator noster habuerit responsionem a nostro dominio super facto predicto. Et primo dominatio nostra regraciatur immense dicto domino comiti de laudabili dispositione eius ad honorem et statum nostri dominii. Super festo vero lige predicte respondeat per Dexideratum, quod dominatio nestra semper fuit, est et erit disposita et parata ad omnes honores et conservationem reginalis maiestatis Hungarie. Ad ligam autem ipsam, quod dominatio nostra est parata attendere cum omni sinceritate cordis, sed quia pro presenti non videtur dominio nostro ita salubriter et sine periculo agendorum posse fieri vel comitti ea, que essent necessaria fieri propter viarum discrimina, et quia ipsa negotia sunt magna et ardua, dominatio nostra deliberavit, quod ipse ser Saraceno debeat redire Venecias, et cum applicuerit Venetias, quod dominatio nostro, habita collatione cum ser Saraceno Dandulo et informatione opportuna, omni mora postposita procedet dando principium facto eo modo et forma, quibus pro honore et bono utriusque partis videbitur convenire. Data vero expeditione huic facto, et misso Dexiderato ad dictum comitem palatinum, ut dictum est, ambaxator noster Venetias revertatur, Desideratus etiam, expositis predictis domino comiti palatino, redeat Venetias — 10, de non 2, non sinceri 10.

Misti XXXVIII. 77, u mlet. arkivu.

CCLXXXVI. God. 1383. 5 listopada, u Mletcih.

Dozvoljeno Bosanskomu kralju, da sagradi 2 galije u Mletcih.

1383. indictione VI. die quinto octubris. Capta: quod complaceatur serenissimo domino regi Raxie honorabili civi nostro, hoc valde amicabiliter requirenti, quod possit facere fabricari duas galeas in Venetiis ad suas expensas. De non 1.

Misti XXXVIII. 80, u mlet. arkivu.

CCLXXXVII. God. 1384. 11 siečnja, u Mletcih.

Mletački gradski sud dopituje Nikoli sinu pokoj. kneza Budislava korbavskoga njeku svotu, koja mu pripadala iz ostavštine njegova djeda kneza Grgura Kurjaka u Mletcih na dobitak položene.

Determinationis sive sententie instrumentum, facte sive late per judices petitionum in favorem Fabiani procuratoris heredum comitis Gregorii de Curiaco contra officiales frumenti etc. — In nomine dei eterni amen. Anno ab incarnatione domini nostri Jesu Christi millesimo trecentesimo

octuagesimo tertio mense Januarii die undecimo intrante, indictione septima, Rivoalti. Presentibus Nicoleto de Laurentio et Zanone preconibus et aliis testibus ad hec vocati et rogati. Cum coram nobilibus viris dominis Nicolao Valaresso, Gabriele Dandulo et Symone Dalmario, honorabilibus iudicibus petionum, comparuerit Fabianus, olim familiaris nobilis et egregii domini comitis Budislai de Curiacho de Curbavia, procurator et procuratorio, nomine nobilis comitisse domine Elene relicte dicti quondam domini Budislai, filii olim domini comitis Gregorii de Curiaco de Curbavia, tamquam tutricis et defensatricis deputate per illustrissimam Hungarie maiestatem in omnibus mobilibus et immobilibus bonis Nicolai nati sui nec non unici filii dicti quondam comitis Budislai ac legiptimi heredis et successoris instituti in universis bonis mobilibus et immobilibus dicti quondam eius patris comitis Budislai, ut primum constat procurationis instrumento facto manu presbiteri Nicolai quondam Cristofori archidiaconi de Valtro in ecclesia Quinque ecclesiense et canonici Acquilegiensis publici imperiali auctoritate notarii, cancelarii reverendi in christo patris et domini Valentini episcopi Quinque ecclesiensis in millesimo trecentesimo octuagesimo tertio, indictione sexta, die quartodecimo septembris, Bude. Tempore serenissime et excellentissime principis ac domine naturalis domine Marie dei gratia illustrissime regine Hungarie, Polonie Dalmacie etc., et reconmendato secundum usum ad officium dominorum iudicum procuratorum die ultimo decembris proximi preteriti per Petrum dela Costa notarium curie maioris et de hereditate constat litera serenissime et excellentissime priucipis et domine domine Elisabet dei gratia regine Hungarie, Polonie, Dalmacie etc. sui secreti sigilli in cera ab intra impresione munita et recomendata curie petitionis per ducale mandatum die nono mensis instantis per Bonifatium de Carpo notarium curie maioris. Exponens contra et adversus nobiles viros dominos . . . offitiales camere frumenti, pro quibus omnibus domini Remitius Vituri et Johannes Suriano comparebant, et sic allegans, quod cum bone memorie dominus comes Gregorius de Curiaco supranominatus iam diu, ut apparet in quaternis offitii camere frumenti, depositauerit ibidem ducatorum duomillia auri cum prode de quinque pro centenario, et aute decessum suum habere deberet pro prode sequuto ex ipso deposito ducatorum quattuor millia auri, quos denarios ibidem volebat remanere cum condictione prodis in dicta quantitate taxati, et tandem non convenerit cum dominis officialibus tunc existentibus, ex quo dicta quatuor millia ducatorum ibidem diu sine prode remanserunt, ita quod de capitali sunt in dicta camera ducatorum quatuordecim millia auri videlicet decem millia ad prode et quattuor millia sine prode. Et cum ad mortem dicti domini comitis Gregorii remanserint sibi duo filii legitimi et naturales et de legittimo matrimonio procreati, quibus huiusmodi depositum per ipsius formam et tenorem debet libere pertinere, videlicet domini comites Gregorius vivens et Budislaus, qui defunctus est relicto unico filio suo legitimo et naturali et de vero et de legitimo thoro genito Nicolao videlicet supranominato, cui per illustrissimam Hungarie maiestatem prefata egregia comitissa domina Helena genitrix sua tutrix est et gubernatrix sibi delegata, et cui prenominatum depositum et omnis utilitas hactenus sequuta sibi pro dimidia cum dicto domino comite Gregorio de iure pertinere debet, sicque pertinet et spectat. Et cum in MCCCLXXVI die XXVII Martii per dominos iudices petitionum cognitum et determinatum fuerit ad

petitionem et requisitionem dictorum egregiorum et nobilium militum dominorum comitum Budislavi et Gregorii supranominatorum seu nobilium virorum ser Cristofori olim Francisci de Liccesis civis Jadrensis, et ser Anselmi quondam Miligosti de Nona procuratorum suorum, quod usque ad kallendas novembris tunc proximi preteriti habere deberent pro prode sibi sequuto dicti eorum depositi ducatorum duo millia auri, itaque ab ipso tempore citra, quod est anni septem, . . . milla prode perceperint; ea propter petebat, quod ipsi domini iudices petitionum eorum iustitia mediante dicere, determinare et percipere dignarentur eisdem dominis . . . officialibus camere frumenti, quod pro medietate dictorum quatuor millium ducatorum sequutorum alias de prode dictorum decem milium ducatorum et qui nunc de capitali sine condictione prodis stant, sibi debeant de ducatis duobus milibus respondere, et pro medietate prodis sequuti de dictis decem milibus ducatis per annos septem petebat ducatos mille septingentos quinquaginta, salvo errore chalculi et omnibus aliis iuribus suis. Ad que nobiles viri domini Renutius Vituri et Johannes Suriano. officiales supramemorati ad cameram frumenti, superinde respondebant aliqua, que domini iudices bene intellexerunt. Unde prefati domini iudices petitionum, visis, auditis et diligenter intellectis petionibus, responsionibus, iuribus et rationibus partium premissarum, et dicto procurationis instrumento ac littera reginali prefata ac deposito pecunie memorate, seu ipsius copia per dominos offitiales predictos in curia presentata et determinatione alias lata per dominos iudices petitionum et confessione per ipsos dominos offitiales facta videlicet, quod ultra dictum depositum primum decem milium ducatorum dicta camera sibi teneret in ducatis quatuor milibus auri vel circa sequutis de ipsorum decem milium ducatorum utilitate, qui ibi diu sine aliquo prode remanserunt, et superinde habito consilio et deliberatione diligenti, dato sacramento dicto Fabiano procuratore dicte domine ut supra tutricis dicti Nicolai, et ipso in eius animam iurante, premissa omnia vera fore, omnes tres concordes per eorum iustitiam per diffinitivam determinationem dixerunt et determinaverunt, ac dictis dominis . . . offitialibus camere frumenti preceperunt, quod de ducatis duobus milibus auri pro medietate dictorum quatuor milium ducatorum, qui fuerunt de prode dictorum decem milium ducatorum, alias sequuto, et quod steterunt ibi diu sine prodis condictione, et de ducatis mille septingentis quinquaginta pro medietate prodis sequuti usque ad kalendas novembris proximi preteriti suprascripto Fabiano procuratore dicte domine Helene matris et tutricis dicti Nicolai filii quondam et heredis dicti quondam domini comitis Budislavi debeant libere respondere, errore calculi semper in omnibus reservato.

Millesimo trecentesimo octuagesimo tertio, die nono mensis februarii, dati fuerint per officiales camere frumenti in Rivoalto pro parte solutionis dicte determinationis ser Benedicto Altiero gastaldioni domini ducis ducati mille et quiquaginta, quos dictus ser Benedictus numeravit et dedit Fabiano procuratori heredum comitis Gregorii.

Ego Anthonius de Bellancinis, ecclesie sancti Pauli presbiter et notarius Venetiarum scribaque curie petitionum, hanc determinationem de quaterno autentico curie petitionum sicut iacet de suprascriptorum dominorum iudicum petitionum mandatum in formam publicam legaliter relevavi.

Commemorialium VIII 89, u mlet. arkivu.

CCLXXXVIII. God. 1384. 1 ožujka, u Mletcih.

Riešeno, da njekoji zaključci, stvoreni za rata s ugarskim kraljem itd. s prieke nužde budu uništeni.

1384. indictione septima, die primo mensis martii. Dominus, consiliarii, capita et sapientes consilii. Capta: cum in tempore guerre nuper preterite cum domino rege Hungarie, Januensibus, domino Padue et patriarcha et ecclesia aquilegensi fuerunt capte multe partes et ordines in consilio sapientum guerre et in rogatis et zonta, ad quas partes et ordines consilium tunc condescendit coacte, licet per dei gratiam nullum habuerit effectum, et tales scripture vel partes non sint ullo modo tenende vel legende pro infinitis bonis respectibus; vadit pars, quod debeant ipse partes et scripture destrui, anichilari et conburri, ita quod nunquam videantur per aliquos pro honore nostri dominii.

Misti XXXVIII. 102, u mlet. arkivu,

CCLXXXIX. God. 1384. 2 lipnja, u Mletcih.

Dozvoljeno Nikoli knezu krčkomu, tada u službi mletačkoj u Kreti, da radi svojih posala dodje u Mletke.

1384. die secundo iunii. Capta: quod concedatur de gratia nobili viro comiti Nicolao de Vegla, provisionato nostro in Candida, hoc suppliciter postulanti, quod propter aliqua agenda sua presentia eius, sicut expositum fuit nobis pro partes sua, requirentia, ipse possit venire Venecias et stare per sex menses, habendo medietatem solumodo provisiensis sue donec steterit extra Candidam.

Misti XXXVIII. 131, u mlet. arkivu.

CCXC. God. 1384. 14 lipnja, u Mletcih.

Odgovara se poslaniku ugar.-hrv. kraljice, da će se republika u poslovih Friaula i patriarche oglejskoga prijateljski vladati, da će naložiti kapetanu galija bosanskoga kralja, koj je rodom mletački plemić, neka ni najmanje nevriedja ugar.-hrv. podanike i zemlje, a glede njekoga poklada da će odrediti ono, što pravo zahtjeva.

1384. indictione septima, die quarto decimo iunii. Terminatum per collegium scilicet per dominum, consiliarios, capita et sapientes consilii, quod fiat infrascripta responsio de presenti pro bono agendorum.

Quod respondeatur istis ambaxatoribus serenissime reginalis maiestatis Hungarie, quod intellecta ambaxata sua nobis sapientissime exposita, presentibus respondemus; et primo super primo capitulo facientem mentionem de factis Foroiulii et reverendissimi domini cardinalis et patriarche aquilegiensis de obviando de facto consilii, in casu quo interim, donec dominus papa providerit de factis predictis, aliquis vellet invadere etc., quod sicut satis extat notorium, ipsum dominum cardinalem et patriarcham aquilegiensem cordialiter et intrinsece semper amavimus et amamus et omne comodum et bonum, quod potuimus, continue ei dedimus et fecimus pre reverentia sancte matris ecclesie et contemplatione sue reverendissime pa-

ternitatis et pro bono etiam patrie Foroiulii, et istud sua reverendissima paternitas plene novit, et si usque nunc talis dispositio in nobis fuit, multo plus intendimus, quod sit de cetero pro contemplatione reginalis maiestatis Hungarie, cui sumus, ut semper fuimus, dispositi in cunctis possibilibus cum sincerissimo animo complacere. Et subiungatur dictis ambaxatoribus, quod si ipsi viderent ultra predictam rem, que videretur eis utilis ad possendum fieri per nos, quod dicant, quia audiemus eos alacriter et libenter.

Item dicatur dictis ambaxatoribus, quod sumus contenti, quod ipsi facient sentire utrique parti de requisitione, quam nobis fecerunt, et de nostra responsione predicta pro eorum informatione.

Ad secundum capitulum faciens mentionem de duabus galeis domini regis Raxie, que laborate fuerunt in Veneciis, quod non dampnificent terras et subditos reginalis maiestatis Hungarie etc., respondeatur, quod veritas est, quod cum licentia nostra ipse galee fuerunt laborate et fabricate in Venetiis, sed non debent armari in Venetiis ullo modo, et quia ipse dominus rex Raxie accepit ad servitium suum pro admirato quemdam nobilem civem nostrum, quando ipse galee erunt in actu recedendi, faciemus preceptum dicto admirato civi nostro, quod terras, subditos et fideles reginalis maiestatis Hungarie debeat tractare amicabiliter, dulciter et benigne et sine aliqua lexione, quia intentio nostri dominii fuit et est, quod per galeas, navigia, subditos et fideles nostros tractentur terre, loca, subditi et fideles reginalis maiestatis Hungarie tamquam nostra propria, et sic habent a nobis specialiter in mandatis.

Ad ultimum vero de facto illius depositi facti in civitate nostra Venetiarum per illum Petrum de Yuanus ante guerram proxime preteritam etc., respondeatur, quod pro presenti propter aliquem respectum non possumus dare expeditionem huic facto, sed intentio nostra fuit et est observare formam pacis, et facere in hoc facto, quicquid de iure fieri debet.

Misti XXXVIII. 138, u mlet. arkivu.

CCXCI. 1384. 27 lipnja, u Mletcih.

Riješeno, da se neizplati mjed zarobljen njekojim dubrovčanom, akoprem se za to zauzimala ugar.-hrv. kraljica.

1384. indictione septima, die XVII mensis iunii. Ser Donatus Mauro Consiliarius. Capta: cum ante principium guerre proxime preterite reperirentur in nostro gethu rami circa miliaria quinquaginta octo rami fini de ratione ser Petri Yuanus Ragusei, pars videlicet scriptadicto ser Petro Yuanus et pars ser Luce de Medio factori suo, quod rame superveniente guerra per sapientes nostros terre nove tamquam bona nostrorum inimicorum fuit acceptum de dicto gethu et venditum, et denarii positi in commune secundum formam partis alias capte super hoc, et pridie comparuerit coram nostro dominio Franciscus de Bernardo, dicens, habere procurationem ad plenum ab heredibus vel commissariis dicti ser Petri de Yuanus et tamquam eius creditor et aliorum, qui dicunt se fore creditores cum literis recomendationis reginalis maiestatis Hungarie, dicendo, quod per formam pacis, quam fecimus cum domino rege Hungarie, denarios extractos de dicto rame

commune Venetiarum tenetur et debet restituere predictis; examinatis capitulis pacis et multis aliis scripturis fatientibus ad factum, et habito consilio cum sapientibus iuris et cum multis aliis, qui omnes consulunt, quod de iure commune Venetiarum non tenetur restituere aliquem de dictis denariis; considerato etiam quod pro conditione nostra facit ad conservandum nostros paucos denarios, quando iuste et de iure fieri potest et pro multis aliis respectibus; vadit pars quod ex nunc sit captum, quod commune nostrum non teneatur ad restituendum aliquem de supradictis denariis, et sic debeat responderi reginali maiestati Hungarie et istis ambaxatoribus, salvis et reservatis iuribus dicti ser Luce de Medio contra dictum Petrum de Yuanus pro eo, quod ser Lucas de Medio iuste deberet habere, salvis etiam et reservatis iuribus ser Luce de Medio in expensis, quas monstraret fecisse pro dicto rame. 53.

Consiliarii ser Triadanus Griti, ser Daniel Bragadino; sapientes consilii ser Leonardus Dandulo miles et procurator, ser Petrus Cornario procurator, ser Ludovicus Lauredanus procurator, ser Zacarias Contareno, ser Petrus Aymo. Quod respondeatur istis ambaxatoribus reginalis maiestatis Hungarie ad factum depositi predicti Petri de Yuanus Ragusei, de quo ipse ambaxator nobis fecerit mentionem, quod nobis non videtur, quod petant bene per modum, quo petunt, nichilominus sumus contenti de facto ipso stare iuri secundum formam capituli pacis. 32, de non 2, non sinceri 11.

Misti XXXVIII. 139, u mlet. arkivu.

CCXCII. God. 1384. 26 srpnja, u Mletcih.

Ad requisitionem comitis Virtutum elligitur ambaxiator ad regimina Ragusii pro procurando liberationem aliquorum nobilium et militum ab ipsis captivatorum. Ellectus ser Franciscus de Molino.

Misti XXXVIII. 151, u mlet. arkivu.

CCXCIII. God. 1384. 8 listopada, u Mletcih.

Quamvis ambaxiata bis missa ad illos de Ragusio pro liberatione nobilium et militum detemptorum in Ragusio nichil profuit, tamen ad instantiam ambasciatorum regis Franciae, duchae Burgundiae et domini Bernabonis captum, quod de novo mittatur simul cum istis ambasciata ad regimina Ragusii ad inducendum ea ad relaxationem ipsorum detemptorum. Ad partem vero, per quam ipsi ambasciatores petebant passagium et securum conductum, respondetur, quod propter timorem galearum regis Karoli non est possibile eis complacere de securo conductu, „dando eis ad intelligendum, quod nostram ambaxatam, quam mittemus Ragusium, ut dictum est, intendimus mittere cum barchis pro maiori securitate".

Misti XXXIX. 12, u mlet. arkivu.

CCXCIV. God. 1384. 10 listopada, u Mletcih.

Cum ambaxiatores regis Franciae intendunt ire per terram ad partes Hungariae, sed rogant, quod respublica mittat suam ambasciatam Ragusium

una cum uno ipsorum nuncio; postquam istud non esset cum honore reipublicae, deliberatum „quod ad istam partem respondeatur, luctanando et excusando nos cum hiis et aliis verbis, que videbuntur pro bono facti".

Misti XXXIX 12, u mlet. arkivu.

CCXCV. God. 1384. 12 listopada, u Mletcih.

Ad propositionem ambasciatorum regis Franciae, quod respublica mittat suam ambasciatam Ragusium ad tale tempus, quod ambae simul se reperiant in dictis partibus, vel quod mittatur simul cum eis unus nuntius ad partes Hungariae, respondetur, quod ipsi eant ad partes Hungariae et procurent negotia eis commissa, „et quando eis videbitur scribere et notificare nobis, in quo termino erunt, tunc secundum id, quod habebimus ab eis, providebimus, sicut nobis videbitur pro honore nostri dominii et bono facti predicti".

Misti XXXIX 12, u mlet. arkivu.

CCXCVI. God. 1384. 20 listopada, u Mletcih.

Ambasciatores regis Franciae requirentes de novo, quod, cum regina Hungariae ad instantiam eorum regis jam scripserat Raguseis in efficaci forma pro relaxatione nobilium captivatorum, et ideo ipsi intendunt pro nunc mittere unum suum nuntium ad partes Ragusii, respublica etiam cum suo mittat unum nuntium pro ipsa causa, captum de non.

Misti XXXIX. 17, u mlet. arkivu.

CCXCVII. God. 1384. 3 studenoga, u Mletcih.

Daje se dopust Marku knezu Krčkomu, u vojničkoj službi u Kreti, na šest mjeseci.

1384. indictione octava, die XIII mensis novembris. Capta: quod concedatur de gratia Marco filio egregis viri Nicolai comitis Vegle, conestabili nostro equestri in Candida, pro aliquibus suis agendis arduis, quibus sibi omnino expedit venire Venetias, quod possit venire et stare per VI menses, reservando sibi banderiam et ponente ipso loco sui personam sufficientem, que placeat capitaneo nostro Crete.

Misti XXXIX. 18, u mlet. arkivu.

CCXCVIII. God. 1384. 22 prosinca, u Mletcih.

Umoljava se bosanski kralj, neka izplati Nikolu Baseja, svoga kapetana i mletačkoga plemića, u koliko mu duguje, da tako i ovaj bude u stanju svoje vjerovnike namiriti, te se slobodno u Mletke povratiti.

1384. die XXII decembris. Capta: quod scribatur domino regi Rassie in hac forma, videlicet: sicut regia maiestas vestra novit, ipsa tenetur nobili viro ser Nicolao Baseo capitaneo suo civi nostro in magna pecunie summa, causis eidem maiestati notis. Et quia alias excellentia vostra scripsit et subsequenter per ambaxatorem suum nobis fecit exponi, quod redderet ipsum

ser Nicolaum bene contentum, sperabamus, quod hoc modo factum esset, consideratis iustis causis et longo tempore, quo satisfactionem suam patienter prestolatus est. Et quia ipse ser Nicolaus ob negotia serenitatis vestre est diversis personis in multis pecuniis obligatus, et ipsi pluries solutionem suam coram nobis instantissime petierunt, predictus ser Nicolaus non audet iam diu comparere, qui non habens unde solvere, timet carceribus mancipari, quod nos agravat et perturbat, presertim pro honore regio, quem tantum diligimus, et pro damno et incommodo civis nostri et aliorum civium nostrorum debentium recipere mercedem suam. Quare cum propinqui sui sepe comparuerint coram nobis, requirentes, quod provideatur, ut dictus ser Nicolaus possit suam satisfactionem habere, ut comparere possit Venetiis et satisfacere, quibus causa maiestati vostre tenetur, celsitudinem vestram regiam instantissime deprecamur, quatenus pro honore maiestatis vestre et ut predictus civis noster exeat de laboribus istis, et ut illis, qui habere debent, possint habere solutionem suam, dignatur tenere modum absque aliis induciis, quod ipse habeat in omnibus merito contentari; quod si fiet, plurimum nobis placebit, et erit magnus honor maiestatis vestre; et in casu quo non fieret civibus nostris in iuribus suis secundum iustitiam, defficere non possemus. 84, de non 6, non sinceri 10.

Misti XXXIX. 27, u mlet. arkivu.

CCXCIX. God. 1385. 16 siečnja, u Mletcih.

Republika prikazuje se voljna stupiti u savez s ugar.-hrv. kraljevinom.

1384. die 16 mensis ianuarii. Exemplum literarum de partibus Hungarie missarum per F. de B. ser Karolo Geno et sociis. Dat. die 20. mensis decembris.

E più ue dicho, che siando in rasonamento de diverse cosse cum lo gran conte, io li haui a dire, e zio vene, per che parlauamo de fati de mare e de galie. Dissi, el me par, chel comun de Venezia vorra auer fato quelo, de che altra uolta lo recheristi; disse, como el say, e che ne senti; dissi, per algune cosse, che me par sentire per mare e per terra. Diche luy me disse, e prego, che io ne deuesse scriuer, e sel uoler me era, che a luy plaseua molto, e che se nuy volem attender, che mandasti persona da zio cum quella intentione, che bastasse, che de qua troueresta uostro intendimento; houel scrito, quelo che ue par, ne fate, et ami ne respondete, se ue pare, si che possa renderue alguna resposta.

Dominus, ser Johannes Barbadico, ser Nicolaus Valaresso, ser Micael Contareno, consiliarii; ser Mapheus de Pesaro, ser Mapheus Capello, capita XL; et ser Leonardus Dandulo, ser Johannes Gradenico, procurator, ser Zacarias Contareno, ser Lodovicus Mauroceno, ser Karolus Geno, sapientes consilii. Capta Quod respondeatur per ser Karolum Geno et sotios Francisco de Bernardo, monstrando quod responeant et scribant a se, in hac forma, videlicet: A quelo che uuy scriuete dele parole raxionate cum lo gram conte soura fato de liga et unione etc. ve rispondo, che rezeuuta la vostra letera, io fu dala mia signoria, e conferri cum loro de questo fato, e parme lo fato li plaxe. E perche io som dexiroso, che tra lo reame de la e la mia signoria de qua sia una bona confederatione per bem de una parte e del

altra, e perche eciamdio me pregati, che io ne scriua e responda soura de zio Pero io penso, chel sia bem, che uuy sapiati dal rezimento de la, se ello e disposto a questo fato, e scriuemello, perche siando lor desposti al fato, spiero in la gratia de Dio, che questi de qua mandera ambaxada o messo a quele parte, siche per questo uostro principio pora seguir bon mezo e meior fin. De parte 75, de non 5, non sinceri 24.

Misti XXXIX. 36, u mlet. arkivu.

CCC. God. 1385. 9 ožujka. u Mletcih.

U poslu saveza šalje se poslanik u Ugarsku, te mu se daje naputak, što da čini.

1385. indictione octava, die nono mensis martii. Dominus, consiliarii, capita, et sapientes consilii. Capta: cum iam multis diebus preteritis cum deliberatione et voluntate consilii rogatorum et additionis fuerit per virum nobilem ser Karolum Zeno et sotios data responsio ad literas tunc missas per Franciscum de Bernardo ad finem lige cum chorona et regno Hungarie, et fuit ipsa responsio missa Francisco de Bernardo predicto per ser Karolum Geno et sotios per duas manus literarum et per duos nuntios vel cursores, et licet nuntii nostri vel cursores applicuerint ad partes illas et presentaverint literas illas Francisco predicto, tamen ad factum principale nichil responsum est, et utile sit providere super hoc pro bono agendorum nostrorum; vadit pars, quod collegium scilicet dominus, consiliarii, capita, sapientes consilii et sapientes ordinum habeant libertatem mittendi unum sufficientem nuntium ad partes Hungarie pro habendo responsionem ad factum predictum cum illa comissione et verbis, que videbuntur dicto collegio vel maiori parti pro bono nostro et agendorum nostrorum. De parte omnes alii, de non 17, non sinceri 9.

Dominus, consiliarii, capita et sapientes consilii. Capta: cum pridie captum fuerit in hoc consilio de possendo mittere unum nuncium ad partes Hungarie cum illa commissione, que videbitur collegio vel maiori parti pro habendo responsionem ad negotium principale etc., et per aliquos de collegio fiat dubium propter illud verbum, quod dicit, quod nuntius vadat pro habendo responsionem ad factum principale, si collegium habet libertatem comittendi ipsi nuntio, quod habeat libertatem offerendi illis de inde, quod dominatio nostra est contenta illuc mittere nostram ambaxatam existentibus ipsis bene dispositis ad factum lige; vadit pars pro non perdendo tempus in hiis factis et pro bono agendorum nostrorum, quod declaretur, quod collegium habeat etiam libertatem predictam, videlicet, existentibus illis deinde bene dispositis ad ligam nobiscum, offerendi, quod dominatio nostra erit contenta mittere et mittet illuc suam ambaxatam, ut superius dictum est. 47, de non 18, non sinceri 7.

Capta in collegio dicta die vigore dicte libertatis, quod committatur ser Jacobo Quirino civi et fideli nostro, quod in bona gratia cum literis nostris credulitatis ire debeat ad partes Hungarie ad magnum comitem, cui facta reverentia et salutatione ex parte nostri dominii cum verbis amoris et dilectionis, exponere debeat, quod sicut sue magnificentie plene notum est, pridie Franciscus de Bernardo scripsit per suas literas et cum voluntate ipsius magni comitis nobili viro Karolo Zeno et sotiis ad finem lige

celebrande inter reginalem maiestatem Hungarie et nos et commune nostrum, ad quas literas dictus ser Karolus Geno et sotii de nostro mandato fecerunt responsionem ipsi Francisco de Bernardo, qualiter illud negotium placebat nobis etc., de qua nostra responsione non dubitamus, imo certi sumus, quod excellentia sua est plene informata; et quia ad factum principale non fuit nobis missa aliqua responsio, quod leviter potuit occurisse propter nuntium, qui defecerit in via vel alia iusta et legiptima causa, propterea deliberavimus mittere ipsum ser Jacobum ad presentiam sue magnitudinis ad notificandum sincerissimam et optimam dispositionem nostri dominii, videlicet, quod existente reginali maiestate disposita ad factum lige predicte dominatio nostra erit contenta mittere et mittet ad presentiam ipsius reginalis maiestatis nostram ambaxatam pro facto predicto et cum sufficienti mandato et libertate ad plenum.

Hiis vero expositis audiat ser Jacobus Quirino responsionem magni comitis, et si per verba, que conferrent in simul, videbitur magno comiti, quod ipse ser Jacobus Quirino exponat similia verba reginali maiestati Hungarie pro bono dictorum agendorum, ser Jacobus Quirino dicat et exponat secundum consilium magni comitis. Si vero non videretur magno comiti, quod esset necessarium dici aliqua verba reginali maiestati Hungarie, quia iam habita fuisset responsio sufficiens et ad plenum a reginali maiestate Hungarie secundum nostram intentionem vel pro alia iusta et legiptima causa, tunc ser Jacobus Quirino non moveat verba de hoc reginali maiestati, sed sit in sua libertate scribendi subito nobis vel veniendi Venetias cum eo, quod fecerit et habuerit, de omnibus plenissime informatus, et ad cautelam pro hac causa fiant sibi litere credulitatis reginali maiestati Hungarie.

In hoc vero medio tempore committatur ser Jacobo Quirino, quod solicite et diligenter det operam de sentiendo, si in partibus illis per ambaxatam vel nuntios Januensium vel domini Padue fuissent aliqua tractata vel tractarentur et fierent contra honorem et statum nostri dominii. Et si erit necessarium, substineat honorem et iura nostra coram reginali maiestate Hungarie, dando sibi ad intelligendum de sincerissimo amore et bona dispositione nostri dominii cum omnibus verbis, que sapientie sue utilia videbuntur, et ad impediendum et turbandum toto posse suo tales tractatus, informationes et verba contra statum nostrum, sicut de persona sua plene confidimus et speramus.

Item committatur ser Jacobo Quirino, quod si habebit a magno comite vel a Francisco de Bernardo, reperiente se ibi, quod responsio nobis missa fuerit ad factum principale lige secundum nostram intentionem, in hoc casu ser Jacobus Quirino dicere debeat, quod non dubitat ullo modo, imo certus est, quod recepta dicta responsione per nos, dominatio nostra sine fallo illuc mittet suam ambaxatam cum mandato ad plenum, ut superius dictum est.

Item ad cautelam committatur ser Jacobo Quirino, quod, si antequam compareat ad presentiam reginalis maiestatis Hungarie vel magni comitis, reperiet se cum Francisco de Bernardo, et Franciscus dicet sibi, quod habuerit responsionem, et ipsam nobis miserit secundum nostram intentionem, in hoc casu non debeat de hoc puncto lige movere nec dicere aliquod verbum, sed de alio facto procuret, sentiat, faciat, ut superius dictum est. Et

in omni casu sit in sua libertate scribendi nobis vel redeundi Venetias de omnibus informatus, sicut et quando sibi videbitur pro meliori agendorum.

Item committatur ad cautelam ser Jacobo Quirino, quod existens in partibus illis, si aliquo casu se reperiret cum Francisco de Bernardo, debeat aperire sibi omnia negotia nostra predicta, et cum consilio et favore suo exequi et facere, ut superius per ordinem dictum est.

Item committatur ser Jacobo Quirino, quod reperiente se cum Francisco de Bernardo, si persentiret, quod responsio nobis facta fuisset ad factum lige, et quod non esset grata nec secundum nostram intentionem, vel quod nundum aliqua responsio nobis facta fuisset, tunc, fingendo nichil scire de predictis, in hoc casu debeat cum consilio Francisci de Bernardo comparere ad presentiam magni comitis et reginalis maiestatis Hungarie cum verbis predictis et aliis, que sibi videbuntur pro obtinendo nostram intentionem.

Facte fuerunt ser Jacobo Quirino litere credulitatis in personam suam reginali maiestati, — magno comiti, episcopo quinque ecclesiarum et Francisco de Bernardo.

Item fuit sibi data copia literarum primo missarum ser Karolo Zeno et sociis per Franciscum predictum et copia nostrè responsionis. De parte 12, non sinceri 0, de non 3.

Misti XXXIX. 52, u mlet. arkivu.

CCCI. God. 1385. 16 ožujka, u Mletcih.

Nastoji se o tom, da mjed, koj se iz Senja i Slavonije vozio u Siriju. bude donesen u Mletke.

1385. indictione octava, die sextodecimo mensis martii. Consiliarius ser Symon Dalmario, ser Lodovicus Mauroceno, ser Michael Steno, sapientes; ser Andreas Donato et ser Leonardus Bembo provisores communis. Capta: quia exquirenda est omnis via abilis et honesta de cessando traficum et navigare, quod fit in partibus Segne et Sclavonie de ramine, quod conducitur de Hungaria et portatur ad partes Syrie, vadit pars, quod collegium domini, consiliariorum, capitum, sapientum consilii et ordinum et provisores communis possit tractare cum Johanne Portenarii nomine suo et aliorum sotiorum, qui habent montem raminis Hungarie; et quia dictus Johannes petit posse aliquam partem raminis navigare et habere aliquod avantagium datiorum, possit tractare super istis per illam meliorem viam, que videbitur, non firmando aliquid, sed cum eo, quod habebitur, veniatur huc, et fiet, sicut videbitur. 63.

Misti XXXIX. 54, u mlet. arkivu.

CCCII. God. 1385. 24 ožujka, u Mletcih.

De mandato ducalis dominii comissum provisoribus communis „quod deberent tractare cum Johanne Portinari nomine participum montanearum a ramine Hungarie super facto raminis.“ Predicti provisores tractant, et stipulant conventiones, quae hic per longum et latum aducuntur.

Misti XXXIX. 59, u mlet. arkivu,

CCCIII. God. 1385. 16 travnja, u Mletcih.

Odpravljen poslanik u Ugarsku, da izposluje oslobodjenje Jakova Quirina onamo na povratku zasužnjena, i da izviesti o uspjehu stvari, koju je isti Jakov obaviti imao.

1385. indictione VIII, die sextodecimo mensis aprilis. Ser Petrus Cornario procurator, ser Ludovicus Lauredano procurator, ser Ludovicus Mauroceno, ser Michael Steno, sapientes consilii. Capta: cum nobilis vir ser Jacobus Quirino civis noster fuerit destinatus ad partes Hungarie pro factis nostri dominii, et ipse alacriter iverit, ut est notum, et redeundo Venetias fuerit captus, et nescitur aliquid de eo, et pro honore nostri dominii faciat procurare relaxacionem et liberationem eius, ut alii nostri nobiles habeant causam eundi alacriter ad servitium nostrum; vadit pars, quod collegium, scilicet dominus, consiliarii, capita et sapientes habeant libertatem mittendi unum nostrum notarium sufficientem ad procurandam liberationem et relaxationem dicti ser Jacobi Quirino apud reginalem maiestatem Hungarie et alios, ut fuerit necessarium, cum illis verbis efficacibus, utilibus et dextris, que videbuntur pro honore nostri dominii et bono civis nostri predicti. Item committatur dicto notario, quod cum literis nostris credulitatis debeat comparere coram magno comite, et dicere magnificentie sue, qualiter misseramus ad partes illas ser Jacobum Quirino predictum, qui redeundo Venetias captus fuit, et quod per ipsum ser Jacobum dominatio nostra non potuit habere aliquam responsionem nec informationem de facto principali, pro quo missus fuit ad partes illas, et quod nos libenter sciremus, in quo termino illa negocia remanserunt, ut possimus providere, sicut convenit pro bono agendorum illorum, et cum qua intentione veniebat ser Jacobus Quirino predictus; et de omnibus supradictis notarius noster procuret habere plenissimam informationem, et cum eo, quod fecerit et habuerit in premissis, redeat celeriter Venetias de omnibus plenissime informatus. Et si noster notarius reperiret ser Jacobum Quirino relaxatum, non procedat ulterius in facto predicto, sed redeat Venetias de omnibus plene informatus.

Item committatur dicto nuntio, quod in via sua si persentiret, quod ser Jacobus Quirino non esset adhuc relaxatus, et quod posse sibi loqui, tunc loquatur ei, et si habebit ab eo plenam informationem facti principalis, de presenti scribat nobis ordinate, et prosequatur viam suam non dicendo aliquid magno comiti, sed procuret liberationem et relaxationem ser Jacobi Quirino a reginali maiestate Hungarie, ut superius dictum est, et de alio se non impediat. — 70.

Consiliarii: ser Simon Dalmario, ser Leonardus Dandulo miles procurator sapiens. Quia istud factum est magnum et arduum, et usque ad paucos dies cum dei gratia habebimus claritatem negotii; vadit pars, quod inducietur pro modo usque ad aliquos dies, et tunc erimus hic, et fiet, sicut videbitur huic consilio pro bono agendorum nostrorum — 29 — de non 1, non sinceri 9.

Misti XXXIX. 66, u mlet. arkivu.

CCCIV. God. 1385. 27. travnja, u Mletcih.

Izabran poslanik za Ugarsku.

1385. die vigesimo septimo aprilis. Sapientes consilii, sapientes ordinum excepto ser Lodovico Lauredano procuratore. Capta: quia consideratis novis, que habuimus de partibus Hungarie, necessario expedit provideri de mittendo ambaxatam nostram ad illas partes; vadit pars in bona gratia pro bono et utilitate agendorum nostrorum, quod elligantur per scruptinium in hoc consilio duo ambaxatores solempnes, qui possint accipi de omni loco et offitio et iudicatu peticionum et de officio continuo nōn perdendo officium continuum nec utilitatem eius, et respondeant die, qua fuerint electi, vel alia ad tertias, et non possint refutare sub pena ducatornm C pro quolibet etc.

Electi ambaxatores in Hungariam ser Leonardus Dandulo miles procurator, ser Donatus Truno.

Misti XXXIX. 72, u mlet. arkivu.

CCCV. God. 1385. 25 svibnja, u Mletcih.

Odredjeno, da miesto Karla Gena poslanika u Ugarskoj, izabrana za načelnika u Milanu, bude poslanikom imenovan jedan drugi plemić.

1385 indictione octava, die 25 mensis maii. Dominus et consiliarii. Capta: cum nobilis vir ser Karolus Geno, qui erat electus ambaxator ad reginalem maiestatem Hungarie, et ibat alacriter et libenter; postea per excelsum et magnificum dominum comitem Virtutum fuerit electus potestas Mediolani, ad quam potestariam dispositus est ire, placendo nostro dominio; vadit pars, in bona gratia, quod ipse ser Karolus Geno absolvatur libere et sine aliqua pena a dicta ambaxatá Hungarie, et capta ista parte, fiat alius ambaxator loco eius. Et si consilium etc.

Misti XXXIX. 80, u mlet. arkivu.

CCCVI. God. 1385. 3 lipnja, u Mletcih.

Opet se pozivlje bosanski kralj, neka izplati Nikolu Baseja, u koliko mu duguje.

1385. die III iunii. Consiliarii. Capta: quod scribatur domino regi Rassie in hac forma: regie maiestati quam plures litteras destinavimus, et ultimo unam datam vigesimo secundo decembris proxime elapsi, amicabiliter rogantes ac instantissime requirentes, quatenus pro debito justitie et honoris regii placeat tenere modum absque aliis dilationibus, quod vir nóbilis Nicolaus Baseio, civis noster et maiestatis vestre capitaneus, realiter acciperet integram satisfactionem suam de nonnullis pecunie summis, in quibus maiestas vestra tenetur eidem pro factis regiis sibi comissis, pro quibus quidem pecuniis ipse est quam pluribus personis obligatus, qui solutiones suas coram nobis cum continuis instantiis petierunt et petunt adeo, quod idem Nicolaus timore carceris comparere non potest, pro qua quidem satisfactione propinqui Nicolai sepe comparent coram nobis suplicantes, ut provideatur de remedio oportuno, ut exeat de tot laboribus, et ut illi, qui

habere debent, possint consequi solutiones eorum. Substinuit quoque idem civis noster graves expensas in mittendo litteras occasione predicta.

Sperabamus autem attenta iustitia civis nostri, quod absque tot laboribus et dilationibus maiestas vestra et pro honore suo satisfecisset eidem. Tandem ab eadem maiestate litteras datas die 2 aprilis nuper elapsi recepimus, responsales ad nostras, continentes, quod in brevi maiestas vestra mitteret suos ambaxatores, qui satisfacerent in omnibus civi nostro, qui ambaxatores non apparuerunt nec apparent, de quo non modicum admirari compellimur. Et licet absque ulteriori requisitione teneamur civi nostro secundum iusticiam providere, tamen non valentes aliter pertransire, declaramus, quod si in brevi dicta satisfactio realiter facta non fuerit, oportebit seu invite, ut sine ulteriori notificatione provideamus indemnitati civis nostri de remediis. Non sinceri 3, de non 5.

Misti XXXIX. 87, u mlet. arkivu.

CCCVII. God. 1385. 27 lipnja, u Mletcih.

U stvari mjeda uzapčena njekomu dubrovčaninu u vrieme rata, odgovara se poslaniku ugarskomu, da republika pristaje, neka tko drugi po zakonih sudi.

1385. die 27 iunii. Ser Leonardus Dandulo miles procurator, ser Johannes Gradonico procurator, ser Lodovicus Lauredano procurator, ser Donatus Truno, sapientes consilii. Capta: quod respondeatur isti ambaxatori reginalis maiestatis Hungarie, quod intellecta ambaxata sua nobis sapientissime exposita super facto raminis condam ser Petri de Ivanus Ragusei, quod superveniente guerra fuit acceptum de gethu nostro tamquam bona nostrorum inimicorum et positum in commune etc.; quod alias, sicut notum est, et nunc de novo voluimus habere bonum consilium super facto predicto, et per ea, que habuimus et habemus, commune nostrum non teneatur ad aliquam restitutionem rami predicti secundum formam pacis. Et licet simus in pleno iure in facto predicto, quia ipse ambaxator dicit, quod non esset conveniens, quod nosmet essemus iudices in facto, quod tangit commune nostrum, sumus contenti et placet nobis, comparente persona legiptima, que possit hoc facere de hoc facto, stare iuri, et quod cognoscatur de iure pro bono utriusque partis, ut ius tribuatur illud habentibus. Alii de parte, de non 1, non sinceri 5.

Nota, quod alia pars alias capta et posita per ser Donatum Mauro tunc consiliarium Veneciarum super facto predicto est in libro rogatorum et additionis de 1384 die 27 iunii ad cartas 140.

Misti XXXIX. 98, u mlet. arkivu.

CCCVIII. God. 1385. 5 srpnja.

Nalaže se tajniku Desideratu, neka podje k vojvodi, i neka ga u ime republike samoli, da pusti na slobodu Jakova Kvirina njezina poslanika; a kada mu nebi to za rukom pošlo, neka otidje k ugar.-hrv. kraljici, i od nje potraži Kvirinov odpust.

1384. indictione octava, die V iulii. Capta in collegio. Desiderate. Informamus te, quod nobilis vir ser Jacobus Quirino civis noster fuit desti-

natus per nos ad partes Hungarie pro negotiis nostri communis, qui alacriter et bono corde ivit ad servitium nostrum, et redeudo Venetias fuit captus per gentes Voivode, et sicut habemus est in fortia et manibus suis. Et quia facit pro honore nostri dominii procurare relaxationem et liberationem dicti civis nostri, committimus tibi per nos et nostrum collegium, habentes ad hoc plenissimam libertatem, quod cum nostris literis credulitatis ire debeas ad magnificum dominum Voivodam predictum, cui facta salutatione cum verbis amoris et dilectionis, sicut convenit pro honore nostri dominii, exponere debeas, quod de casu predicto occurso in personam nostri nobilis et civis predicti recepimus maximam displicentiam et turbationem in mentibus nostris, considerato, quod ipsum civem nostrum mittebamus solum pro factis nostri communis et non ad dampnum vel sinistrum alicuius domini vel persone, dando ad intelligendum ipsi voivode, quod firmissime tenebamus, ipsum civem nostrum et quodlibet alios nostros cives esse ita securos a predicto voivoda et gentibus suis in omni parte sicut essent in nostra propria civitate Venetiarum, et hoc considerato amore et sincerissima dilectione, que semper viguit et cum dei gratia vigebit inter suam magnificentiam et nos et commune nostrum, et propterea rogamus magnificentiam suam, quatenus nostri amoris instuitu placeat ipsum ser Jacobum Quirino cum famulis et rebus suis libere relaxare et restituere sue pristine libertati, sicut de sua nobilitate et magnitudine plene speramus, quod licet sit iustum et conveniens, tamen reputabimus nobis et communi nostro ad servicium et complacentiam specialem. Quando vero non relaxaret ipsum ser Jacobum Quirino, displiceret et gravaret nos, sicut merito potest et debet, utendo hiis et aliis rationibus et verbis, que tibi videbuntur, pro obtinendo liberationem et relaxationem nostri civis predicti. Factis vero omnibus experientiis possibilibus, si non posses obtinere a dicto voivoda liberationem et relaxationem ser Jacobi Quirino predicti, tunc cum nostris literis credulitatis ire debeas ad presenciam reginalis maiestatis Hungarie, cui facta reverentia et salutatione sicut convenit, exponere et procurare debeas ut supra libertatem et relaxacionem nostri civis predicti cum omnibus illis rationibus et verbis, que tibi utilia videbuntur, ita quod restituatur sue prime libertati, sicut de fidelitate tua plene confidimus et speramus.

Liber secretorum collegii 95, u mlet. arkivu.

CCCIX. God. 1385. srpnja, u Mletcih.

Šalje se tajnik k ugarskim poslanikom idućim kroz mletačke zemlje u Francuzku, da dovedu u Ugarsku Ljudevita, brata francuzkoga kralja, odredjena za supruga Marije ugar.-hrv. kraljice.

Guilelme. Recipimus hodie a magnifico domino Georgio comite Corbavie consiliario regie maiestatis Hungarie litteras datas Brigne XXVIII iunii, per quas, sicut videbis per tenorem earum inter descriptum, significavit nobis, quod serenissima domina Maria Hungarie regina accepit in maritum illustrem dominum Ludovicum fratrem serenissimi domini regis Francie. Unde ipse dominus Georgius et duo alii vadunt ambaxatores ad conducendum ad regnum Hungarie prelibatum dominum Ludovicum. Quare committimus tibi, ut vadas Paduam, et si erunt ibi, compareas dextro modo coram eodem domino Georgio cum litteris nostris credulitatis, quia ipse solus nobis scrip-

sit, salutando ipsum affectuose parte nostra et dicendo, quod statim intellectis litteris suis, misissemus ad eum providum virum Desideratum notarium nostrum, sed non est in Venetiis, unde loco dicti Desiderati providimus mittere te ad suam magnitudinem ad regratiandum cum toto affectu magnificentie sue de eo, quod sibi placuit tam amicabiliter significare nobis predicta, quia novit deus de omni exaltatione honoris et status regie maiestatis et totius regni Hungarie plurimum congaudemus, offerentes nos ad beneplacita magnificentie sue; et si quod volebat dicere Desiderato, potest dicere tibi sicut Desiderato.

Significamus insuper tibi, quod iam multis diebus paravimus solemnem ambaxiatam ituram ad serenissimas reginales maiestates; sed supersedimus ob pericula et discrimina viarum, que sunt pro novitatibus Hungarie; et ideo rogamus suam magnificentiam velut honorabilem et intimum amicum nostrum, ut placeat notificare nobis, si videretur sibi, quod dicti nostri ambaxiatores possunt cum securitate ire, et quando.

Dabis etiam operam de sciendo ab eo factum et condicionem Jacobelli Quirino detenti, videlicet de causa retencionis, et in cuius manibus detinetur, et per quem modum posset relaxari.

Si autem dicti ambaxiatores transisscnt Paduam, vadas velociter ad eos ad exequendum predicta, et cum eo, quod habebis, Venetias revertaris.

Tenor litterarum suprascripti domini Georgii missarum dominio talis est. — Illustrissime princeps et domine. Notum facimus vestre dominationi, quod domina nostra Maria regina Hungarie cum consilio totius regni accepit in dominum et maritum dominum Ludovicum fratrem regis Francie, pro quo domino missi sunt tres ambaxiatores, Ladislaus voyvoda Transilvanus, comes Johannes de Vegla et ego comes Georgius Corbavie ad conducendum ipsum in regnum Hungarie, et ecce sumus in via et erimus cito in Padua. Offero me ad omnia vestra servitia et mandata. Datum in Brigne die XXVII iunii. Georgius comes Corbavie consiliarius regie maiestatis, ambaxiator in regnum Francie, recommendat se vestre dominationi. Si Desideratus ad nos veniret Paduam, ipsum libenter videremus.

Liber secretorum collegii 110, u mlet. arkivu.

CCCX. God. 1385. 10 srpnja, u Mletcih.

Odgovara se poslanikom francuzkoga kralja, da će republika rado primiti i dično privesti u Senj ili u Dalmaciju na svojih brodovih kraljeva brata Ljudevita supruga Marije ugar.-hrv. kraljice s družbom.

1385. indictione octava, die decimo mensis iulii. Ser Leonardus Dandulo miles procurator, ser Johannes Gradonico procurator, ser Lodovicus Lauredano procurator, ser Petrus Mozenigo, ser Donatus Truno, sapientes consilii. Capta: quod respondeatur istis ambaxatoribus serenissimi et excellentissimi domini regis Francie intellecta ambaxata sua sapientissime nobis exposita, quod pro contemplatione serenissimi et excellentissimi domini regis Francie et serenissimi et excellentissimi domini regis Lodovici et serenissime et excellentissime domine regine Marie, karissimorum et intimorum amicorum nostri dominii sumus contenti et placet nobis et sic offerimus nos in casu quo serenissimus et excellentissimus dominus rex Lodovicus veniat Venetias pro transeundo ad partes Segnie vel Dalmatie pro eundo ad

regnum Hungarie providere taliter de passagio regie maiestatis sue et comitive eius, quod erit honor prefate regie maiestatis sue et nostri dominii, et quod excellentia sua habebit merito contentari, dispositi in cunctis nobis possibilibus serenissime regie maiestati sue semper libenti animo complacere. De parte omnes, silicet 75.

Forma ambaxate facte ducali dominio. Ambaxatores serenissimi et excellentissimi domini regis Francie comparuerunt coram nostro dominio cum placibilibus verbis, annunciantes nobis, quod tractatus nuptiarum celebratarum inter serenissimum et excellentissimum dominum regem Lodovicum fratrem domini regis Francie et serenissimam dominam reginam Mariam Hungarie erat ductus ad affectum per verba de presenti, et quod dominus rex Lodovicus erat venturus ad istas partes pro eundo ad regnum Hungarie. Et propterea rogabant nostrum dominium, quod veniendo de hinc, posset naulizare et soldare de nostris navigiis pro transitu suo ad suas expensas.

Misti XXXIX. 109, u mlet. arkivu.

CCCXI. God. 1385. 20 srpnja, u Mletcih.

Buduć ugar.-hrv. kraljica darovala Kotor bosanskomu kralju, toga radi zaključeno, da se odabere osoba, iduća u one strane, koja će o tom nastojati, da pomenuti kralj potvrdi Mletčanom slobode, koje su odprije uživali u onom gradu.

1385. die XX iulii. Sapientes ordinum. Capta: cum ad presens sint ituri aliqui nostri mercatores ad partes Catari cum aliquibus suis mercimoniis, et secundum veteres consuetudines nostri semper fuerint franchi et liberi in partibus predictis, et nunc de novo senciatur, quod per serenissimam dominam reginam Hungarie predictus locus Catari datum fuerit in manibus domini regis Rassie; pro omni bono respectu mercatorum et mercanciarum nostrarum euncium ad illas partes vadit pars, quod dominus, consiliarii et capita de XL, capita consilii ac sapientes ordinum habeant libertatem elligendi unum de nostris euntibus ad illas partes, qui habeat libertatem tractandi pacta et franchisias nostras consuetas cum domino rege Rassie secundum expensis nostri communis, prout per dictum collegium fuerit ordinatum.

Misti XXXIX. 112, u mlet. arkivu.

CCCXII. God 1385. 25 srpnja, u Mletcih.

Izabran za poslanika, da podje k Stjepanu bosanskomu kralju, Blanko de Ripa.

1385. die XXV iulii. Ellectus ambaxator ad illustrem dominum Stephanum regem Rassie inter collegium domini, consiliariorum, capitum de XL, capitum consilii et sapientum ordinum, ser Blancus de Rippa.

Misti XXXIX. 112, u mlet. arkivu.

CCCXIII. God. 1385. 8 kolovoza, u Mletcih.

Uslied molbe poslanika Balse Balsića gospodara zetskoga itd. republika se prikazuje naklona pružiti istomu Balsi četiri galije, da jih rabi proti Turkom, koji su napadali na njegove zemlje.

1385. indictione octava, die octavo augusti. Sapientes ordinum. Capta: cum magnificus dominus Balsa Balsich Gente, Canine et Avalone dominus,

civis noster et carissimus amicus nostri dominii per suam ambaxiatam exponi fecerit, quod contrate sue ita cotidie opprimuntur et molestantur a Turchis, quod nisi provideatur de remediis opportunis, ponent contratas suas in maximam confusionem et destructionem cum maximo damno subditorum suorum et etiam mercatorum nostrorum conversantium in partibus et terris suis, et in notabilem ignominiam totius christianitatis, ad quorum Turchorum perfidiam reprimendam necesse esset, ut haberet galeas armatas, quas a se minime habere posset, et propterea recurrat ad dominationem nostram, requirens cum maxima instantia per dictos suos ambaxatores, ut concedere debeamus sibi quatuor galeas, quas intendit armari facere in Venetiis per quatuor menses, et cum ipsis resistere iniquitati dictorum Turchorum; vadit pars pro expeditione dictorum ambaxatorum, quod respondeatur eis, quod quocienscumque magnificus dominus suus declarabit nobis locum, in quo vult tenere et operari dictas galeas, et dici faciet nobis, quando erunt eis necessarie, nos dabimus ei talem responsionem, quod magnitudo sua habebit merito contentari.

Misti XXXIX. 123, u mlet. arkivu.

CCCXIV. God. 1385. 12 kolovoza, u Mletcih.

Jakov Quirino pušćen na slobodu. Mletčani šalju ugar.-hrv. kraljici godišnji danak.

Ser Desiderato Luceo notario nostro. Desiderate. Recepimus heri X augusti literas tuas datas Zagrabie secundo preteriti mensis augusti ea, que feceras cum magnifico domino voyvoda et liberam relaxationem viri nobilis Jacobelli Quirino seriosius continentes, pro quibus tuam diligentiam et solicitudinem merito commendamus. Ad factum autem eundi ad serenissimam dominam reginam Hungarie rescribimus, quod si absque periculo ire potes, vadas in nomine domini; si vero ire non poteris, Venecias cum nostra gracia revertaris, sed ante tuum recessum scribere debeas prefate domine regine, qualiter iam multis diebus applicuisti Ysagrabiam pro eundo de nostro mandato ad presentiam sue maiestatis pro bona causa, et etiam pro notificando reginali serenitati, qualiter providus vir Johannes Plumatio notarius et nuntius noster iam pluribus diebus fuit et est Jadre cum pecunia page presentis anni, paratus ad presentiam sue maiestatis accedere et dictam pecuniam assignare, dummodo haberet securum conductum a Jadra usque ad presentiam sue maiestatis. In omni autem casu eundo et non eundo, significa dicto Johanni, qui est Jadre, quicquid egeris. Mittimus litteras duas magnifico domino voyvode, quarum copiam tibi mittimus presentibus interclusam pro tua informatione. Data 12 augusti, 8 indictione.

Johanni Plumatio notario nostro apud Jadram. Quamvis non dubitemus, quod statim, cum aplicuisti Jadram, significasti serenissime domine regine Hungarie adventum tuum cum pecunia, ut maiestas sua dignetur providere de mittendo pro te salvum conductum, tamen notificamus tibi, quod providus vir Desideratus Luceus notarius noster per litteras suas datas Zagrabie secundo presentis mensis augusti notificavit nobis, quod itinera aduc periculosa noscuntur, quod non credit posse ire ad prefatam dominam reginam ad notificandum sibi tuum adventum Jadram cum pecunia, unde

rescripsimus ei, quod si non potest ire, scribat sue maiestati adventum tuum predictum. Nichilominus tu etiam scribe et replica sue maiestati adventum tuum Jadram cum pecunia ad finem habendi securum conductum. Data die 12 augusti, 8 indictione.

Liber secretorum collegii. 113, u mlet. arkivu.

CCCXV. God. 1385. 23 kolovoza, u Sutiski.

Stjepan Tvrtko kralj bosanski itd. potvrdjuje Mletčanom sva prava, koja su odprije imali u Kotoru.

Nos Stephanus Tvertcho dei gratia rex Rassie, Bossine, Maritimarumque parcium etc. universis et singulis christi fidelibus, quibus presentes ostenduntur, salutem in eo, in quo in terris regnancium solia sunt erecta. Hinc vestre universitati fraternitati elucescat per presentes, quod perceptis et intellectis ambasiatis et legacionibus serenissimi ac illustrissimi domini domini Anthonii Venerio eadem dei gratia duci Veneciarum etc. ac eiusdem ducalis dominii per nobilem et sapientem virum eorum civem et ambasiatorem dilectum dominum Jacobum de Rippa, nobis gratiose et sapienter expositis, videlicet, quod mercatores eiusdem ducalis dominii cum suis mercymoniis semper de consuetudine antiqua fuerunt in civitate Cathari liberi et exempti, ab omni dacio et gabella; nosque volentes cum eisdem unitatem, paternitatem et antiquam amiciciam sincere et sine fallo observare, et in omnibus licitis sui ducali dominio gratissime complacere, matura deliberacione ac puro corde ad ipsius ducalis dominii sincerissimam monicionem concessimus presens instrumentum, quod cum per gratiam largiflue dei disposicionis et preclarissime sororis nostre domine regine Ungarie civitas predecessorum nostrorum Catharensis feliciter ad manus nostre maiestatis perpetualiter pervenit, ad laudem et gratiam summi creatoris omnium, qui suis cuncta bona invisibilia preperavit, amicis vero et benivolis nostris ad gaudium et exultacionem, ut ipsi sint participes dono divine dispositionis nobis celitus concesso. Idcireo ut prefertur ad eiusdem ducali dominio sincerissimam monicionem universos singulosque mercatores eiusdem ducali dominacione presentibus assecuramus, quatenus idem mercatores cum ipsorum mercimoniis, cuiuscumque condicionis existant, possint semper libere et secure et absque omni pavore ad prefatam nostram civitatem Cathari absque omni dacio et gabella venire, intrare, stare et morari tam per terram quam eciam per mare cum ipsorum mercimoniis, intelligendo eciam de omni pinguedine. Cum autem eisdem placuerit ad propria remeari salvis ipsorum rebus ac personis liberam ac securam, plenam et expeditam habeant facultatem. Item quod si aliquis civis dicte nostre civitatis Cattari vel quiscumque fidelis noster tenetur alicui Veneto debitum cuiuscumque condicionis contracto, quod regimen dicte nostre civitatis vel alii subditi nostri, quibus racio pertinebit, teneantur eidem omninodam satisfaccionem adhibere, videlicet quod predicti debitores realiter et personaliter constringantur carceribus, mobilia ipsorum et immobilia vendantur ad solvendum debitum, et de carrere non dimittantur, usque quo non fit integra satisfaccio debitori. Et e converso si aliquis Venetus vel subditus ducalis dominii dare teneretur alicui Catharensi vel fideli nostro debitum quo cumque modo con-

tractum, quod debeat ipsum citare ad presenciam consuli Venetorum moranti in predicta nostra civitate, et quod predictus consul Venetorum teneatur omnimodam et plenam satisfaccionem super predictos debitores adhibere, videlicet quod prefati debitores realiter et personaliter carceribus constringantur, mobilia ipsorum et immobilia vendantur ad solvendum debitum, et de carcere non dimittantur, usque non fit integra satisfaccio debitori. Si vero prefatus consul in predicta nostra civitate tunc temporis non reperiretur, ex tunc eliget unum venetus alium vero catharensis, vel quiscumque noster fidelis, et hii duo inter ipsos iudicent de dicto et de facto. Si autem illi duo ipsos concordare non poterunt intra VIII dies, tunc adhibeant sibi alios duos, qui illi IV inter ipsos iudicet, et usque ad octo dies vel terminum per ipsos deputatum per maiorem partem de predictis quatuor plenissima satisfaccio adhibeatur. In cuius rei testimonium has presentes nostras licteras fieri iussimus sigilli nostri apensione roboratas. Datum in aula nostra regali Sotesca XXIII die mensis augusti, sub anno dominice incarnacionis millesimo trecentesimo octuagesimo quinto.

A tergo. Littera domini regis Rasie et Bosne pro inmunitate Venetorum in civitate Catari.

Izvornik na pergameni sa pečatom o svili visećim, na kom: TƐP̄HI TVƐPTƆhO — ƝI ·Ꮋ· Ꮆ̃ RƐGI ·RASIƐ·, u mletačkom arkivu br. 49, i *Commemorialium VIII. 104, u istom arkivu.*

CCCXVI. God. 1385. 15 rujna, u Mletcih.

O namjeri Karla napuljskoga kralja prebrodit se u Hrvatsku.

1385. die XV septembris. Capta: in collegio et in additione de XX. Quod scribatur Nicolao de Gerardo notario nostro in hac forma. Nicolae, recepimus nuper duo tua brevia nobis missa per te, data die 18 et 22 mensis augusti proxime preteriti, quibus plenissime intellectis, per nos et nostrum collegium cum additione presentibus respondemus, et sic volumus, quod debeas dicere illi amico ex parte nostri dominii, quod licet de ipso amico nostro omnem plenissimam confidentiam caperemus in omnibus factis nostris, et quantum forent maiora et ipse bene scit, tamen modus recordatus per ipsum amicum non faceret pro nobis nec pro factis nostris. Et propterea regraciamus sibi de laudabili et optima disposicione eius ad honorem et statum nostri dominii, offerendo nos et commune nostrum, ut semper fecimus, ad sua beneplacita et honores. Et quia pridie scripsimus tibi per duas manus literarum nostram intentionem et deliberationem, quam iterato ad cautelam tibi replicamus, vollumus et mandamus tibi per nos et nostrum collegium cum additione, quod procures adimplere nostram intencionem secundum formam mandati nostri predicti. In casu vero, quod dominus rex Karolus iret de certo ad partes Sclavonie, sicut fit mentio in literis eius, et tu non videres modum complendi nostram intentionem secundum formam mandati nostri predicti, tunc in hoc casu, accepto comeatu a domino rege Karolo, et a domino cardinali Ravene et ab aliis amicis nostris, Venecias revertaris de omnibus informatus. Et circa similia verba et regraciamenta facere debas domino episcopo Isagrabiensi cum illis verbis, que tibi utilia videbuntur; verum non debeas ullo modo recedere de partibus illis, nisi primo videris dominum regem Karolum recesisse de partibus

illis pro veniendo ad partes Şclavonie predictas. De parte 28, de non 2, non sinceri 2.

Misti XXXIX. 146, u mlet. arkivu.

CCCXVII. God. 1385. 22 rujna, u Mletcih.

Ser Paulo Contarino et ser Marco de Musto conceditur, quod pannos, missos ad partes Jadrae, possint libere et sine alia solutione dacii conduci facere Venetias, si pro ipsis dacium jam solvissent.

Misti XL. 3, u mlet. arkivu.

CCCXVIII. God. 1385. 23 rujna, u Mletcih.

Poslanici bosanskoga kralja izplaćuju dvie galije, ustupljene istomu kralju od mlet. vlade. Glede pako duga kraljeva napram Nikoli Baseju, odredjeno, neka si svoje pravo po zakonih izposluje.

1385. indictione IX, die 23 septembris. Dominus, consiliarii, capita et sapientes consilii et sapientes ordinum exceptis ser Bernardo Marcello et ser Pantaleo Iustiniano consiliariis. Capta: quod pro dando expeditionem istis ambaxatoribus domini regis Bossine pro honore nostri dominii de differentiis, quas habent cum ser Nicolao Baseio, ordinetur, quod postquam dicti ambaxatores depositaverunt apud patronos arsenatus omnes denarios pro expensis factis per ser Nicolaum Baseio occasione duarum galearum domini regis predicti, que sunt in nostro arsenatu, quod dicatur dictis ambaxatoribus, quod de dictis duabus galeis et corredis suis dominus rex potest ordinare et facere, ut sibi placet, quia sunt ad omne beneplacitum et mandatum suum. De aliis vero differentiis, quas ser Nicolaus Baseio habet cum dicto domino rege, ipse ser Nicolaus utatur iure suo, ut sibi placet, quia non intendimus, quod ipse due galee nec correda earum propterea stent impediti ullo modo pro honore nostri dominii. 64, de non 18, non sinceri 29.

Misti XXXIX. 152, u mlet. arkivu.

CCCXIX. God. 1385. 27 rujna, u Mletcih.

Upućuje se poslanik mletački pri napuljskom dvoru, što da radi u povierenom mu poslu u slučaju, ako je kralj Karlo iz kraljevine otišao, ili ako nije.

1385. indictione nona, die vigesimo septimo mensis septembris. Ser Leonardus Dandulo, ser Johannes Gradenico, ser Lodovicus Lauredano procurator, ser Donatus Truno, sapientes. Capta in collegio et in additione de viginti, ei data. Quod scribatur Nicolao de Gerardo notario nostro in partibus Neapolis in hac forma. Nicolae, recepimus literas tuas et brevia tua data Neapoli die XXV mensis augusti, et ultimo datas die primo, secundo, quinto, septimo, octavo et nono mensis presentis septembris, quibus plenissime intellectis, per nos et nostrum consilium cum additione tibi presentibus respondemus, quod si dominus rex Karolus recessit de toto regno, sicut in tuis literis continetur, et non dimisit libertatem alicui super factis tibi commissis per nos, ita quod non videas modum possendi ullo modo obtinere nostram intentionem, debeas redire Venetias. Si vero dominus rex

Karolus non recessit, quia multotiens isti domini dicunt de recedendo et non recedunt, vel recesisset et dimississet libertatem super facto predicto, in hoc casu debeas prosequi negotia tibi commissa per nos, observando formam, quod scribis te recepisse per tuas literas, et quod ad cantelam hic inferius tibi fecimus replicari. Alii de parte, de non 2, non sinceri 3.

Misti XXXIX. 154, u mlet. arkivu.

CCCXX. God. 1385. 5 listopada, u Mletcih.

Produljen dopust Nikoli Krčkomu knezu tada u službi mletačkoj, naime da ostane u Mletcih radi obavljenja svojih poslova.

1385 die quinto octubris. Capta: quod egregio viro comiti Nicolao de Vegla proregetur terminus standi hic ad procurandum exigere iura communis et sui ipsius in partibus Tervisane usque menses sex proximos cum medietate provisionis, quam habet in Creta.

1385. die XIX ianuarii m. v. prorogatur terminus per totum mensem marcii. Capta.

Misti XXXIX. 3, u mlet. arkivu.

CCCXXI. God. 1385. 5 listopada, u Mletcih.

Uslied molbe bosanskoga kralja izabrana su dva poslanika, neka podju posriedovati mir medju istim kraljem i Balsom gospodarom zetskim.

1385. indictione IX, die quinto octobris. Ser Petrus Quirino, ser Thomas Faletro, ser Marcus Dandulo, ser Petrus Contareno, ser Jacobus Suriano, sapientes ordinum. Capta: quia secundum morem progenitorum nostrorum semper fuit et est procurare pacem et concordium inter habentes differentias et discadias inter se, et specialiter inter illos dominos, qui semper fuerunt et sunt bene dispositi erga nostros honores et commoda ac utilitates mercatorum nostrorum; et sicut habuimus per litteras speciales maxime differentie et discordie fuerunt et sunt inter dominum regem Rassie ex una parte et dominum Balsam ex altera, propter quas differentias subditi et cives nostri, conversantens in terris et partibus maritimis predictorum dominorum portant dampna maxima; et utile sit et pro honore nostri dominii faciat interponere nos et tractare pacem et concordium inter dominos predictos, cum hoc sit de mente et bene placito domini regis Raxie, qui nobis scripsit cum maxima instantia super hoc; vadit pars, pro faciendo dictos dominos nobis propitios et benevolos, quod elligantur duo ambaxatores per duas manus electionum in isto consilio rogatorum et additione et unam per scruptinium inter dominum, consiliarios, capita et sapientes ordinum, qui habere debeant de salario vel provisione pro tota ista ambaxata ducatos quinquaginta pro quolibet, et debeant habere et tenere famulos quinque inter ipsos duos et unum notarium cum uno famulo, et possint expendere in die in omnibus expensis oris et agotiarum et omnibus aliis expensis quomodo cumque occurrentibus ducatos duos pro quolibet, et non possint refutare sub pena librarum C pro quolibet; et teneantur respondore die, qua fuerint ellecti vel alia ad tertias, non possendo accipere aliquem a bancho ducalis dominii pro non impediendo facta

terre; et debeant ambaxatores predicti ire ad dictos dominos cum illa comissione, que videbitur isti consilio pro bono agendorum predictorum.

Ellecti ambaxatores: ser Georgius Lauredano et ser Andreas de Bernardo.

Misti XL. 6, u mlet. arkivu.

CCCXXII. God. 1385. 5 studenoga u Mletcih.

Captum, quod ser Franciscus Cornario eat in ambasciatorem cum litteris credulitatis pro parte dominationis ad regimina Sclavoniae, ad procurandam recuperationem mercationum et rerum cujusdam chochae nuper naufragatae in illis partibus. Item captum, quod elligantur duo nobiles, qui teneantur ordinate accipere et mittere in scriptis mercationes recuperatas. Item ordinatur capitaneis armatarum, quod debeant dare auxilium mercationibus et navi, et res recuperatas Venetias conducere.

Misti XL. 8, u mlet. arkivu.

CCCXXIII. God. 1386. 30 siečnja, u Mletcih.

1385. indictione IX, die penultimo ianuarii, capta. Conceditur de gratia Marino Storlato, quod circa milliaria viginti olei, caricata in partibus Ragusii per ignorantiam sui factoris forsan super navigium forensium contra ordines, possint venire Venetias sine poena.

Misti XL. 12, u mlet. arkivu.

CCCXXIV. God. 1386. 8 travnja, u Mletcih.

Dozvoljeno udovi Balse Balsića gospodara Zetskoga, da može sa svojom obitelju doći u Mletke, i tu se nastaniti.

1386. die VIII aprilis. Ser Tomas Faletro, ser Marcus Dandulo, ser Jacobus Suriano, sapientes ordinum. Capta: quod pro expeditione istius caloieri, qui venit ex parte uxoris condam domini Balse de Balsa cum ambaxiata, et specialiter ad illam partem, per quam illa domina petit, quod placeat nostro dominio concedere, quod ipsa cum filiabus suis et havere possit venire et stare pro habitatione Venetiis, in casu quo sibi videatur, respondemus: quod dispositi predicte domine in cunctis possibilibus complacere, sumus contenti et placet nobis, quod ipsa domina possit venire et stare et redire cum filiabus et familia sua et cum bonis et havere suis ad suum beneplacitum et ad suam voluntatem, quod ipsam et res suas tractabimus amicabiliter et benigne, et habebit continuo honorem suum. De aliis vero expositis per dictum coloierum contentis in cedula sua dicatur, quod informabimus capitaneum nostrum culfi in proximo recessurum de Venetiis, qui ibit, et loquetur cum predicta domina, et sciet intentionem suam, et propterea providebitur, sicut videbitur cedere ad honorem et bonum suum et nostrum.

Misti XL. 24, u mlet. arkivu.

CCCXXV. God. 1386. 9 travnja, u Napulju.

Margarita, Hungariae, Jerusalem et Siciliae regina, rogat venetum ducem Antonium Venerium, quatenus nonnullos equos sui seren. mariti, qui ad venetas manus causaliter pervenerunt, velit familiari suo Januario, primicerio de Napoli, assignare. Data „in castro Ovi prope Neapoli sub annulo nostro secreto die IX aprilis, none indictionis."

Commemorialium VIII. 111, u mlet. arkivu.

CCCXXVI. God. 1386. 1 svibnja, u Mletcih.

Mletčani nastoje, da jim udova Balse Balsića ustupi njekoja mjesta u Albaniji.

1386. die primo maii. Sapientes ordinum. Capta: quod commitatur capitaneo nostro culphy, quod cum pridie nobilis domina consors quondam nobilis viri Valse de la Valona nobis quemdam suum ambaxatorem miserit pro volendo nobis dare tenutam et possessionem castri et loci de la Valona cum certis pactis et conditionibus etc., cui ambaxatori fecimus certam nostram responsionem, copia cuius datur predicto capitaneo pro sua informatione, concludentes in effectu, quod in brevi daremus nobilitati sue nostram responsionem latissime superinde; quod ipse noster capitaneus culphy, quando melius poterit, debeat ire ad partes Valone et esse cum illa domina consorte quondam nobilis viri Valse, et eidem facta primo salutatione et oblatione, que ipsi capitaneo videbuntur convenire pro honore nostri dominii cum illis verbis dilectionis et amoris, que sue sapientie videbuntur pro inducendo eam ad intentionem nostram, subsequenter eidem parte nostra exponat, quod si ipsi domine placet dare dominationi nostre castrum de Canina cum suo districtu et locum Valone cum suo districtu libere ita, quod ipsa loca sint in manibus et forcia nostra cum illis iuribus et iurisdictione, cum quibus ipsa domina habet, tenet et possidet, prout alias de hoc ratiocinatum fuit, sumus contenti ipsa loca accipere, tenere et possidere ad honorem nostrum. Et circa hoc operetur et faciat predictus noster capitaneus omnem rem possibilem pro obtinendo hanc nostram bonam intentionem. Et in casu quo predictus noster capitaneus, facta omni experientia possibili, non posset inducere ipsam dominam ad nostram intentionem predictam, tunc debeat condescendere ad istam aliam partem, quia ambaxator suus, qui fuit ad nostram dominationem, videbatur de hoc contentari: quod sumus contenti ipsa loca accipere per modum dictum superius, dando eidem domine medietatem redituum proventorum de locis predictis solum in sua vita, habente ipsa domina medietatem expensarum, que fient in locis predictis, prout est iustum. Subiungendo, quod si eidem domine placet stare in partibus Valone vel venire Venecias vel ire ad aliquas terras nostri dominii, sumus contenti, quod ipsa stet, veniat et vadat pur secundum quod sibi placuerit, dummodo habeamus loca predicta libere in manibus et forcia nostra et sub nostra custodia, ut dictum est.

Ceterum si facta adhuc omni experientia, que fieri poterit per dictum nostrum capitaneum, ipse non posset reducere illam dominam ad declinandum ad alterum duorum modorum suprascriptorum, tunc predictus noster capitaneus sit contentus de accipiendo nomine nostri dominii dominium

castri de Canina et aliorum locorum, ita quod sint liberissime in manibus et forcia nostra, habendo dictam dominam redditus omnes dictorum locorum solum in sua vita, prout superius dictum est, ipsa solvente omnes expensas, que quomodocumque sequentur pro custodia ipsorum locorum; et in omni casu, dummodo ipsa domina sit contenta dare nobis loco predicta per unum ex modis predictis, debeat noster capitaneus providere de bonis et sufficientibus ballistariis, quos ipse depositet ad custodiam del Cula ad custodiendum ipsum ad honorem et statum dominationis nostre. Et pro obtinendo unam suprascriptarum nostrarum intencionum faciat et operetur predictus noster capitaneus quicquid boni poterit, prout de sua sapientia plenissime confidimus et speramus.

In casu vero, quo predictus noster capitaneus reperiret Moratum ad obsidionem fortilicie ipsius domine, non debeat noster capitaneus predictus se in aliquo impedire ullo modo, sed nobis ad omnem modum scribere, quicquid fecerit et habuerit in premissis pro nostra informatione presto et sine aliqua dilatione.

Verum ut hec nostra intencio possit suum consequi effectum, et quod facta nostra fiant cum quam maiori nostra prerogativa fieri poterit, ordinetur et expresse prohibeatur, quod aliquis noster cuiuscumque conditionis existat non audeat vel possit per se vel alium tractare vel tractari facere matrimonium cum ipsa domina de la Valona vel cum suis filiabus sub pena standi uno anno in nostris carceribus inferioribus, reservato tamen officio advocatorum communis de ducendo contrafacientes ad consilia pro dando eis maiorem penam, de qua pena unius anni non possit fieri gratia, donum, remissio, declaratio nec presentis partis revocacio usque in infinitum sub pena ducatorum IIII mille pro quolibet ponente vel consenciente partem in contrarium.

De parte 76 — de non 14 — non sinceri 11.

Misti XL. 27, u mlet. arkivu.

CCCXXVII. God. 1386. 13 srpnja, u Mletcih.

Pristaje se, da Stjepan unuk Stjepana vojvode Erdeljskoga oboruža u Mletcih jednu galiju na svoje troškove, kojom je kanio otići u Jerusolim.

1386, die tercio decimo iulii. Cum magnificus dominus Stephanus condam Dionisy voyvode, magister Agazonum regalium Hungarie, nepos magnifici domini Stephani voyvode Transilvani, scripserit curialiter, rogando nostrum dominium, quod cum sit dispositus ire ad servicia dei in Jerusalem, unde rogat, ut placeat nobis sibi concedere, quod possit cum sua pecunia et expensa armare unam galeam, cum qua ire possit; vadit pars, quod respondeatur ei, quod ex singulari benivolentia, quam gessimus et gerimus ad magnificentiam suam et domini Stephani voyvode patri sui et suorum simus parati complacere ei, sicut petit, videlicet quod ob dictam causam possit cum sua pecunia et expensa armare dictam galeam in Venetiis; et concedetur ei per nos corpus galee cum suis coredis.

Misti XL. 35, u mlet. arkivu.

CCCXXVIII. God. 1386. 12 kolovoza, u Mletcih.

Odgovor mletačkoga vieća na predloge poslanika Karla Topije arbanaškoga kneza i gospodara Dračkoga.

1386. indictione IX, die 12 augusti. Sapientes ordinum. Capta: quod respondeatur isti ambaxatori domini Karoli Thopie principis Albanie, et domini Durachii:

Et primo: ad oblationes, quas idem ambaxator pro parte dicti domini Caroli nobis facit, que sunt primo: de volendo obligare se ad solvendum nostro dominio quolibet anno ducatorum VI centum pro qualibet nostra guerra generali durante ipsa guerra; secundo, quod si dominatio nostra volet habere tractam frumenti in suo dominio, ipse sibi concedet illam, et non permittet, quod aliqua alia persona habeat dictam tractam; tertio, quod nullus mercator possit stare nec traficare in suo dominio preter Venetos. Respondeatur ei: quod de dictis oblationibus valde regratiamus magnificencie sue, quia cognoscimus illas procedere a magna dilectione et perfecto amore, et propterea illas acceptamus alacriter, sperantes firmissime, quod ipsum dominum Carolum inveniemus semper prompte dispositum ad quelibet nostra beneplacita et honores.

Ad petitionem vero, quam dictus dominus Carolus seu dictus eius ambaxator pro eo nobis facit, de possendo extrahere de Venetiis arma, gentes armigeras et ballistarios pro sua pecunia etc., respondeatur, quod sumus contenti complacere sibi; verum intendimus, quod ballistarios vel cuiuscunque conditionis homines, quos extraxerit, si erunt Veneti vel habitatores Venetiarum, ipse teneat eos in fortaliciis suis, et quod non mittat ipsos extra ad campum aliquomodo; de aliis vero ballistariis vel gente armigera, qui non essent Veneti vel habitatores Venetiarum, possit ordinare et disponere, ut sibi placuerit.

De galea vero, quam petit, dicatur, quod sumus contenti complacere sibi de una galea cum suis furnimentis pro sua pecunia secundum requisitionem suam.

Ultimo dicatur dicto ambaxatori, quod in signum sincere et perfecte amicitie volumus, quod dictus dominus Carolus promittat et se obliget nostro dominio de habendo omnes nostros amicos pro amicis et inimicos pro inimicis. Nos vero offerimus et promittimus dicto domino, quod quandocunque ipse haberet guerram vel novitatem cum aliquo domino vel persona fideli vel infideti, in mari et in terra, mittemus suis expensis illi domino vel persone, si placuerit ipsi domino Carulo, nostras litteras vel ambasciatam ad procurandum de pacificando et concordando ipsum cum illo vel illis, cum quibus dictam guerram vel novitatem haberet, favendo sibi ubique, tamquam civi nostro. Omnes de parte.

Misti XL. 41, u mlet. arkivu.

CCCXXIX. God. 1386. 17 kolovoza, u Mletcih.

Antonius Venerio dux Venetiarum una cum suis consiliis minori, rogatorum, XL et zonte constituit in suum sindicum nobilem virum Nicolaum Fuscari ad tractandum et conveniendum cum procuratore excelsi domini Caroli Thopiae Albaniae principis et Durachii domini „sub qui-

buscumque articulis, promissionibus, modis et conditionibus, que dicto sindico videbuntur, cartas et instrumenta rogandum, faciendum et recipiendum cum stipulationibus, obligationibus etc.“ Actum Venetiis in ducali palatio anno 1386, indictione nona, die veneris decimo septimo mensis augusti. Notarius: Leonardus de Anzolellis.

Commemoralium VIII 115, u mlet. arkivu.

CCCXXX. God. 1386. 18 kolovoza, u Mletcih.

Ugovor sklopljen medju povierenici mletačke vlade i kneza Albanije Karla Topije.

Pro domino Karolo Topia. In christi nomine amen. Anno nativitatis ejusdem MCCCLXXXVI sexto. indictione nona, die sabbati decimo octavo, mensis augusti. Nobilis et sapiens vir dominus Nicolaus Fuscari honorabilis civis Venetiarum, syndicus et procurator serenissimi et excellentissimi domini domini Anthonii Venerio dei gratia illustris ducis Venetiarum et cet. ac communis Venetiarum ad infrascripta et alia exercenda specialiter constitutus, ut constat publico instrumento sindicatus scripto per me Leonardum de Anzolellis, publicum imperiali auctoritate notarium et ducatus Venetiarum scribam, suprascriptis anno et indictione, die vero veneris decimo septimo presentis mensis augusti, sindicario et procuratorio nomine prefati domini ducis et communis Venetiarum omnibus modis, jure, forma et causa, quibus melius poterit ex una parte, et reverendus pater dominus Johannes dei gratia Verganensis episcopus ambaxiator, procurator et negociorum gestor excellentissimi principis et domini domini Karoli Topie Albanie principis et Durachii domini et cet. ad infrascripta et alia exercenda specialiter constitutus, ut constat instrumento publico scripto manu Liberalis de Bachinis de Ferraria publici imperiali auctoritate notarii supra scriptis anno et indicione, die vero primo mensis iulii, a me notario infrascripto viso et lecto, procuratorio nomine prefati domini Karoli, et omnibus modis, jure, forma et causa, quibus melius potuit, ex parte altera ad infrascripta pacta, conventiones, promissiones et obligationes concorditer devenerunt, videlicet:

Primo: idem ambaxator et procurator dicti domini Karoli dicto nomine sponte obtulit, promisit et obligavit eumdem dominum Karolum, quod ipse dominus Karolus solvet prefato domino duci et communi Venetiarum quolibet anno ducatos sexcentos auri pro qualibet guerra generali ipsius domini ducis et communis Venetiarum durante ipsa guerra.

Secundo: obtulit et promisit dicto nomine, quod si ducale dominium et commune Venetiarum volet habere tractam frumenti in dominio ejusdem domini Karoli, ipse dominus Karolus concedet ducali dominio ipsam tractam, et non permittet, quod aliqua alia persona habeat ipsam tractam.

Tertio: obtulit et promisit dicto nomine, quod nullus mercator possit stare nec traficare in dominio dicti domini Karoli preter Venetos.

Quas quidem obligationes ipse dominus dux et sindicus predictus acceptaverunt, regratiantes valde de ipsis magnificentie domini Karoli prelibati, congnoscentes illas procedere a magna dilectione et amore perfecto, ac firmiter tenentes, quod ipsum dominum Karolum invenirent semper prompte dispositum ad quelibet beneplacita et honores ducalis dominii Ve-

netiarum. Propterea predictus ambaxator et procurator iam dicti domini Karoli dicto nomine petiit, quod idem dominus Karolus vel nuntii sui possint extrahere de Venetiis arma, gentes armigeras et balistarios pro pecuniis prenominati domini Karoli, de quo prelibatus dominus dominus dux Venetiarum et sindicus suprascriptus dicto nomine contenti fuerint complacere sibi cum tali conditione, videlicet quod balistarii vel cuiuscunque conditionis homines, quos extraherit, si erunt Veneti vel habitatores Venetiarum, ipse dominus Karolus teneat eos in fortiliciis suis, et non mittat ipsos extra ad campum aliquo modo; de aliis vero balistrariis et gente armigera, que non essent Veneti nec habitatores Venetiarum, possit ordinare et disponere, ut sibi placuerit. Item petiit dictus ambaxiator et procurator nomine dicti domini Karoli, quod possit extrahere de Venetiis unam galeam cum suis furnimentis pro pecunia eiusdem domini Karoli, de quo prefatus dominus dominus dux et sindicus suprascripti dicto nomine contenti fuerunt complacere domino Karolo antedicto. Ultimo ambaxiator et sindicus dicto nomine sponte obtulit et per pactum expressum convenit et promisit in signum sincere et perfecte amicitie, quod dictus dominus Karolus habebit omnes et singulos amicos ducalis dominii Venetiarum pro amicis et inimicos pro inimicis. Ipse autem sindicus domini ducis et communis Venetiarum dicto nomine obtulit et promisit dicto ambaxiatori et procuratori eiusdem domini Karoli, quod quandocumque ipse dominus Karolus haberet guerram vel novitatem cum aliquo domino vel persona fideli vel infideli, in mari et in terra, illustris dominus dominus dux et commune Venetiarum mittent expensis dicti domini Karoli illi domino vel persone, si placuerit domino Karolo suprascripto, literas ducales vel ambaxatam ad procurandum de pacificando et concordando ipsum cum illo vel illis, cum quibus dictam guerram vel novitatem haberet, favendo sibi ubique tamquam civi Venetiarum. Et predicta omnia et singula suprascripti sindici et procuratores utriusque partis sindicariis et procuratoriis nominibus, quibus ut supra, promiserunt sibi invicem una pars alteri et altera alteri per stipulationem solemnem hinc inde interveniente attendere, observare et efficaciter adimplere bona fide sine fraude, et in nullo contrafacere vel venire aliqua ratione vel causa, de jure vel de facto, sub pena dupli damni et interesse et refectionis damnorum et expensis, totiens comittenda et exigenda, quotiens fuerit contrafactum, qua soluta vel non, presens contractus et omnia singula in ipso contenta inviolabiliter observentur. Pro quibus omnibus et singulis observandis predictus dominus Nicolaus Fuscari sindicario nomine suprascripto obligavit omnia bona Venetiarum; et dictus dominus Johanes episcopus procuratorio nomine antedicto obligavit omnia bona predicti Karoli. Posterea suprascriptus dominus Johanes episcopus ambaxator et procurator ac procuratorio nomine prefati domini Karoli sponte et ex certa scrientia promisit suprascripto domino Nicolao Fuscari sindico et sindicario nomine prelibati domini domini ducis et communis Venetiarum stipulanti et recipienti, quod idem dominus Karolus Topia presens instrumentum et omnia et singula in eo contenta approbabit, emologabit, confirmabit et ratificabit usque duos menses proximos venturos per publicum instrumentum, in quo sit insertus totus tenor presentis instrumenti sub penis et obbligationibus suprascriptis. Acta fuerunt suprascripta omnia in civitate Venetiarum in ducali palatio in cancellaria communis Venetiarum

presentibus nobilibus et sapientibus viris: Domino Raphayno de Caresinis honorabili cancellario Venetiarum ac ser Franceschino Minio filio nobilis viri ser Maphei Minio cive Venetiarum, nec non providis et circumspectis viris ser Petro de XL, ser Guillelmo de Clarutis et ser Petro de la Costa, omnibus notariis ducatus Venetiarum, ac honesto viro domino Theodoro de Albania filio quondam Elio de dicto loco et Martino de Albania filio condam Sergii de Arnissa ambobus familiariis suprascripti domini episcopi, omnibus testibus ad suprascripta vocatis specialiter et rogatis, et aliis. † Ego Leonardus de Anzolellis de Venetiis imperiali auctoritate et ducatus Venetiarum notarius suprascriptis dominis et singulis presens fui, et ipsa de voluntate et mandato suprascriptorum partium scripsi et publicavi rogatus, signumque meum notariatus in fidem et testimonium premissorum apposui consuetum.

Commemorialium VIII. 116, u mlet. arkivu.

CCCXXXI. God. 1386. 15 listopada, u Mletcih.

Dozvoljava se Nikoli knezu Krčkomu, neka i na dalje uživa polovicu svoje plaće, pošto je bolestan, te službe nastupiti nemože.

1386. indictione decima, die XV octubris, capta: cum sicut exponit nobilis vir Nicolaus comes Vegle fidelis noster dominatio nostra alias attendens opera fidelitatis sue ad honorem nostri dominii, que satis nota sunt, et quia multis annis privatus est proprio patrimonio et omnibus bonis suis, providerit ei de certa provisione in Creta, et postmodum quia ipsum opportuit venire et esse Venetiis, sibi concessum fuerit, quod posset esse Veneciis cum dimidietate dicte provisionis, silicet ducatorum quatuor in auro in mense; et terminus standi Venetiis fuit prorogatus usque mensem iulii proximum elapsum, quo tempore et postea continue fuit graviter infirmus, sicut ad presens est, nec habeat unde vivere, et sit magnis debitis oppressus; vadit pars, sicut ipse requirit et supplicat reverenter, consideratis predictis, quod detur ei predicta sua media provisio de tempore, quo ipsam non habuit et pro tempore futuro. Et prorogetur ei terminus standi hic usque per totum mensem marcii proximum.

Misti XL. 49, u mlet. arkivu.

CCCXXXII. God. 1386. 22 studenoga, u Vesprimu.

Sigismund piše mletačkoj republiki, neka ona 7000 dukata godišnjega danka, što izplaćuje ugarskoj kruni, nedaje nitkomu, dokle kraljice nebudu na slobodu puštene.

Copia litterarum Illustris et Excelsi Domini Sigismundi dei gratia marchionis Brandeburgensis etc. regni Hungarie dominus atque tutor pro septem mille ducatis non solvendis nisi domine regine liberentur etc. Inclite Magnifice princeps nobis singulariter diligende. Magnificentie vestre nec non communitati civitatis nuper de mense iunii transacto, ut arbitramur, recolimus, serenissimas dominas reginas, dum Bude fuissent constitute, per earum litteras vobis significasse, quatenus septem millia florenorum, que jam de mense augusti proxime retroacto ad sopiendum guerrarum di-

sturbia et ex conventione pacis prefatis dominabus reginis solvere tenebamini Mauritio Pauli de Florentia mercatori Budensi, qui pro ipsis septem mille florenis eisdem Dominabus reginis omnino satisfecit, aut ibidem commoranti eius nomine recipienti, prout in litteris regalibus vobis extitit declaratum, solvere deberetis. Et quia audivimus, quod hic sunt multi, qui diversis modis sibi dictos septem mille florenos a vobis solvi procurant, excellentiam vestram et communitatem precamur et hortamur, ut dictos florenos nemini persolvere debeatis, quousque sepedicte domine regine liberentur, ac utrisque tam dominarum reginarum quam nostris litteris, cui ipsos florenos pagare debueritis, fueritis plenarie informati, gratam nobis complacentiam ostensuri. Datum in Vespremio vigesima secunda die mensis novembris LXXXVI.

Commemorialium VIII 118, u mlet. arkivu.

CCCXXXIII. God. 1387. 22 ožujka, u Mletcih.

Riešeno, da galije prevedu u Hrvatsku poslanika srbskoga i ugarskoga.

1387. die 22 martii. Capta: quod unus ambaxator serenissimi domini regis Raxie possit levari super galeis culfi, et duci ac deponi ad Braziam cum eius famulis et arnesiis levibus.

Capta: quod similiter possit levari et conduci ad partes Sclavonie ser Johannes de Ymola, nuncius serenissimarum dominarum reginarum Hungarie.

Misti XL. 64, u mlet. arkivu.

CCCXXXIV. God. 1387. 30 ožujka. u Mletcih.

Ustanovljeno, neka se pomorski zapoviednici, oblazeći dalmatinske gradove, nemiešaju u ondješnje poslove.

1387. die penultimo marcii. Ser Petrus Mocenico procurator sapiens consilii; ser Petrus Contareno, ser Johannes Mauroceno, sapientes ordinum.

Cum propter nova que multimode sentiuntur, que notanter tangunt statum nostrum, sicut est omnibus manifestum, et pro conservatione nostra faciat sapienter in negociis istis procedere, specialiter in factis Dalmatie; vadit pars, quod committatur capitaneo nostro culfi et provisoribus nostris ituris Corphoy, quod in isto itinere suo debeant cum galeis nostris ire Tragurium, Spalatum et Ragusium, ostendendo, quod vadant pro refreschando, ut moris est, et quod semper continuatis temporibus, quando galee nostre solent in dictis partibus propinquare, comunitates dictarum terrarum mittunt de suis civibus ad nostros capitaneos armatarum, et offerunt dare refrescamenta ad suum beneplacitum cum verbis honorabilibus et devotis oblationibus, volumus, quod in dicto casu capitaneus et provisores nostri debeant gratiose et benigne recipere illos, qui ad eos venient, et dicere, quod novit deus, quod semper gessimus ad illos singularissimam affectionem et benevolentiam, amorem, tamquam ad carissimos nostri dominii, et sic sumus certissimi, quod ipsi sunt erga nostrum dominium, et multum affectamus, quod ipsi disponantur ad conservationem status eorum ad honorem regni Hungarie. Et propterea quod idem capitaneus noster est

mansurus ad custodiam culfi, ut moris nostri est, si expediret alicui dictarum terrarum aliquid, quod cederet ad conservationem et bonum statum ad honorem corone Hungarie et regni, predictus capitaneus esset semper paratus ad omnia sibi grata et placida pro conservatione sua, ut dictum est. Si vero aliqua predictarum terrarum moverent aliqua verba, que tangerent ad bonum nostrum, tunc debeant predicti noster capitaneus et provisores certari ipsos cum amabilibus et dulcibus verbis, ut perseverent in libertate sua, et nobis scribant ordinate omnia, que habuerunt, particulariter et distincte, ut habita informatione ab eis, providere possimus, prout honori nostro expedire videbimus. Reducendo ad memoriam dicti capitanei, quod in quolibet dictorum locorum permittat ire in terram quam pauciores homines poterit, ut sit semper bene in ordine cum galeis. 35.—47—49.

Ser Petrus Mauroceno sapiens ordinum: quod pro multis bonis respectibus et pro bono et utilitate agendorum nostrorum· committatur capitaneo nostro culfi et provisoribus nostris, quod in ista via sua cum nostris literis credulitatis debeant visitare Ragusium, et facta salutatione regimini cum verbis amoris et dilectionis, sicut convenit pro honore nostri domini, debeant exponere, quod sicut sincerissima amicicia sua plene novit, nos semper amavimus et amamus eos tamquam bonos vicinos et carrissimos amicos nostros, et semper fuimus et sumus dispositi ad omnes honores, bonum et conservationem honoris et status sui, quem velut nostrum proprium reputamus et intendimus perpetuo reputare, semper ad honorem et bonum statum regni et corone Hungarie. Et ut videant nostram optimam dispositionem erga ipsos et statum suum, offerimus nos preparatos alacriter et bono animo ad omnia, que faciant pro conservatione et bono statu sui, et sic videbunt operis per effectum. Si vero in istis locutionibus predicti Ragusei tangerent aliqua verba, que forent ad bonum nostrum, deberint predictus capitaneus et provisores nostri ortari ipsos efficaciter cum verbis dulcibus et amicabilibus, ut perseverent in libertate sua, et nobis scribant ordinate et parcialiter omnia, que habuerunt, ut habita informatione ab eis, possumus providere, sicut pro honore nostro videbimus opus esse. 30.

Ser Laurentius Lauredano, ser Mafeulo Memo capita de XL. Capta: volunt quia non est presentialiter tempus advertendi ad talia, quod capitaneus noster culfi in bona gratia prosequatur viam suam ad custodiam. Verum si reperiret aliquos dictarum partium Dalmatie, debeat pro bono et honore nostre dominationis et pro bono istorum agendorum uti illis sapientibus et dextris et amicabilibus verbis, que sibi videbuntur.

42—60—63, de non —6, non sinceri 7—13—9.

Misti XL. 65, u mlet. arkivu.

CCCXXXV. God. 1387. 30 ožujka, u Mletcih.

Obodrava se knez drački Karlo Topia, neka nitkomu nedaje Drača.

1387. die penultimo marcii. Sapientes ordinum. Capta: quod committatur capitaneo nostro culfi et provisoribus nostris ituris Corphoy, quod, quando erunt in partibus Durachii, debeant per illum modum et sicut eis melius videbitur mittere vel unus eorum ire cum nostris litteris cre-

dulitatis ad magnificum dominum Carolum Topiam ad exponendum ex parte nostri dominii, facta primo salutatione, ut convenit, quod intelleximus nuper, qualiter idem dominus Carolus transmisit ad certas partes suos ambaxatores vel nuntios ad tractandum certas compositiones et de offerendum Durachium alteri, de quibus novitatibus valde miramur. Quia predictus dominus Carolus alias ad nos transmisit suam ambaxiatam, cum qua devenimus ad certas compositiones et pacta, et ad eas solummodo condescendimus pro bono status sui tamquam honorabilis civis nostri, quorum pactorum copia detur predictis capitaneo et provisoribus nostris pro sua informatione.

Et ideo fatiant predicti nostri nobiles totum posse suum ad removendum eum de opinione et prosequutione predicta cum illis dextris et sapientibus verbis, que eis videbuntur, ortando illum, ut permaneat constans et fortis ad substinendum viriliter statum suum, et non subicere se alicui. Expediti vero predicti nostri nobiles deinde, debeant nobis scribere, quicquid fecerint et habuerint, pro nostra informatione; verum si in ista via sua dominus Carolus non esset in durachio, debeat capitaneus noster culphi dare ordinem abilem et honestum, quod in reversione sua, quando recesserit a Corphu, possit recipere dictum dominum circa illas partes Durachii, ad quem dictus noster capitaneus debeat mittere nuncium suum sufficientem ad exponendum sibi hanc nostram intentionem superius enarratam.

Misti XL. 65, u mlet. arkivu.

CCCXXXVI. God. 1387. 30 ožujka, u Mletcih

Neka galije prebrode poslanika veronezkoga, idućega u Srbiju, u Hrvatsku.

1387. die 30 martii. Capta: quod quidam nuncius magnifici domini comitis Virtutum nomine Guidotus Plato, qui mittitur ad partes Rasie, possit levari super galeis culfi cum famulis et arnesiis levibus, et conduci ad partes Sclavonie in illo loco, qui videbitur, non sinistrando armatam.

Misti XL. 65, u mlet. arkivu.

CCCXXXVII. God. 1387. 17 travnja, u Mletcih.

Odgovor na njeke tražbine Karla Topie dračkoga kneza.

1387. die XVII aprilis. Ser Petrus Contareno, ser Georgius Lauredano, ser Johannes Mauroceno, ser Petrus Gauro, sapientes ordinum. Capta: quod respondeatur ambaxatoribus domini Caroli Thopie, et primo ad peticionem, quam faciunt de galeota sibi danda parata et in ordine, et quod placeat nostre dominationi dare homines, qui eam conducant ad partes Durachii: quod sicut alias respondimus alteri ambaxiate nobis misse per eumdem dominum Carolum, quod sumus contenti dare unum galedellum paratum, et sic placet dictis ambaxiatoribus; verum pro singulari amore, quem gerimus ad eumdem dominum Carolum, sumus contenti, quod per officiales nostros ad hec deputatos soldentur tot homine, quot sint suffi-

cientes ad conducendum dictum galedellum usque Durachium, et quod in Veneciis extimetur galedellus sic paratus secundum quod est iustum et rationabile, et pretium tam galedelli quam hominum soldandorum pro causa supradicta solvatur per dictum dominum Carolum Thopiam capitaneo nostro culfi, non possendo dictum galedellum ire in cursum per aliquem modum.

Ad secundam requisitionem, videlicet, quod mittamus unum nostrum nuncium ad partes Durachii, qui videat intratas doane, quia de ipsa dominus Carolus predictus vult duas partes, et quod tertia pars deputetur pro soldo et stipendio balistatiorum sibi necessariorum pro custodia Durachii, quos vult accipere in Venetiis etc: quod non videtur nobis expediens mittere aliquem nostrum illuc dicta de causa, sed sicut alias fecimus responsionem alie ambaxiate dicti domini ad nos misse, nos sumus contenti et placet nobis, quod pro sua pecunia possit soldare de balistariis et aliis gentibus habitatoribus Venetiis pro custodia tantum locorum suorum ad beneplacitum eius, ita quod cum sua pecunia posset soldare dictos balistarios et alios, et solvere eis, quia non est expediens, quod mittamus aliquem ad videndum intratas suas.

Ad tertiam requisitionem, videlicet, quod precipiamus capitaneo nostro culfi, quod cum galeis nostris sibi commissis debeat in casibus opportunis succurrere dicte terre Durachii per mare, dicatur, quod mandavimus capitaneo nostro culfi, et sic repplicabimus per nostras litteras dicto capitaneo, quod debeat esse in omne auxilium et favorem dicti domini Caroli et locorum suorum.

—70—de non 19 non sinceri—15.

Misti XL. 68, u mlet. arkivu.

CCCXXXVIII. God. 1387. 24 travnja, u Dubrovniku.

Dubrovčani odgovaraju Mletčanom, da oni nepaze toliko na ustanove turinskoga mira u što se tiče slobode trgovanja u Mletcih, pošto su uvjereni, da jim neće mlet. republika stare ljubavi uzkratiti, nego da će se s njimi ponašati onako, kao što prije.

Responsio litteratoria facta per rectorem, consilium et commune civitatis Ragusii ad ducales litteras continentes, si aliqua portio et quanta est civibus et mercatoribus suis limitata vigore capituli pacis continentis, quod Jadratini et Dalmatini etc. usque ad annos XX possint portare, extraere et tractare in civitate Venetiarum etiam cum non Venetis merces ad valorem ducatorum XXXV millium, Jadratini scilicet pro XX millibus et ceteri Dalmatini pro XV millibus.

Serenissime et excellentissime domine debita recommendatione premissa. Benignas litteras ducales vestre serenitatis debita recepimus reverentia, effectualiter continentes, nos debere ducalem excellentiam reddere nostris responsionis litteris certiorem, an de valore quindecim millium ducatorum auri mercium conducendarum et extrahendarum ac pertractandarum in civitate vestra etiam cum non Venetis per ceteros Dalmatinos et Jadrensibus secundum capitulum firmate pacis inter celebris memorie serenissimum dominum Ludovicum Hungarie regem illustrem ex una parte et recolende memorie clarissimum et excellentissimum dominum dominum

Andream Contareno inclitum Venetiarum ducem et commune Venetiarum ex altera, ut in ducalibus vestris litteris continetur, aliqua portio nos tangit, et quanta est nostris civibus et mercatoribus limitata; ac etiam si acceptavimus aut accipere intendimus particulam de predictis nos tangentem etc; ut in eisdem litteris ducalibus seriosius legitur contineri. Quibus reverenter respondemus, quod nunquam scivimus neque scimus, quanta aut quota portio nos contigat, quia nunquam indagavimus nec intendimus indagare, nec etiam solvimus neque volumus uti favore dicte particule neque uti intendimus in futurum, ex eo, quod semper temporibus retractis recepimus et presentibus etiam recipiemus gratas et benignas pertractationes a ducali vestro dominio. Veruntamen aliqui ex mercatoribus nostris, nostre intentionis et deliberationis ignari propter eorum absentiam, dicta gratia a principio pacis licet in minimo usi sunt, qui a nobis digna meritis receperunt. Novissime etiam nobis inotuit serenitatis ducalis erga nos sincera dilectio. Quum egregius et sapiens vir dominus Joannes Barbarico capitaneus culphi per suum admiratum pro parte ducalis excellentie se obtulit copiose favorabiliter et benigne nobis et civibus nostris in quibuscumque opportunis tanquam devotis amicis dominationis ducalis, de quo a benignitatis vestre fomite derivato, ad quas valemus, assurgimus gratiarum multiplices actiones, nos eidem ac omnibus vestris civibus ad cuncta nobis possibilia consona votis suis cordis affectu possibiliter offerentes. Data Ragusi die XXIIII aprilis, indictione decima, 1387.

Nota, quod ista littera missa fuit provisoribus communis, ut copiam acciperent, et ad officium haberent, quia factum istud eis specialiter commissum fuit.

Commemorialium VIII. 123, u mlet. arkivu.

CCCXXXIX. God. 1387. 31 travnja, u Spljetu.

Na obodravanje Mletčana, da se tvrdo drže ugarske krune, Splječani odgovaraju republiki, da će neuzkolebivo u tom uztrajati.

Copia litterarum iudicum et consilii Spalati. Litteris illustris vestri dominii, quo decuit honore, inspectis, datis in vestro ducali palatio die quinta decima huius mensis, quibus inter cetera nos hortamini ad costantiam fidelitatis debite regno ac sacro diademati Ungarie, offerentes vos libero animo preparatos ad omnia, que faciunt pro bono et conservatione status nostri ad honorem semper diadematis prelibati. Ad que excellentie vestre grates reddentes uberrimas, et oblationes vestras amplas et benevolas acceptantes, dicimus nos esse firmi propositi a dicte fidelitatis stipite nec morte nec glaudio separari. Pro cuius conservatione illesa videtis, quot quantisque malis pressi sumus et premimur incessanter, quia grave est fidem fallere; offerentes nos versa vice iuxta decentiam quanto altior est statui vestro ad omnia vestra beneplacita, augmenta, commoda et honores in quantum possumus cum fidelitate et honore regni et corone Hungarie predicte Non attendentes, si quis, ut scribitis, semina aliqua scandali in medio proiecisset, que certe supra petram cadentia radicem in nostris cordibus non fixerunt. Rector, iudices et consilium Spalati. Ubi data die ultimo mensis aprilis, decima indictione,

Commemorialium VIII. 125, u mlet. arkivu.

CCCXL. God 1387. travnja, u Mletcih.

Izviešće mletačkoga bilježnika podnešeno republiki po svom dolazku iz Ugarske u poslu oslobodjenja uzapćenih kraljica i o savezu.

Forma relationis facte per providum virum Laurentium de Monacis notarium curie pro parte nobilis viri ser Pantaleonis Barbo ambaxiatoris ad partes Hungarie in quantum tangit et spectat ad facta unionis et subsidii postulati. Serenissimus dominus Sigismundus rex Hungarie dixit in die pasce in viridario suo domino ambaxatori presentibus baronibus et prelatis: domine ambaxiator, nos sumus contenti et requirimus habere ligam cum domino duce et commune Venetiarum, sicut voluerunt et requisiverunt mater nostra et uxor nostra, et ideo rogamus vos, ut mittatis notarium dominationis Venetias propter hoc, et vos remaneatis; et postea dixit idem dominus rex: domine cardinalis Quinque ecclesiensis nescio bene loqui litteraliter, dicatis vos. Tunc dominus cardinalis dixit domino ambaxatori: domine ambaxiator, vos bene audivistis dominum regem, qui dixit, quod est contentus, et requirit habere ligam cum dominatione vestra, sicut voluit et requisivit serenissima mater sua ac serenissima domina sua, et quod remaneatis et mittatis cancellarium Venetias. Respondit dominus ambaxiator domino regi: serenissime domine rex, serenissime domine mater et uxor vestra requisiverunt dominationem meam de liga in mari. Dominus Stephanus voyvoda respondit: ita, ita, de liga in mari dicimus. Tunc dominus ambaxiator dixit, quod quia missus fuerat ad requisitionem serenissimarum dominarum reginarum tempore, quo regnabant, syndicatus dicebat in personam earum, sed iuxta requisitionem ipsius domini regis mitteret notarium Venetias ad dominationem, et ipse remaneret.

Dominus rex statim post verba illa predicta traxit in partem dominum ambaxiatorem et dominum Stephanum voyvodam magnum comitem, et dixit: Comes Joannes de Vegla scripsit nobis, quod per ea, que senserat, sperabat dominam matrem nostram adhuc vivere, sed quod de certo uxor nostra vivebat, et quod si mitteremus sibi gentem, et haberet subsidium a mari, recuperaret ipsas. Et ideo rogo vos, ut commitatis notario, quod roget dominationem, ut dignetur sibi prebere subsidium a mari, et ego mittam sibi gentes in terra, ita quod uno eodem tempore concurrat subsidium a terra et a mari. Dominus ambaxiator respondit: serenissime rex, si placebit deo et dominationi mee, quod hec liga in mari fiat, postea serenitas vestra habebit a dominatione illa ea, que erunt vobis grata et placibilia secundum formam lige. Dominus Stephanus magnus comes respondit: dominus ambaxiator dicit verum; melius est, quod primo fiat liga, si placet dominationi.

Per ea, que dominus ambaxiator compretendere potuit ex verbis domini regis et baronum, ipsi volent, quod liga extendatur contra terras Dalmatie a mari, rebelles et innobedientes regno.

Die nono aprilis in regia capella dum missa celebraretur, dominus rex dixit domino ambaxiatori soli: domine ambaxiator hoc vobis sit secretum. Ego cum baronibus et prelatis meis deliberavi per duas hebdomadas ultra festum pentecostem esse in campo contra Joannem bannum et priorem rebelles nostros, et destruere eos iuxta posse nostrum, et ire usque ad locum, ubi sunt domine mater et uxor nostra. Et quia dubitamus, quod rebelles

ipsas transportabunt per mare ad alias partes, rogamus vos quantum possumus, ut per notarium rogatis dominationem, quatenus sibi placeat habere galeas in mari ad custodiam, ne transportentur, quia hoc esset summe necessarium fieri pro presenti, nam si expectaretur primo ligam firmari, nimium temporis laboretur. Dominus ambaxiator respondit, quod diceret notario, ut referet ipsa dominationi.

In fine dominus Stephanus voyvoda et dominus episcopus Agriensis dixerunt domino ambaxiatori, quod ille miles ambaxiator, qui veniebat ex parte domini regis ad ducale dominium, babebat tantum tria in mandatis, videlicet: annuntiandi coronationem, faciendi renovari iuramentum pacis, et pro facto septem millium florenorum, et quod factum lige et galearum permittebant, quod dominus ambaxiator Venetiarum exponi faceret per notarium.

Commemorialium VIII. 124, u mlet. arkivu.

CCCXLI. God. 1387 2 svibnja, u Trogiru.

Trogirani se zahvaljuju mlet. republiki na to, što jih bodri, da tvrdo ustraju u viernosti napram ugar.-hrv. kruni.

Copia litteras litterarum rectorum, iudicum, communiset consilii Tragurii. Excelse et illustris dux et noster voluti domine singularissime, recommendatione premissa. Receptis litteris excelse dominationis vestre omni qua decuit reverentia nobis insinuatis per venerabilem et discretum virum dominum fratrem Benedictum abbatem monasterii sancte Marie de Pola civem vestrum, gavisi fuimus amplo corde. Consideratis et inspectis vestra sincera benivolentia, quam circa sacram coronam Hungarie geritis cordialem, et amonitionibus hortationibusque bonis, quas vestrum dominium nos instruit atque monet. De quibus non sumus tanti, ut possemus vestre celsitudini premium merite elargiri, sed ille pro nobis retribuere dignetur, qui remunerator bonorum omnium est et largitor. Quibus litteris celsitudinis vestre sic cum subiectiva reverentia brevi eloquio duximus respondendum, quod nos omni nostro posse studuimus fidelitatem corone sacre Hungarie, mediantibus operibus incorruptam et immaculatam servare, et sic studebimus, donec spiritus vigebit in corporibus nostris, pro cuius exaltatione intendimus mittere personas et res nostras, et non parcere nobis in aliquo pro augmento corone predicte, tanquam pro domino nostro naturali. Et o utinam essemus tante potentie, ut possemus dictam coronam Hungarie exaltare, quoniam nunc pateretur, qualiter nostra pura fidelitas circa ea intemerata servatur. Et sic in nostra fidelitate durabimus deo duce immutabili et corde duro, et maxime ut in nostro pristino statu et libertate solita perserverare possimus. Preterea quod aliqui possent inter dominium vestrum et nos, quos potestis vestros servitores firmiter reputare, aliquam zizaniam seminare, quesumus celsitudinem vestram, ut minime credere velitis, cum hoc esset impossibile, quoniam totis nostris viribus dispositi sumus et fuimus vestre excelse dominationi gerere reverentiam et honorem tanquam amicis carissimis corone predicte. Et sic offerimus vestre celsitudini et civibus vestris tam generaliter quam particulariter nos et nostra ad omnia, que vestre illustri dominationi respiciant, commoda et honorem.

Rectores, iudices, consilium et commune civitatis Tragurii.
- Ubi data die secundo mensis maii, decima indictione.

Commemorialium VIII. 125, u mlet. arkivu.

CCCXLII. God. 1387. 3 svibnja, u Šibeniku.

Šibenčani se obvezuju Mletčanom, da će biti vierni ugar.-hrv. kruni

Copia litterarum iudicum et consilii Sybenici. Excelse domine. Vestre celsitudinis litteras recepimus gratiosissimas, quarum puncta realiter bene intelleximus. Et quia inter cetera hortamini nos persistere debere constantes regno Hungarie etc., sic vestre reverentie duximus respondendum, quod semper fuimus, sumus et esse intendimus fideles et constantes sacre corone Hungarie, et sic in eadem constantia et perseverantia persistere volumus et intendimus, nec oppositum facere licet. Super quibus apte vestre regratiamur sublimitati, quia in hoc cognoscimus et sentimus, statum et libertatem nostram summe diligere. Et quia in vestris postremo notatis litteris, quod vos sentitis aliqua verba non bona fuisse prolata de nobis per personas, que vellent seminare scandalum inter vos et nos et illos de Dalmatia etc., sic vobis dicimus, quod veraciter nullam sinistram informationem habemus de vobis, de qua curare deberetis, quia non licet de facili facilibus omnia credere, ita quod non turbetur opinio vestra, parati semper etc.

Ludovicus de Georgiis de Jadra legum doctor comesque Sybenici ac judices et consilium civitatis eiusdem. Ubi tertio maii, decime indictionis.

Commemorialium VIII. 125, u mlet. arkivu.

CCCXLIII. God. 1387. 14 svibnja, u Mletcih.

Prima se predlog kneza Karla Topije, da je voljan u slučaju pogibelji ustupiti Mletčanom Drač uz primiernu naknadu.

1387. indictione X, die XIV maii. Ser Fantinus Georgius, ser Petrus Contareno, ser Georgius Lauredano, ser Johannes Mauroceno, ser Petrus Guoro, sapientes ordinum. Capta: cum ambaxiatores magnifici domini Caroli Topie, habita responsione, que in hoc consilio pridie capta fuit, de novo dicere habuerint, quod propter potentiam Turchorum de facili dominus suus defendere et salvare non posset civitatem Durachii cum fortiliciis suis, sed opporteret de necessitate providere sibi et de loco predicto; unde, quia Venetus est et carus amicus huius dominii, vellet potius, quod perveniret ad manus nostras quam aliorum, concludentes, quod quia dominus suus ipsum locum habuit et emit certa quantitate pecunie, vellet libenter scire, quantum nostra dominatio vellet sibi dare, si daret eidem locum predictum. Ad quod data fuit responsio ipsis ambaxatoribus cum verbis amicabilibus et honestis, per quam se removerunt a dicta petitione, sed postea processerunt dicentes, quod dominus suus vellet libenter posse se reducere cum rebus et bonis suis occurente casu supradicto, quod non posset ipsum locum defendere, ad terras et loca nostri dominii libere et secure, mittendo pro capitaneo nostro culphy seu pro illis de Corphu, quibus tradetur locum predictum, sed vellet, quod tunc per nostrum do-

minium provideretur de eo in dando et assignando sibi in locis nostris Candide vel Nigropontis tantum de territoriis nostris, quod posset honorifice ducere vitam suam. Et necessarium sit dare eis responsionem ad istam partem, que sit secundum honorem nostri dominii; vadit pars, quod respondeatur eis, quod ipsi clare et manifeste cognoscere potuerunt sinceram dispositionem, quam dominatio nostra habet ad magnificum dominum suum et conservationem sui status, et propterea hortamur ipsum dominum, quod pro honore magnitudinis sue bono totius christianitatis et conservatione animarum sibi subiectarum vigilare et attendere debeat toto corde ad custodiam, defensionem et conservationem loci predicti, quia valde gratissimum nobis erit, quod permaneat sub dominio et gubernatione sua, et ad hoc, sicut alias diximus, nos offerimus bono corde. Verum si casus daret, quod dolenter audiremus, quod oppressus a Turchis oporteret relinquere locum et dare ipsum alteri, tunc assignante magnitudine sua terram et fortilicias Durachii in manibus et custodia capitanei nostri culphy, quem requirere poterit confidenter, nos providebimus de vita magnitudinis sue in aliqua terrarum vel locorum nostrorum taliter, quod habebit merito commendari, ad quem vel quam ire poterit cum rebus et bonis suis libere et secure, et ibi stare et morari pro suo libito voluntatis, quia tractabitur tanquam honorabilis et magnificus amicus nostri dominii ac ut carissimus civis noster.

Capitaneo vero culphi detur informatio istius nostre responsionis, cui committatur, quod in casu quo dictus dominus Carolus pro eo mitteret et assignare vellet terra Durachii cum castris et fortiliciis suis, quod ipsa in bona gratia accipere debeat in potestate sua, et de ballistariis et gentibus galearum facere bene custodiri sub nomine tamen ipsius domini Caroli, donec a nobis aliud habuerit in mandatis Significando nobis de presenti, quicquid fecerit, et quomodo stabit factum particulariter et distincte, ut habita informatione sua providere possimus, sicut nobis utilius et melius apparebit.

De parte 108, non 8, non sinceri 10.

Misti XL. 69, u mlet. arkivu.

CCCXLIV. God. 1387. svibnja, u Rimu.

Papa preporučuje mlet. republiki oslobodjenje Marije ugar.-hrv. kraljice.

1387. indictione X. Pro parte domini nostri pape dicenda serenissimo domino duci et magnifice communitati Veneciarum per me Guillelmum de Clarutis notarium eiusdem domini ducis. *Omissis.*

Item ibidem dominus papa hortatur et rogat eosdem dominum ducem et communitatem Veneciarum, quod omnem favorem omneque auxilium eis possibilia ad liberationem serenissime domine Marie regine Hungarie et ad conservationem status ipsius ac illustris principis domini Sigismundi regis Hungarie et regni predicti prompte et efficaciter adhibeant, nam ex hoc domino pape, cui premissa multum insident cordi, singulariter complacebunt ipsi dux et communitas Venetiarum etc.

Commemorialium VIII. 126, u mlet. arkivu.

CCCXLV. God. 1387. 14 lipnja, u Luki.

Papa se zahvaljuje Mletčanom na viest, da je ugar.-hrv. kraljica oslobodjena.

Copia papalium litterarum pro gratiarum actione de significatione liberationis serenissime domine Marie regine Ungarie.

Urbanus episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis nobili viro Antonio Venerio duci et communitati Venetiarum salutem et apostolicam benedictionem. Nuper vestre devotionis gratanter accepte littere continebant, quod de mandato vestro dilecti filii nobilis vir .... capitaneus et gentes galearum ad custodiam culphi deputatarum cum dilecto filio nobili viro Joanne comite Signiense et regali exercitu apud castrum Novum, ubi carissima in christo filia nostra Maria regina Ungarie illustris detinebatur captiva, cum eisdem galeis convenientes, et ad idem pariter intendentes, prudenter ac efficaciter, et quantum expedivit, operati fuerunt, quod eadem regina etiam sub medio per vestros datorum obsidum, qui postea juxta conditionem habitam liberati fuerunt, restituta extitit pristine libertati. De significatione autem rei sic geste prefate devotioni dignas gratiarum referimus actiones. Sed ex re ipsa avidi et libentes recognoscimus bonam et antiquatam dispositionem vestram ad beneagendum rectumque zelum et per maioros vestros laude dignorum gestorum imitationem voluntariam et preclaram, de quo vos plurimum in domino commendamus, vos attentius exortantes, quatenus sicut cepistis, ita in prebendo charissimo in christo filio nostro Sigismundo regi Ungarie illustri dicte regine consorti ipsique regine expedientia presidia et favores vestra continue firmius perseveret magnitudo. — Nam ex hoc, etsi ad stabilimentum dictorum regis et regine non parum accedat vestris etiam partibus, ex illorum prosperitate vice reciproca non modicus favor accrescit. Sed et nobis, quibus huiusmodi eorum prosperitas multum insidet cordi, id cedit ad complacentiam singularem Et ut circumspectio vestra nostram circa hoc affectionem agnoscat, scribimus prefatis regi et regine iuxta tenorem presentibus interclusum. Dispositi quoque sumus ad conservanda et augenda honores et commoda vestra favorabiliter, quantum cum deo poterimus apponere partes nostras.

Datum Luce XVIII kalendas iulii, pontificatus nostri anno decimo.

Commemorialium VIII. 127, u mletačkom arkivu.

CCCXLVI. God. 1387. 14 lipnja, u Luki.

Papa očituje svoju radost kralju i kraljici ugarskoj, što je ista kraljica mletačkom pomoću oslobodjena, te jih bodri, da se zato mletačkoj republiki izkažu zahvalni.

Urbanus etc. Carissimo in christo filio Sygismundo regi Ungarie illustri salutem etc. Magnus dominus et magna virtus eius, et magnitudinis illius non est finis, qui nunquam sperantes in se, nunquam iustas causas deserit, et ne longe factorum petantur exempla, nuper cum carissima in christo filia nostra Maria regina Ungarie, illustris consors tua, pridem sorte sinistra per rebelles perfidos intercepta, per eosdem captiva in locis munitis detineretur, et quodammodo secundum humanum iudicium de eius liberatione nulla aut admodum pauca spes videretur, dilectos filios nobilem virum Antonium Venerio

ducem et communitatem Venetiarum animavit et induxit, ut cum presidentibus galeis eorum ad custodiam culphi deputatis ordine dato, dicti presidentes una cum dilecto filio nobili viro Joanne comite Segniense et felici tuo exercitu prope Castrum novum, ubi dicta regina detinebatur, insimul convenirent, ac tandem per ministerium ipsorum prefatam reginam cum insigni honore et ingenti letitia in pristinam libertatem eduxit. Quam quidem liberationem dicti dux et communitas cum devota iocunditate nobis nuper intimarunt. Ipsi ergo domino laus et gloria, cui imperium et potestas per infinita secula. Nos quoque propterea, qui de captivitate anxii fueramus, et pro liberalitate huiusmodi apud dominum et incessantes preces fuderamus, iidem domino humiles gratias egimus, illum obnoxius deprecantes, ut sicut reginam ipsam liberavit, et sicut speramus ita sua pietate concedat, quod liberatio hujusmodi sit efficax causa, quod illa inclita regna, que in magna commotione sunt posita, ad pacem et unitatem reducantur, boni premientur, mali vero aut corrigantur, aut luant pro demeritis dignas penas. Quamobrem te peramantissime fili hortamur et obsecramus in domino iesu christo, quatenus tam tu quam dicta regina gratiam liberationis huiusmodi humiliter ab ipso domino etiam ecclesie indesinentibus precibus impetratam recognoscentes, eisque puro corde gratias agentes, sic in eius timore vivere et operari studeatis, quod ipse digne stabiliat solium vestrum, illudque omni stabilitate fecundet, vobisque donet ita per bona temporalia transire, quod non ammittatis aeterna. Ceterum suademus serenitati tue, ut cum prefatis duce et communitate grate te gerens, illos gratitudine et beneficiis illectos ad favores tuos semper efficias promptiores. Possunt enim, nec dubitamus, esse volunt tuis partibus plurimum fructuosi. Si autem aliqua expedientia per nos fienda cognoveris, nobis tua intimet celsitudo, sicut enim nosti pro stabilimento et conservatione tuis adhibuimus et adhibere dispositi sumus opem et operam efficaces. Datum Luce XVIII kalendas iulii, anno decimo.

Similis mutatis mutandis carissime in christo filie Marie regine Ungarie illustri.

Commemorialium VIII. 127, u mletačkom arkivu.

CCCXLVII. God. 1387. 30 lipnja, u Senju.

Ugar.-hrv. kraljica Marija zahvaljuje se Mletčanom, što je poglavito njihovom pomoću oslobodjena.

Regratiatoria regine Marie de gestis per ducale dominium circa liberationem suam.

Serenissime princeps et amicorum nostrorum intime. Affectuosa salutatione premissa. Quam magnifice et quam gratiose et alte vestra serenitas circa nostre maiestatis deliberationem vestre sinceritatis partes et vires efficaciter interposuerit lingua humana non possit exprimere. Nam pro vero dicere possumus, quod circa liberationem nostram partem vestram habuerimus potiorem. Quod quidem non immerito in archano mentis nostre perpetualiter notum habebitur cum animo tam notabilia et magna servitia recompensandi, et tantorum meritorum vicem reddendi. Et quum vir nobilis dominus Joannes Barbadico capitaneus vester et miles noster in exequendo

mandata vestra circa maiestatem nostram laudabiliter se habuit, vos instantius deprecamur, quatenus eundem nostro intuitu recommendatum habere dignemini.

Date Segnie XXX mensis iunii.

Maria dei gratia regina Hungarie, Dalmatie etc.

A tergo: Serenissimo principi et domino domino Antonio Venerio dei gratia duci Venetiarum etc. amico nostro sincerissimo.

Commemorialium VIII. 127, u mletačkom arkivu.

CCCXLVIII. God. 1387. 30 kolovoza, u Mletcih.

Republika se pri papi zauzimlje za njekoga Ugrina (Grgura), da nitrinskim biskupom imenovan bude.

1387. indictione X, die penultimo augusti, capta: cum ad requisitionem amicablem serenissimi domini regis et serenissime domine regine Hungarie auctoritate huius consilii scriptum fuerit sanctissimo domino pape et dominis cardinalibus in favorem reverendi patris domini Dimitrii episcopi Nitriensis nunc postulati in episcopum Vesprimensem, et ambaxatores, qui nuper venerunt de Hungaria, euntes ad romanam curiam, suplicaverunt, quod scribatur similiter domino pape et cardinalibus in favorem reverendi patris domini . . . fratris unius ex dictis ambaxatoribus, ut ei provideatur de dicto episcopatu Nitriensi in casu, quo dictus dominus Dimitrius trasferatur ad ecclesiam Vesprimensem; vadit pars, quod scribatur, ut petunt, in forma, que videbitur dominio.

Misti XL. 86, u mletačkom arkivu.

CCCXLIX. God. 1388. 30 siečnja, u Mletcih.

Piše se konsulu u Draču u poslu obrane onoga grada od Turaka.

1387. die penultimo ianuarii. Sapientes ordinum. Capta: quod scribatur provido viro Anthonio de Pieri Pizoli consuli Venetorum in Durachio in hac forma, videlizet: Anthoni. Recepimus quamplures litteras tuas et nuper oretenus per Leonardum Chuorocoto fideli nostro notificasti nostro dominio de debili et misera conditione civitatis Durachii et illorum partium propter insultus Turchorum. Intelleximus etiam plenissime modos, quos tenuit amicus cum attinentibus suis et similiter cum aliis fidelibus nostris de inde, ne illa civitas sucumbat nec perveniat ad manus Turcorum cum tanta strage omnium habitantium in civitate predicta, de quo plurimum condolemus, tamen modi observati, ut superius continetur, placuerunt nobis valde, et ex inde prudentia vestra est merito commendanda. Et volumus, quod debeatis hortari efficacissime amicum predictum et omnes suos, ut perseverent et constantissime attendant ad conservationem civitatis iamdicte et libertatis sue, quam omnes debent plusquam vitam optare, ut ipsa civitas non perveniat ad tam iniquos et crudeles manus Turchorum, notificando tibi pro tua informatione, quod facimus armare galeas nostras pro custodia culphi, quas fatiemus exire quam celerius fieri poterit solummodo ista de causa. Et committemus capitaneo nostro culphi, quod veniat ad partes illas pro conservatione et bono dicte civitatis a tanto et sic periculoso vinculo ser-

vitutis Turcorum, non dubitantes, quod predicti boni homines Durachii, qui se iam tanto tempore viriliter tenuerunt, perseverabunt et erunt constantes etiam isto modico tempore, quo galee nostre predicte ad predictas partes pervenient pro conservatione et bono ipsorum.

Misti XL. 103, u mletačkom arkivu.

CCCL. God. 1388. 26 veljače, u Mletcih.

Šalje se pomoć Draču, a knez se bodri, neka nastoji o obrani grada.

1387. die XXVI februarii. Ser Andreas Bembo consiliarius, ser Petrus Mocenico procurator, ser Symon Dalmario, sapientes consilii; ser Jacobus Suriano sapiens ordinum. Capta: quod, ut ista negotia Durachii ordinate procedant et fiant cum matura deliberatione, expediatur subito et sine mora una galea nostra culfi, et mittatur ad partes Durachii, et ante eius recessum venietur ad istud consilium, et fiet, sicut melius videbitur pro honore et bono nostri dominii. Et nihilominus expediatur cras per diem presens galedellus, per quem scribantur littere domino Durachii et aliis, sicut videbitur, hortando ipsum dominum ad substinendum statum suum, sicut videbitur collegio vel maiori parti — 79.

Ser Petrus Cornario procurator sapiens consilii; ser Jacobus Valaresso, ser Johannes Alberto, sapientes ordinum. Quod pro bono istorum agendorum scribatur per istum galedellum domino Durachii et aliis, sicut videbitur, de receptione litterarum suarum, hortando ipsum dominum ad conservationem status sui, sicut melius et utilius videbitur collegio vel maiori parti. Insuper committatur nobili viro ser Nicolao Geno ituro ad armandum in Cretam, et recedit cum presenti galedello, quod ultra litteras predictas debeat hortari dictum dominum ex parte nostri dominii ad substinendum viriliter statum suum, dando ad intelligendum dicto domino, quod expedimus galeas nostras culfi quam cicius possimus, quas mittemus in brevi ad partes Durachii pro bono et conservatione status sui cum hiis et aliis bonis et utilibus verbis, que videbuntur collegio, ut dictum est. Et nihilominus detur expeditio galeis nostris culfi, ante quarum recessum venietur ad istud consilium, et providebitur super istis negociis, sicut videbitur pro honore et bono nostri dominii; etiam expediatur cras per diem presens galedellus. Verum si ser Nicolaus Geno non recederet cum presenti galedello, scribantur littere in illa forma et sicut videbitur collegio vel maiori parti, ut dictum est. De parte 10, de non 2, non sinceri 2.

Facta fuit proba duorum supracomitorum culfi pro armando galeam suprascriptam iuxta formam partis capte, et remansit cruce signatus.

16 Ser Hermolaus Lamberto, † 70 Ser Nicolaus Superantio.

Misti XL. 104, u mletačkom arkivu.

CCCLI. God. 1388. 28 veljače, u Olgunu.

Gjorgj Sracimir gospodar Zente dozvoljuje Mletčanom, da po njegovih zemljah slobodno trguju.

Copia promissionis facte dudum per magnificum dominum Georgium Strazimiri Zente etc. subscripte manu dicti domini et sigillate suo sigillo,

quam habuit nobilis vir ser Benedictus Contareno consul Dulcigni, qui eam presentavit in quadam parte folii unius papiri scriptam.

Al nome de dio MCCCLXXXVIII, de XXVIII feurer, in Dolcigno. Nui 'Gorgi de Strazimir signor de Zenta promectemo a tutti li Viniziani, che usa star in Dulcigno, franchi e liberi e far le suo mercatantie con le usanze stade sotto li mie passadi; e in caso, che alcun de lor ouer suo mercatanti recevesse alcun danno par la nostra contrada fina el Dagno e per tutta la nostra contrada, nuy Gorgi se obligemo a deuer refar hogno danno, che li diti receuesse. Et per comandamento del dito miser Gorgi mi Ilia de Marin scrissi de mia man, et per pluy fermeza miser Gorgi mese el so sigillo, e conferma questo scrito de so man.

Азь господинь Гюргь рекохь написати овуи книгу.

Commemorialium VIII. 153. u mlet. arkivu.

CCCLII. God. 1388. 19 ožujka, u Mletcih.

Naputak za pomorskoga kapetana u poslu obrane Drača.

1388. XIX marcii. Ser Petrus Mocenico procurator, ser Petrus Cornario procurator, ser Panthaleo miles, sapientes consilii. Capta cum additione ultima posita per ser Johannem Alberto sapientem ordinum: quod in bona gratia fiat commissio nobili viro ser Nicolao Superantio supracomito nostro, in hac forma, videlicet: quod debeat cum galea sibi commissa ire ad partes Durachii, et applicato ad locum Durachii, et habita informatione a consule nostro de inde et ab aliis quam melius poterit de conditione loci Durachii et domini loci predicti et de novis et conditionibus Turchorum, debeat cum nostris litteris credulitatis comparere ad presentiam domini predicti, non permittendo tunc descendere in terram nisi illos, quos vollet ducere secum in compagnia pro honore nostri dominii et persone sue, cui domino Durachii facta salutatione et oblatione generali ex parte nostri dominii cum verbis amoris et dilectionis, exponere debeat, quod per nobilem virum ser Johannem Barbadico militem tunc capitaneum nostrum culfi et per nobilem virum ser Marcum Geno civem nostrum et etiam per litteras ipsius domini Durachii propter molestias Turchorum, de quo recepimus et recipimus in cordibus et mentibus nostris maxinam displicentiam tamquam de carissimo cive et specialissimo amico nostre dominationis, cuius statum et conservationem velut nostrum proprium reputamus et intendimus perpetuo reputare, subiungendo, quod ex parte nostri dominii presentat se cum ista galea nostra ad presentiam ipsius domini ad ortandum magnificentiam suam ex parte nostra, quod debeat esse constans et fortis ad substinendum statum et loca sua, ita quod locus Durachii non vadat ad manus Turchorum, ad offerendum se domino predicto, quod si videt, quod per nostram dominationem fieri possit aliquid pro bono et conservatione status sui, inveniet nos semper dispositos et leta mente paratos.

Audita vero responsione domini predicti ad verba predicta, si dominus Durachii requiret,sicut nobis misit dicendo per nobilem virum ser Marcum Zeno predictum, videlicet de volendo balistarios vel alias gentes ad suum soldum pro suis denariis, in hoc casu supracomitus noster offerat se de fatiendo illos sibi

venire subito et de brevi in illa quantitate, que placebit sibi pro suis denariis, ut superius dictum est. Si vero nostro supracomito videretur, quod dominus Durachii attenderet et golizaret ad volendum ipsos balistarios vel gentes ad nostras expensas, tunc offerat sibi de faciendo ei venire usque ballistarios XXV, procurante nostro supracomito posse suo, quod ipse dominus solvat de illis ballistariis XXV illud, quod poterit obtinere. In fine vero facta experientia possibili, si dominus Durachii diceret, non posse vel non habere unde solvere dictis ballistariis, tunc, ut tantum bonum non remaneat, offerat sibi illos XXV ballistarios ad expensas nostri communis per unum annum.

Insuper debeat dictus supracomitus noster exponere et offerre domino predicto, quod tenebit modum et faciet, quod de nostris navigiis declinabunt ad locum Durachii cum blado et victualibus, de quibus emere poterunt pro suis denariis pro sua subventione secundum suam requisitionem.

Item si dominus predictus requiret a supracomito nostro de volendo pro conservatione sua et status sui levare insegnam nostram sancti Marci super suis fortiliciis Durachii, debeat noster supracomitus contentari ad hoc ex parte nostre dominationis, rogando ipsum dominum Durachii ex parte nostra, quod in casu quo videret manifestum periculum Teucrorum, et non posset ipsam terram defendere a Turchis, quod debeat tenere modum, quod ipsa terra cum suis fortiliciis veniat ad manus nostre dominationis, quia non esset honor nostri dominii, quod insegna nostra sancti Marci veniret ad manus Turchorum, dando ad intelligendum ipsi domino Durachii, quod ponendo ipsum locum in manibus nostri communis, ut dictum est, providebimus taliter de persona sua, quod habebit merito contentari. Et si conditio domini predicti esset talis, quod subito esset necessaria aliqua subventio gentium, debeat noster supracomitus sibi subvenire de ballistariis et hominibus sue galee usque ad numerum de XX, qui sint ballistarii pro maiori parte.

Et quia posset occurrere, quod dominus Durachii, videns suam conditionem, motu proprio et voluntarie vellet dare locum Durachii cum suis fortiliciis in manibus et forcia nostri dominii, tunc occurrente dicto casu noster supracomitus debeat ipsum locum accipere nomine nostri dominii.

Et si dominus predictus esset gravatus infermitate et in periculoso et malo statu persone sue, et sui voluntarie vellent ipsum locum nobis dare cum voluntate sui domini predicti, tunc etiam in dicto casu supracomitus noster dictum locum accipere debeat nomine nostre dominationis. Si vero dominus Durachii de hoc seculo transivisset, quia sumus omnes mortales, et sui vollent nobis dare dictum locum, tunc etiam noster supracomitus debeat ipsum locum accipere nomine nostri communis.

Et committatur dicto nostro supracomito, quod per omnia navigia et per omnem viam possibilem debeat nobis scribere et notificare, quicquid fecerit et habuerit in factis predictis pro nostra informacione, et specialiter si dederit aliquos de suis ballistaris vel hominibus galee sue domino Durachii predicto, ut dictum est supra, ut possit subito et sine mora ei mitti de hinc, et cum sua galea debeat se nutrire circa illas partes, et sepe presentare se ad locum Durachii pro suo conforto et consolatione. Insuper sit in libertate dicti supracomiti nostri, si videbitur sibi utile et bonum, de veniendo usque in aquis Jadre pro dando ad sciendum nobis,

quicquid fecerit ordinate. Et habeat etiam libertatem dictus supracomitus expendendi in nuntiis et barchis id, quod erit necessarium, et statim, sicut ipse scripserit et notificaverit ea, que fecerit et habuerit, quam cicius poterit debeat redire ad partes Durachii pro conforto et conservatione dicti loci, existente ipso nostro supracomito continue bene previso et avisato de novis et conditionibus loci Dirachii et domini dicti loci et de novis et progressibus et motibus Turchorum predictorum. 38 38.

Ser Joannes Alberto sapiens ordinum. Capta: vult partem suprascriptam per totum cum ista additione iusta et rationabili: Quod in casu, quo dominus Durachii non attenderet ad intentionem nostram predictam, ut superius per ordinem dictum est, et videretur ipse dominus Durachii dispositus dare locum Durachii cum suis fortiliciis in manibus Turcorum, vel quod non posset tenere eum, tunc ad evitandum istud periculum, in casu quo videatur supracomito nostro, locum ipsum esse iturum in manibus Turcorum vel quod dominus dicti loci non posset tenere eum, debeat procurare et modum tenere cum illis de inde, cum quibus debeat se consulere, quod locus ille cum fortiliciis suis veniat ad manus nostri dominii. non obstante tamen, quod ipse dominus Durachii acceptasset de oblationibus sibi factis per partes superius annotatas, informando bene supracomitum nostrum, quod faciat istud in caso quo sibi videatur posse hoc rationabiliter facere. — 45 — 55.

Ser Jacobus Valaresso sapiens ordinum: quia ista negotia Durachii sunt magna et ardua, et requirunt maturam deliberationem in factis, que occurrerent deinde; vadit pars in nomine iesu christi, quod eligantur duo provisores apus ser Nicolaum Superantio supracomitum nostrum culfi, et per maiorem partem ipsorum trium debeat fieri et disponi et executioni mitti, secundum quod in comissione eis danda continetur. Et eligantur dicti duo provisores statim per duas manus electionum in isto consilio rogatorum et additionis et per scruptinium in collegio domini, consiliariorum, capitum, sapientum consilii et sapientum ordinum, qui provisores respondeant statim cum fuerint electi, et recedant cum presenti galea, et non possint refutare sub pena ducatorum C. pro quolibet; qui provisores habere debeant de salario ducatos L. in mense pro quolibet et pagam duorum mensium, tenendo duos famulos ad suum salarium et expensas pro quolibet. 6, de non 1, non sinceri 7 — 4.

Misti XL. 108, u mlet. arkivu.

CCCLIII. God. 1388. 10 travnja, u Mletcih.

Ovlašćen Pavao Mauroceno, koj se povratio bio kao poslanik iz Ugarske, da u vieće dodje svaki put, kad se bude radilo o ondješnjih poslovih.

1388. indictione XI die X. aprilis, capta: quod nobilis vir ser Paulus Mauroceno miles, qui nuper rediit ambaxiator a partibus Hungarie, et est de ipsis factis plene informatus, licet non sit de consiliis rogatorum, possit venire ad ipsum consilium quociens tractabitur de istis factis, et dicere opinionem suam, non capiendo partem. Omnes.

Misti XL 111, u mlet. arkivu.

CCCLIV. God. 1388. 10 travnja, u Mletcih.

Mlet. republika odbija savez s ugar.-hrv. krunom.

1388. indictione XI, die X aprilis. Sapientes consilii et ser Jacobus Valaresso, ser Johannes Alberto, sapientes ordinum. Capta: cum iam multis diebus sit hic ambaxator serenissimi domini regis Hungarie ad factum lige cum dominatione nostra, et pro honore nostro faciat providere et disponere circa expeditionem suam; et sicut est manifestum modo in ultimis, quando revocavimus demum nostros ambaxatores de partibus Hungarie, fuit captum in nostris consiliis rogatorum et additionis quoddam capitulum, quod est valde utile et bonum, et servit et respicit in omnem partem, et faciendo per illum modum, veniremus esse extra omnem laborem fatiendi ligam cum domino rege, domina regina et chorona Hungarie; vadit pars in bona gratia, quod tractetur circa illud capitulum.

Verum quia ipse ambaxator in expositione sue ambaxate fecit mentionem, quod venit pro facto lige alias tractate in partibus Hungarie per nostros ambaxatores, respondeatur sibi, quod per nostros ambaxatores, tunc in partibus Hungarie existentes, fuit ordinate responsum domino regi ad factum lige predicte, et propterea si placet sibi esse super dicto capitulo in ultimis misso nostris ambaxatoribus, ut dictum est, sumus contenti esse et tractare super illo; et si ambaxator domini regis Hungarie erit contentus tractare super dicto ultimo capitulo, tunc prosequatur et tractetur circa dictum capitulum cum omnibus illis avantagiis, que videbuntur pro honore nostri dominii. Si vero dictus ambaxator domini regis Hungarie non esset contentus de modo predicto, providebitur, sicut videbitur.

86, de non 7, non sinceri 2. de parte ser Jacobi Suriano sapienti ordinum 12.

Secreta Consilii Rogatorum R. 10, u mlet. arkivu.

CCCLV. God. 1388. 17 travnja, u Mletcih.

Dozvoljeno kralju bosanskomu, da iz Mletaka izvede malvasijskoga vina do njeke svote.

1388. indictione XII, die 17 aprilis, u Mletcih. Capta: quod serenissimo domino regi Rassie hoc amicabiliter requirenti concedatur, quod possit facere extrahi de Venetiis et conduci ad partes suas vinum Monovasie ad valorem ducatorum ducentorum.

Misti XL. 112, u mlet. arkivu.

CCCLVI. God. 1388. 20 travnja, u Mletcih.

Mletčani nastoje, da se izvine od saveza s ugar.-hrv. državom.

1388. die XX mensis aprilis. Sapientes consilii: ser Petrus Mozenico procurator, ser Petrus Cornario procurator, ser Zacarias Contareno, ser Petrus Aymo miles, ser Symon Micael, ser Nicolaus Gabriel, ser Johannes Alberto, ser Johannes Capello et ser Jacobus Suriano, sapientes ordinum. Capta: quod respondeatur isti ambaxatori serenissimi domini regis Hungarie, quod novit deus libenter voluissemus, quod ipse habuisset libertatem circa illud capitulum, de quo sibi fecimus mentionem, et in ultimis, quando

recesserunt nostri ambaxatores de partibus Hungarie, ipsi fecerunt etiam mentionem domino regi, quia ad parere nostri dominii illud capitulum servit et respicit in omnem partem, et est sine aliqua suspiccione, et de illo deberent omnes esse contenti, sicut per nostros ambaxatores dici fecimus serenissimo domino regi in partibus Hungarie. Et quia modus predictus videtur nobis bonus et utilis pro utraque parte, excellentissimus dominus rex semper inveniet dominationem nostram circa illum modum bene dispositam et paratam. 84.

Ser Micael Contareno consiliarius, ser Leonardus Dandulo miles procurator, ser Pantaleo Barbo miles sapiens consilii, ser Jacobus Valaresso sapiens ordinum. Quod in nomine iesu christi pro bono et utilitate agendorum nostrorum et securitate et conservatione status nostri possit tractari et concludi liga cum isto ambaxatore serenissimi et excellentissimi domini regis Hungarie secundum formam capitulorum alias tractatorum per nostros ambaxatores in partibus Hungarie, sicut captum fuit ordinate in consilio rogatorum et additionis cum omnibus illis avantagiis et melioramentis, que poterunt obtineri pro bono nostro et agendorum nostrorum. 9, non sinceri 19, de non 2.

Secretu Cons. Rog. R. 13, u mlet. arkivu.

CCCLVII. God. 1388. 29 travnja, u Mletcih.

Odgovara se poslaniku bosanskoga kralja, da republika nije voljna više odpremati mu poslanike, nego ako će, neka on pošalje svoga ovamo, te da će ga rado vidjeti.

1388. indictione XI, die 29 mensis aprilis. Sapientes consilii, sapientes ordinum. Capta: cum serenissimus dominus rex Raxie scripserit nostro dominio rogando cum instantia, quod nobis placeat ad presentiam suam mittere unum de nostris ad audiendum ea, que sua regia maiestas dicere vellet; vadit pars pro multis bonis respectibus, quod pro modo non mittatur aliquis de nostris ad ipsum dominum regem Raxie, quia non est neccessarium, quia nos misimus alias, ut notum est, et mictendo de novo et redeundo, et iterum remittendo ad ipsum dominum regem, perderetur multum de tempore, sed si regie maiestati sue placet aliquid dicere nostro dominio, ipse potest mittere ad nos, quia audiemus alacriter et libenter omnia, que sibi placebunt dicere. Et sic respondeatur isti suo ambaxatori, qui est hic. Non o, non sinceri 3, de parte 105.

Secr. Cons. Rogat. R. 14, u mlet. arkivu.

CCCLVIII. God. 1388. 3 svibnja, u Mletcih.

Neka galije odvedu bosanskoga poslanika u Hrvatsku.

1388. indictione XI, die tercio maii, capta: quod unus ambaxiator serenissimi domini regis Rassie possit levari super presentibus galeis culphy cum famulis, iocalibus et levibus arnesiis, et deponi in Sclavonia.

Misti XL. 113, u mlet. arkivu.

CCCLIX. God. 1388. 4 svibnja, u Mletcih.

Republika traži da saznaje, jeda li je istina, da Gjenuvezi kane prevesti u Dalmaciju napuljsku kraljicu Margaritu.

1388. indictione XI, die quarto maii. Dominus, consiliarii, capita et sapientes consilii exceptis ser Petro Aymo milite; ser Johannes Capello et ser Jacobus Suriano sapientes ordinum. Capta: quia divulgatum est et divulgatur per aliquos, quod intencio Januensium est cum galeis, quas armant ad presens, vel cum parte earum conducere ad partes Dalmacie dominam reginam Margaritam et eius filiam, et sapiens sit habere super hoc facto, quod vehementissime tangit statum nostrum, illas declarationes et informationes, que haberi possunt, ut possit factis nostris salubrius provideri; vadit pars, quod collegium domini, consiliariorum, capitum et sapientum consilii et ordinum habeat libertatem mittendi Januam unum suficientem nuncium cum illa commissione et verbis utilibus et fructuosis, que dicti collegio vel maiori parti videbuntur pro bono agendorum predictorum. De parte 76.

Ser Petrus Aymo miles sapiens consilii, ser Jacobus Valaresso, ser Nicolaus Gabriel, ser Johannes Alberto, sapientes ordinum. Quod pro habendo meliorem informationem istius facti et pro videndo puncta istarum literarum, de quibus facta est mencio huic consilio, istud factum debeat induciari usque cras per diem, et cras venietur huc, et fiet, sicut videbitur. De parte 21, non 0, non sinceri 4.

Secreta Con. Rog. R. 18, u mlet. arkivu.

CCCLX. God. 1388. 21 svibnja, u Mletcih.

Odlučeno, da se izplati knezu Grguru Kurjaku dobitak od njeke glavnice.

1388. indictione XI, die XXI maii. Consiliarii. Capta: cum egregius miles quondam comes Georgius de Curiacho iam bono tempore depositasset ad cameram nostram frumenti duc. V millia, et comes Gregorius de Curiacho, nepos prefati comitis Gregorii, cui spectant predicta V millia ducatorum, comparuerit coram nostro dominio, requirens humiliter, quod dicta V millia duc. et prode sequutum ex eis, quod est etiam duc. V millia, (restituantur ei), et iustum sit predicto comiti Gregorio civi nostro subvenire saltem de dicto prode, ut melius fieri poterit; vadit pars, quod dentur sibi pro nunc de dicto prode duc. mille V centum, et alia III millia V centum duc., que sunt residuum dicte pecunie silicet prodis, scribantur sibi in capitalibus ad cameram frumenti ita, quod de dictis tribus milibus et quingentis ducatis recipere debeat prode pro isto mense novembri proxime futuro, prout faciebat de dictis V millia ducatis, et sic successive de tempore in tempus. Item de prode III millium V centum ducatorum, quod recipere debet isto mense novembri proxime venturo, complaceatur sibi in tantum, quod sibi dentur pro presenti ducati ducenti quinquaginta auri.

Misti XL. 115, u mlet. arkivu.

CCCLXI. God. 1388. 21 svibnja, u Mletcih.

Mletčani nastoje, da jim knez drački izruči njeku gradsku kulu. Odredbe tičuće se onih, koji su se iz Arbanije kao bjegunci izpred Turaka vozili u mletačke strane.

1388. die XXI maii. Sapientes ordinum. Capta: quod respondeatur istis ambaxiatoribus domini Durachii, quod, sicut ipse dominus et predicti ambaxiatores evidentissime comprehendere potuerunt, nos ob singularem benivolentiam et amorem, quem ad ipsum dominum gessimus et gerimus tanquam ad intimum et carissimum amicum dominii nostri, essemus semper dispositi ad omnia, que cederent ad bonum et conservationem sui status et honoris, et revolventes in mentibus nostris ad conservationem suam, cogitamus, ut ipse dominus facilius possit ad concordium et bonam quietem cum Turchis pervenire, quod esset bonum et fructuosum, quod ipse dominus consignaret in manibus nostri dominii turrim Durachii a marina, quam faceremus fortificari et aptari ac custodiri cum aliquibus balistariis nostris ad expensas nostri communis, que quidem turris esset semper pro honore et bono status domini predicti et securitatis status sui, quem valde peroptamus tamquam de magnificio amico nostri dominii, quem intrinsice et cordiali affectu diligimus, dante etiam ipso domino nobis tantum terrenum circa dictam turrim, quod possit poni in fortilicia vel fieri una fovea circum circa, sicut videbitur. De predicta quidem turri dicimus per modum predictum hac de causa, videlicet: quod Turchi, videntes se destitutos habere dictam turrim, que est portus a marina Durachii, et quod esset in manibus nostri dominii, levius condescenderent ad çoncordium et tranquillitatem cum eo, quod nobis summe placeret pro conservatione et augumento status domini suprascripti, etiam ipse dominus sine dubio erit securior a civibus suis, qui haberent aliam intencionem contra eum, qui manebunt ad subiectionem domini predicti, videntes, quod haberemus turrim predictam; utendo hiis et aliis verbis placibilibus et bonis, que videbuntur.

Ad illud, quod dicitur, quod ipse dominus vellet accipere in uxorem de nostris nobilibus dominabus, respondeatur, quod quicquid ei placet circa hoc, etiam est nobis placidum et gratum tamquam de honorabili et carissimo amico et cive nostro, et dabimus eidem omne auxilium et consilium, sicut faceremus pro nostris propriis.

Ad illud, quod dicitur de subventione bladorum, dicatur, quod optantes conservationem et bonum ipsius domini pro subventioneque sua, sic dicimus, quod dabimus ordinem, quod conducentur Durachium staria II mille in III mille veneta frumenti pro precio librarum IIII½ pro stario sicut venit nostro communi, existente hoc primo capto per collegium bladi.

Ad factum autem illius territorii ponendi in fortilicia pro securitate Durachi secundum quod est ratiocinatum, quod cum dominus Durachii videbit tempus possendi facere fieri dictam foveam, quam multum hortamur fieri, nos offerimus nos dare sibi de hedificiis nostris necessariis pro faciendo dictum laborerium, ut possit cicius ad optatum finem sue intencionis venire. Et si idem dominus indigeret aliquo prothomagistro experto ad fatiendum laborerium suprascriptum, nos complacebinus eidem domino de dicto prothomagistro alacriter et libenter. Etiam dabimus ordinem, et sic mandabimus

capitibus galearum nostrarum, quod, reperientibus se in partibus Durachii, quando dicta fovea operabitur, quod cum ipsis galeis assecurent et faciant quicquid boni poterunt, ut Turchi non impediant laborerium dicte fovee, sed quod celeriter compleatur, notificante ipso domino nostro dominio, quando volet incipere dictum laborerium, ut possimus dare ordinem galeis nostris, sicut nobis videbitur. 75, de non 17, non sinceri 18.

Ser Nicolaus Bredani, ser Michael Contareno, ser Paschale Justiniano, consiliarii; ser Andreas Cauco consiliarius. Capta: quod pro honore nostri dominii et bono agendorum nostrorum considerato, quod isti ambaxatores Durachii sunt de maioribus et notabilioribus, que sint apud dominum Durachii, donentur brachia VIII. panni pro quolibet istorum trium ambaxatorum, secundum quod videbitur collegio.

Sapientes ordinum. Capta in collegio: quod octo brachia panni, que donari debent istis tribus ambaxatoribus Durachii pro quolibet, sint de scarlato duobus ambaxiatoribus, et de morello domino episcopo, que emantur pro illo meliori pretio, quo poterit fieri pro bono nostri communis, non possendo expendere ultra ducatos quinquaginta — 7.

Dominus dux: quod possint expendi solum ducati XXXVI pro bono nostri communis — 6.

Ser Jacobus Valaresso, ser Nicolaus Gabriel, ser Jacobus Suriano, ser Johannes Alberto, sapientes ordinum. Capta: cum alias provisum fuerit et captum per consilium rogatorum et additionis, quod anime, que conducerentur de partibus Durachii et illorum partium, forent franche cum conditione tamen, quod si ipse non haberent unde solvere ducatos sex pro qualibet, sicut in ipsa parte distinctius continetur, debeant esse obligate ad serviendum pro dictis sex ducatis annis quatuor, quibus completis, dicte anime remaneant franche; et sicut notum est, dicta provisio cedit ad magnum incommodum specialium personarum Venetiarum, que tenent de animabus predictis, et ista de causa non conducuntur de ipsis animabus in illa quantitate, que fieret, si aliter foret provisum, nam sicut notum est dicte anime sunt rustice et rudis intellectus, ita quod in termino annorum quatuor completorum nulla utilitas nec proficuum ex eis sequi potest, et quando esset tempus possendi aliquod comodum ex eis haberi, ipse erunt franche, et per istum modum iste anime nutrirentur cum onere aliorum et maximo bono earum ob multas causas et notanter, quia a manibus Turchorum liberantur, ubi essent in perpetua servitute cum tanta eorum strage, et super hoc sit remedium adhibendum; vadit pars, ut nostri habeant causam conducendi de ipsis animabus Venetias, ordinetur, quod dicta pars corrigatur in tantum, quod ubi fit mentio de annis quatuor, quibus dicte anime debent servire, ita de cetero dicatur de annis decem, et sicut fit mentio de ducatis sex ita de cetero dicatur de ducatis octo, remanendo dictam partem alias captam cum ceteris in ea contentis in sua firmitate, sicut iacet.

Item si aliquis civis vel habitator Venetiarum faceret sibi conduci aliquam vel aliquas de animabus predictis, quod dicte anime nihilominus teneantur ad serviendum annis decem, ut superius dictum est.

Et per similem modum observetur in huiusmodi animabus, que de cetero conducentur ad aliquas terras et loca nostra, quod debeant presen-

tari rectoribus nostris cum illa conditione, modo et libertate, quibus debent presentari capitibus sexteriorum cum omnibus ordinibus suprascriptis.

Item quod aliquis noster subditus vel fidelis cum aliquo navigio veneti vel forensis non possit conducere nec conduci facere aliquam vel aliquas de animabus predictis ad aliqua alia loca quam nostra sub pena librarum C. pro qualibet testa in suis propriis bonis, et non possit eis fieri gratia sub pena ducatorum ducentorum pro quolibet ponente vel consentiente partem in contrarium.

Misti XL. 116, u mlet. arkivu.

CCCLXII. God. 1388. 8 lipnja, u Mletcih.

In tractatione ligae inter venetam et januensem rempublicam in senatu veneto per sapientes consilii et ordinum etiam hoc propositum fuit: quod neutra partium possit acquirere terras vel loca in regno Hungarie seu locis suppositis chorone regni Hungarie; item „quod Januenses nullo modo possint sibi acquirere terras vel loca in culfo Venetiarum, et quod non impendiant Venetos a Syo citra usque ad culfum Venetiarum.“

Secreta Cons. Rog. R. 23, a mlet. arkivu.

CCCLXIII. God. 1388. 14 srpnja, u Mletcih.

Deliteratum, quod domini de nocte restituant navigium cum mercationibus conductum Venetias per galeam ducis Andagaviensis „acceptum de manibus Anconitanorum et caricatum mercibus Tragurinorum, Spalatinorum, Raguseorum et aliarum gentium de intra culphum, ut conservemus nobis istos de intra culphum in amicos, nec amittantur taliter introitus et dacia nostrī communis“, et hoc illis, qui habent jus in ipso navigio et mercibus supradictis.

Secreta Cons. Rog. R 27, u Mletačkom arkivu.

CCCLXIV. God. 1388. 14 srpnja, u Mletcih.

Dopušćeno Pantaleonu Barbu, da uživa dar poslan mu od ugar.-hrv. kralja.

1388. indictione XI, die XIIII iulii. Consiliarii omnes et capita XL. Capta: cum nobilis vir ser Pantaleo Barbo miles fuerit ambaxator ad partes Hungarie, ubi, sicut notum est, stetit magno et longo tempore, et in illis partibus ad honorem et statum communis Venetiarum se gessit, sicut omnibus plenissime notum est. Et existens in dicta ambaxata, et operando fideliter sibi comissa, fuit captus et derobatus ad valorem librarum XV. grossorum inter libros, pannos et lapides pretiosos. Occurrit vero, quod placuit serenissimo et excellentissimo domino regi Hungarie facere ipsum militem, quam militiam pro honore et bono agendorum communis Venetiarum ipse ser Pantaleo Barbo acceptavit, et tunc ipse misit serenissimo domino regi predicto duo jocalia ex dono pro honore nostre dominationis, que duo iocalia fuerunt solum lapides preciosi valoris librarum XVIII grossorum et ultra, et ipsa iocalia presentavit ipsi domino regi Laurentius de Monacis notarius curie nostre cum Simone de Trentis cognato suo, qui erant cum dicto ambaxatore, et est verum, quod tunc dominus rex misit dicto ambaxatori

ser Pantaleoni Barbo unam stagnatam et unam taciam argenti ex dono, que sunt valoris ducatorum quinquaginta vel circa, et dixit tunc nuntius regius: dominus rex mittit vobis istud donum pro militia vestra; vadit pars omnibus predictis consideratis, quod dicte stagnata et tacia argenti, date dicto ser Pantaleoni Barbo pro militia sua, ut dictum est, debeant dari libere et restitui dicto ser Pantaleoni Barbo, ut est conveniens atque iustum, habito respectu ad dampna, que passus fuit, et ad id, quod presentavit domino regi pro militia sua predicta, ut superius per ordinem dictum est; et si consilium et cet. 66, de non 19, non sinceri 2.

Secreta Cons. Rog. R. 29, u mlet. arkivu.

CCCLXV. God. 1388. 24 srpnja, u Mletcih.

Utvrdjuje se kula u Draču.

1388. die XXIIII iulii. Sapientes ordinum. Capta: cum alias captum fuerit in isto consilio et commissum nobili viro Johanni Capello vicecapitaneo nostro culfi, quod deberet petere a domino Durachii turrim a marina Durachii pro omni bono respectu, qui dominus assensit secundum requisitionem nostram, et per litteras, quas nuper accepimus a domino Durachii et ab episcopo et consule nostro Durachii, illa civitas subcumbit maiori periculo quam unquam, ita quod de necessitate est providendum ad fortificandum et manutenendum dictam turrim, sicut captum est in isto consilio; vadit pars, quod pro reparatione ipsius mittantur Durachium unus prothomagister, duo murarii et duo marangoni pro edificatione et aptatione turris predicte. Et ut possit dare expeditio istis negociis, quia sine pecunia fieri non potest, mittantur ad manus ser Johannis Capello ducati centum in tornesellis pro expensis necessariis fieri ad turrim predictam. Et quando dictus ser Johannis recederet de Durachio, debeat dimittere unam personam de suis hominibus expertam et fidam cum prothomagistro ad fatiendum expensas opportunas, et dictus ser Johannes debeat dimittere tantam pecuniam dicto suo homini, quantam viderit expedire, donec putabit redire. Et scribatur dicto ser Johanni, quod ad celerem expeditionem dicte turris sit sollicitus et attentus, sicut de eo plene speramus, et cum maiori avantagio poterit pro nostro communi. Verum quia huiusmodi moneta torneselle non est solita expendi in Durachio, scribatur domino Durachii, et primo de receptione suorum litterarum, sicut fuerit expediens, ac dicendo sibi, quod illud, quod facimus, est solummodo pro conservatione et bono status sui, et quod propterea stet constans et fortis ad substinendum viriliter statum et dominium suum, etiam quod faciat publicare, quod illa moneta tornesellorum, que est bona moneta et expenditur multum bene in locis nostris Mothoni, Coroni et Corphoy, debeat expendi etiam in Durachio, quia ut dicitur, est bona moneta, et quod ad celerem expeditionem edificationis turris predicte placeat dare auxilium, consilium et favorem, sicut erit expediens, quia totum istud redundat ad fortificationem et bonum suum.

Recordando etiam ipsi domino, quod nobis videretur, quod foret utilissima res, quod illa fovea, de qua alias ratiocinatum fuit, expediretur et fieret pro securitate sua et suorum subditorum.

Predicto autem ser Johanni Capello scribatur, quod quam sepius poterit cum securitate tamen culfi cum galeis suis visitare debeat illum locum Durachii et hortari dominum et alios, quos viderit opportunos, ad constantem voluntatem libertatis et franchisiarum suarum. Etiam faciat idem ser Johannes, quod illa persona, quam dimittet in Durachio, sit sufficiens et experta, que possit esse cum domino Durachii ad procurandum et fatiendum quicquid fieri poterit pro expeditione turris et aliarum rerum spectantium ad securitatem et bonum dicte civitatis. Item mittatur de badilibus, civeriis et zaponis pro opere turris. De non 10, non sinceri 5.

Misti XL. 125, u mlet. arkivu.

CCCLXVI. God. 1883. 21 kolovoza, u Mletcih.

Mletčani, odgovarajući njekomu Zadraninu, koj jim nudio Dalmaciju, izkazuju se kao voljni, da ostane vierna ugar.-hrv. kruni.

1388. indictione XI, die XXI augusti. Consiliarii: ser Jacobus Delphyno miles, ser Michael Contareno caput de XL, ser Daniel Delphyno; sapientes consilii: ser Leonardus Dandulo miles, ser Petrus Mocenigo procurator, ser Petrus Cornario, ser Petrus Aymo miles, ser Dominicus Bono; sapientes ordinum: ser Victor Vallaresso, ser Nicolaus Gabriel, ser Rossinus Marino. Capta: quod iste fidelis dominii revertatur ad amicum suum, et dicat sibi, quod ipse ordinate fecit nobis relacionem de omnibus, que ab eo habuit et de intencione et dispositione sua, de qua nos regratiamur sibi quantum plus possumus, parati prompta mente ad cuncta concernentia honorem et statum suum ac domus sue, tanquam pro karissimo amico, quia clare et manifeste comprehendimus intencionem suam procedere ab optima dispositione, quam habet versus nostrum dominium.* Sed veniendo ad factum sic dicimus, quod teste deo dispositio et intencio nostra semper sincerissima fuit et est versus illam communitatem et totam Dalmatiam, nec unquam quesivimus aliquid contra honorem et statum suum ac contra voluntatem suam, ymo intentio nostra fuit et est, vivere secum amicabiliter et fraterne, ut cum carissimis amicis et bonis vicinis nostris. Et bene notavimus et notamus modum recordatum per amicum predictum, qui modus, videlicet pactorum veterum, valde plus placeret nobis quam aliquis alius modus. Et propterea ipse est sapiens, potest videre et examinare factum istud, ac si sibi placebit, informare nos de his, que habebit, et de omnibus, que occurrent. Et tunc nos dabimus ei nostram responsionem, secundum que convenire videbimus pro bono et honore utriusque partis. Unum tamen pro nostra conclusione sibi tacere non volumus, quod illa communitas habet de nobis bonam spem, et faciat bonam fidem, quia pro certo ipsis erimus boni amici et bonam viciniam faciemus, neç de nobis possunt modo aliquo dubitare, et ita invenient per effectum in quibuscumque casibus, qui eis occurrerent quomodoqcumque. De parte 53—58.

Ser Panthaleo Barbo miles, ser Michael Steno procurator, sapientes. Quod ille fidelis dominii etc. usque.* Et postea. Ad factum principale respondeat ei, quod dominatio nostra habet, et semper habere intendit communitatem Jadre in caros et bonos vicinos et amicos, et facere et operari omnia, que cedant ad honorem et conservationem illius communitatis, et quod de dominatione nostra eidem communitati placeat

habere occasionem, bonam spem et firmissimam confidentiam, et removere omnem suspicionem, quia omnia, que respiciunt consolationem, bonum et honorem suum, sumus dispositi facere bono animo, tenendo pro constanti, quod sumus dispositi omnino non operari aliquid, quod sit vel esse possit ad damnum vel incomodum suum ullo modo. Sed propter aliquas convenientias et racionabiles causas, que racionabiliter eis placerent, si scirent, non videmus abiliter de possendo pro modo dare sibi determinatum responsum, quod responsum nostrum sibi dabimus de brevi, quod erit justum, rationabile et honestum, et speramus, quod erit satis sibi placibile. De parte 12.

Ser Zacharias Contareno sapiens. Quod iste fidelis dominii etc. usque* Ad factum principale respondeatur amico, quod intentio nostri dominii semper fuit et est servare pacem domino regi et corone Hungarie et omnes Dalmatinos habere et tenere pro caris et bonis amicis et vicinis nostris, et non solum conservare cum eis istam amicitiam, sed potius de bono in melius augere temporibus in futuris, et quod reddant se certissimos, quod non intendimus ullo unquam tempore querere aliquod, quod sit ad damnum suum ullo modo. Et ad claritatem istius nostre bone intentionis, quod videant et examinent, si per nos potest aliquid fieri pro bono et conservatione sua, et quod notificent nobis, quia invenient dominationem nostram sincerissime et optime dispositam ad omnia, que faciant pro bono et conservatione sua et status sui et cum honore suo et nostro; concludendo illi amico, quod debeat probare et requirere confidenter dominationem nostram, quia sicut dici facimus per verba, ita videbunt clare et manifeste operum per effectum. De parte 18—31.

Ser Benedictus Superantio sapiens volebat ut supra usque* postea declarabat causas, propter quas alias quesivimus ligam cum corona Hungarie; et postea ad factum principale dicat amico, quod dominatio nostra, volens observare pacem, nunquam circhavit de habendo Dalmaciam, et quando attenderet ad tales res, non peteret iam de habendo illam nisi per modum recordatum per amicum et cum voluntate nobilium et bonorum hominum deinde, et libentius cum voluntate domini regis, quam per aliquem alium modum. Et in conclusione volebat, quod fidelis dominii, monstrando dicere a se, consuleret amico, quod in curia domini regis procuraret, quod dictus rex esset contentus, quod Dalmatia esset in protectione et fidelitate communis Venetiarum, reservando sue corone iurisdictiones antiquas vel de aliis, sicut videretur bonum esse pro omnibus partibus. 3, de non 12, non sinceri 14, 23.

Secreta Cons. Rog. R. 33, u mlet. arkivu.

CCCLXVII. God. 1388. 26 kolovoza, u Mletcih.

Conceditur mercatoribus de partibus Sclavoniae, habentibus multas quantitates ballarum pannorum pro ponendo in partibus Sclavonie usque Ragusium, quod patroni galearum recipiant dictas ballas et portent illas, solvendo dacium sicut si caricassent super navigio disarmato.

Misti XL. 129, u mlet. arkivu.

CCCLXVIII. God. 1388. 26 kolovoza, u Mletcih.

Obdaruje se gori pomenuti Zadranin.

1388. die XXVI augusti. Sapientes consilii. Capta: quod pro bono agendorum nostrorum collegium domini, consiliariorum, capitum et sapientum consilii habeat libertatem possendi expendere pro donando cuidam amico ducalis dominii usque ducatos CL in illis rebus, que dicto collegio videbuntur.

Secr. Cons. Rog. R. 33, u mlet. arkivu.

CCCLXIX. God. 1388. 30 kolovoza, u Mletcih.

Odpušća se obćini trogirskoj jedna galija uz naknadu.

1388. die penultimo augusti. Dominus, consiliarii, capita, sapientes consilii et ordinum. Capta: quod nobilibus et prudentibus viris . . . regiminibus, consilio et communitati Tragurii, intimis amicis nostris, sicut amicabiliter et devote rogaverunt per suum ambaxatorem, complaceatur de una ex nostris galeis novis arsene cum suis coredis, que videbitur collegio domini, consiliariorum, capitum et sapientum consilii et ordinum, et pro illo precio, quod dicto collegio videbitur; committendo ex nunc patronis arsene, quod precium dicte galee non expendatur in alio, quam in ponendo tres galeas in canterio et in fabrica earum sub pena librarum V centum pro quolibet eorum in suis propriis bonis. Et est capta per quinque consiliarios. De parte 83, de non 4, non sinceri 4.

Misti XL. 130, u mlet. arkivu.

CCCLXX. God. 1388. 6 rujna, u Mletcih.

Neka se ugar.-hrv. poslaniku izruči godišnji danak od 7000 dukata već odpremljen u Zadar.

1388. die sexto mensis septembris, XII indictionis. Dominus, consiliarii, capita et huius oppinionis suprascripti sapientes consilii. Capta: cum providus vir Johannes Plumatio notarius curie nostre fuerit destinatus Jadram cum pecunia, scilicet cum illis ducatis VII millia, qui debent dari domino regi Hungarie secundum formam pacis, et nunc iste dominus episcopus ambaxator serenissimarum maiestatum Hungarie venerit Venetias inter alia pro pecunia supradicta, et multum instet de habendo eam, et apportavit secum quietaciones ad plenum; vadit pars, quod collegium, silicet dominus, consiliarii, capita et sapientes consilii et ordinum habeant libertatem mittendi pro dictis denariis, quod de Jadra conducantur Venetias, per illum bonum modum, qui videbitur dicto collegio vel maiori parti.

Secreta cons. rog. R. 34, u mlet. arkivu.

CCCLXXI. God. 1388. 9 rujna, u Mletcih.

U poslu saveza medju republikom i ugar.-hrv. krunom.

1388. indictione XII, die nono septembris. Consiliarius; ser Michael Contareno: ser Rossus Marino caput de XL; sapientes consilii: ser Petrus Mocenigo procurator, ser Petrus Cornario procurator, ser Petrus Aymo mi-

les, ser Benedictus Superancio, ser Dominicus Bono; sapientes ordinum: ser Victor Vallaresso, ser Nicolaus Gabriel. Capta: quod respondeatur domino episcopo Vesprimiensi ambaxatori serenissimarum maiestatum Hungarie ad factum istius lige, quam dicit velle tractare iuxta formam articuli alias dicti per nostros ambaxatores domino regi in partibus Hungarie, et paternitati sue, quando hic fuit, quod intentio et dispositio nostre dominationis ad honorem et statum predictarum maiestatum regni et corone Hungarie semper sincerissima fuit et est. Et non dubitamus imo a certo credimus, quod ipsa nostra dispositio dictis maiestatibus, prelatis et baronibus regni notissima est, quia ea, que fecimus, procuravimus et tractavimus pro liberatione serenissime domine regine ac conservatione status et corone Hungarie cum magnis expensis nostris et damno agendorum nostrorum non solum eis, sed satis publica sunt per orbem, et ita facere dispositi essemus occurentibus casibus in cunctis nobis possibilibus. Et pro tanto requisiti ab ipsis maiestatibus de ambaxata nostra pro tractando illam primam ligam, de qua alias facta fuerat mentio, misimus nostros ambaxatores ad presentiam suam cum libertate ad plenum concludendi in ipsa liga, quam utilem et fructuosam cognoscebamus pro consenvatione et validatione status suprascriptarum maiestatum; credentes firmiter, ipsam fore gratissimam omnibus prelatis et baronibus regni ac comitatibus Dalmatie; sed videntes oppositum videlicet, quod nonnullis ex baronibus et comitatibus predictis Dalmatie displicebat, et quod ubi de nostris bonis operibus premiari debebamus, reddebamus suspecti, deliberavimus esse utilius principaliter pro bono maiestatum predictarum retrahere nos a dicta liga, et ita facimus, faciendo postea fieri mentionem de ista alia forma et de isto alio articulo, quem putavimus et putamus esse gratum ipsis maiestatibus, omnibus prelatis et baronibus regni ac communitatibus Dalmatie. Et propterea concludendo dicimus, quod, contentantibus dictis comitatibus Dalmatie de dicto articulo et de faciendo iuramentum, et existentibus nobis claris de hoc, nos parati erimus facere et concludere ipsum articulum secundum formam et tenorem alias recordatum et dictum per nostros ambaxatores et nos. Et circa obtinendam istam nostram intentionem possint uti et dici per collegium illa verba et rationes, que utiles videbuntur pro honore et bono nostri dominii. De parte 71.

Ser Leonardus Dandulo miles, ser Michael Steno procuratores, sapientes consilii, volebant totam narrationem suprasciptam, cum ista conclusione, quod nos sumus contenti et sic diximus alia vice, quando paternitas sua fuit hic, videlicet, quod in bona gratia ista secunda lega fiat, iurantibus et promittentibus omnibus terris Dalmatie usque tres menses proximos de observando, sicut continebitur in tractatu, et istud est iustum et rationabile, quia ille sunt ille terre, que habent portus, et debent facere executionem istius facti, quando casus occurreret. Et si illi de terris predictis non facient ipsum iuramentum usque dictum terminum, quod dicta liga vel confederatio sit nullius efficacie vel valoris, remanentibus semper partibus in vero et bono amore, ut sunt ad presens; utendo hiis et aliis verbis, que videbuntur pro honore nostri dominii. De parte 11, de non 3 non sinceri 8.

Secreta cons. reg. R. 35, u mlet. arkivu.

CCCLXXII. God. 1388. 11 listopada, u Mletcih.

Povraćaju se Dalmatincem njeke stvari, koje su jim bile uzapćene.

1388. iudictione XII, die undecimo mensis octobris. Dominus consiliarii, capita et sapientes consilii. Missa dominis de nocte. Capta: quod pro multis bonis respectibus et pro honore nostre dominationis ordinetur, quod illud navigium, res, mercationes et bona, que fuerunt conducta Venetias per gentes illius galee de Barri, vel que est ad soldum domini ducis Andegavensis, et fuerunt intromissa per dominos de nocte de mandato nostri dominii, debeant restitui Dalmatinis et omnibus aliis personis, ad quas spectant et quorum sunt. Et committatur dominis de nocte, quod dent expeditionem huic facto pro honore nostri dominii. Non sinceri 7, de non 7.

Secreta cons. rog. R. 40, u mlet, arkivu.

CCCLXXIII. God 1388. 23 listopada, u Mletcih.

Ovlašćuje se pomorski kapetan, da uzme u svoje ruke poglavite tvrdjave Drača. ako knez nije u stanju, da ga proti Turkom obrani.

1388. die XXIII octubris. Sapientes ordinum ser Victor Vallaresso, ser Jacobus Contareno. Capta: cum alias captum fuerit in consilio rogatorum et additionis, considerato maximo preiudicio et sinistro, quod cederet factis nostris, si civitas Durachii perveniret ad manus Turchorum, quod ipsa civitas deberet accipi et conservari ad honorem nostri dominii in casu quo dominus Durachii ipsam defendere non posset, que provisio facta fuit pro bono et conservatione status nostri, sicut omnibus extat satis notorium. Et intellectis litteris, quas nobilis vir ser Johannis Capello sapienter et ordinate descripsit, plenissime comprehenditur, quod status dicte civitatis non fuit adhuc in tam stricto puncto et evidenti periculo, quemadmodum ad presens est. Et pro conformando se determinationi facte per istud consilium ita solemniter, et pro non mittendo illud, quod fecimus in construendo turrim Durachii, necessarium est superinde opportunis remediis providere; vadit pars in nomine iesu christi, quod scribatur et mandetur capitaneo nostro culfi, quod debeat corvocare omnes supracomitos nostros culfi, qui secum erunt, et conferre cum consule nostro deinde, et examinatis diligenter et mature conditionibus civitatis Durachii et domini dicti loci, si videbitur dicto capitaneo et supracomitis nostris vel maiori parti, quod civitas Durachii subiaceat evidendi periculo Turchorum, quia dominus Durachii sit in tanta extremitate tam persone quam haveris, sicut notificatum est nobis per ser Johannem Capello predictum, ita quod de persona domini Durachii non videatur esse remedium, tunc pro non subcumbendo tanto discrimini per tempore futura, debeat idem capitaneus instare et procurare cum illis baronibus, in quorum libertate sive potestate sunt fortilicie Durachii, secundum quod scribit ser Johannes Capello predictus, quod ipse fortilicie ponantur in manibus et forcia nostre dominacionis, ponendo bene mentem, quod ille fortilicie, que consignarentur per modum predictum, sint principaliores et ita situate, quod alie fortilicie terre non possint istis obstare nec damnum inferre istis fortiliciis, que ponerentur in manibus, nostris, dicendo predictis baronibus, quod novit deus, quod ad istam intromissionem non attendimus nisi pro bono et conservatione baronum et illius

civitatis ad honorem fidei christiana, etiam dando predictis baronibus et allis, que viderentur, amplam spem, quod erunt semper in gratia nostri dominii, quos habebimus omnes favorabiliter commendatos. Verumtamen ut non cesset tantum bonum, quia illi, qni tenent fortilicias, attendere possent ad aliquam utilitatem sive provisionem, tunc in casu quo capitaneus noster et supracomiti predicti viderent, quod in hoc esset difficultas, relinquimus in libertate sua vel maioris partis promittendi illis quatuor, quos nominat ser Johannes Capello, seu illis, qui darent fortilicias, usque ad summam ducatorum V. centum vel circa inter omnes predictos pro sua provisione singulis annis in vita sua. Et si predicte fortilicie consignabuntur in manibus capitanei nostri secundum ordinem suprascriptum, tunc provideat capitaneus in bona gratia de custodia et conservatione dictarum fortiliciarum, sicut sapientie sue videbitur opportunum.

Si vero capitaneus noster et supracomiti suprascripti haberent et sentirent, quod dominus Durachii foret in convalescentia, et attenderet ad conservationem suam et status sui, tunc et eo casu non debeant movere aliquid verbum de predictis, sed teneat modum capitaneus predictus de loquendo predictis baronibus, et cum illis sapientibus et dextris verbis, que sibi videbuntur, hortari ipsos ad substinendum se viriliter, pro non veniendo ad tam miserabilem conditionem, sicut essent, si subiacerent manibus et potestate Turchorum; addendo, quod si in futurum viderent aliquem casum sinistrum de domino dicti loci, vel quod moriretur, vel quod non posset se tueri ab insultibus Turcorum, ita quod essent perventuri in manibus Turcorum, quod ipsi tanquam barones principales vigilantes ad salutem et conservationem suam accipiant et teneant fortilicias in custodia ad honorem nostri dominii, et nobis notificent de presenti, quia subito mittemus succursum, et providebimus taliter superinde, quod erit salus et perpetua conservatio ipsorum et omnium aliorum in predicta civitate degentium; utendo hiis et aliis verbis caritativis et benignis, prout videbitur capitaneo nostro predicto, dando eis in omni casu amplam spem de favore et gratia nostri dominii.

Ad informationem nostram denotamus, quod captum est de mittendo unam barcham bene paratam ad vos cum simili mandato, et per ipsum mittere ducatos mille auri pro fulcimento et munitione fortiliciorum in casu quo obtineantur, et propterea non desistatis intrare ad rem et facere expensas necessarias de denariis, si quos habebitis penes vos.

Sapientes ordinum. Capta: quod pro dando expeditionem istis negociis scribatur subito hanc nostram intencionem capitaneo nostro culfi per unam barcam celerem et expeditam, cum qua mittantur ipsi capitaneo ducati mille auri, ut in casu, quo haberet fortilicias per modum enarratum superius, possit ipsas fulcire balistariis, munitione et aliis opportunis. Scribatur etiam capitaneo culfi, quod si foret opportunum fieri maiores expensas, et ipse haberet denarios apud se tam de illis, quos sibi misimus, quam de illis, quos habuit in partibus Sicilie, faciat pro bono istorum agendorum, sicut fuerit opportunum.

Misti XL. 140, u mlet. arkivu.

CCCLXXIV. God. 1389. 30 siečnja, u Mletcih.

Neka se po poslaniku obavieste kralj i kraljica ugar.-hrv. ob onom, što se pročulo iz Bosne i o stožernicih, koji su odredjeni da krune sina pok. kralja Karla.

1388. indictione XII. 30 ianuarii. Sapientes consilii. Capta: quod pro reddendo informatum regem et dominam reginam Hungarie de his, que sentimus de partibus Bossine, et etiam de illis duobus cardinalibus, qui ituri sunt ad coronandum filium quondum domini regis Karoli, collegium domini, consiliariorum, capitum et sapientum ambarum manuum habeat libertatem mittendi unam sufficientem personam ad partes Hungarie ad significandum sibi predicta pro bono agendorum nostrorum per illum modum, qui dicto collegio utilis apparebit.

Secreta Cons. Rog. R 44, u mlet. arkivu.

CCCLXXV. God. 1389. 9 veljače, u Mletcih.

Opet se odlučuje, da se po poslaniku obaviesti ugar.-hrv. kralj o njekojih veleva̋nih dogodjajih.

1388. indictione XII, die octavo februarii. Consiliarii et capita. Capta: quia facit pro honore nostri dominii informare serenissimum et excellentissimum dominum regem Hungarie de hiis, que sentimus et que tangunt serenissimas regias maiestates suas et regnum et honorem et statum suum; vadit pars, quod mittatur unus noster notarius sufficiens ad partes Hungarie, per quem notificentur ordinate omnia, que habemus, domino regi et domine regine tam de literis nobis missis per dominum Thomam de sancto Severino quam de casu occurso galee Zadratinorum et de captione domini episcopi Isagrabiensi et aliorum captivorum, et de ordine, quem dedimus galeis nostris culfi, quas misimus ad partes Sicilie et alia loca occasione galee predicte, ut non adimpleret malum propositum suum, que omnia eis notificare deliberavimus, quia honorem et statum excellentie sue et corone et regni Hungarie velut nostrum proprium reputamus et intendimus perpetuo reputare; et vadat iste noster nuntius cum illa commissione et informatione in predictis et circa predicta et alia, que videbuntur ei committenda, sicut videbitur collegio vel maiori parti. 63, de non 10, non sinceri 1.

Misti XL. 159, u mlet. arkivu.

CCCLXXVI. God. 1389. 10 veljače, u Mletcih.

Republika obaviešćuje ugar.-hrv. kralja ob onom, što je odredila bila da preprieči izkrcanje napuljske kraljice Margarite u Hrvatsku.

1388. indictione XII, die X februarii. — Capta in collegio: quod mittatur Laurentius de Monacis notarius noster in Hungariam cum ista commissione. Laurenti! vade solicite ad presentiam serenissimi domini regis Hungarie et excellentissime domine regine, quos sub nostris literis credulitatis parte nostra salutabis cum illis honorabilibus et pertinentibus verbis, que pro honore maistatum suarum et nostri dominii videris convenire, offerendo nos et nostrum commune ad cuncta concernentia conservationem

status corone et regni sui, quam ut propriam exoptamus. Deinde expones maiestatibus suis, quod perseverantes in sincero proposito nostro vigilavimus et continuo vigilamus ad obstandum totis viribus quibuslibet propositis et imaginationibus, quas emuli corone et regni sui fecerunt et faciunt in damnum et detrimentum honoris et status sui. Unde multis mensibus iam elapsis sentientes, quod Jadratini armaverant unam galeam, quam mittere intendebant Gaetam ad dominam Margaritam pro conducendo eam vel filium ad partes Dalmatie, mandavimus capitaneo nostro culphi, quod cum omnibus galeis sibi comissis, que fuerunt sex numero, staret attentus et paratus ad sentiendum de viis et progressibus galee predicte, et quod teneret modum omnino, quod in reditu suo haberent linguam de ipsa galea et in casu quo invenirent in ea predictam dominam Margaritam vel filium, tenerent modum de habendo ipsos in manibus suis, per quem ordinem ipse capitaneus noster misit galeas suas ad partes Sicilie et ad alias partes cum tali et sic sufficienti ordine, quod semper informatus extitit de motibus et viis suis, et in reditu, quem faciebat, pervenit ad manus partis galearum suarum, sed habito clare et manifeste, quod neuter predictorum eant in ipsa galea, nulla novitas vel motus per nostras galeas factus fuit. Postea narrabis, qualiter per litteras domini comitis montis Caucensis singularissimi amici nostri informati fuimus, qualiter, sicut domino placuit, galea predicta in principio mensis ianuarii in acquis Taranti naufragium passa fuit, et qualiter in ea erat dominus Paulus olim episcopus Zagabriensis, dominus Johannes de Grisoganis et Cresius eius frater, qui captivi sunt ipsius domini comitis, penes quem reperta est una litera ipsius domine Margarite, que multum nostro iuditio tangit statum suum. Et propterea volumus remittere ad presentiam maiestatum suarum cum copia litterarum ipsius domini comitis et domine Margarite, ut sint de omnibus informati, quia honorem et statum suum et sue corone velut proprium reputavimus et intendimus perpetuo reputare. Utendo his et aliis verbis, que tibi videbuntur circa istam nostram intencionem. Et expositis predictis, ac habita responsione ipsorum dominorum regis et regine, accepto honore et devoto comeatu, Venetias revertaris de omnibus factis deinde plenarie informatus. Visitabis quoque illos prelatos et barones, quibus nostras literas mittimus, si eos invenies, cum illis verbis, que tibi videbuntur, et quicquid ab eis habueris, nobis in tuo reditu particulariter declarabis. Insuper quia istis diebus preteritis recepimus unam literam dicti domini regis pro factis Francisci de Bernardo, cuius copiam tibi dari fecimus pro tua informatione, volumus et committimus tibi, quod caute et dextro modo procures sentire, si ipsa litera processit a curia regia et de consensu et voluntate sua, quia est tenoris non bene rationabilis nec honesti. Et in casu quo habeas, quod ipsa litera processerit a curia et de mente regia, tunc cum illis verbis et rationibus, que sapientie tue videbuntur, debeas facere excusationem domino regi de facto predicto, quia nos volumus habere bonum consilium et deliberationem superinde, et habemus, quod non habeat ius in pecunia, quam petit. Si autem haberes, quod processisset per alium modum, nichil dicas de facto, sed cum eo, quod senseris, posito fine factis tibi comissis, Venetias revertaris.

Secreta Cons. Rog. R 49, u mlet. arkivu.

CCCLXXVII. God. 1389. 26 veljače, u Mletcih.

Neka galija prebrodi poslanike Drača i Avalone u njihove strane.

1388. indictione XII, die 26 februarii. Ser Victor Vallaresso sapiens ordinum. Capta: quod ambaxatores Durachii, qui hic sunt, persone notabiles cum sua familia, et quidam nuncius domine Avalone intime amatricis nostri dominii, possint levari super ista nostra galea armata cum levibus arnesiis suis et conduci Durachium et Avalonam vel ad illa loca, que essent magis accomoda galee predicte. Verum comitatur supracomiti ipsius, quod faciat expensas oris ambaxate predicte Durachii et sue familie, que solvantur per nostrum commune, ut est iustum.

Misti XL. 154, u mlet. arkivu.

CCCLXXVIII. God. 1389. 26 veljače, u Mletcih.

Riešeno, da se ustupi knjeginji Avalone jedan oružani brod, i da se ju primi u mletačku zaštitu, s-uvietom ipak, da za Sasin svake godine pruži tri veslača za galije.

1389. die 26 februarii. Sapientes ordinum. Capta: cum egregia domina Avalone per suum ambaxatorem humiliter exponi fecerit nostro dominio, quod attentis insultibus Turchorum et aliorum, qui eam et res suas molestare non cessant; considerata affectione maxima, quam habuit et habet ad honorem nostri dominii, quodque intendit se tenere et tueri sub nomine et protectione nostri dominii, placeret nobis, quod possit emere in Venetiis unum brigantinum pro armando, ut possit substinere et conservare se et loca sua ad nostrum honorem. Insuper, quod placeat nobis facere sibi litteras nostras patentes pro ipsa domina et subditis suis, qualiter ipsa est sub protectione et obedientia nostra, ne molestetur a quocumque. Etiam ipse ambaxator se offert, quod faciet, quod ipsa domina in recognotionem Sasni a nostro dominio erit contenta de dando omni anno tres ex suis hominibus a remo capitaneo nostro culfi, qui stabunt super galeis nostris culfi, donec erit in actu redeundi Venetias, et stabunt ad expensas ipsius domine de soldo; vadit pars, considerata sinceritate et laudabili dispositione ipsius domine, quod fiat sibi, sicut petit, videlicet, quod possit emere unum brigantinum in Venetiis, et conduci facere eum ad partes Avalone pro conservatione et bono ipsius domine, ut dictum est. Et fiant sibi littere patentes in forma opportuna, ut ipsa domina tractetur tamquam domina existens sub protectione nostri dominii, ut superius dicitur. Que littere non debeant assignari domine predicte nec nunciis suis, nisi pius faceret promissionem dictorum trium hominum pro culfo. Et committatur provisori nostro ser Peratio Malipetro et ser Leonardo Trevisano, vicecapitaneis culfi, quod dictam promissionem debeant acceptare et recipere a domina suprascripta. Insuper committatur capitaneis nostris culfi, qui erunt per tempora, quod, quando erit rediturus Venetias aliquis eorum, debeant deponere illos tres homines in terram in illo abiliori loco, quem poterint, ut redeant domum sive ad partes eorum, quomodo comodius fieri poterit.

Misti XL. 158, u mlet. arkivu.

CCCLXXIX. God. 1389. 26 veljače, u Mletcih.

Opet nastoje Mletčani, da Drač prodje u njihove ruke.

1388. die XXVI. februarii. Ser Tomas Barbadico, ser Blancus Barbo, ser Jacobus Contareno, sapietes consilii. Capta cum addicione, posita per ser Victorem Valaresso et ser Johannem Capello. Cum comparuerint coram ducali dominio duo ambaxiatores domini Durachii, exponentes inter alia maximam extremitatem civitatis Durachii et debilem condicionem illius domini tam propter infirmitatem suam incurabilem quam propter necessitatem suam et omnium baronum suorum tam haveris quam bladi et victualium, quia omnes sunt consupti, ob que dicta civitas subiacet maiori periculo quam unquam fuerit in perveniendo ad manus Turcorum; insuper exposuerant, quod dominus Durachii petit instantissime, quod non astringatur ad solvendum illos ducatos VII centum vel circa de precio frumenti conducti Durachium, ad que omnia est omnino providendum et presto, nec permittere rem ire ita sub se pro evidentissimo bono nostro. Nam sicut omnibus notum est, si dicta civitas ad manus Turcorum veniret, consideratis flumariis, que sunt in tanta quantitate circa Durachium, de quibus possent extrahi galee et ligna, quia ibi sunt lignamina et de pice et aliis preparamentis ad nocendum in mari, cederet ad nimis grave damnum nostri communis et status nostri; vadit pars quod in nomine iesu christi pro habendo personas notabiles in Durachio, que prohibeant, ne Turchi intrent in Durachio, et que habeant semper menti et cordi suo honorem nostri dominii, possit promitti usque sex ex baronibus Durachii, qui videbuntur collegio, in numero quorum sint isti duo ambaxiatores, ducati triginta in anno pro quolibet ad beneplacitum nostri dominii, et detur sibi ad intelligendum, quod si civitas Durachii perveniet ad manus nostri dominii, providebimus de eis, quod ipsi habebunt merito contentari. Et detur istis duobus ambaxatoribus page de mentibus sex pro quolibet.

Ad factum autem frumenti sic ordinetur, quod provisor noster ser Peracius Maripetro debeat descendere in Durachio, et ire ad presentiam domini Durachii cum nostris litteris credulitatis, cui exponat post salutem, quod intellecta ambaxiata nobis exposita parte sua super facto frumenti, clare et manifeste videmus, quod per pacta et convenctiones habitas inter ambaxiatores suos et illos nostros cives, qui fecerunt conduci dictum frumentum, ipse dominus tenetur et debet solvere totum precium frumenti predicti, sicut est iustum et rationabile; verum pro non stando in istis terminis, quia complacendo ipsi domino de ista quantitate denariorum dicti frumenti, ipse dominus infra modici temporis spatium peteret etiam a nobis subsidium, allegando sibi extremitatem suam, sicut hucusque fecit et facit, loquatur sibi clare et aperte; et propterea debeat dicere dictus provisor noster, quod consideravimus conditionem ipsius domini, de qua multum dolemus, quia vellemus libenter, quod esset sanus et paratus ad substinendum honorem et res suas, sed postquam res aliter esse non potest, sic dicimus, quod si ipse dominus sentit conditionem suam tam debilem, quod non posset se tueri, laudabile et bonum est pro manifesto bono ipsius domini, quod ipse debeat potius velle, quod ipsa civitas remaneat in manibus nostris quam Turcorum, et ideo rogamanus eum, quod antequam ita infortunatus casus sibi occurrat, vellit condescendere ad hanc nostram in-

tentionem, quam invite exprimimus, quia vellemus, quod ipse dominus foret sanus et potens ad substinendum se et statum suum, dicendo eidem, quod, si condescendit ad hoc, nos sumus contenti, quod possit stare in quem locorum nostrorum plus ei placet, sicut alias petiit et voluit facere quondam dominus pater suus intimus amicus nostri dominii, et in dicto casu sit in libertate ipsius provisoris nostri promittendi eidem domino usque ad summam ducatorum VII centum in anno et inde infra pro sua provisione in vita sua, Eciam quod dictos ducatos VII centum vel circa faciemus solvi de bonis nostri communis.

Et si dominus Durachii contentabitur de hoc, et quod det in manibus nostris fortiliciam et castrum principale, seu forsam quod in applicatione sua ad partes Durachii reperiret ipsum dominum mortuum, quia ut dictum est potius speratur de morte quam de vita, et quod civitas teneretur nomine nostri dominii, debeat vicecapitaneus noster culfi ponere in castro Durachii duodecim de ballistariis sue galee et balistarios sex ex illis, qui sunt in turri nuper edificata per nos. Et postea ipse vicecapitaneus fulciat se de ipsis ballistariis in Corfoy, in Mothono et Corono quam melius porterit. Et scribat nobis provisor et vicecapitaneus omnia, que fecerint et habuerint pro nostra informatione, et si opus fuerit mittere unum galledellum pro notificando nobis ea, que occurrerint, relinquimus in libertate sua fatiendi, sicut pro bono istorum agendorum viderint expedire.

Ser Victor Valaresso, ser Johannes Capello, sapientas ordinum, volunt ut supra cum ista additione, quod si dominus Durachii non attenderet ad dandum nobis locum et terram Durachii, et vicecapitaneus et provisor noster viderent, quod propter istos VII centum ducatos dominus Durachii foret male contentus, et quod mens eius foret turbata, tunc ne habeat causam submittendi se Turchis, tunc dicat provisor eidem domino, quod propter singularem benivolentiam et amorem, quem ad eum gerimus, et ut habeat causam substinendi statum suum sicut optamus, sumus contenti pro subventione sua facere solvi dictos denarios illis mercatoribus civibus nostrls, qui debent illos habere, et quod attendat ad conservationem et bonum status sui; et si quid ei fuerit opportunum tam de bladis quam de aliis rebus, nos subveniemus ei libenter pro sua pecunia, cum hiis et aliis verbis placibilibus et dextris, que sibi videbuntur.

Et ex nunc declaretur, quod si dicti denarii debebunt solvi per nostrum commune, quod ipsi denarii non debeant dari illis civibus nostris usque ad duos annos proximos — 40.

Nota quod 1391 die XI aprilis mercatores predicti videlicet ser Betinus de Pone, ser Johannes Pasqualigo et sotii habuerunt et receperunt suprascriptos ducatos VII centum a dominis provisoribus bladi communis Venetiarum.

Ser Tomas Barbadico, Ser Blancus Barbo, ser Jacobus Contareno sapientes ordinum. Volebant loco prescripti ultimi capituli videlicet: et si dominus Durachii condescendet ad hanc nostram intentionem, ut superius continetur, videlicet, vel quod consignet Durachium in manibus nostris vel quod dominus Durachii foret mortuus, et terra foret in manibus nostris, debeant dicti ducati VII centum vel circa solvi predictis nostris mercatoribus de introitibus de inde quam celerius esse poterit. Et si dominus Durachii stabit constans in nolendo dare nobis civitatem Durachii, et perseveraret in opinione sua, tunc dicat noster provisor, quod ea, que diximus,

CCCLXXIX. God. 1389. 26 veljače, u Mletcih.

Opet nastoje Mletčani, da Drač prodje u njihove ruke.

1388. die XXVI. februarii. Ser Tomas Barbadico, ser Blancus Barbo, ser Jacobus Contareno, sapietes consilii. Capta cum addicione, posita per ser Victorem Valaresso et ser Johannem Capello. Cum comparuerint coram ducali dominio duo ambaxiatores domini Durachii, exponentes inter alia maximam extremitatem civitatis Durachii et debilem condicionem illius domini tam propter infirmitatem suam incurabilem quam propter necessitatem suam et omnium baronum suorum tam haveris quam bladi et victualium, quia omnes sunt consupti, ob que dicta civitas subiacet maiori periculo quam unquam fuerit in perveniendo ad manus Turcorum; insuper exposuerant, quod dominus Durachii petit instantissime, quod non astringatur ad solvendum illos ducatos VII centum vel circa de precio frumenti conducti Durachium, ad que omnia est omnino providendum et presto, nec permittere rem ire ita sub se pro evidentissimo bono nostro. Nam sicut omnibus notum est, si dicta civitas ad manus Turcorum veniret, consideratis flumariis, que sunt in tanta quantitate circa Durachium, de quibus possent extrahi galee et ligna, quia ibi sunt lignamina et de pice et aliis preparamentis ad nocendum in mari, cederet ad nimis grave damnum nostri communis et status nostri; vadit pars quod in nomine iesu christi pro habendo personas notabiles in Durachio, que prohibeant, ne Turchi intrent in Durachio, et que habeant semper menti et cordi suo honorem nostri dominii, possit promitti usque sex ex baronibus Durachii, qui videbuntur collegio, in numero quorum sint isti duo ambaxiatores, ducati triginta in anno pro quolibet ad beneplacitum nostri dominii, et detur sibi ad intelligendum, quod si civitas Durachii perveniet ad manus nostri dominii, providebimus de eis, quod ipsi habebunt merito contentari. Et detur istis duobus ambaxatoribus page de mentibus sex pro quolibet.

Ad factum autem frumenti sic ordinetur, quod provisor noster ser Peracius Maripetro debeat descendere in Durachio, et ire ad presentiam domini Durachii cum nostris litteris credulitatis, cui exponat post salutem, quod intellecta ambaxiata nobis exposita parte sua super facto frumenti, clare et manifeste videmus, quod per pacta et convenctiones habitas inter ambaxiatores suos et illos nostros cives, qui fecerunt conduci dictum frumentum, ipse dominus tenetur et debet solvere totum precium frumenti predicti, sicut est iustum et rationabile; verum pro non stando in istis terminis, quia complacendo ipsi domino de ista quantitate denariorum dicti frumenti, ipse dominus infra modici temporis spatium peteret etiam a nobis subsidium, allegando sibi extremitatem suam, sicut hucusque fecit et facit, loquatur sibi clare et aperte; et propterea debeat dicere dictus provisor noster, quod consideravimus conditionem ipsius domini, de qua multum dolemus, quia vellemus libenter, quod esset sanus et paratus ad substinendum honorem et res suas, sed postquam res aliter esse non potest, sic dicimus, quod si ipse dominus sentit conditionem suam tam debilem, quod non posset se tueri, laudabile et bonum est pro manifesto bono ipsius domini, quod ipse debeat potius velle, quod ipsa civitas remaneat in manibus nostris quam Turcorum, et ideo rogamanus eum, quod antequam ita infortunatus casus sibi occurrat, vellit condescendere ad hanc nostram in-

tentionem, quam invite exprimimus, quia vellemus, quod ipse dominus foret sanus et potens ad substinendum se et statum suum, dicendo eidem, quod, si condescendit ad hoc, nos sumus contenti, quod possit stare in quem locorum nostrorum plus ei placet, sicut alias petiit et voluit facere quondam dominus pater suus intimus amicus nostri dominii, et in dicto casu sit in libertate ipsius provisoris nostri promittendi eidem domino usque ad summam ducatorum VII centum in anno et inde infra pro sua provisione in vita sua, Eciam quod dictos ducatos VII centum vel circa faciemus solvi de bonis nostri communis.

Et si dominus Durachii contentabitur de hoc, et quod det in manibus nostris fortiliciam et castrum principale, seu forsam quod in applicatione sua ad partes Durachii reperiret ipsum dominum mortuum, quia ut dictum est potius speratur de morte quam de vita, et quod civitas teneretur nomine nostri dominii, debeat vicecapitaneus noster culfi ponere in castro Durachii duodecim de ballistariis sue galee et balistarios sex ex illis, qui sunt in turri nuper edificata per nos. Et postea ipse vicecapitaneus fulciat se de ipsis ballistariis in Corfoy, in Mothono et Corono quam melius porterit. Et scribat nobis provisor et vicecapitaneus omnia, que fecerint et habuerint pro nostra informatione, et si opus fuerit mittere unum galledellum pro notificando nobis ea, que occurrerint, relinquimus in libertate sua fatiendi, sicut pro bono istorum agendorum viderint expedire.

Ser Victor Valaresso, ser Johannes Capello, sapientas ordinum, volunt ut supra cum ista additione, quod si dominus Durachii non attenderet ad dandum nobis locum et terram Durachii, et vicecapitaneus et provisor noster viderent, quod propter istos VII centum ducatos dominus Durachii foret male contentus, et quod mens eius foret turbata, tunc ne habeat causam submittendi se Turchis, tunc dicat provisor eidem domino, quod propter singularem benivolentiam et amorem, quem ad eum gerimus, et ut habeat causam substinendi statum suum sicut optamus, sumus contenti pro subventione sua facere solvi dictos denarios illis mercatoribus civibus nostrls, qui debent illos habere, et quod attendat ad conservationem et bonum status sui; et si quid ei fuerit opportunum tam de bladis quam de aliis rebus, nos subveniemus ei libenter pro sua pecunia, cum hiis et aliis verbis placibilibus et dextris, que sibi videbuntur.

Et ex nunc declaretur, quod si dicti denarii debebunt solvi per nostrum commune, quod ipsi denarii non debeant dari illis civibus nostris usque ad duos annos proximos — 40.

Nota quod 1391 die XI aprilis mercatores predicti videlicet ser Betinus de Pone, ser Johannes Pasqualigo et sotii habuerunt et receperunt suprascriptos ducatos VII centum a dominis provisoribus bladi communis Venetiarum.

Ser Tomas Barbadico, Ser Blancus Barbo, ser Jacobus Contareno sapientes ordinum. Volebant loco prescripti ultimi capituli videlicet: et si dominus Durachii condescendet ad hanc nostram intentionem, ut superius continetur, videlicet, vel quod consignet Durachium in manibus nostris vel quod dominus Durachii foret mortuus, et terra foret in manibus nostris, debeant dicti ducati VII centum vel circa solvi predictis nostris mercatoribus de introitibus de inde quam celerius esse poterit. Et si dominus Durachii stabit constans in nolendo dare nobis civitatem Durachii, et perseveraret in opinione sua, tunc dicat noster provisor, quod ea, que diximus,

fuerunt pro evidentissimo bono suo et status sui, considerantes et videntes labores suos; sed postquam non vult attendere ad ea, que diximus, remaneat factum secundum voluntatem suam. Et si ipse dominus diceret de facto dictorum ducatorum VII centum quod remitterentur sibi, tunc dicat provisor, quod ipse non habet aliud in mandatis a nobis ultra ea, que superius continetur. 14, non sinceri 10, de non 1.

Omnes sapientes ordinum. Capta: insuper committatur dicto provisori, quod si vicecapitaneus noster culfi viderent per ea, que haberent in Durachio, a ser Quadrea Contareno et a consule nostro deinde et ab aliis nostris venetis et fidelibus, cum quibus debeant conferre, melius fore, quod predicta verba exprimerentur dicto domino per aliam personam quam per ipsum provisorem nostrum, relinquimus in libertate sua eundi ad presentiam suam vel mittendi aliam personam cum predicta intentione nostra, sicut eis videbitur pro bono istorum agendorum, intelligendo, quod ipsi non possint stare in Durachio ultra dies quinque in totum. Et si nobilis vir ser Johannes de Canali, iturus ambaxiator noster ad serenissimum dominum regem Cipri, foret in galea cum predictis vicecapitaneo et provisore, volumus, quod ipse sit tercius apud eos in terminatione predicta.

Misti XL. 189, u mlet. arkivu.

CCCLXXX. God. 1389. 28 veljače, u Valoni.

Republika prima pod svoju zaštitu knjeginju avalonsku Komnenu, a obdaruje njeke svoje privrženike u Draču.

Litere facte pro domina Avalone secundum quod captum est in rogatis. Ser Peratio Maripetro provisori et ser Leonardo Tervisano vicecapitaneo culfi. Ad informationem vestram notificamus, quod ob certas subventiones, quas fecimus domine Avalone in recipiendo eam sub protectione nostri dominii etc. ambaxiator suus nobis promisit, quod ipsa domina in recognitione loci Šasni a nostro dominio dabit singulis annis capitaneo nostro culfi tres homines a remo suis expensis de soldo, qui stabunt super galeis culfi donec erunt rediture Venecias, et ipsa domina debet nobis solemniter hoc promittere et observare, propterea fecimus vobis dari quattuor literas patentes pro ipsa domina et subditis et fidelibus suis, quas sibi dare debeatis, in casu quo faciat nobis promissionem predictam dictorum trium hominum, et quod istud appareat per suas literas sigillatas. Salutetis quoque et ortamini eam dominam ex parte nostri dominii. Die ultimo februarii, MCCCLXXXVIII.

Litere patentes pro dicta causa. — Antonius Venerio dei gratia dux Venetiarum etc. Universis et singulis tam amicis quam fidelibus presentes litteras inspecturis salutem et sincere dilectionis affectum. Notum facimus per presentes, quod ob singularem devotionis sinceritatem, quam ad nos nostrumque commune gessit continuatis temporibus egregia domina Comnina domina Avalone etc. eandem tamquam devotam et fidelem nostram singulari affectione prosequimur, ipsamque ac subditos et loca sua sub spetiali protectione nostra voluimus clementer assumere. Idcirco amicos nostros rogamus instanter, fidelibus precipiendo mandantes, quatenus ipsam egregiam dominam ac filias et fratres eius nec non subditos, loca et ceteros fideles et bona sua, ubicumque esse contingant, habere placeat nostro

intuitu favorabiliter comendatum, de tractando et tractari faciendo amabiliter et fraterne absque molestia vel gravitate quacumque pro devotissima et benivola nostra, cuius honores et statum cupimus adaugeri, et quod tamquam sub nostra protectione persistens a cunctis noxiis preservetur indemnis. Ex favoribus quidem ab amicis et fidelibus nostris eidem domine et suis subditis impendendis ad beneplacita et honores nostros erimus propentiores, et ex oppositis quam plurimum turbaremur. In premissorum quidem evidentiam presentes fieri iussimus, et bulla nostra plumbea communitas. Data in nostro ducali palacio die ultimo februarii, indictione duodecima, MCCCLXXXVIII.

Facte fuerunt littere quatuor istius tenoris.

Pro nobilibus provisionatis Durachii. — Antonius Venerio dei gratia dux Venetiarum etc. Universis et singulis tam amicis quam fidelibus presentibus et futuris pateat evidenter, quod nos cum nostris consiliis, attento prudentia et optima dispositione, quam reverendus pater dominus Dimitri episcopus ac nobiles viri Thamissius Tobia, Gurenus Schuto capitaneus, Borille voyvoda, Andreas Misachi et Alexius Ricardi di Marno, omnes honorabiles cives Durachii, gerunt ad honorem nostri dominii et specialiter ad habendum semper menti honorem nostri dominii in facto civitatis Durachii, ne perveniat ad manus Turchorum, providimus ipsos et quemlibet eorum velut intimos nostros habere efficaciter comendatos. Et ex nunc volumus, ut de pecunia nostri communis habere debeant ducatos triginte in anno pro quolibet ad beneplacitum nostri dominii. Et ut cognoscant, quam efficaciter ipsos habere intendimus comendatos, notificamus eis, quod si civitas Durachii perveniet ad manus nostri dominii, providebimus de eis, quod habebunt merito contentari. Datum in nostro ducali palatio, die vigesimo septimo februarii, indictione duodecima, millesimo trecentesimo octuagesimo octavo.

Commemorialium VIII. 139, u mlet. arkivu.

CCCLXXXI. God. 1389. 20 lipnja, u Mletcih.

Šalje se brod po poslanika bosanskoga, koj se nalasio u Cresu.

1389. indictione XII, die X iunii. Capta: quod pro honore nostri dominii, et ut possit haberi informatio eorum, que dominus rex Bosnie significat nobis per istum ambaxiatorem, qui est in Cherso, scribatur capitaneo nostro riperie Istrie, quod recepto presenti mandato ire debeat cum ligno sibi commisso ad partes Chersi ad levandum ipsum ambaxiatorem et conducendum usque Caprulas, eundo solicite et cum bono ordine, ita quod cito redire possit ad suam custodiam, et dimittendo barchas suas ad custodiam ita quod contrabanna non fiant.

Misti XLI. 14, u mlet. arkivu.

CCCLXXXII. God. 1389. 6 srpnja, u Mletcih.

Odgovara se poslaniku kralja bosanskoga, da mu se nemože dozvoliti izvažanje oružja bez izplate dotične daće, da mu slobodno svoje galije odpeljati iz Mletaka, ali da jih mletačke galije nemogu izpratiti; a u što se ticalo kraljice napuljske Margarite, da je republika voljna sa svakim u miru živieti.

1389. indictione XII, die 6 iulii. Sapientes consilii et sapientes ordinum. Capta: quod respondeatur ambaxatori serenissimi domini regis Bosne, et primo ad primam partem de possendo extrahere de Venetiis seu de aliis partibus per civitatem nostram libere certa arma sibi necessaria pro factis suis: quod libenter complaceremus maiestati sue in cunctis possibilibus, sed civitas nostra est ita conditionata, datiaque ordines nostri ligati, quod nullo modo hoc facere valemus, et propterea ipse solvendo datia nostri communis potest hoc facere ad beneplacitum suum. Uno rogamus suam excellentiam, quod non gravetur, si ipsos nostros ordines infringere non valemus.

Ad aliam partem de possendo extrahere galeas suas, quas habet in nostro arsenatu, et conducere ad loca sua, respondemus, quod de hoc sumus valde contenti; sed ad partem de faciendo eas sociari per galeas nostras culphy propter cursores, qui sunt intra culphum, sic dicimus, quod galee nostre ad presens non sunt in istis partibus, sed in partibus valde remotis pro arduis factis nostris, itaque hoc facere non possemus; et propterea rogamus, quod placeat habere nos merito excusatos.

Ad id autem, quod ipse ambaxiator dixit de interpositione, quam ipse dominus rex offert se facturum inter dominam reginam Margaritam et nos, ac verbis sibi dictis per ambaxatorem ipsius domine regine, respondemus, quod nos et nostrum commune semper optavimus et optamus vivere pacifice et quiete cum omnibus, et propterea quandocumque nobis aliquid dicetur de factis ipsius domine regine, nos audiemus id, quod nobis dici faciet. De parto 51, non 13, non sinceri 10.

Misti XLI. 18, u mlet. arkivu.

CCCLXXXIII. God. 1389. 20 srpnja, u Mletcih.

Nepristaje se na molbu Gjorgje Sracimira gospodara zetskoga, do smie držati dva oružana broda za svoju obranu.

1389. die 20 iulii. Sapientes ordinum. Capta: cum per ambaxiatores domini Georgii Strazimir, domini Dulcigni, sit requisitum ducali dominio ex parte domini predicti, quod possit tenere armatos in mari et in flumariis suis duos brigantinos pro securitate suarum partium et flumariarum pro facto salis; vadit pars, quod respondeatur sibi ad istam partem, quod, sicut notum est, nos essemus semper dispositi alacriter complacere dicto domino in cunctis possibilibus tamquam intimo amico nostri dominii. Sed sicut est manifestum aliqui brigantini partium Apulee discurrunt per mare, inferrendo damna multis personis, contra quos nos intendimus penitus procedere et providere superinde. Et ne aliqui alii amici nostri sub pretextu talis concessionis, si eam faceremus, faciant nobis similes requisitiones,

quod cederet in maximum detrimentum multorum, rogamus predictum dominum, quod placeat habere nos a dicta requisitione merito excusatos; cum hiis et aliis verbis, que videbuntur.

Misti XLI. 22, u mlet. arkivu.

CCCLXXXIV. God 1389. 23 srpnja, u Mletcih.

Naputak na poslanika iduća na dvor nasliednika cara Murata, o kom se pročulo bilo, da je u boju sa knezom Lazarom poginuo.

1389. die 23 iulii. Sapientes consilii et sapientes ordinum. Capta: quia nos presentialiter habemus multa agere in imperio Constantinopolitano tam super facto treuguarum nostrarum quam super reformatione multarum extorsionum, que fiunt nostris in imperio predicto, et etiam habendus respectus ad nova, que habentur de morte Morati et filii, et de novo dominio alterius filii, et dominatio procuret de habendo nostrum nobilem sufficientem et expectum in dictis partibus, cui bene omnia predicta comitti possent et sine expensis nostri communis; vadit pars, quod pro utilitate agendorum predictorum, bono etiam dicti nostri communis, quod in casu quo dominacio possit adimplere dictam intentionem de habendo dictam personam, quod fiat ei comissio in hac forma, videlicet:

Nos Anthonius Venerio dei gratia dux Venetiarum etc. comittimus tibi nobili viro Andree Bembo dilecto civi et fideli nostro etc. . . .

Capta: ceterum, quia est valde necessarium providere ad facta Turchie propter mutationes secutas in illis partibus, comittatur vicebaiulo, qui erit in Constantinopoli, quod convocare debeat consilium de XII., in quo propositls et examinatis omnibus, que haberi poterunt de dictis factis, debeant videre et examinare, si erit utile pro factis nostri communis et mercatorum nostrorum, quod vadat ad presentiam illius, qui erit in imperio loco Morati, et si deliberabunt, quod ire debeat, tunc in bona gratia vadat et se presentet cum nostris litteris credulitatis, que ad cautelam fiant in personam amborum filiorum Morati separate, ut presentet illam illi, qui dominabitur. Quibus litteris presentatis et facta salutatione decenti et oblatione generali cum illis verbis, que sibi utilia videbuntur, dicere debeat, quod subtus partitam galearum presentium de Venetiis ad audientiam dominationis nostre venerat, sed non clare, bellum et novitas, quod fuerat inter magnificum dominum Moratum, qua patrem suum et comitem Lazarum, de quo diversa dicebantur, quibus fides bene preberi non poterat. Sed tamen dominatio nostra audiverat de morte ipsius domini Morati, de qua maximam displicentiam habuerat, quia semper eum habuimus in singularissimum amicum, et dileximus eum et statum suum. Similiter audivimus de felici creatione sua ad imperium et dominium ipsius patris sui, de quo nos fueramus valde letati, quia sicut sincere dileximus patrem, ita diligimus et diligere dispositi sumus filium et suum dominium, et habere ipsum in singularem amicum; utendo his et aliis verbis pertinentibus et bonis, que sue sapientie videbuntur. Et ante suum recessum debeat procurare de obtinendo omnia illa bona, que poterit pro franchisiis et libertatibus navigiorum et subditorum nostrorum, ut secure et sine impedimento possint ire ad partes et loca sua, caricare et mercari sicut poterant tem-

pore patris sui, et melius, si melius poterit obtinere. Et his factis, accepto honorabili comeatu, redeat in Constantinopolim de omnibus informatus, et nobis scribat, quidquid fecerit et habuerit pro nostra informatione. Et in hoc casu eundo ad ipsum filium Morati possit ipse vicebaiulus ultra salarium vicebaiulatus expendere ducatum unum in die a die, quo recesserit de Constantinopoli, donec rediverit.

Et si per ipsum filium Morati fieret mentio de facto Petri Geno, qui ivit cum galea una et insignia nostra ad galeas Morati, debeat dicere et respondere, quod ipse non est sub nostro dominio, ymo est sub alia iurisdictione, et si ivit cum nostra insignia, ivit contra nostram intentionem, quia de hoc nihil unquam scivimus, faciendo excusationem cum istis et aliis verbis, sicut sibi videbuntur.

Misti XLI. 24, u mlet. arkivu.

CCCLXXXV. God. 1389. 29 srpnja, u Mletcih.

Poslaniku, idućem k Muratovu nasliedniku, opredieljena svota za darove.

1389. 29 iulii. Capta: quod vicebaiulus Constantinopolis, qui per partem pridie captam ire debet ad filium Morati, si deliberabitur per consilium de duodecim pro bono et utilitate agendorum sibi comissorum, possit expendere usque ad summam yperperorum trecentorum pro donis faciendis in illis rebus, que videbuntur, quia aliter via sua esset parve utilitatis, sicut omnibus notum ert.

Misti XL. 24, u mlet. arkivu.

CCCLXXXVI. God. 1389. 5 kolovoza, u Mletcih.

Dozvoljava se Gjorgju Sracimiru gospodaru zetskomu, da drži dva broda oboružana za svoju obranu.

1389. indictione XII, die 5 augusti. Sapientes ordinum. Capta: cum ambaxiatores domini Georgii Strazimir de Balsa exposuerint inter alia ducali dominio ex parte predicti domini, quod dignaretur concedere, quod ipse dominus posset armari facere duos brigantinos pro custodia flumariarum et pertinentiarum suarum, et pro resistendo cuidam servitori suo, qui factus est sibi rebellis; vadit pars, quod pars pridie capta de dando sibi responsionem, revocetur, et ordinetur, et sic respondeatur ambaxiate predicte: quod sumus contenti complacere dicto domino, quod possit armari facere duos brigantinos pro custodia dictarum suarum flumariarum et pertinentiarum, et pro resistendo, ut superius dictum est, intelligendo, quod ipse non possit se extendere in mari nec intromittere in mari aliquid ullo modo, salvis et reservatis pactis et consuetudinibus, quas ipse dominus Georgius haberet cum civitate Durachii.

Misti XLI. 25, u mlet. arkivu.

CCCLXXXVII. God. 1389. 21 kolovoza, u Mletcih.

Praecipitur capitaneo culphi, quod visitet dominum Durachii, et quod pro defensione turris Durachii provideat in hunc modum „videlicet quod

constituat ad custodiam dicte turris undecim balistarios sub uno capite, ita quod sint in totum duodecim et reliqui cassentur, solutores vero camare armamenti mittant Durachium unum sufficientem magistrum murarium, qui se intelligat de marangonia." Insuper mittantur ducenti ducati pro paghis et laboreriis. Capitaneus informet de statu domini Durachii et de novis Turchorum.

Misti XLI. 30, u mlet. arkivu.

CCCLXXXVIII. God. 1389. 7 listopada, u Mletcih.

Mletčani odgovaraju knezu Ivanu Senjskomu, neka gleda živieti u miru s knezovi Korbavskimi, te da mu oni nemogu pružiti pomoći proti njim, pošto su oboje stranke podložne ugar.-hrv. kruni.

1389. die septimo octubris. Ser Petrus Mocenigo procurator, ser Petrus Cornario procurator, ser Symon Michael, ser Aluisius Mauroceno, sapientes consilii. Capta: quod respondeatur isti nuncio et ambaxatori domini comitis Johannis Segne, quod deo teste multum nos gravat, quod inter magnificentiam suam et illos dominos Corbavie orte sunt iste differentie et ista scandala ac errores, quia vellemus libenter, quod magnitudo sua viveret in pace et benivolentia circavicinorum suorum et precipue dictorum attinentium suorum, quia sicut scit ex guerris sequuntur mala et mala, et oppositum ex pace; et ad hoc hortamur eum quantum plus possumus. Ad aliam autem partem, in qua tangit, quod in casu quo eis moveat guerram, placeat dare auxilium et favorem, nos sic dicimus, quod dominus comes Johannes potest reddere se certum, quod in cunctis possibilibus alacriter complaceremus sibi, sed considerantes, quod ambe partes sunt subdite domini regis Hungarie, suntque amice nostre, non videretur nobis honestum impedire nos in factis predictis causis predictis et aliis, quibus possunt esse sibi note. Et propterea rogamus, quatenus placeat nos habere rationabiliter excusatos. De parte 28, 30; non 2; non sinceri 6.

Misti XLI. 40, u mlet. arkivu.

CCCLXXXIX. God. 1389. 12 listopada, u Mletcih.

Republika nudi knezu Ivanu Senjskomu svoje posriedovanje medju njim i knezovi korbavskimi za mir.

1389. die XII octobris. Ser Petrus Pisani consiliarius, ser Leonardus Dandulo miles et procurator, sapiens consilii. Cum magnificus dominus comes Johannes Segne singularissimus amicus nostri dominii notificare nobis fecerit per suum nuncium, quod comites Corbavie attinentes sui diffamaverunt eum in curia domini regis Hungarie et per totum regnum, propter quod consulere voluit alios propinquos et amicos suos, qui considerata infamia predicta dixerunt et consuluerunt sibi, quod pro conservatione honoris sui et domus sue non potest facere, quin aut personaliter secum pugnet aut eis publicam guerram faciat, propter quod ipse misit nuncium suum ad dominum regem et reginam ad requirendum, ut possit eis movere guerram, quod ipse etiam notificat nobis tamquam singularibus amicis domus sue, rogans, ut in casu quo procedat ad dictam guerram, placeat dare sibi

auxilium et favorem ad obtinendum suam intentionem. Et pro honore nostro faciat, consideratis his, que semper ipse dominus comes fecit in honorem et statum nostrum, ostendere ei, quod nos habeamus memoriam predictorum, et quod non sumus ingrati; vadit pars, quod respondeatur muncio ipsius, quod multum gravat nostrum dominium, quod inter magnificentiam suam et illos dominos de Corbavia orte sint iste differentie et errores, que possent esse causa tanti mali, et non dubitamus, quod serenissimus dominus rex predictus tamquam sapientissimus dominus providebit de remedio opportuno reconciliationis, quietis et pacis; sed si propter alias occupationes non posset ad id attendere, nos ob singularem amorem, quem gerimus ad magnificentiam suam, nos offerimus ad mittendum nostrum ambaxatorem pro interpositione quietis et pacis, quando procedat de beneplacito suo et dominorum de Corbavia predictorum. Et propterea in dicto casu ipse poterit notificare nobis suam intentionem, qua habita, procurabimus sentire de intentione illorum dominorum Corbavie, et procedemus secundum quod honori nostro et suo melius videbimus convenire. De parte 24—26.

Misti XLI. 40, u mlet. arkivu.

CCCXC God. 1389. 17 listopada, u Mletcih.

Dopušća se knezu Ivanu Senjkomu, da u Mletcih unovači do 50 strielaca i da si nabavi lumbarda i drugoga oružja, ali mu se odbija molba o zajmu novaca.

1389. indictione XIII, die XVII octobris. Sapientes consilii. Capta: quod respondeatur isti ambaxatori et nuncio magnifici domini comitis Johannis Segne ad requisitiones, quas nobis modo de novo fecit.

Et primo ad primam partem possendi soldare centum ballistarios in Venetiis, quos conducere possit ad loca sua; quod licet, sicut ipsi domino comiti potest plenissime notum esse, terra nostra propter guerras et mortalitates preteritas sit multum spoliata et diminuita talibus ballistariis, nosque non sumus soliti velle, quod disperdantur per alias partes, quia sunt multum necessarii statui nostro, tamen ob contemplationem ipsius domini comitis Johannis, et ut videat sinceram dispositionem nostram, sumus contenti, quandocumque sibi necesse fuerit, quod possit soldari facere quinquaginta ballistarios pro pecunia sua, et conducere ad loca sua, sicut requirit.

Ad secundam partem de bombardis, quas requirit mutuo a nostro communi, respondeatur, quod ad presens commune nostrum est male fulcitum dictis bomdardis, quia multe nobis necessarie fuerunt in Tervisana, quam noviter habuimus, et omni die fieri faciamus de aliis; sed dominus comes bene inveniet de eis in Venetiis, de quibus fieri faciemus bulletum, et similiter de ballistis et armis, que sibi fuerint opportuna.

Ad alteram partem de pecunia, quam requirit a nobis mutuo etc., respondeatur ipsi nuncio cum illis verbis, que domino videbuntur, excusando se de hoc propter longas guerras nostras et infinitas expensas, quas passi fuimus, ita quod non gravet nos de hoc.

Misti XLI. 42, u mlet. arkivu.

CCCXCI. God. 1389. 23 studenoga, u Mletcih.

Na predlog, da se odpravi poslanik u Dalmaciju zato, da se oni gradovi medju sobom pomire, odlučeno, da se za sada počeka.

1389. die XXIII novembris. Ser Michael Contareno, ser Gabriel Aymo miles, consiliarii. Cum alias 1388 mensis augusti captum et deliberatum fuerit in hoc consilio in maxima unitate, quod unus fidelis nostri dominii, qui ex parte unius amici tetigit et movit nobis verba de facto Jadre et aliorum locorum Dalmatie, deberet respondere illi amico ex parte nostre dominationis cum efficacibus et bonis verbis, et dando sibi bonam spem ac laudando modum recordatum per amicum, et in conclusione responsionis facte per nos illi amico fiat mentio, quod ipse amicus tamquam sapiens potest videre et examinare istud factum, et informare nos de his, que habebit et de omnibus, que occurrent, et tunc nos dabimus ei nostram responsionem secundum quod convenire videbimus et cet., sicut in dicta parte ordinate cavetur. Et modo de novo per omnes nostros amicos nobis notificata fuerint verba aliqua tam super factis Jadre quam aliorum locorum Dalmatie, et laudant et ortantur amici, quod nos mittere debeamus nostram ambaxatam ad communitatem Jadre et ad alia communia Dalmatie ad offerendum nos de interpositione differentiarum, quas habent inter se, ita quod possint vivere inter se pacifice et quiete et in bono et tranquillo statu, et landat amicus hanc opinionem pro accipiendo animum populorum propitium et benignum, et pro honore nostri dominii, bono agendorum nostrorum et conservatione nostri status faciat providere super hoc; vadit pars, quod mittatur unus noster nuntius sufficiens, sicut videbitur collegio, cum literis nostris credulitatis ad communitatem Jadre, Tragurii et ad alia loca, que videbuntur collegio, quibus facta salutatione ac oblatione generali cum verbis amoris et dilectionis exponere debeat ista modica verba in suo consilio, in quo sint quam plures et in quam maiori quantitatem poterit facere congregari, quod intellecto per nos de certis differentiis, quas habent ad invicem, tamquam boni vicini et amici recepimus et recipimus displicentiam in cordibus nostris, quia desideravimus et desideramus honorem et bonum statum suum velut nostrum proprium. Et volentes per effectum demonstrare sinceram et optimam dispositionem nostri dominii erga eos, offerimus nos paratos, placendo eis, de eligendo et mittendo nostram ambaxatam pro concordando eos in simul et pro removendo omnes differentias, scandala et errores inter eos sequendo vestigia progenitorum nostrorum, ita quod vivant inter se in pacifico et bono statu secundum desiderium suum et nostrum; et cum eo, quod noster nuntius habuerit et fecerit, redeat ad nostram presentiam de omnibus plenissime informatus, et tunc erimus ad istud concilium, et fiet, sicut videbitur utilius et melius pro factis nostris. De parte 36.

Ser Andreas Donato, ser Petrus Pisani consiliiarii; Ser Ludovicus Faletro, ser Nicolaus Delphino, ser Michaletus Trivisano, capita de XL, sapientes consilii. Capta: quia ista negotia sunt magna et ardua, et tangunt vehementer statum nostrum; vadit pars, quod pro manifesto bono et utilitate agendorum nostrorum supersedeatur in his factis usque per totum mensem decembris proxime venturum; et si ante venient nova, per que

appareat de veniendo ad istud consilium, erimus hic, et fiet, sicut videbitur utilius et melius pro statu nostro. De parte 58, de non 1, non sinceri 12.

Secreta Cons. Rog. R. 50, u mlet. arkivu.

CCCXCII. God. 1390. 30 siečnja, u Mletcih.

Šalje se poslanik kralju i kraljici ugarskoj, da jim javi ono, što se doznalo iz Bosne.

1389. indictione XIII, die 30 ianuarii. Sapientes consilii. Capta: quod pro reddendo informatum regem et dominam reginam Hungarie de his, que sentimus de partibus Bossine, et etiam de illis duobus cardinalibus, qui ituri sunt ad coronandum filium quondam domini regis Karoli, collegium domini, consiliariorum, capitum et sapientum ambarum manuum habeat libertatem mittendi unam sufficientem personam ad partes Hungarie ad significandum sibi predicta pro bono agendorum nostrorum per illum modum, que dicto collegio utilis apparebit. De parte alii, de non 10, non sinceri 5.

Secreta Cons. Rog. R. 50, u mlet. arkivu.

CCCXCIII. God. 1390. 3 veljače, u Mletcih.

Mletčani obaviešćuju ugar.-hrv. dvor o izboru Karla napuljskoga i o nastojanju kralja bosanskoga, da si pridobije dalmatinske gradove.

1389. indictione XIII, die tercio februarii. In collegio domini, consiliariorum, capitum et sapientum ambarum manuum vigore suprascripte libertatis. Capta: Laurenti! Vade ad presentiam serenissimi domini regis et excellentissime domine regine Hungarie cum nostris litteris credulitatis, quas tibi fecimus exiberi, quibus et utrique eorum facta cordiali salutatione et generali oblatione cum illis verbis, que tue sapientie videbuntur, expones, qualiter intendentes perseverare in sincera dispositione nostra et cordiali caritate, quam habemus ad maiestates suas et statum suum, dedimus et continuo operam damus de sentiendo de his, que tractantur et fiunt et precipue tangentibus conservationem regni et corone sue, ut possimus eos reddere de omnibus informatos ad finem, quod possint providere secundum quod viderint opus esse; et propterea notificamus eisdem, quod noviter informati fuimus, quod dominus Innocentius papa in publico consistorio pronuntiavit et publicavit in regem Apulee filium condam domini regis Karoli, et deliberavit mittere duos de cardinalibus suis, qui sunt de proximo recessuri, ad coronandum eundem de regno predicto.

Item sentimus, quod dominus rex Bossine de novo acquisivit et habuit castrum Clisse et similiter castrum Vrane, et multum vigilat ad acquisitionem et occupationem terrarum et locorum Dalmatie in tantum, quod apparet, dictas civitates et loca esse in maximo dubio et timore, dubitantes, non posse resistere potentie dicti regis et oportere subiugari sibi. Et ut audimus, ipse rex dicit facere supradicta pro filio predicti domini regis Karoli, et quod quicquid acquirit, nomine suo acquirit. Et licet certi simus, quod dominus rex et domina regina predicta hec per alias vias eti-

am habere potuerint, tamen moti sincera caritate nostra, quam indefesse habere intendimus ad conservationem status sui, timentes dubia et pericula, que iuditio nostro videre videmur, si filius condam domini regis Karoli intraret Dalmatiam, deliberavimus ipsa parte serenitatibus suis facere manifesta, ut possint ante tempus occurrere, et sic sufficienter de utilibus et necessariis rimediis providere, quod non occurrant aliqua, que sint statui suo importabilia vel molesta.

Et expositis predictis, ac habita responsione ab ipsis domino rege et domina regina, reddeas Venetias, sumpto amicabili comeatu, quam citius poteris de omnibus informatus.

Si vero ipse dominus rex vel domina regina, donec ibi eris, dicerent tibi vel facerent aliquam mentionem de factis Dalmatie, vel de aliquibus aliis, que possent spectare et tangere statum nostrum, debeas respondere, quod super talibus nullum mandatum habes a nobis, nec ullam responsionem dare posses, sed si placet maiestatibus suis aliqua tibi comittere vel dicere, ipsi possunt dicere, quecumque eis placent, quia tu venies ad presentiam nostram, et referes, quecumque eis placuerint, et nos postea providebimus, secundum quod nobis videbitur opus esse pro honore sue excellentie et nostro.

Verum quia leviter propter verba alias tibi dicta per dominam reginam ipsa posset petere a te, si tu dixisti nobis ipsa verba, et quid nos respondimus, debeas respondere, quod tunc, quando maiestas sua tibi dixit verba predicta, si bene recolis, voluisti declarari, si maiestati sue placebat, quod illa nobis refereris, et ipsa non respondit; propter quod considerante te, quod ipsa maiestas sua dixerat tibi in magno secreto, tu noluisti facere mentionem, sed bene potes testificari serinitati sue et mundo, quod dominatio nostra est talis nature, quod si promitteremus sibi vel alteri quicquam propter aliquam causam, nos infallibiter omnibus postpositis attenderemus, quecumque promitteremus.

Secreta Cons. Rog. R. 50, u mlet. arkivu.

CCCXCIV. God. 1390. 28 ožujka, u Mletcih.

Dozvoljuje se, da državni brodovi izkrcaju poslanika kralja bosanskoga u Hrvatsku.

1390. indictione XIII, die XXVIII martii. Consiliarii. Capta: quod nobilis vir ambaxator illustris regis Rassie cum octo personis, et venerabilis vir frater Benedictus collector pape, et nobilis vir dominus Gerardus dela Borda devotus noster, cum eorum famulis et levibus arnesiis possint levari et conduci circa partes, ad quas vadunt cum galeis nostris culphy, non sinistrando factum nostri communis.

Misti XLI, 70, u mlet. arkivu.

CCCXCV. God. 1390. 13 travnja, u Mletcih.

Pruža se pomoć krčkomu knezu Ivanu, da si predobije Modruš.

1390, die XIII mensis aprilis. Sapientes consilii omnes. Capta: cum ad confirmationem et robur statuum dominationum et dominorum mundi

nichil sit prestantius et censeatur utilius quam conservatio amicorum acquisitorum, que maxime sequitur et procedit, subveniendo amicis in necessitatibus eorumdem. Et magnificus dominus comes Johannes Vegle et Modrusse et cet., intimus et cordialis amicus nostri dominii, ut apparuit temporibus retroactis operis per effectum, per suas literas nobis intimaverit mortem fratris sui et obtentionem fori et contrate Modrusse ac occupationem castri Modrusse factam per cognatam suam uxorem condam fratris sui, que se reduxit in dicto castro cum aliquibus famulis paduanis et paucis de contrata, nec non instantissime nos rogavit, quod eidem in hac sua necessitate subveniamus citissime de aliquibus ballistariis nunc tot, quot nobis libent; vadit pars, consideratis conditionibus presentis temporis, que omnibus satis patent et omnibus supradictis, ut idem dominus comes Johannes de bono in melius se disponat erga nostrum dominium temporibus in futuris, quod eidem domino comiti Johanni subveniantur de triginta bonis ballistariorum, dando eis pagam duorum mensium, qui statim debeant conduci et soldizari per solutores camere armamenti pro quam minori pretio fieri poterit, et debeant ire usque Segnam vel cum presenti galea Capella vel aliis navigiis, pro ut videbitur collegio, non differendo propterea recessum istius galee ullo modo, portando secum nostras literas responsivas cum illis verbis, que collegio videbuntur competentia et honesta.

Item, quod mittantur due bombarde fulcite omnibus necessariis proicientes lapides a libris L. infra sicut et quando videbitur collegio. De parte omnes.

Infrascripte sunt res misse cum galea Capella magnifico domino comiti Johanni.

2. bombarde solide, que proiciunt lapides ponderis librarum 52 in 56, fulcite suis zochis et rotis; C lapides pro ipsis; VC libre pulveris in barilis X; C chochoni; una gorna ferrea pro ponendo pulverem in ipsis; puo palli ferrei et strazie in quantitate pro calchando ipsas; VI capse veretonorum ad CC pro capsa; C rochete; XXX ballistariis bene armati et fulciti armis et ballistis.

Misti XLI, 71, u mlet. arkivu.

CCCXCVI. God. 1390. 29 travnja. u Mletcih.

Mletčani šalju poslanika u Dalmaciju s nalogom, neka mudro razvidi po ondiešnjih gradovih, jeda li su skloni stupiti pod mletačku vlast.

1390. indictione XIII. die XXVIIII aprilis. Ser Leonardus Dandulo miles, ser Petrus Mecenigo procurator, ser Petrus Aymo miles, ser Lodovicus Mauroceno, sapientes consilii, ser Silvester Maripetro, ser Augustinus Quirino, ser Nicolaus Mauroceno, ser Marcus Barbo, sapientes ordinum. Capta: quia propter condiciones et terminos, in quibus presentialiter se reperiunt communitates Dalmacie, debemus habere mentes nostras ad facta predicta, ut adveniente hora et tempore, possint fieri et procurari ea, que habeant statum nostrum securum reddere temporibus in futuris; vadit pars pro possendo habere plenam et claram informationem de omnibus condicionibus partium predictarum et de voluntatibus et intencionibus dictarum civitatum, et in speciali pro possendo conferre cum illo amico de Tragurio, qui scribit civi nostro, quod mittatur ad partes

illas cum una nostra barcha armata unus noster nuncius sufficiens et discretus cum ista commissione et sub isto colore et cautela videlicet, quod dictus noster nuncius vadat, et se presentet cum nostris literis credulitatis coram regimiuibus Sibinici, quibus facta salutatione amicabili et oblatione cum illis utilibus et amicabilibus verbis, que sue sapientie videbuntur, dicere debeat, quod sicut eis scripsimus noviter ad audientiam nostram per querelam aliquorum nostrorum civium est deductum, quod euntibus eis cum una sua barcha et cum nostris literis per Dalmatiam cum certis suis mercationibus, raminibus et aliis bonis eorum, eis per aliquos subditos suos in acquis suis accepta fuit barcha cum omnibus mercationibus et bonis eorum, et nudi in maxima miseria relaxati, de quo certissime mirati fuimus et miramur, considerata caritate, quam gessimus et gerimus ad communitatem suam et generaliter ad omnes communitates Dalmacie et ad conservationem eorum, et quam dulciter et fraterne sui tranctantur a nostris in omnibus aquis et locis nostris, nam firmiter tenebamus, quod in terris et districtibus suis nostri marcatores et cives cum barchis, navigiis, bonis, et mercationibus suis possent stare et sine molestia navigare, ita quod non damnificarentur ab eis, sed pocius defenderentur, si necesse foret. Verum quia non dubitamus, quod predicta violentia et novitas facta fuit preter conscientiam et voluntatem suam, et quod eis displicuit et displicet non minus quam nobis, rogamus benivelentiam suam, quot placeat tenere talem modum, quod damna emendentur, et quod satisfiat nostris civibus ea passis, taliterque de cetero providere et regulare subditos suos, quod nostri, in illis partibus conversantes, non damnificentur ab eis, nec similiter alia navigia, que venirent ad civitatem nostram et de ea redirent ad partes suas, ut alias eis dici fecimus, quemadmodum constanter dispositi sumus, quod sui nullo modo damnificentur a nostris, ymo tractentur in omnibus locis nosrris fraterne, benigne et secure, et ut proprii nostri cives et melius, si melius fieri poterit.

Et circha obtinendam istam nostram intencionem debeat noster nuncius cum illa honestate et desto modo, que sue sapientie videbitur, facere posse suum ita quod damna predicta emendentur. Et cum eo, quod fecerit et habuerit, prosequatur viam suam ad partes Tragurii, ut inferius continetur. Sed nichilominus si eo tempore, quo stabit in Sibinico, per aliquos fieret mentio de oppressionibus suis et de sua necessitate, dicendo, quod est eis necessarium, ut provideant conservationi sue, et quare non ponimus ad hoc mentem nostram cum aliqua alia similia verba spectantia ad intentionem nostram, propter quam principaliter eum mittimus, tunc, noster nuncius predictus dicere illis talibus debeat, quod ad hoc nullam responsionem dare posset, quia nichil habet in mandatis a nobis, tamen tantum eis dicere et asserere potest de intentione et dispositione nostra, quod nostra dominatio est tantum bene et humane disposita versus eos et totam Dalmatiam ac suam conservationem, quantum esse posset versus proprios cives suos, quia sic eos reputamus et reputare dispositi sumus in casibus quibuscumque, sicut clare viderent pro effectu operum, si in aliquo nos requirerent. Nichilominus dictus nuntius cum illa industria et per illos honestos modos, que sue sapientie videbuntur, monstrando semper a se dicere et facere, procuret trahere et sentire de sua intentione et dispositione, et si sunt in una opinione vel pluribus, et in quibus, et quomodo se in-

telligunt, et quomodo uniti sunt cum Jadratinis, Tragurinis et Spalatanis, et quomodo oppressi sunt et qualiter se valere putant, et similiter quomodo exequi possent intenciones, quas haberent, et omnia alia, que trahere et sentire poterit, ut in suo reditu de omnibus plenissimam informationem habere valeamus.

Quando autem erit in Tragurio, debeat comparere cum nostris litteris credulitatis coram rectoribus dicte terre, et facta illa salutatione, que sue sapientie videbitur, dicere debeat, qualiter propter certa damna nuper aliquibus nostris civibus illata in aquis Sibinici per certos homines dicte terre, qui per vim arripuerunt unam suam barcham cum omnibus bonis et mercationibus in ea contentibus, nos providimus eum mittere ad presentiam rectorum terre predicte ad procurandum emendam et satisfactionem damni predicti pro indemnitate civium nostrorum damna passorum, sicut debitores sumus, et ad rogandum, ut de cetero provideant per modum, quod talia vel similia non occurrant in bonis, mercationibus et navigiis nostrorum nec etiam aliorum, qui venirent ad civitatem nostram et inde recederent, sicut eos rogari fecimus anno preterito. Unde videntes, quod veniebat tantum ante, mandavimus sibi, quod deberet comparere similiter coram eos propter damna data, ut sciunt, anno elapso in partibus suis brigentino nostro, quod veniebat Venetias de partibus Mothoni, ad sciendum, si aliquid recuperatum fuit, ut promiserunt, de rebus ablatis, et rogandum, ut placeat providere, quod toto suo posse ipsa damna recuperentur, et quod de culpabilibus fieret debita punicio, uti alias per nos fuerunt requisiti, et similiter quod providerent per talem modum, quod nostri non damnificentur de cetero in partibus suis, nec alie nationes, que venirent ad terram nostram, offerendo se ultimate ad cuncta concernentia honorem suum, bonum et conservationem status sui, tanquam carissimorum amicorum et benivolorum vicinorum nostrorum.

Et habita responsione dicte communitatis circha ea, que superius dicta sunt, cum eo, quod fecerit et habuerit, ac cum plena informatione condicionum omnium et terminorum, in quibus sunt, et oppressionum vulgarium et intencionum suarum et omnium aliorum, que habere poterit pro nostra declaratione, accepto amicabili comeatu, Venetias revertatur.

Ser Conradus Dandulo miles procurator, ser Petrus Mocenigo procurator, sapientes consilii; ser Silvester Maripetro sapiens ordinum. Verum dum noster nuncius ut in Tragurio, det operam per illum caertum et dextrum modum, quod sue sapientie videbitur, de essendo cum illo amico, qui scripsit et scribit civi nostro, et dicere sibi pro parte sua, quod ipse sentiens, quod iturus erat ad illas partes, commisit sibi, quod daret operam de essendo secum, et quod deberet sibi dicere, quod receperat et intellexerat omnes litteras suas, quas eidem miserat, et quod multum consideraverat super contentis in illis et super illa parte specialiter, que esset secundum suam intencionem, videlicet quod dominatio nostra se intromitteret de factis illis, sed ipse videbat in dictis factis unum magnum dubium et periculum, quod erat, si communitates Jadre, Sibinici et Spalati non essent in opinione, in qua sunt, quia quando ipse non forent in illa opinione et intencione, ubi crederent exivisse de pena et de laboribus, tunc magis intricati forent. Et propterea deliberaverat non facere nobis mentionem, nisi primo se declararet cum eo de hoc. Unde credit, quod faciat multum pro

bono status sui et istorum agendorum, quod ipse debeat dare operam per illum sapientem et dextrum modum, qui sue sapientie videbitur, de senciendo, si communitates suprascripte se invenirent in eadem dispositione cum eis, quia declarato sibi hoc puncto, tunc lucidius poterit intrare ad faciendum nobis mentionem, et non dubitat, quod nostra dominatio invenietur bene disposita ad faciendum de rebus eis gratis et que erunt cum conservatione et securitate status sui. Et circha istam partem nuncius noster audiat, trahat et senciat totum id, quod sentire poterit ab amico predicto, et cum eo, quod habebit, Venetias revertatur, ut superius dictum est, de omnibus informatus. De parte 14.

Ser Petrus Aymo miles, ser Lodovicus Mauroceno, sapientes consilii; ser Augustinus Quirino, ser Nicolaus Mauroceno, ser Marcus Barbo sapientes ordinum. Capta: Verum eo tempore quo nuntius noster stabit in Tragurio, debeat dare operam per illum cautum et dextrum modum, qui sue discretioni videbitur, de essendo cum illo amico, qui scribit civi nostro, et similiter cum illo alio, quem modo dubitamus esse informatum de omnibus, que scripsit, si amico videbitur et si sibi placuerit. Quibus facta illa salutatione, que ei videbitur, dicere debeat, quod nos volentes ipsum mittere ad presentiam suam propter illa, que scripsit amico suo, invenimus istum colorem et istam viam pro meliori agendorum. Sed ea, que ipse habet referre eis parte nostra sunt, quod nos vidimus et intelleximus literas suas omnes, quas amico suo misit, per quas clarissime videmus optimam dispositionem, quam habent ad nos et honorem nostrum, de qua eis rengraciamur quantum plus possumus, intendentes eos et domos suas habere semper in quibuscunque casibus recommissos, quia talis dispositio sua nunquam cadet a nostra memoria nec nostrorum. Sed nos notificamus eis, quod intencio et disposicio nostra circha id, quod nobis scripserunt, est tantum sincerissima et perfectissima ad faciendum de rebus sibi gratis et acceptis, et ad implendum suam intencionem quantum esse possit. Sed nos consideramus, quod ista facta, que sunt magna et ardua sicut vident, egent fieri multum sapienter et ponderate, et cum tali ordine et provisione, quod ubi crederetur fecisse de his, que haberent defendere et conservare statum suum, non fieret opportunum. Et inter alia dubia, que presentialiter occurrunt, est unum magnum et arduum, videlicet, quod intrando ad istud factum sine voluntate et beneplacito aliarum communitatum, silicet Jadre, Sibenici et Spalati, ubi crederemus procurasse et fecisse bonum suum, securitatem et conservationem sui status, nos faceremus oppositum, et incurreremus maiores errores, quia nullum dubium est, quod dicte communitates non amicarentur sibi. Et propterea nobis bonum et utile videretur, quod ipsi, qui melius et honestius hoc facere possent quam nos vel aliqui alii, deberent procurare de sentiendo intencionem et voluntatem communitatum predictarum, et si sunt in illa dispositione, in qua ipsi sunt. Quia si dicte communitates non forent in eadem dispositione cum eis, nobis periculosa res videretur pro statu suo intromittere istud factum Quando autem communitas Jadre et alie communitates essent in eadem dispositione cum eis, nostra dominatio inveniretur bene disposita ad faciendum de rebus sibi gratis pro bono et conservatione status sui.

Et circha obtinendam istam nostram intencionem quod predicti procurent sentire de intencione et voluntate communitatum Jadre, Sibenici et

Spaleti, debeat nuncius noster instare, si necesse fuerit, per illum modum et cum illis verbis, que sue sapientie videbuntur, ut possint nos informare de hoc. Et facto eo boni, quod poterit, cum eo, quod habuerit a predictis, et cum plenaria informatione omnium, que faciant ad nostram declarationem, debeat, accepto amicabili comeatu, Venetias remeare.

Verum si in colloquiis, que nuncius noster habebit cum predictis, ipsi requirerent eum, si aliquid habuit a communitate Sibinici vel ab aliquibus in speciali, et quid habuit, debeat ipse nuncius dicere et aperire eis illam partem, quam utilem esse cognoverit pro factis sibi commissis, secundum quod sapientie sue videbitur esse melius. De parte 54. de non 28. non sinceri 9.

Secreta Cons. Rog. R. 53, u mlet. arkivu.

CCCXCVII. God. 1390. 21 svibnja, u karaseru.

„Baysit gram signor et grande amiraio „Turchorum permittit, quod subditi Veneti veniant „in li luogi de la mia segnoria cum lo so haver et mercar senza algun dubio e senza alguna contradicion . . . Scripta del mese de mazo, indicione terciadecima del millesimo del 6898.“

Commemorialium VIII. 150 (tria diplomata), u mlet. arkivu.

CCCXCVIII. God. 1390. 26 svibnja, u Mletcih.

Mletčani obustavljaju dogovore s njekojimi Dalmatinci, koji su o tom radili, da primorski gradovi priposnaju mletačku vlast za svoju.

1390. die XXVI maii. Sapientes consilii et sapientes ordinum. Capta: quia pridie, quando providus vir Johanes Plumacio venit de partibus Sclavonie, amici illi de Dalmacia rogaverunt, ut super illis, que sibi dixerunt, daretur sibi presta responsio; vadit pars, quod cives nostri rescribant amicis suis predictis, quod dominatio nostra videt et cognoscit bene perfectam et optimam dispositionem, quam ipsi cum omnibus suis habent ad honores et statum nostrum, de quo regraciatur sibi quantum potest, intendens eos semper habere tanquam carissimos suos in quibuscunque casibus cordialiter recommissos. Ad factum principale sibi dicant, quod, consideratis modis servatis per communitates illas in mittendo suam ambaxiatam ad regem Bossine, et terminis, in quibus se reperiunt, non videretur nobis utile pro presenti facere aliam mencionem de his factis. De parte 103, de non 8, non sinceri 2.

Secreta Cons. Rog. R. 55, u mlet. arkivu.

CCCXCIX. God. 1390. 2 lipnja, u Sutiski.

Tvrtko kralj bosanski na uzdarje primljenih usluga razširuje granice spljetske občine.

Nos Stephanus Tuerco dei gratia Rascie, Bosne, maritimeque etc. rex omnibus christi fidelibus tam presentibus quam futuris presentium notitiam habituris salutem in domino salvatore. Maiestas regia erga suos fideles exhibere se decet gratiosam, ut largifluis meritis fidelitatis aliis

eiusdem cultoribus cedat in exemplum, fructu inde collecto nitatur hilariter homines firmius perseverare indissolubili nexu charitatis, totque viribus ardescere, precipue suos fideles erigere, ut honeste vivere ac pacifice valeant, scrupula et discordias a regnicolis qualitercumque ipsos dissociantes penitus abolere, nempe nihil charius, nihil dulcius, nihil honestius, quam regnum invicem regi pacificum intueri. Hinc est, quod nobiles et circumspecti viri ser Petrus Gori, Dionysius Helie, Nicola Srechie et Micha Madii, nuncii et ambassiatores fidelissimi nostre aule Spalatensis maiestati nostre humiliter pro parte ipsorumcommunitatis exposuerunt, quod a multis annis citra inimicitie capitales sanguinisque effusiones et multa homicidia fuerunt inter ipsos nostros Spalatenses et Cliscienses occasione ipsorum castri nostri confiniorum et metarum, supplicantes nostre maiestati, ut dignaremur de gratia speciali providere ita et taliter, ut inimicitia inter ipsos castellanos nostros Cliscie et dictos nostros fideles Spalatenses sedetur et cessetur, pacificeque invicem vivant; similiter postulaverunt a nostra maiestate, inter nostrum castrum Almissii et ipsos Spalatenses metam et confinium modo ut supra terminare. Nos vero cupientes scandala huiusmodi inimicitiasque inter ipsos nostros fideles ad perpetuam pacem abolere et sedare, volentes fideles nostros Spalatenses nostris gratiis frui abunde, premeditantes, fore ipsorum iustas petitiones gratiose admisimus hoc modo, videlicet, quod incipientes a monte Masaron versus orientem recto tramite sicut labitur flumen Salona versus occidentem dividat et sit meta atque confinium inter nostrum castrum Cliscie et ipsos Spalatenses, ita quod e dicto fiumine versus Spaletum sit Spalatensium cum omnibus molendinis eorum Spalatensium consuetis. Ab alia vero parte sit confinium et meta muri antiqui Salone recto tramite versus montem s. Michaelis usque ad columnam versus Tragurium, que est meta inter Spalatenses et Tragurienses. Ex parte vero Almissii sit meta et confinium flumen Cetine recto tramite sicut labitur versus mare usque ad verticem montis, qui dicitur Primorie versus Spaletum inter nostros Spalatenses et castrum nostrum Delmissii cum omnibus et singulis inter ipsos confines interclusis villis, terris, aquis, pratis, nemoribus, pascuis, et cum omnibus et singulis, que dicti confines habent infra se cum omnibus ipsorum iuribus et actionibus damus, concedimus et confirmanus dictis nostris Spalatensibus absque alicuius contradictione vel impedimento de nostra gratia speciali, dummodo nobis perseverent in fidelitate nostre maiestati; premissa itaque deinceps in antea dicti nostri fideles Spalatenses possint et valeant ipsi et sui heredes et successores ex nunc in antea in perpetuum gaudere, possidere, usufructuare, alienare inter se ipsi cives nostri et omnimodam ipsorum facere voluntatem tanquam de rebus suis propriis, et hoc pro multis gratis beneficiis nobis et nostris antecessoribus per ipsos Spalatenses collatis; volentes insuper, quod privilegia a nostra maiestate impetrata per Cliscienses et Pollizanos tacita veritate et suggesta falsitate, que posset perturbare dicta confinia quomodolibet volumus omnimoda ea cavere firmitate; et ad executionem omnium predictorum committimus magnifico et potenti viro domino Triphoni nostre aule prothovestiario nec non providis et discretis viris Michaeli de Ragusio electo episcopo Tniniensi, comiti Stanoi Jelascich et Vladoi logofeto, nostris fidelibus et dilectis et nunciis in hac parte specialibus per dictos Spalatenses nostra auctoritate mediante ponere et indu-

cere in tenutam et corporalem possessionem predictorum confinium et possessionum cum omnibus solemnitatibus ad hoc debitis et opportunis. Datum in nostra aule residentie Sutescha per manus predicti discreti viri domini Michaelis de Ragusio electi episcopi Tniniensis et in hac parte cancellarii nostri sub nostro duplici sigillo pendenti, presentibus magnificis et circumspectis viris dominis comite Dabissa, comite Stipoye Hervatinich, comite Paulo Radinovich, Triphoni predicto aule nostre prothovistiario, Wlatcho vaivoda de Usora, comite Priboj Mestrovich, supano Biliaco Sancovich et Sladichio nostro pincerna, nostris fidelibus et dilectis, sub anno domini 1390. indictione XIII, die secundo mensis iunii.

Ex antiquo codice apud S. Ljubić.

CCCC. God. 1390. 8 srpnja, u Mletcih.

Mletačka republika izrazuje bosanskomu kralju svoju radost na njegovu viest, da mu stvari liepo uzpievaju, i obaviešćuje ga, da će po njegovoj želji poslati u Dalmaciju brod, da njegove poslanike digne i u Mletke dovede.

1390. die 8 iulii. Sapientes ordinum. Capta; quod scribatur domino regi Bossine in hac forma maiestatis vestre litteras datas Suteske XVII iunii proxime preteriti sospitatem atque felices successus serenitatis vestre fraterno more distinctius nuntiantes leto corde suscepimus. Que profecto nobis consolationem maximam attulerunt et gaudium, cum per ipsas etiam per latorem noverimus, serenitatem regiam fore incolumem et iocundam; ex quorum notificatione gratiarum actiones exolvimus maiestati vestre, cui placuit de premissis efficere nos fraterne participes. Ceterum cum in ipsarum litterarum serie cavebatur, quod cum serenitas regia proposuerit ad nos ambaxiatam suam transmittere, placeret nobis quoddam ex nostris navigiis ad partes Sibenici sive Tragurii vel Spaleti destinare, ut securius predicta ambaxiata possit ad nostram presentiam se conferre, presentibus respondemus, quod dispositi beneplacitis regiis sincero effectu dilectionis annuere, mandamus, quod unum ex lignis nostris armatis ad partes Sibenici usque VIII diem augusti proximam propere se reducat, super quo poterit ambaxiata vestre maiestatis ascendere Venetias profectura, quam ob intimum eiusdem vestre serenitatis amorem illari mente videbimus. Placeat ergo maiestati vestre taliter mandare, quod dicta ambaxiata ad illud tempus se reperiat Sibinici. Nos quidem offerimus lete paratos ad queque conformia regie celsitudinis vestre, quam conservet altissimus feliciter et longeve.

Et ex nunc captum sit, quod lignum nostrum riperie Istrie mittatur usque Sibinicum ad levandum ambaxiatam predictam, et eam Venetias conducere.

Misti XLI. 92, u mlet. arkivu.

CCCCI. God. 1390. 9 srpnja, u Mletcih.

Cum Georgius Srazimir de Balsa dominus Zentae retinuerit Phylippum Barelli civem venetum, mittitur nuntius ad ipsum dominum cum requisitione, quod placeat ei, si dictum Phylippum reperiet non esse cul-

pabilem, ipsum cum liberis et bonis libere dimittere, vel saltem bona sua, cum ista non sint dicti Phylippi sed „quamplurium civium et fidelium nostrorum habere debentium a Phylippo predicto.“

Misti XLI. 91, u mlet. arkivu.

CCCCII. God. 1390. 29. srpnja, u Mletcih.

Scribitur nuntio misso domino Georgio Sracimiro de Balsa domino Zentae et consuli deinde, quod, recuperatis bonis Phylippi Barelli, „debeant de ipsis disponere et facere, prout sibi dicent seu scribent creditores dicti Phylippi.“

Misti XLI. 96, u mlet. arkivu.

CCCCIII. God. 1390. 1 kolovoza, (u Spljetu?)

Poslanici Tvrtka kralja bosanskoga ustanovljuju granice spljetske občine.

In Christi nomine amen. Anno domini 1390, indictione XIII, die primo mensis augusti. Nos Triphon Buche de Catharo aule regie miles et prothovestiarius, Michael de Ragusio electus episcopus Tniniensis, et Vladoie de Rascia dicte aule logophet, executores et commissarii et in hac parte nuncii speciales Ser^{mi} et Ex^{mi} principis et domini nostri Stephani Tuerchonis dei gratia Rassie, Bosne, Dalmatie, Croatie, Maritimeque etc. regis inclyti ad infrascripta specialiter deputati, de quibus patet publicis solemnibusque apicibus dicte regie maiestatis eius maiori duplici et autentico sigillo inpendenti sigilatis, datis in Sutesta in aula regie residentie sub anno domini 1390, ind. XIII, die secunda mensis iunii significamus tenore presentium quibus expedit universis, quod nos cupientes mandata dicti domini nostri regis exequi cum omni humilitate et reverentia, ut tenemur tanquam obedientie filii, accedentes nuper mense iulii proxime preteriti una cum comite Stanoie Jelaşcich, nostro collega infrascripto, nunc tamen ab hac civitate absente pro servitiis regiis, personaliter ad facies terrarum, villarum, possessionum, locorum, metarum et confinium infrascriptorum, et ipsis diligenter perambulatis, vissisque oculata fide pariter et inspectis, posuimus viros nobiles Petrum Gori, Dionisium Helie, Nicolarum Sriche et Micham Madii cives Spalatenses vice et nomine totius communitatis et hominum civitatis predicte in tenutam et corporalem possessionem eorum et cuiuslibet ipsorum debito et consueto more patrie in talibus observato, videlicet incipiendo a monte Massaron versus orientem recto tramite sicut labitur flumen Salone versus occidentem, ut dividat et sit meta atque confinium inter castrum regium Clissie et ipsos Spalanteses, ita quod a dicto flumine versus Spaletum sit Spalatensium cum omnibus molendinis dictorum Spalantensium consuetis. Ab alia vero parte a muris antiquis Salone recto tramite versus montem s. Michaelis; que ob maiorem clarioremque evidentiam infrascriptis signis duximus consignanda, videlicet a quadam puncta secus mare, que vocatur Glaviza, ubi solent aplicare barce pro exportandis lapidibus de Salona, in cuius puncte medio mandavimus erigi in nostri presentia unam columnam, et in eius superficie sculpi fecimus litteras S. P. ad nomen civitatis Spaleti denotandum versus montem S. Michaelis ad

quandam rupem, in qua ex meridiana parte eiusdem sculpte sunt littere prenotate, scilicet S. P versus quoddam saxum, quod respicit versus montem s. Michaelis, in quo etiam saxo signari fecimus et cavari similiter litteras antedictas S. P., et inde versus ecclesiam s. Michaelis de monte usque ad columnam, que est meta inter Spalatenses et Tragurienses, ex parte vero Almissii a flumine Cetine recto tramite sicut labitur versus mare usque ad verticem montis, qui dicitur Primorie versus Spalatum. Ex alia vero parte usque ad littora maris cum omnibus et singulis intra ipsos confines inclusis villis, terris, aquis, pratis, nemoribus, pascuis, et cum omnibus et singulis, que dicti confines habent infra vel intra se cum omnibus ipsorum iuribus et actionibus inclusive, mandantes verbo regio et auctoritate nostra premissa omnibus de Clissa et Policio et de Almissio, et in uper omnibus et singulis cometaneis civitatis Spaleti, et tenore presentium edicimus et mandamus, ut dictos Spalatenses in dictis confiniis et intra eos contentis, ut predictum est, nullatenus audeant in aliquo perturbare vel eis inferre aliquam molestiam, iniuriam vel offensam, tanquam in locis et terris propriis civitatis et civium predictorum. Acta fuerunt predicta in presentia et testimonio virorum nobilium Georgio Radinoievich, Vulezio Nenadich, Vgrino Razich, Bodatio Pribislavich, Georgio Draxoievich de Poliza, Barco vocato Castagna, et aliis quampluribus, nec non discretis et honestis viris presbyteris Nicolao Poverseni, Joanne Zuitzi et Joanne Georgii, canonicis Spalatensibus. S.

Ex antiquo codice apud S. Ljubić.

CCCCIV. God. 1390. 30 kolovoza, u Mletcih.

Respublica Veneta promittit se restituere dominae Avalonae quoddam fortilicium, si ipsa domina libere relaxaret Nicolaum Musaicium dominum ipsius fortilicii, et solverèt expensas a Venetis factas pro custodia ipsius.

Misti XLI. 100, u mlet. arkivu.

CCCCV. God. 1390. 30 kolovoza, u Mletcih.

Odgovor mletačke vlade na predloge bosanskih poslanika.

1390. indictione XIII. die 30 mensis augusti. Sapientes consilii et sapientes ordinum. Capta: quod respondeatur istis ambaxiatoribus domini regis Bossine de ambaxiata per eos exposita.

Et primo ad primam partem, per quam ipse dominus rex communicat nobiscum prosperitates suas tamquam cum carissimis amicis suis etc., quod regraciamur multum maiestati sue de amicabili et fraterna participatione, quam facit nobiscum de exaltatione corone sue et status sui, de quo nos recipimus letitiam et consolationem immensam propter singularem amorem, quem semper habuimus et habemus ad excelsam domum suam, et quanto prosperitas et exaltationes sue forent maiores, tanto nos essemus magis contenti; supplicantes altissimo, ut maiestatem suam conservare et augere dignetur secundum desiderium mentis sue.

Ad aliam partem, per quam ipse significat nobis, quod intentio et dispositio sua est velle acquirere civitatem Jadrensem, sicut aquisivit alias

civitates Dalmatie, et propterea nos rogat, quod debeamus sibi dare auxilium et favorem ad possendum implere istam suam intentionem etc., respendeatur eis, quod sicut maiestas sua plene novit nos sumus in bona pace et bonivolentia cum domino rege et corona Hungarie, et in bono amore cum Jadratinis, quam infrigere non vollemus, nec possemus nisi cum magno onere nostre communitatis et nostri dominii, quod non dubitamus ipse dominus rex nullo modo vellet; et propterea rogamus excellentiam suam, quot si in hoc non condescendimus votis suis, habere nos placeat merito excusatos.

Ad tertiam partem, per quam sé offert velle se interponere ad tractandum concordium et pacem et bonum amorem inter dominum regem Ladislaum, filium condam domini regis Karoli, et dominam Margaritam eius matrem ex una parte, et nos ex altera etc., respendeatur ipsis ambaxiatoribus, quod teste deo nos semper sincera mente dileximus serenissimum quondam dominum regem Karolum, nec unquam voluimus, potentes habere multas prerogativas et avantagia, aliquid facere vel procurare cum adversariis suis contra statum suum, nec similiter contra statum dictorum suorum filii et uxoris, quia dispositio nostra, excepto quod intervenerit postea aliqua materia scandali et erroris, semper fuit bona et sincera versus eos, eritqua in futurum, quia quantum erit in nobis, quandocumque sibi placebit, nos dispositos inveniet et paratos ad volendum cum eis vivere pacifice et quiete ac in bona benivolentia, uti viximus cum domino rege Karolo supradicto.

Ad quartam partem, per quam ipsi ambaxatores nobis significant, quod dominus rex predictus est contracturus parentelam cum domino duce Austrie, et licet sciat, quod inter ipsum et nos sit sincerus amor, tamen se offert procurare et facere, quod dictus amor et caritas de bono in melius augeatur, respondeatur ipsis ambaxatoribus, quod nos volumus esse manifestum excelentie regie, quod nostra communitas semper coniuncta fuit singulari benivolentia et amore cum excelsa domo Austrie, et ad presens notanter est cum domino duce Alberto. Sed si deo placebit, quod istud matrimonium compleatur, nos recipiemus tantam consolationem, quantum recipere valeremus, quia unitis ad invicem duabus amicitiis nostris ita perfectis, certi reddimur, quod utriusque partis amor augebitur versus nos, si augeri poterit, et nos etiam maiorem causam habebimus conservandi amorem et benivolentiam utriusque; refferentes infinitas grates excellentie regie, quia ita vigilat ad honores et comoda nostra, ad eaque procuranda ita offert liberaliter se paratam.

Ad ultimam vero partem, quam ipsi ambaxatores exposuerunt, per quam videntur innuere et requirere ligam generalem, videlicet quod amici unius partis sint amici alterius, et inimici inimici etc., respondeatur ipsis ambaxatoribus, quod sicut domino regi et toti mundo notissimum est, civitas nostra est taliter situata et fundata, quod ex solo exercitio mercature alitur et nutritur. Unde predecessores nostri vigilantes ad conservationem dicte nostre civitatis procuraverunt habere certa pacta et conventiones cum omnibus, ad que pacta partes obligate sunt, ita quod nullo modo ad istam ligam attendere valeremus, quia possent nimium preiudicium nostro statui generare; et propterea rogamus ipsum dominum regem, quatenus nos habere velit excusatos. Reddat tamen se certissimum, quod terras et subditos

suos nos semper habebimus ut nostros proprios benigne et favorabiliter recommissos, rogantes, ut versa vice terre et subditi nostri recommissi sint maiestati sue.

Secreta Cons. Rog. R. 59, u mlet. arkivu.

CCCCVI. God. 1390. 16 rujna, u Mletcih.

Cum Georgius Srazimir de Balsa dominus Zentae recusaret facere juxta requisitionem reipublicae venetae in facto Phylippi Barelli, sicut ex litteris Antonii Zuchato nuncii veneti apparuit; respublica veneta iterum suo nuntio mandat, ut exigat denuo a domino Georgio, quod ipsum Phylippum libere relaxet vel saltem sua propria bona pro satisfaciendis creditoribus civibus venetis, quibus ipse Phylippus tenetur, alioquin „debeat protestari dicto domino de omni damno, expensa, interesse, et Venetias revertatur de omnibus plenissime informatus.“

Misti XLI. 105, u mlet. arkivu.

CCCCVII. God. 1390. 20 rujna, u Mletcih.

Piše se papi na korist O. Tome njegda senjskoga biskupa.

1390. die XX septembris. Consiliarii. Capta: quod in favorem et recommendationem reverendi in christo patris domini fratris Thome ordinis minorum olim episcopi Segniensis et postea episcopi Jauriensis, olim etiam penitentiarii serenissimi domini regis et serenissime domine regine Hungarie, qui semper fuit optime dispositus ad honorem et statum nostri dominii, sicut habetur per nostros nobiles fide dignos, possint scribi litere domino pape et cardinalibus et aliis, quibus videbitur in illa forma, que videbitur ducali dominio, recommentado ipsum ad episcopatum Segne vel Jaurini; et est capta per sex consiliarios et duas partes consilii rogatorum et addicione.

Misti XLI. 106, u mlet. arkivu.

CCCCVIII. God. 1390. 18 listopada, u Mletcih.

Ambasciatori misso a communitate Sibenici in facto derobationis commissae in damnum civium Venetorum in portubus partium Sibenici per cives Sibenicenses, praesertim per fratres Casiotum et Marinum, et per quemdam Baptistam, respondetur, quod sua communitas debeat cogere ipsos, ut cito satisfiant derobatis, si non, intromittat bona eorum usque ad integram satisfactionem damna passorum; alioquin respublica providebit de indemnitate et conservatione suorum subditorum.

Misti XLI. 115, u mlet. arkivu.

CCCCIX. God. 1391. 22 siečnja, u Budimu.

Kraljica ugars.-hrv. Maria moli mlet. republiku, neka joj dozvoli, da može nagraditi Ivana Barbadika mlet. gradjanina novcem i drugimi stvari za usluge, koje joj iskazao.

Copia litterarum missarum ducali dominio per serenissimam dominam reginam Hungarie, in qua littera a tergo scriptum est, videlicet:

Inclito domino Antonio Venerio duci Venetiarum et amico nostro sincero.

Maria dei gratia regina Hungarie, Dalmatie, Croatie etc. Tenor autem littere talis est, videlicet: Inclite princeps, amice carissime. Ad vestram notitiam tenore presentium deducimus, quod egregius miles dominus Joannes Barbadico, civis Venetiarum, gratos et placibiles in commissione eidem per vestram amicitiam exhibuit nostre maiestati famulatus, de quibus cum honore vestre amicitie dignum foret premia reportare meritorum. Quare requirimus vestram amicitiam, ut dum nostra maiestas vellet ipsum aliquo remunerationis premio condonare, in ere videlicet et aliis iocalibus, transeat de consensu et annuentia amicitie vestre prelibate. Datum Bude XXII mensis ianuarii.

Commemorialium VIII. 153, u mlet. arkivu.

CCCCX. God. 1391. 2 ožujka, u Mletcih.

Capta, quod respondeatur ambasciatoribus Georgii Srazimiri domini Zentae, quod de omnibus, quae exposuerunt, respublica per nuntium proprium notam redditura sit eidem domino intentionem suam.

Misti XLI. 128, u mlet. arkivu.

CCCCXI. God. 1391. 14 travnja, u Mletcih.

Committitur capitaneo culphy, quod deponat in Durachio ballistarios ad hoc sibi datos, et examinet statum militum in turri Durachii, quam respublica pro se tenet, informet se de novis deinde et in quibus terminis stat dominus Durachii et civitas, discurrendo subsequenter riperiam Sclavoniae usque ad Polmentarias ad terrorem piratarum.

Misti XLI. 134, u mlet. arkivu.

CCCCXII. God. 1391. 2 svibnja, u Mletcih.

Capta, quod in casu mortis domini Durachii capitaneus culphy vel bajulus et capitaneus Corphoy, si potuerint habere voluntarie castrum et dominium dictae terrae, debeant accipere nomine veneti dominii, et ponere ibi sufficientem custodiam pro securitate ipsorum, ne pervenirent in manus Turchorum.

Misti XLI. 137, u mlet. arkivu.

CCCCXIII. God. 1391. 3 kolovoza, u Mletcih.

Capta: „quia per formam pacis firmate cum domino rege et corona Hungarie nos sub certa pena in illa pace contenta tenemur et obligati sumus mittere omni anno Jadram in festo sancti regis Stephani vigesima die mensis augusti ducatorum VII millia auri, quod terminus est valde prope, ita quod est omnino providendum de mittendo dictam pecuniam ad ipsum terminum tam pro honore nostro quam pro non contrafaciendo paci predicte", committitur collegio, quod ipsam pecuniam reperiat et mandet.

Misti XLII. 16, u mlet. arkivu.

CCCCXIV. God. 1391. 15 rujna, u Mletcih.

Notificatur per nuntium Georgio domino Zentae, ut infra duos menses mittat Venecias suum procuratorem cum sindacatu ad respendendum in iudicio creditoribus Phylippi Baroli „de omni eo, quod quilibet dictorum creditorum petere voluerit a magnificentia sua", vel restituat et nuntio consignet III milia VIII centum ducatos et omnia bona mobilia et immobilia, quae habebat dictus Phylippus, quando a sua magnificentia fuit carceratus.

Misti XLII. 24, u mlet. arkivu.

CCCCXV. God. 1391 22 rujna, u Mletcih.

Ustanova o pretaljenju mjedi dolazeće iz Senja.

1391. die XXII septembris, indictione XI. Sapientes pro facto raminis: ser Ludovicus Mauroceno, ser Marcus Geno procurator, ser Benedictus Superantio; sapientes ordinum: ser Johannes Cauco, ser Robertus Mauroceno. Capta: quia multum cedit ad bonum et utilitatem civitatis nostre et mercatorum nostrorum habere provisionem super facto raminis, ut habentes de illo, habeant causam conducendi illud Venetias et non ad alias partes, sicut conductum est per tempora elapsa et fit presentialiter cum tanto damno nostro; vadit pars, quod super facto raminis fiant infrascripte provisiones, que sunt omnino necessarie pro factis nostris; et primo: quod totum rame affinatum in partibus Hungarie, quod conducetur Venetias per viam Segne et a Segna citra, et per viam Alamanie per terram, solvere debeat quinque pro centenario, que solvuntur ad tabulam secundum consuetudinem. Et ultra hoc solvat ducatos quatuor auri pro milliari nostris officialibus getti pro affinatura, si ponetur in getto, et reddatur milliare pro milliari. Et si noluerit poni in getto, solvat dictis officialibus nostris getti ducatos duos pro milliari infra unum mensem, postquam fuerit conductum Venetias, et possit navigari sicut possunt alia ramina. Verum si presentato dicto ramine ad gettum nostrum videretur per extimatores, quod non foret illius finicie raminis, quod conductum fuit Venetias, de quo declaratur per formam partis capte in rogatis 1384 die XX novembris, cuius raminis sazium est apud officiales nostros getti, non recipiatur in getto, sed solvat dictos ducatos duos, ut dictum est, et sit ad conditionem ordinum nostrorum. Sed si illud rame vollet poni in getto cum illa stima, que dabitur per extimatores, tunc debeat recipi per illos officiales nostros

getti cum stima predicta, solvendo ultra dictam stimam ducatos quatuor auri officialibus nostris getti, ut dictum est. 45, de non 4, non sinceri 7. Missa officialibus et cridata.

Misti XLII. 25, u mlet. arkivu.

CCCCXVI. God. 1391. 22 rujna, u Mletcih.

In facto raminis, de quo in parte precedenti 22 septembris, statutum etiam: „quod omnes petie, que conducuntur Venetias de ramine affinato in Hungaria, que non ponentur in getto, debeant bullari de una bulla, que sit ad formam unius coche ad hoc, ut in omni parte possit cognosci rame, que conductum fuerit Venetiis, ab alio ramine, quod per forenses portatur de Segna et aliis locis ad partes levantis."

Misti XLII. 25, u mlet. arkivu.

CCCCXVII. God. 1391. 13 listopada, u Mletcih.

Kapetanu barskomu u Italiji, koj je tužio Dubrovčane i Šibeničane, da su mu njeke brodove zaplienili, odgovara se, da će republika rado posriedovati za izmirenje, ali u isto doba da nemože dopustiti u jadranskom moru, da se ničiji brodovi s osvete pliene.

1391. ind. XV die 13 octobris. Sapientes consilii et sapientes ordinum. Capta: quod respondeatur istis literis, quas nobis misit Gabriel de Parma capitaneus et castellanus Bari in hac forma, videlicet: recepimus et plenarie intelleximus litteras vestras Baro datas decimo mensis septembris proxime lapsi per quas nobis officialiter denotastis velle armare fusta vestra ad vindicandam iniuriam per Raguseos, ut scribitis, vobis factam, qui in portu Vestarum furtive rapuerunt unum navigium de Narento mercibus oneratum, per vestram galeam iuste et racionabiliter acquisitum, quatuor hominibus dicte galeote, qui in eo erant, nequiter trucidatis, et similiter per Sibenzanos, qui iuxta montem Garganum quemdam vestrum brigentinum inimicabiliter abstulerunt; ad quas presentibus respondemus, quod molestum nobis fuit et est, quod Ragusei et Sibenzani predicti vel quicumque alii fecerunt vel faciant aliquid, quod nobis displiceat, et sit contra debitum racionis, et propterea informabimus capitaneum nostrum culphy de his, que nobis dictis vestris literis denotastis, et committemus eidem, quod, quam celerius poterit, se studeat informare de veritate predictorum, et habito, quod ita sit, inducat et hortetur communitates predictas, quod facere debeant id, quod iustum et racionabile fuerit, ut non habeatis iustam causam querele. Tamen ad factum armamenti vestri predicti, nobilitati vestre dicimus, sicut alias dici fecimus per nostrum nuncium et postea per capitaneum supradictum, quod nullo modo intendimus tolelare, quod vos, Ragusei vel alii intra culphum nostrum arment aliqua fusta, que piraticam faciant in damnum navigiorum subditorum et bonorum nostrorum, nec aliarum quamrumlibet nationum, que cum navigiis et bonis suis veniant ad civitatem nostram vel de ea recedant propter rationes tunc per dictum nostrum nuncium explicatas. Et quando contrafieret huic nostre intentioni, capitaneus noster predictus et alie nostre galee procederent contra illa fusta et homines in eis existentes tamquam contra cursarios publicos

et contra terras et loca, in quibus forent armata, et a quibus receptarentur, prout nobis iustum et racionabile videretur. Et propterea rogamus eandem vestram nobilitatem, quot placeat tenere modum, quod non contrafiat intencioni nostre predicte, nunc et alias declarate, et per vos observari promisse.

Et significatur capitaneo nostro culphy querela, quam nobis fecerunt Ragusei de ista dispositione Gabrielis, et mittatur sibi copia istius littere et nostre responsionis, ac mandetur eidem, quod declinante eo ad dictas partes Ragusii et Sybenici, debeat facere consciam dictis communitatibus de querela ipsius Gabrielis, procurando se informare de facti veritate; et in casu, quo habeat ita esse, ut scribit, inducat et ortetur eos ad faciendum versus dictum Gabrielem id, quod iustum et racionabile fuerit, ut non habeat causam querele; significando nobis quicquid fecerit et habuerit pro nostra informatione. Et ad maiorem cautelam dici etiam debeat Raguseis, qui hic sunt, et querelam dominio fecerunt, illa verba, que utilia videbuntur in isto facto, ut ipsi se abstineant a novitatibus supredictis. De parte 77, de non 18, non sinceri 12.

Misti XLII. 29, u mlet. arkivu.

CCCCXVIII. God. 1392. 8 ožujka, u Mletcih.

Cum civitas Durachii subiaceat manifesto periculo perveniendi ad manus Turchorum, scribitur capitaneo culphy, ut se presentet domino illius terrae et roget eum, ut sinat „quod castrum Durachii fulciatur et custodiatur per nostratos nostris expensis ad honorem suum et status sui, et se reducat ad habitandum in civitate cum familia sua, habendo regimen et gubernationem ac introitus, et faciat iustitiam, et sit dominus, ut est ad presens“, promittendo ei in ultimo de provisione annuali usque ad summam 500 ducatorum. Si facta omni experientia hoc non poterit obtinere, tunc capitaneus procuret et faciat ita „quod dictum castrum sit in potestate nostra, fulciendo et faciendo custodiri ipsum ad nostrum mandatum, dimittendo ipsum dominum habitari cum sua familia in civitate et habere introytus et esse dominum ut est ad presens, habendo illam provisionem, que fuisset ei promissa.“

Secr. Cons. Rog. R. 74, u mlet. arkivu.

CCCCXIX. God. 1392. 10 ožujka, u Mletcih.

Republika podieljuje Gjorgju Sracimiru gospodaru Zetskomu pravo na mletačko gradjanstvo.

Privilegium civilitatis magnifici domini Georgii de Balsa nati quondam domini comitis Jure de Balsa cum suis filiis et heredibus.

Anthonius Venerio dei gratia dux Venetiarum et cet. Universis et singulis tam amicis quam fidelibus et tam presentibus quam futuris presens privilegium inspecturis salutem et sincere dilectionis affectum. Tanto benignius ducalis providentia consuerit personas honorabiles et magnificas sibi benovolas et dovotas honoribus prevenire, ipsarumque fidem et devotionem dignis retributionibus compensare ac ipsas dotalibus favoribus con-

vallare, et ipsarum petitiones liberalius exaudire, quanto ducatui nostro devotiores fide et operibus se ostendunt. Attendentes igitur multiplicis benevolentie puritatem et devotionis plenitudinem, quam magnificus et potens vir dominus Georgius de Balsa, natus quondam magnituci domini Jure de Balsa intimi et carissimi nostri, ad nostre magnitudinis excellentiam habere promptis affectibus se ostendit, qui in agendis nos, ducatum nostrum et singulares personas ducatus ejusdem tangentibus promptum et devotum laudabiliter et incessanter se prebuit atque prebet, suplicationibus nobis sua parte porrectis gratiosius annuentes, prefatum magnificum dominum Georgium nostrorum omnium consiliorum et ordinamentorum necessaria solemnitate servata, in Venetum et civem nostrum cum suis filiis et heredibus perpetuo recepimus atque recipimus, et Venetum et civem nostrum cum suis filiis et herédibus fecimus et facimus et pro Veneto et cive nostro cum suis filiis et heredibus in Venetiis et alibi deinceps haberi et procurari omni effectu et plenitudine volumus et tractari, ipsum sincere benevolentie brachiis amplexantes et firmiter statuentes, quod singulis libertatibus, beneficiis, immunitatibus et honoribus quibuscumque, quibus alii honorabiles Veneti et cives nostri gaudent et perfrui dignoscuntur, prefatus magnificus dominus Georgius eiusque filii et heredes in Venetiis et extra perpetuo gaudeant et utantur, idemque dominus Georgius per suum procuratorem legittimum nobis fidelitatis prestitit debitum iuramentum, in cuius rei fidem et evidentiam pleniorem presens privilegium fieri iussimus, et bulla nostra aurea pendente muniri. Datum in nostro ducali palatio anno dominice incarnationis millesimo trecentesimo nonagesimo secundo, die decimo mensis marcii, indictione quindecima.

Liber privilegiorum I. 100, u mlet. arkivu.

CCCCXX. God. 1392. 18 travnja, u Mletcih.

Provisum de custodia et conservatione castri Durachii assignati per dominum dicti loci in manibus capitanei culphy. Eligatur castellanus dicti loci per duos annos, et fulciatur castrum ballistariis et munitionibus. Scribitur capitaneo, ut videat, si ita fieri potest, quod terra ponatur in insula, sicut populus Durachii desiderat.

Misti XLII. 54, u mlet. arkivu.

CCCCXXI. God. 1392. 16 svibnja, u Dubrovniku.

In facto derobationis factae per unam galeotam ragusinam supra quoddam navigium venetum venientem de Creta in partibus Sclavoniae rector ragusinus scribit reipublicae venetae, notificando ei, quod jam mandaverit propriis civibus in Veneciis, ut solvant omnia damna.

Commemorialium VIII. 161, u mlet. arkivu.

CCCCXXII. God. 1392. 2 srpnja, u Mletcih.

Quia apropinquat tempus solutionis septem millium ducatorum, qui dari debent domino regi Hungariae iuxta formam pacis, et aliae sunt faciendae expensae, ideo captum, quod possint accipi a provisoribus communis de impositionibus et addictionibus daciorum ducati usque ad 15 millia.

Misti XLII. 66, u mlet. arkivu.

CCCCXXIII. God. 1392. 9 kolovoza, u Mletcih.

Odgovara se na tražbine Gjorgja Topije gospodara dračkoga.

1392. indictione XV, die nono mensis augusti. Sapientes consilii et sapientes ordinum. Capta: quod respondeatur ad ista capitala nobis porrecta pro parte magnifici domini Georgii Topie domini Durachii in hac forma: et primo ad primum capitulum, per quod ambasiatores sui suo nomine requirunt, quod nobis placeat confirmare et ratificare per nostras patentes literas, bulla aurea communitas, instrumentum pactorum contractorum inter ipsum et nobilem virum ser Saracenum Dandulo capitaneum nostrum culphi super facto castri et civitatis Durachii, et cet. — Quod habentes immo pro costanti tenentes, quod dictus dominus plenarie observabit nobis quecumque contenta in instrumento predicto, contenti sumus et placet nobis, dictum instrumentum ratificari, et approbari facere per nostras patentes literas, sicut requirunt, promittentes ad abundantem cautelam, secundum quod in suo secundo capitulo continetur, non inquietare vel molestare nec inquietari vel molestari facere dictum dominum de statu et dominio suo, quod nunc tenet, ultra continentiam pactorum predictorum, donec illa nobis servaverit, ut superius est expressum.

Ad tercium et quartum capitulum continentia, quod debeamus comittere capitaneo nostro culphy presenti et futuris, quod debeat prestare eidem domino Georgio auxilium et favorem in acquirendo iura de prope marinam ac civitates et castra in illis partibus existentia nec non turrim Del Pirgo et cet; — respondeatur, quod dominus Georgius debet esse certissimus, quod nos amamus eum et statum suum cordialiter tamquam singularissimum amicum nostrum, ita quod omnia, que facere poterimus cum honore nostro pro bono status sui, et pro reconciliando eum cum circhavicinis suis faciemus semper alacriter et libenter, et ita facient capitanei nostri culphy, quibus hoc dabimus in mandatis.

Ad quintum capitulum, per quod requirunt, quod removeatur et elevetur de civitate Durachii illa moneta, que vocatur ibi coracii et est nostrorum tornesiorum, quia spendi non potest, et redundat in maximum damnum totius communitatis et cet.; — respondeatur, quod nos cognoscentes et videntes, quod dicta moneta currebat et spendebatur in omnibus partibus Romanie et in partibus ibi circhavicinis cum maiori comodo populorum quam nostri soldini, principiavimus illuc mittere de tornesiis antedictis; sed postquam dicunt, quod non est eis utilis sed damnosa, restabimus de mittendo amplius de dicta moneta, quia nollemus facere rem, que damnosa esset eisdem.

Ad sextum capitulum continens, quod dignemur dare arbitrium et potestatem ipsi domino Durachii assecurandi Albanenses, qui stant in Turchia et vellent venire ad habitandum in Durachio et districtu cum personis et bonis suis, quod secure poterunt ibi stare, et quod stantibus et habitantibus ibi tractabuntur pro ut tractantur alii cives Durachii; — respondeatur, quod sumus contenti et placet nobis, quod dictus dominus Durachii possit assecurare Albanenses predictos, qui volent se reducere cum personis et bonis suis intra civitatem Durachii, quod de quanto operabuntur et bene facient cum honore nostri dominii et ipsius domini Georgii

poterunt ibi stare cum plena securitate, et tractabuntur per nos dulciter et benigne sicut alii cives Durachii.

Ad septimum capitulum continens, quod dignemur de speciali gratia concedere et mutuare dicto domino Durachii propter necessitatem, quam habet ad presens, ducatos quiugentos auri, quos se offert dari facere et restituere castellano nostro de suis intratis de tempore in tempus; et dicunt dicti ambasiatores, quod in sex menses bene solventur denarii supradicti; respondeatur eisdem, quod dispositi ad beneplacita domini antedicti sumus parati facere eis mutuari dictos ducatos quingentos, facieudo nobis fieri instrumentum obligationis dicte quantitatis, et restituendo eos de tempore in tempus castellano nostro ita, quod in sex menses, postquam applicuerit ad dictum dominum suum, tota dicta quantitas, secundum quod se offerunt, restituta sit.

Ad octavum capitulum vexilli nostri auri, quod requirunt, respondeatur, quod sumus parati illud sibi facere assignari, sed rogamus dominum Georgium, quod teneatur modum, quod dicta banderia non mittatur in aliquam partem extra civitatem sine nostra conscentia vel capitaneorum nostrorum reppresentantium nostrum dominium, quia nollemus, quod sub ipsa nostra banderia aliquid occurreret minus quam honorabile nostro dominio et domino supradicto.

Ad nonum capitulum de facto sororis dicti domini Georgii, quam maritare indendit, petens aliquid in suum auxilium, respondeatur, quod si dictus dominus maritabit dictam dominam, et dici nobis postea aliquid fecerit super facto predicto, nos sibi dabimus illam responsionem, quam honori nostro videbimus convenire.

Utimate dicatur istis ambasiatoribus, et de hoc fiant speciales litere ipsi domino Durachii, quod nos landamus satis et ad hoc eum inducimus et hortamur quantum possimus, quatenusd ebeat tenere modum de tractando subditos et fideles suos dulciter et benigne, ministrando eis ius et iusticiam secundum quod fieri debet, quia faciendo per istum modum civitates crescunt et populi amplius se disponunt ad honores et comoda dominorum.

Capta: quia dominus Durachii, ut notum est, est graviter infirmus de persorna, et secundum, quod nobis scribit capitaneus noster culphi, habebit valde gratum si presentabitur de zucharis et confectionibus; vadit pars, quod in illis rebus que dominio videbuntur, possint spendi ducati vigintiquinque pro donando et presentando domino supradicto.

Misti XLII. 73, u mlet. arkivu.

CCCCXXIV. God. 1392. 18 kolovoza, u Mletcih.

Pogodba, kojom Gjordje Topia gospodar drački odstupljuje grad Drač mletačkoj republiki.

Retificatio pactorum innitorum inter dominum Georgium Topia dominum Durachii et dominum Saracenum Dandulo capitaneum culphi nomine communis Veneciarum pro factis Durachii, facta per illustrem dominum ducem et commune Veneciarum. — Anthonius Venerio dei gratia dux Venetiarum etc. Universis et singulis tam presentibus quam futuris has nostras patentes litteras inspecturis pateat evidenter, quod cum magnificus

CCCCXXIII. God. 1392. 9 kolovoza, u Mletcih.

Odgovara se na tražbine Gjorgja Topije gospodara dračkoga.

1392. indictione XV, die nono mensis augusti. Sapientes consilii et sapientes ordinum. Capta: quod respondeatur ad ista capitala nobis porrecta pro parte magnifici domini Georgii Topie domini Durachii in hac forma: et primo ad primum capitulum, per quod ambasiatores sui suo nomine requirunt, quod nobis placeat confirmare et ratificare per nostras patentes literas, bulla aurea communitas, instrumentum pactorum contractorum inter ipsum et nobilem virum ser Saracenum Dandulo capitaneum nostrum culphi super facto castri et civitatis Durachii, et cet. — Quod habentes immo pro costanti tenentes, quod dictus dominus plenarie observabit nobis quecumque contenta in instrumento predicto, contenti sumus et placet nobis, dictum instrumentum ratificari, et approbari facere per nostras patentes literas, sicut requirunt, promittentes ad abundantem cautelam, secundum quod in suo secundo capitulo continetur, non inquietare vel molestare nec inquietari vel molestari facere dictum dominum de statu et dominio suo, quod nunc tenet, ultra continentiam pactorum predictorum, donec illa nobis servaverit, ut superius est expressum.

Ad tercium et quartum capitulum continentia, quod debeamus comittere capitaneo nostro culphy presenti et futuris, quod debeat prestare eidem domino Georgio auxilium et favorem in acquirendo iura de prope marinam ac civitates et castra in illis partibus existentia nec non turrim Del Pirgo et cet; — respondeatur, quod dominus Georgius debet esse certissimus, quod nos amamus eum et statum suum cordialiter tamquam singularissimum amicum nostrum, ita quod omnia, que facere poterimus cum honore nostro pro bono status sui, et pro reconciliando eum cum circhavicinis suis faciemus semper alacriter et libenter, et ita facient capitanei nostri culphy, quibus hoc dabimus in mandatis.

Ad quintum capitulum, per quod requirunt, quod removeatur et elevetur de civitate Durachii illa moneta, que vocatur ibi coracii et est nostrorum tornesiorum, quia spendi non potest, et redundat in maximum damnum totius communitatis et cet.; — respondeatur, quod nos cognoscentes et videntes, quod dicta moneta currebat et spendebatur in omnibus partibus Romanie et in partibus ibi circhavicinis cum maiori comodo populorum quam nostri soldini, principiavimus illuc mittere de tornesiis antedictis; sed postquam dicunt, quod non est eis utilis sed damnosa, restabimus de mittendo amplius de dicta moneta, quia nollemus facere rem, que damnosa esset eisdem.

Ad sextum capitulum continens, quod dignemur dare arbitrium et potestatem ipsi domino Durachii assecurandi Albanenses, qui stant in Turchia et vellent venire ad habitandum in Durachio et districtu cum personis et bonis suis, quod secure poterunt ibi stare, et quod stantibus et habitantibus ibi tractabuntur pro ut tractantur alii cives Durachii; — respondeatur, quod sumus contenti et placet nobis, quod dictus dominus Durachii possit assecurare Albanenses predictos, qui volent se reducere cum personis et bonis suis intra civitatem Durachii, quod de quanto operabuntur et bene facient cum honore nostri dominii et ipsius domini Georgii

poterunt ibi stare cum plena securitate, et tractabuntur per nos dulciter et benigne sicut alii cives Durachii.

Ad septimum capitulum continens, quod dignemur de speciali gratia concedere et mutuare dicto domino Durachii propter necessitatem, quam habet ad presens, ducatos quiugentos auri, quos se offert dari facere et restituere castellano nostro de suis intratis de tempore in tempus; et dicunt dicti ambasiatores, quod in sex menses bene solventur denarii supradicti; respondeatur eisdem, quod dispositi ad beneplacita domini antedicti sumus parati facere eis mutuari dictos ducatos quingentos, facieudo nobis fieri instrumentum obligationis dicte quantitatis, et restituendo eos de tempore in tempus castellano nostro ita, quod in sex menses, postquam applicuerit ad dictum dominum suum, tota dicta quantitas, secundum quod se offerunt, restituta sit.

Ad octavum capitulum vexilli nostri auri, quod requirunt, respondeatur, quod sumus parati illud sibi facere assignari, sed rogamus dominum Georgium, quod teneatur modum, quod dicta banderia non mittatur in aliquam partem extra civitatem sine nostra conscentia vel capitaneorum nostrorum reppresentantium nostrum dominium, quia nollemus, quod sub ipsa nostra banderia aliquid occurreret minus quam honorabile nostro dominio et domino supradicto.

Ad nonum capitulum de facto sororis dicti domini Georgii, quam maritare indendit, petens aliquid in suum auxilium, respondeatur, quod si dictus dominus maritabit dictam dominam, et dici nobis postea aliquid fecerit super facto predicto, nos sibi dabimus illam responsionem, quam honori nostro videbimus convenire.

Utimate dicatur istis ambasiatoribus, et de hoc fiant speciales litere ipsi domino Durachii, quod nos landamus satis et ad hoc eum inducimus et hortamur quantum possimus, quatenusd ebeat tenere modum de tractando subditos et fideles suos dulciter et benigne, ministrando eis ius et iusticiam secundum quod fieri debet, quia faciendo per istum modum civitates crescunt et populi amplius se disponunt ad honores et comoda dominorum.

Capta: quia dominus Durachii, ut notum est, est graviter infirmus de persorna, et secundum, quod nobis scribit capitaneus noster culphi, habebit valde gratum si presentabitur de zucharis et confectionibus; vadit pars, quod in illis rebus que dominio videbuntur, possint spendi ducati vigintiquinque pro donando et presentando domino supradicto.

Misti XLII. 73, u mlet. arkivu.

CCCCXXIV. God. 1392. 18 kolovoza, u Mletcih.

Pogodba, kojom Gjordje Topia gospodar drački odstupljuje grad Drač mletačkoj republiki.

Retificatio pactorum innitorum inter dominum Georgium Topia dominum Durachii et dominum Saracenum Dandulo capitaneum culphi nomine communis Veneciarum pro factis Durachii, facta per illustrem dominum ducem et commune Veneciarum. — Anthonius Venerio dei gratia dux Venetiarum etc. Universis et singulis tam presentibus quam futuris has nostras patentes litteras inspecturis pateat evidenter, quod cum magnificus

et potens dominus Georgius Topia dominus Durachii tamquam catolicus princeps, et qui propter predas continuas et depopulationes suorum subditorum factas a Turchis timebat, ne civitas ipsa in contemptum nominis christiani perveniret ad manus eorum cum perditione animarum et corporum tot fidelium christianorum, pro salute sua ac civitatis et populi sibi subiecti ad certas conventiones et pacta devenerit cum nobili viro Saraceno Dandulo capitaneo nostro culfi, de quibus inter eos contractum fuit publicum instrumentum, et ob hanc causam ipse dominus miserit ad nostram presenciam reverendum patrem dominum Johannem dei et apostolice sedis gratia archiepiscopum Duracensem et circonspectos viros Phylippum Barelli de Veneciis prothovistiarum et Phylippum de Zaperinis civem Durachii in suos ambaxiatores cum magna instantia suo nomine requirentis, quatenus placeret nobis dictas conventiones et pacta per nostras patentes literas approbare et ratificare pro consolatione sua et populi dicte civitatis. Idcirco nos evidentissime cognoscentes, vera fore dubia et pericula supradicta, et timentes damna et detrimenta, que, si ipsa civitas pervenisset ad manus dictorum infidelium toti christianitati infalibiliter pervenissent, cum nostris consiliis opportunis ipsum instrumentum conventionum et pactorum et omnia et singula in eo contenta ratificamus, gratificamus et approbamus ac grata, rata et firma esse volumus in omnibus prout iacent, promittentes ex nunc contra ipsas conventiones et pacta non facere vel venire, nec ipsum dominum Georgium de dominio, in quo ad presens est, inquietare vel molestare aut inquietari vel molestari facere ultra continentiam pactorum predictorum, donec vitam duxerit in humanis, et dum nobis observaverit vice versa ea, que nobis promisit, et que in dicto instrumento pactorum et conventionum distinctius continentur, cuius tenor scipture in hec verba. In nomine domini nostri ihesu christi ac protectoris nostri beati Marci Evangeliste millesimo trecentesimo nonagesimo secundo, indictione quintadecima. In castro Durachii presentibus domino Johanne dei gratia archiepiscopo Durachii, domino Phylippo Barello de Veneciis, domino Almerò Lombardo de Veneciis, magistro Nicolao filio quodam Francisci de Seravalle medico, domino Jacomello Boatello de Veneciis, presbitero Andriolo de Venetiis testibus convecatis et rogatis. Nobilis et egregius dominus dominus Georgius Topia dominus Durachii dedit et tradidit castrum Durachii de consensu et voluntate sua nobili et egregio viro domino Saraceno Dandulo sindico et procuratore ac capitaneo generali culphi pro ducali dominatione Veneciarum hiis pactis et conditionibus. Primo quod leventur insigne sive vexillum beati Marci evangeliste nomine et vice dominationis ac communitatis Venetiarum. Item quod dominatio teneatur tueri, defendere et manutenere ipsum castrum suis municionibus et hominibus, defensoribus et custodibus. Item quod ipsi custodes nocent et clament tutellam vice ac nomine egreggii domini Georgii Tobie domini Durachii. Item predictus dominus Georgius habeat suos redditus, et suos officiales disponat, et eis precipiat, pro ut ante, extra castrum in terra sua Durachii. Item si aliqui essent fugitivi, qui ad ipsum castrum pro sui securitate irent, quod predicta dominatio teneatur illos in manibus dicti domini Georgii tradere. Item si aliquid essent extra civitatem ipsi domino Georgio rebelles, quod ipsa dominatio procuret et solicitet illos reconciliare in favorem dicti domini Georgii. Item si a casu dominatio transmitteret ambaxiatores ad do-

minum Turchorum, ipsa dominatio provideat et procuret ponere pacem et concordiam cum predicto domino Giorgio. Item si ipsi domino Giorgio voluntas inesset, aliquos suos subditos carcerari, quod possit illos mittere ad castrum, et quod ipsa dominatio teneatur illos conservare ad libitum et voluntatem prefati demini. Item predictus dominus Georgius possit distribuere ac disponere res suas ecclesiasticas existentes in ecclesia dicti castri et alia sua bona mobilia secundum libitum et voluntatem. Item si continget, ipsum dominum Georgium emigrare ab hoc seculo, quod nobiles et fideles ac vassali sui possint stare, ire, redire in dicta civitate Durachi sine aliqua molestia et tedio. Item quod tam ipse dominus Georgius quam dominatio Veneciarum teneatur servare statuta et ordinationes dicte civitatis Durachii. Item nobilis et egregius dominus dominus Georgius Tobia dominus Durachii suprascriptus iuravit et sacramentavit observare et manutenere suprascripta, et post cius mortem civitatem Durachii in manibus et potestate dominationis sive communitatis Venetiarum libere devenire, pro ut alias promisit, et in presenti; et e contra nobilis vir et egregius dominus Saracenus Dandolo sindicus et procurator ac capitaneus generalis culfi iuravit et sacramentavit vice et nomine dominationis et communitatis Veneciarum observare et manutenere supradicta. Ego Johannes filius quondam Pisarini de Arimino, imperiali auctoritate notarius et iudex ordinarius predictis omnibus et singulis presentibus interfui, subscripsi et pubblicavi signumque meum consuetum apponere posui. Insuper quia dictus dominus Georgius per supracriptos suos ambaxatores inter alia requiri fecit a nobis, quatenus dignaremur eidem concedere de gratia speciali, quod habeat arbitrium et potestatem assecurandi omnes Albanenses, quos reduceret ad standum et habitandum in Durachio in personis et bonis suis, ad hoc cum dictis nostris consiliis sibi fecimus responderi, sicque contenti sumus, quod dictus dominus Georgius possit securitatem facere omnibus dictis Albanensibus, qui se volent reducere cum personis et bonis suis ad habitandum civitatem antedictam, eisque promittere, quod de quanto bene operabuntur et facient cum honore nostri dominii et ipsius domini, ipsi cum plenissima securitate poterunt ibi stare et habitare, quia tractabuntur in personis et bonis suis, et nobis et nostris omnibus dulciter, favorabiliter et benigne, sicut alii cives dicte civitatis Durachii. In premissorum autem fidem et evidentiam pleniorem presentes nostras litteras fieri iussimus et bulla nostra aurea pendente muniri. Datum in nostro ducali palatio anno domini millesimo trecentesimo nonagesimo secundo, mense augusti die decimo octavo, indictione quintadecima.

Commemoriale VIII. 165, u mlet. arkivu.

CCCCXXV. God. 1392. 7. listopada, u Mletcih.

Buduć Gjorgj Sracimir gospodar Zente pao u turske ruke, republika bodri njegovu ženu, neka se čvrsto drži, i nedaje Turčinu svojih gradova, i nudi joj zato pomoć.

1392. indictione I, die 7 octubris. Consiliarii: ser Nicolaus Victuri, ser Remigius Superantio; et sapientes consilii omnes, et sapientes ordinum omnes. Capta: cum propter nova, que habentur multis modis et viis de retentione domini Dulcigni et cuiusdam consanguinei sui facta per Baysith

Turchum, et de conventionibus factis inter dictum Turchum et dictos dominos, videlicet de dando et ponendo Dulcignum et Scutari ac alia loca sua sub potentia et dominio dicti Baysith pro liberatione et relaxatione eorum, omnino sit providendum super hoc; vadit pars, considerato quantum redundaret in preiudicium et damnum statui nostro et nostris navigiis euntibus et redeuntibus per culphum, si dicta loca pervenirent ad manus et sub potentia Turchorum, quod mandetur capitaneo nostro culphi, quod quam cicius poterit debeat ire Dulcignum, et omnino det sibi operam de essendo in colloquio cum dicta domina, et ostendendo dicere a se et se movere sine aliqua conscientia nostra, dicat, quod iuxta requisitionem magnificentie sue, licet usque tunc fuerit pro multis aliis negotiis nostri dominii valde impeditus, non potuit cicius ire ad presentiam suam, sed providit ad eam mittere virum nobilem ser Nicolaum Belegno, tunc vicecapitaneum, cum quo ipsa poterat omnia conferre tanquam cum ipsomet, quem ipse sensit disessisse, antequam aplicuerit Venetias, itaque dictum colloquium non potuit habere aliquem effectum, nec de ipso nostrum dominium potuit informatum fuisse. Propterea quod et quia sensit, virum suum dominum Georgium Strazimir et quendam eius consanguineum retentos fuisse a Baysith bey, et ipsos cum eodem convenisse et pactum fecisse pro eorum liberatione de dando et ponendo loca sua sub potentia et dominio ipsius Turchi, accessit ad eam ad hortandum et svadendum, quod sit constans et fortis ad manutenendum et conservandum terras et loca sua ne perveniant ad manus Turchorum, quia si pervenerint, esset totalis destructio status sui et suorum filiorum, et etiam ivit ad presentiam suam pro audiendo, quid sibi velit dicere, prout eum requiri fecit. Audiendo prius omnia, que ipsi dicere volet; et in casu, quo dictus capitaneus requireretur a dicta domina de subventione ballistariorum, et per verba dicte domine et conditionem illorum partium videret, quod dicta loca subiacerent illi periculo, quod dicitur, debeat dictus capitaneus, ostendendo dicere pur a se, offerre et dare dicte domine, si voluerit, viginti usque triginta ballistarios nostros ad expensas dicte domine pro custodia illius vel illorum suorum locorum, pro quo vel quibus dicto capitaneo videbitur, ipsos ballistarios fore magis necessarios. Si vero dicta domina non requireret capitaneum de dicta subventione, tunc capitaneus non faciat dictam oblationem, sed in omni casu informet se plenarie de intentione et voluntate dicte domine, et cum predictis verbis et aliis oblationibus generalibus, que dicto capitaneo videbuntur, procuret, ut supradictum est, taliter hortari dictam dominam, quod sit constans ad substinendum se et loca sua, hac habeat et capiat bonam et confidentem spem in nostro dominio.

Misti XLII. 81, u mlet. arkivu.

CCCCXXVI God. 1392. 26 listopada, u Mletcih.

Electi duo provisores, ut eant Durachium, et examinent statum illius terrae, et postea informent de rebus et provisionibus, quae sunt et erunt necessariae pro conservardo dictum locum ad honorem dominii.

Misti XLII. 83, u mlet. arkivu.

CCCCXXVII. God. 1392. 14 studenoga, u Mletcih.

Naputak za providure iduće u Drač, u koliko se ticalo uredjenja i obrane toga grada i kotara.

1392. mensis novembris die XIV. Sapientes consilii et ordinum. Capta: quod committatur provisoribus ituris ad partes Durachii in hac forma, videlicet: Nos Anthonius Venerio dei gratia dux Venetiarum et cet. committimus vobis nobilibus viris Michaeli Contareno et Petro Quirino dilectis civibus et fidelibus nostris, quod de nostro mandato ire debeatis in nostros provisores sollemnes ad partes Durachii, ad quem locum annuente domino cum applicueritis, debeatis suscipere omnem illam informationem, quam poteritis habere, a ser Paulo de Canali castellano nostro ibidem et a ser Marino Caucho rectore et gubernatore in civitate dimisso per capitaneum nostrum culphy et ab omnibus aliis, qui vobis et cuilibet vestrum videbuntur, et principaliter a capitaneo nostro culphi, si eum reperietis in itinere, tam super fortificatione castrorum civitatis et territorii dicti loci ac fovearum, que dicumtur fieri posse pro ponendo in insulam aliquam partem districtus dicte civitatis, et super gubernatione et iuribus reddendo fidelibus nostris deinde, quam etiam de statutis, consuetudinibus, offitiis, datiis, gabellis, introitibus et expensis, que quomodolibet sunt et fiunt in dicto loco, et quas fieri necesse foret pro regulatione et conservatione dicti loci ad nostrum honorem et sub bona custodia et regimine, et etiam de discordiis et differentiis, sique forent, inter fideles nostros deinde, et de modis sedandi, removendi eas et comodandi omnes tam intus quam extra, ut habeant causam essendo nobis obbedientes et standi in pace et tranquillitate, ut domino concedente speramus.

Et in dei nomine primo et ante omnia volumus, quod sitis rectores et gubernatores civitatis, castorum et totius districtus loci predicti ac nobilium et omnium aliorum degentium in dictis loco, castris, civitate et eius districtu tam intus quam extra in civilibus et criminalibus. Et ideo mandamus vobis, quatenus, donec illuc applicuerit rector, quem illuc de brevi mitere intendimus, debeatis vos ambo in corcordio regere et gubernare ac cuilibet facere ius et iusticiam secundum statuta et ordines dicte civitatis Durachii, quum sic domino dicti loci capitaneus noster culphy nostro nomine, et ambaxatori dicti domini, dum viveret, nos promisimus; quando vero deficerent statuta et ordines deinde, rogatis et faciatis secundum statuta et ordines Venetiarum, amicum non iuvande nec inimico nocendo per frandem, ut de vobis confidimus et speramus. Quando vero essetis in aliquo discordes, debeatis vocare ser Paulum de Canali castellanum nostrum ibidem, qui debet esse tertius in predictis et omnibus aliis, que vobis committimus et committemus quomodolibet secundum formam partis capte, quando electi fuistis. Item quia pre alliis est vigillandum ad fortificationem castorum et civitatis totius pro conservando eam ad nostrum honorem, debeatis solicite et perspicaciter examinare, ubi est necessarium reparari et fortificari de novo, et ad illud fieri faciendum attendere toto vestro posse. Quibus de causis habeatis libertatem expendendo de pecunia nostri communis deinde, faciendo pro hoc principio quam minores expensas poteritis. Verum si vobis videretur fore necessarium fieri aliquod magnum opus sive fortiliciam aut fortificationem, ex qua fieri op-

porteret magnas expensas, volumus, quod informati plenarie ponatis opiniones vestras in scriptis, quas nobis ostendatis, cum redieritis Venetias, vel scribatis vestris literis ordinate, ut possit super inde providere in hoc consilio, pro ut visum fuerit opportunum.

Item si vobis videretur posse fieri cum pautioribus ballistariis illis, qui nunc sunt ibidem ad custodiam castorum, turrium et civitatis, dummodo fortilicie remaneant cum securitate, habeatis libertatem cassandi et reducendi nostrum commune in illis minoribus expensis, quas poteritis, cum in expensis constet prerogativa nostra illius loci.

Item providere debeatis aut per affictum, per emptionem aut per illum alium modum, qui vobis melior videretur, de domo sive habitatione, in qua rector, quem mittemus, cum sua familia possit descendere, et quod sit in ordine et in puncto illa domus et habitatio competens et conveniens, quam ordinabitis et providebitis, quando rector predictus illuc applicuerit, ut est iustum.

Item super facto introituum et datiorum ac gabellarum nolumus, quod aliquod innovetur per vos, sed procedatur secundum antiquas et bonas consuetudines dicti loci; sed volumus, vobis mandantes, quod diligenti examinatione et indagatione factis debeatis regulare et ordinare ita et taliter dictos introitus, datia et gabellas, quod nulla fraus committi possit in damnum nostri communis aut specialium personarum, possendo dicta de causa constituere officiales et scribas cum illo salario, quod vobis videbitur, qui debeant exercere et esse in dictis offitiis, donec per nostrum dominium aliud fuerit provisum et ordinatum. Insuper quia in pertinentiis Durachii est quoddam castrum vocatum Croya, quod maior soror domini condam Durachii post eius mortem tenebat, que nuper nupsit cuidam ser Marco Barbadico, qui iam longo tempore habitavit in dictis partibus, et distat dictum castrum a civitate per miliaria XX, in quo est consuetum fieri signa fumi de die et ignis de nocte, quando gens inimica videtur deinde velle ingredi districtum sive territorium Durachii, ut omnes sint previsi tam intus quam extra, et possint se reducere ad locum salutis; et sit providendum, quod per tempus venturum non iret ad manus alienas quam nostri dominii, mandamus vobis, quatenus debeatis informare vos, quis illud tenet, et sub cuius custodia est, et omnino facere et procurare, quod detur sacramentum dicte domine et marito tenendi et custodiendi dictum castrum sub nomine et ad honorem et mandatum nostrum, et quod fiant signa solita, ut superius dictum est.

Item data est nobis informatio, quod faciendo aliquas cavas, civitas Durachii cum aliqua bona parte boni et fertilis terreni potest poni in insulam sive seraleum, et quod aliqua capita illorum Albanensium obtulerunt se cum parte suarum gentium personaliter stare et facere cavari usque ad complementum operis, et similiter illi de civitate se obtulerunt solvere in quinque annis expensas operis, incipiendo dictos quinque annos elapsis annis quinque, ut possint interim aliquantulum se reficere.

Et ideo mandamus vobis, quod debeatis diligenter examinare dictum negotium, et si dictum selareum potest fieri, et in quanto tempore cum incolis deinde, et cum quanta expensa, et in quibus locis, et scire firmiter a dictis capitibus Albanensium, quot homines volunt ponere, et si illis debet fieri aliqua solutio vel non, et similiter a civibus Durachii si sunt

contenti solvere expensas, ut nobis relatum est, et quamcitius poteritis, debeatis nobis scribere ordinate quicquid habueritis et inveneritis in predictis et vestras opiniones super predictis, ut possit provideri et fieri, pro ut melius videbitur huic consilio, avisando etiam nos de rebus, que forent necessarie illuc mitti pro dicto laborerio vel opere.

Item debeatis examinare conditionem portus, et informare nos, si posset reduci ad modum vel formam, quod salvari possent galee et alia navigia, ut nobis possitis dare informationem ad plenum, et providere, ut erit opportunum.

Item quia, ut dicitur, sunt extra Durachium multa capita Albanensium et similiter in civitate, quorum aliquia continuo habitant in civitate, aliqua interdum extra et interdum intus cum uxore, filiis et familia, et aliqua omnino extra civitate, quorum quatuor videntur habere provisiones a nostro dominio, que cum omnibus aliis videntur esse fidelissima nostri dominii, et ex istis sunt aliqua, que habent magna territoria et potentiam et sequelam hominum de extra, et colligunt blada et res alias in quantitate, que tenent terram Durachii ubertosam, quibus omnibus capitibus et nobilibus bonum est dare causam et materiam, quod ne dum perseverent in hac sua bona voluntate, sed de bono in melius se disponant, committimus vobis, quod debeatis vos informare de conditionibus omnium predictorum, et honorare eos secundum gradus suos, ac tenere modum loquendo secum cum verbis generalibus benivolentie et amoris, dicendo et hortando eos nostri parte taliter, quod firmiter teneant nos eos diligere toto corde, et inducendo eos, quod conservent loca de extra pacifice, ut habeant causam possendi se reficere et augere facultatem suam. Et si inter eos oriretur aliquis error vel scandalum, debeatis toto vestro posse tenere modum removendi errores et differentias et pacificandi et quietandi eos, ne paesium damnum vel incomodum recipiat.

Preterea est quoddam, ut fertur, caput Albanensium inter predictos vocatus comes Nichetta valde potens et habens territoria perfectissima a bladis versus partes capitis De le Melie, qui comes Nicheta petit de gratia speciali posse edificare unum parvum castrum, quod fuit ibidem temporibus preteritis solummodo pro redductu sui et familie sue occurrente casu novitatis, et quod sibi concedantur duo magistri, qui rehedifficent castrum predictum, qui quidem comes Nichetta, ut refert Anthonius de Petro Pizolis, qui fuit ibidem consul, fuit et est fidelissimus nostri dominii, et quod ipse comes esset contentus pro cautione et obsidibus ponere et dare dominio nostro duos filios suos vel nepotes, qui starent aut Venetiis vel alibi iuxta beneplacitum nostrum, et quod dictum castrum teneret ad honorem et omne mandatum nostri dominii. Item dicit dictus Anthonius, quod credit dictum comitem fore contentum, quod, rehedificato dicto castro, rocha principalis ipsius custodiretur suis expensis ab hominibus et custodibus nostris et per nostrum dominium. Et ideo debeatis examinare dictum negotium, et informare vos plenarie de eo, quod foret fiendum pro bono dicte terre et honore nostro, ita quod in reversione vestra possit provideri et fieri, quod utilius et melius videbitur.

Item quia dicitur, quod illa turris del Pirgo, alias donata et data pernos domine Avalone, est sita in loco, qui esset valde dester nostro dominio pro facto Durachii, et quod leviter posset rehaberi a domina predicta,

mandamus vobis, quod informare et examinare debeatis situm dicti loci et modos, qui essent necessarii teneri pro rehabendo dictam turrim cum voluntate dicte domine, ut in vestra reversione possit provideri, aut scribatis nobis ante reditum vestrum etiam, si vobis utile videretur et bonum.

Ceterum quia Turchorum confines sunt propinqui territorio Durachii, et multociens damnificantur per ipsos Turchos, committimus vobis, quod debeatis informare vos, si mittendo ad aliquos ex Turchis circumstantibus posset tractari tatis benivolentia, quod territorium Durachii non damnificaretur; et si hoc esset, debeatis quando vobis tempus et modus videretur, ne ita cito ostendatur, quod dubitemus de ipsis Turchis, mittere personam sufficientem ad dictos Turchos, quod cum salutationibus et oblationibus ac verbis generalibus amoris et benivolentie inducat eos ad vivendum pacifice et amicabiliter cum fidelibus nostris deinde, dicendo de perventione dominii civitatis Durachii ad manus nostras per ordinationem et voluntatem spontaneam quondam domini dicti loci, reducendo eis ad memoriam magnum amorem et pacem vigentem inter Baysitum dominum eorum et nostrum dominium, et hortando eos, quod teneant modum, quod itinera illarum partium stent et sint secura, ut mercantie et mercatores possint tute transire, quia si hoc erit, ad dictum locum nostrum Durachii in brevi tempore se reducent mercatores et mercimonia multa, que erunt causa, quod dominus suus et ipsi poterunt habere magnos introytus suorum locorum, qui etiam efficerentur meliores dicta de causa, cum his et aliis verbis, que vobis videbuntur pro bono facti. Verum si circhavicini Turchi non haberent libertatem super predictis, ita quod necesse foret mittere ad Munuchum vel alium magnum Turchum volendo obtinere predicta, habeatis libertatem mittendi pro ut vobis videbitur dicta de causa.

Item cum utile sit immo necessarium pro tenendo apertas et securas stratas mercantie, per quas itur et revertitur de Durachio in Sclavoniam, et e converso, et pro bono mercatorum conversantium in dictis partibus, intelligere se et captare benivolentiam cum domino Vulcho et aliis, per quorum passus et in quorum terris ficunt mercantie et transitus, mandamus vobis, quatenus quando tempus et modus videbitur vobis debeatis procurare cum verbis amicabilibus, si possibile erit, quod mercatores nostri et eorum mercantie eundo et redeundo emendo et vendendo sint liberi et franchi, ut dicitur esse consuetum in illis partibus, et quod, si aliquod depredaretur aut indebete acciperetur in stratis aut in aliquo ex locis dominorum dictorum, quod dominus illius loci teneatur ad satisfactionem et satisfatiat integraliter, sin autem predicta in totum obtinere poteritis, procuretis obtinere et habere omnia illa pacta et conventiones cum dictis dominis, que poteritis meliora in avantagium nostrorum mercatorum, suscipiendo informationem de consuetudinibus antiquis, quas credimus non posse esse nisi bonas, et in istis tractatibus captare benivolentiam cum his et aliis modis, qui vobis videbuntur posse esse causa amoris et concordii ac securitatis itinerum et stratarum.

Item committimus nobis, quod presto debeatis licentiare lignum, quod conducet vos Durachium, ut redeat ad custodiam riperie sue, et per dictum lignum, si aliquid provideritis vel examinaveritis, debeatis nobis omne id scribere particulariter et distincte, ut simus informati, et possit

provideri, pro ut erit expediens. Verum ultra ea, in quibus damus vobis libertatem possendo per vos providere, fieri et derminare deinde, volumus, quod a die, quo applicueritis Venetias usque menses tres, habeatis libertatem vos et uterque vestrum ponendi partem et partes in hoc consilio rogatorum super omnibus illis provisionibus et ordinibus, qui videbuntur vobis et utrique vestrum fieri in omnibus rebus quomodolibet spectantibus castra, civitates, districtus et homines ac introitus, offitia et expensas Durachium, veniendo tamen primo ad dominum et consiliarios cum opinionibus et consiliis vestris in scriptis, ut possint videri et examinare, pro ut videbitur.

Misti XLII. 86, u mlet. arkivu.

CCCCXXVIII. God. 1392. 30 studenoga, u Mletcih.

Pravo gradjanstva podieljeno Radiću Crnoje gospodaru Zente, Budve i t. d.

Privilegium magnifici domini Radiç de Cernue domini Zente, Budve etc. partium Sclavonie de gratia intus et extra cum suis filiis et heredibus. Anthonius Venerio dei gratia dux Venetiarum etc. Universis et singulis tam amicis quam fidelibus et tam presentibus quam futuris presens privilegium inspecturis salutem et sincere dilectionis affectum. Tanto benignius ducalis providentia consuerit personas honorabiles et magnificas sibi devotas et fideles honoribus prevenire, ipsorumque fidem et devotionem dignis retributionibus compensare, ac ipsas dotalibus favoribus convallare, et ipsarum petitiones liberalius exaudire, quanto ducatui nostro devotiores fide et operibus se ostendunt. Attendentes igitur multiplicis fidei puritatem et devotionis plenitudinem, quam magnificus et potens vir dominus Radiz de Çernue, dominus Zente et Budve etcet., intimus amicus noster, ad nostre magnitudinis excellentiam habere promptis affectibus se ostendit, qui in agendis nos, ducatum nostrum et singulares personas ducatus eiusdem tangentibus promptum et devotum laudabiliter et incessanter se prebuit atque prebet, supplicationibus nobis sua parte porrectis gratiosius annuentes, prefatum magnificum dominum Radiç nostrorum omnium consiliorum et ordinamentorum necessaria solemnitate servata in Venetum ot civem nostrum cum suis filiis et heredibus perpetuo recepimus atque recipimus, et Venetum et civem nostrum cum suis filiis et heredibus facimus, et pro Veneto et cive nostro cum suis filiis et heredibus in Venetiis et alibi deinceps haberi et procurari omni effectu et plenitudine volumus et tractari, ipsum sincere benevolentie brachiis amplexantes et firmiter statuentes, quod singulis libertatibus, beneficiis, imunitatibus et honoribus quibuscumque, quibus alii honorabiles Veneti et cives nostri gaudent et perfrui dignoscuntur, prefatus magnificus dominus Radiç eiusque filii et heredes in Venetiis et entra perpetuo gaudeant et utantur, idemque dominus Radiç per suum procuratorem legitimum nobis fidelitatis prestitit debitum juramentum; in cujus rei fidem et evidentiam pleniorem presens privilegium fieri iussimus, et bulla nostra aurea pendente muniri. Datum in nostro ducali palatio anno dominice incarnationis millesimo trecentesimo nonagesimo secundo, mensis novembris die ultimo, indictione prima.

Liber Privilegiorum I. 104, u mlet. arkivu.

CCCCXXIX. God. 1393. 3 siečnja, u Mletcih.

Šalje se poslanik, da posrieduje mir medju razdvojenimi Trogirani.

1392. die 3 ianuari. Consiliarii. Capta: Cum sicut notum est, in tempore nuper elapso occurrerit in civitate Tragurii et orta sit maxima diferentia inter cives, et specialiter inter partem de Michaciis et aliam partem, sequuta sit magna divisio, et dicta communitas a bono tempore citra fuerit et sit multum amicabilis et devota nostri dominii, ad cujus instantiam et requisitionem commisimus nobili viro ser Saraceno Dandulo capitaneo nostro culfi, quod si ad illas partes Tragurii declinaret, procuraret interponere se ad pacem et concordium inter partes. Et de hoc rogatum fuit nostrum dominium per quemdam venerabilem fratrem ordinis minorum, ambaxatorem dicte communitatis. Et ultra hoc per notarium nostre curie missum ad dictam communitatem, nobis relatum fuit ex parte sua, quod ipsi Tragurini multum contentabantur et rogabant, ut interponeremus nos ad sedandum errores et divisiones predictas, cum essent multi bene contenti de omni eo, quod faceremus in factis predictis. Et super inde pro omni bona causa et respectu omnino providendum sit, vadit pars, quod collegium domini, consiliariorum, capitum et sapientum consilii et ordinum habeat libertatem mittendi unam solemnem personam et tam nobilem quam alium ad predictam communitatem Tragurii pro ponendo pacem, reconciliationem et bonum amorem intra predictas partes, cum illa commissione, que videbitur dicto collegio vel maiori parti, et vadat dicta persona sine expensis nostri communis. Alii de parte, de non 3, non sinceri 7.

Misti XLII. 89, u mlet. arkivu.

CCCCXXX. God. 1393. 3 siečnja, u Mletcih.

Captnm: quod eligatur baiulus et capitaneus Durachii per duos annos debeat esse rector dictae civitatis et locorum spectantium et pertinentium dictae civitati, et ipsam civitatem et castra custodire et conservare ad honorem rei publicae venetae, et regere et gubernare nobiles et populares, et alios quoscumque tam intus quam extra regimini suo subiectos, et cuilibet ius et iustitiam facere secundum statuta et ordines dictae civitatis Durachii, quando vero ista deficerent, regat et gubernet secundum statuta et ordines Venetiarum, habeat de salario libras nonaginta grossorum in anno de introitibus, teneat suis expensis unum socium venetum, unum notarium etc,

Misti XLII. 92, u mlet. arkivu.

CCCCXXXI. God. 1393. 3 siečnja, u Mletcih.

Eligatur unus camerarius Durachii, qui debeat exigere omnes introitus, reditus et proventus nec non omnes regalias et honorificentias tam dictae terrae quam castrorum et locorum solitorum respondere terrae predictae etc. cum salario librarum quindecim grossorum in anno etc.

Misti XLII. 93, u mlet. arkivu.

CCCCXXXII. God. 1393. 3 siečnja, u Mletcih.

Dozvoljeno ugar.-hrv. kralju, da nješto sukna u Florenciji zgotovljena slobodno provede kroz Mletke u Ugarsku.

1392. die tertio ianuarii. Consiliarii. Capta: quod complaceatur serenissimo domino regi Hungarie secundum amicabilem requisitionem suam, quod eius nuntius possit facere transitum per Venetias cum aliquibus pannis lane et serici aureati, quos laborari fecit in civitate Florentie, ipsosque conducere ad partes Hungarie per loca nostra libere et sine impedimento, constando tamen officialibus nostris, quod illi panni sint prelibati domini regis.

Misti XLII. 89, u mlet. arkivu.

CCCCXXXIII. God. 1393. 27 siečnja, u Mletcih.

Captum, quod lignum riperiae Istriae conducat rectorem cum filiis et quatuor famulis Durachium, solvendo communi XX ducatos auri, quod postea super dicto ligno levari et conduci debeant Venecias provisores existentes in Durachio, quod militibus ituris Durachium augeatur salarium, quod mittantur Durachium res necessariae ad construendam domum pro rectore, quod scribatur capitaneo Corphoy, ut subveniat de tempore in tempus Durachio de sale, quod pro Durachio eligatur unus amiraleus cum salario ducatorum 50 auri in anno, et quod mittatur ibi unum lignum fulcitum pro conservatione dictae terrae.

Misti XLII. 93, u mlet. arkivu.

CCCCXXXIV. God. 1393. 20 veljače, u Mletcih.

Scribitur domino Paulo de Canali castellano Durachii, quod de caetero debeat esse in omnibus ad omnem obedientiam domini Francisci Giorgio ituri de brevi tanquam baiulus et capitaneus loci predicti, et ipsum informet de quibuscumque provisionibus hucusque factis, et postea Venetias redeat. Provisores etiam existentes in Durachio informent eumdem rectorem de omnibus, quae fecerint et quae debere fieri credunt.

Misti XLII. 97, u mlet. arkivu.

CCCCXXXV. God. 1393. 15 travnja, u Mletcih.

Dozvoljeno poslanikom Drača, da jih izvede kući državni brod.

1393. mensis aprilis die XV, indictione prima. Sapientes ordinum. Capta: quod pro honore et fama nostri dominii ordinetur, quod ambaxatores Durachii leventur super galeis nostris culphy cum tribus suis famulis et levibus arnexiis suis, et ducantur Durachium cum sine aliquo nabulo, ordinando capitaneo nostro culphy, quod debeat predictis ambaxatoribus et famulis facere expensas oris, habendo pro predictis singulo die a nostro communi grossos quatuordecim.

Misti XLII. 105, u mlet. arkivu.

CCCCXXXVI. God. 1393. 15 travnja, u Mletcih.

Naloženo pomorskomu kapetanu, neka izposluje, da Trogirani i ban Vuk povrate njeke novce i sukno oteto mletačkim podanikom.

1393. die XV aprilis. Sapientes ordinum. Capta: quod mandetur capitaneo nostro culphy, quod reperiente se ad partes Tragurii, debeat procurare cum illis verbis, que sue sapientie videbuntur, quod ducati 97 nostri communis, quos castellani nostri Mothoni et Coroni destinabant provisoribus nostris bladi, accepti per homines suos de Tragurio de una nostra griparia versus Venetias navigante, sibi consignetur, dando predicto nostro capitaneo informationem neccessariam super inde.

Sapientes ordinum. Capta: ceterum procurare debeat idem noster capitaneus cum prefatis de Tragurio cum illis verbis comodis et utilibus, que sibi videbuntur, quod alique bale pannomm Salvi Johanis de Florentia intromisse per illos de Dalmissa et per dictum Volchum banum, et exinde in Tragurio arestate de mandato serenissimi domini regis Bosine, eidem Salvi vel eius nuntio restituantur, dando predicto nostro capitaneo informationem neccessariam super facto predicto, ut melius sciat, quid agere debeat.

Misti XLII. 106, u mlet. arkivu.

CCCCXXXVII. God. 1393. 15 travnja, u Mletcih.

Ordinatum, quod capitaneus Durachii et caeteri rectores non se impediant de rubariis et extorsionibus factis tempore condam magnifici domini Georgii Topiae domini Durachii tam per eius officiales quam per alios suos barones et subditos, sed debeant iustitiam et rationem ministrare a die, qua reepublica habuit dominium ipsius civitatis citra. Permittitur, quod comes Nicheta, nobilis valde potens in illo districtu, possit construi facere ad caput de Lemele unum castrum, et pro recognitione annuali det capitaneo unum austorem. Provisionati in Durachio „dominus Burila, Andreas Musachi, Perganus Scuro, Andreas Nesa frater quondam episcopi Dimitri, et Inclechus Albanensis“, qui procurarunt, quod civitas Durachii cum districtu non perveniret in manus Turcorum, aucta annualis provisio a triginta ad quadraginta ducatos pro quolibet.

Misti XLII. 106, u mlet. arkivu.

CCCCXXXVIII. God. 1393. 18 travnja, u Mletcih.

Capitaneus Durachii eligat cabalarios sex cum uno comestabili, bonis equis fulciti „et qui sint de partibus illis et sciant lingnam“ pro eundo ubi fuerit expediens ad securitatem illius districtus.“ Transeuntes per novum castrum comitis Nichetae cum bonis, mercibus et aliis quibuscumque nichil solvere teneantur, sed benigne pertractentur. Dacia in Durachio, valde diminuta, in introitu et in exitu tam per forenses quam per venetos solvantur, Durachini vero ab omnibus exempti. Captum, quod pro bona intrata in dominium Durachii debeat dispensari baronibus et nobilibus pannus ad valorem ducatorum 355.

Misti. XLII. 108, u mlet. arkivu.

CCCCXXXIX. God. 1393. 20 travnja, u Mletcih.

Committitur capitaneo culphi, quod debeat ire ad dominum „Radize Cernoie baronem de partibus Zente", et juxta pacta facta et ratificata inter ipsum dominum et provisores venetos, querat ab ipso „castrum de Leexio", qui est dexter oculus Durachii, cum suo territorio, positum super forum salis, qui mittitur Sclavoniam.

Misti XLII. 108, u mlet. arhivu.

CCCCXL. God. 1393. 26 travnja, u Mletcih.

Uslied molbe ugar.-hrv. kralja dozvoljen brod njegovu rodjaku vojvodi pomeranskomu za prelaz u sveta miesta.

1393. die XXVI aprilis. Sapientes ordinum. Capta: cum serenissimus dominus rex Hungarie nos amicabiliter suis literis commendaverit illustrem dominum Venceslaum iuniorem Stetinech, Casube et Pomerane ducem, avonculum suum dispositum sepulcrum domini visitare, et ipse dominus valde affectet ire ad locum predictum cum fusto armato, et bonum sit tam intuitus prefati domini regis, quam pro captando benivolentiam prefati domini, ei de una galea complacere, vadit pars, quod galea, que debebat mitti Corfu fulcita omnibus coredis et aliis opportunis concedatur prefato domino, ut ipsam armare possit ad suas expensas, pro sequi votum suum, nam in reditu ipsius domini dicta galea postea poterit destinari Corfu.

Misti XLII. 108, u mlet. arkivu.

CCCCXLI. God. 1393. 29 travnja, u Mletcih.

Mletčani odgovaraju knezu Ivanu banu hrvaskomu, koj jim predlagao, da će posriedovati za savez medju njimi i ugarskom krunom, te jih molio, da mu ustupe tri galije.

1392. indictione prima, die vigesimo nono aprilis, ser Leonardus Dandulo miles, ser Petrus Mocenigo procurator, ser Pantaleo Barbo miles, ser Michael Steno procurator, ser Benedictus Superantio, sapientes consilii; ser Marcus Mauroceno, ser Nicolaus Mudacio, ser Antonius Contareno, ser Antonius Bragadino, ser Benedictus Capello, sapientes ordinum. Capta: quod respondeatur ad istam ambasiatam nobis expositam per ambasiatores magnifici domini comitis Johannis; et primo ad primam partem de liga tractanda cum domino rege Hungarie contra Turchos, ad quam offert se interponere inter ipsum dominum regem et nos, in casu quo nobis placeat attendere ad illam, non dubitans, quod dominus rex erit contentus mittere suam ambasiatam ad tractandum illa etc., quod nos clare et manifeste cognoscimus, quod motio verborum istius tractatus lige, quam facit magnificus dominus comes predictus, procedit a sincero amore et tenera caritate, quam semper portavit et portat nobis et nostro dominio, et similiter a solito fervore, quem habuit et habet ad conservationem honoris et status regni et corone Hungarie, de adversitatibus et persecutionibus cuius regni teste deo nos gravit et gravat immense. Sed sicut magnificentia sua, cui patent ut nobis omnia, que fecimus et operati sumus pro augmento et

conservatione illius regni, plene novit, inter ipsum dominum regem et coronam Hungarie et nos nostrumque commune viget ita bonus amor et sincera dilectio, quod et propter istam causam et plures alias rationabiles et honestas non videtur nobis necessarium intrare ad tractatum lige, sed si ipsi domino regi pro conservatione regni sui forent aliqua necessaria, que per nos fieri possunt, nos quociescunque fuerimus requisiti, parati inveniemur ad complacendum sue maiestati, faciendo versus nos de rebus iustis, rationabilibus et honestis; regratiantes immense ipsi domino comiti de bona dispositione, quam omni die evidentius habere cognoscimus magnitudinem suam ad honores et beneplacita nostra, ad cuius queque grata sumus vice versa prompta mente dispositi.

Ad alteram partem de tribus galeis, quas ipse dominus comes requirit a nobis pro damnificando Jadratinos, ut sint obedientes domino regi et corone Hungarie ac sibi tanquam bano Dalmatie etc., respondeatur, quod nos sumus satis certi, quod dominus comes non dubitat, quod nos libenter complaceremus magnificentie sue de cunctis nobis possibilibus cum nostro honore; sed in veritate istud foret cum nimio onere nostri dominii, et contra id, quod querimus et quesivimus tota die, scilicet vivere in pace et benivolentia cum omnibus et precipue cum circavicinis nostris, nam non est dubium, quod si daremus dicte sue magnificentie galeas predictas, Jadratini possent iuste et rationabiliter gravari de nobis; et propterea rogamus, quatemus istis consideratis et aliis, que dici necessaria non sunt, habere nos placeat merito excusatos. De parte 78, non O, non sinceri 6.

Secreta Cons. Rog. R. 81, u mlet. arkivu.

CCCCXLII. God. 1393. 6 svibnja, u Mletcih.

Dozvoljeno, da Vojslava kćer pok. Gjorgja Topije uživa polovicu dohodaka od imovine svoga otca.

1393. die 6 maii. Ser Michael Contareno, ser Petrus Quirino, olim provisores Durachii. Capta: cum per provisores nostros existentes in Durachio provisum fuerit de quodam Cursacho marito domine Voisclave sororis condam domini Georgii, quod de omnibus utilitatibus, que perveniebant ipsi condam domino Georgio ex possessionibus suis, ipse haberet medietatem pro usu et substentatione sua et familie sue, considerato, quod in maxima paupertate deductus est, et multum est obediens omnibus mandatis nostri dominii; vadit pars, postquam de aliis nobilibus provisum est, quod dictus Cursacho gaudere debeat medietate omnium redituum et proventuum spectantium et pertinentium condam ipsi domino Georgio, et hoc ad beneplacitum dominationis nostre; et ultra, quod pro dono sibi dentur ducati centum auri, cum quibus poterit suis maximis necessitatibus obstare. Non sinceri 6, de non 2, de parte alii.

Misti XLII. 109, u mlet. arkivu.

CCCCXLIII. God. 1393. 6 svibnja, u Mletcih.

Committitur capitaneo Durachii et capitaneo culphi, quod examinent muros civitatis, et si fossa circumcirca fieri possit, et mittant suum consilium in scriptis.

Misti XLII. 109, u mlet. arkivu.

CCCCXLIV God. 1393. 27 lipnja, u Mletcih.

Mletčani odgovaraju poslanikom Ivana hrvatskoga bana glede predložena jim saveza sa kraljem Venceslavom i njekojimi ugarskimi velikaši.

1393. die 27 iunii. Ser Leonardus Dandulo miles procurator, ser Benedictus Superantio, sapientes consilii; ser Nicolaus Mudacio, ser Antonius Bragadino, sapientes ordinum. Quod fiat responsio ad ambasiatam nobis exposiatam per hunc fratrem minorem pro parte Johannis bani nostri amici carissimi, per quam ipse nos requirit de liga cum rege Venciślao et aliquibus baronibus regni Hungarie, offerendo facere venire litteras opportunas, et dicendo, quod attendentibus nobis ad dictam ligam erunt dispositi de faciendo de rebus nobis gratis etc.; quod rei veritas est, quod nos sumus amici domini regis Sigismundi et similiter domini Venceslay, et per dei gratiam sumus in pace et bona benivolentia cum omnibus, itaque non faceret pro nobis nec pro statu nostro attendere ad ea, de quibus nos requirit, quia ex ipsis communiter pervenitur ad guerras, salvo et reservato, si notabilis causa nos moveret. De parte 26, 38, 39, 37, 34.

Ser Petrus Mocenigo procurator, ser Pantaleo Barbo miles, sapientes consilii; ser Benedictus Capello sapiens ordinum. Capta: quod respondeatur ad istam ambasiatam: quod plene audivimus et inteleximus omnia, que nobis dixit, et que ostendere voluit iste frater minor pro parte domini Johannis bani, quem in rei veritate habemus in amicum nostrum precipuum; sed sicut sapientia sua plene videre et sentire potest, totus mundus ad presens est in magno motu et diversis anfractibus, quibus consideratis non videtur nobis aliquid respondere super hoc. De parte 40, 48, 49, 51, 48.

Ser Michael Steno procurator: quod respondeatur ad ambasiatam, quam nobis portavit iste frater minor pro parte Johannis bani in istis paucis verbis; quod nos bene et diligenter intelleximus ea, que nobis dicendo mittit ipse Johannes banus amicus noster carissimus, et propterea ipse potest redire ad eum, et sibi dicere parte nostra, quod cum domino rege et regina Hungarie ac illo regno nos sumus coniuncti singulari benivolentia et amore; similiter habemus et tenemus reginam Margaritam et eius natum dominum Vencislaum in caros et singulares amicos nostros, sed quia non videmus ea, que nobis dicit fore multum nuda, non apparet nobis de faciendo sibi aliam responsionem. De parte 14.

Secreta Cons. Rog. R. 81, u mlet. arkivu.

CCCCXLV. God. 1393. 27 lipnja, u Mletcih.

Odgovara se na zahtjeve gospodarice Avalone.

1393. die vigesimo septimo iunii. Sapientes suprascripti utriusque manus (V. partem 29 aprilis). Capta: quod respondeatur ad ambasiatam nobis factam pro parte domine Avalone et primo ad primam partem, in qua ipse facit mentionem, quod domina sua predicta est disposita observare et dare nobis seu ponere super nostris galeis culphi illos homines, quos dare nobis promisit omni anno pro turri del Prego et pro Sasno, exibitis sibi per nos etc.; quod dispositio sue domine supradicta est iusta et rationabilis, quia debitum est servare promissa et maxime recipientibus personis et habentibus causam, propter quam, sicut ipsa habet, quia bene novit, quanto placibiliter et liberaliter complacuimus sibi de dicta turri, et non dubitamus, quod, ut promittit et tenetur, inviolabiliter observabit tam pro satisfaciendo debito suo, quam ut habeamus causam, sicut intentio nostra est, conservandi secum benivolentiam et amorem.

Ad alteram partem continentem, quod ipsa domina est disposita dare nobis castrum suum Avalone, in casu quo velimus facere versus eam de rebus rationabilibus et honestis etc., respondeatur eidem, quod teste deo nos sumus satis avidi, quod quicumque et specialiter amici nostri, qualem eam tenemus, stent in dominiis et regiminibus suis, et potius possideant et gubernent loca sua, quam nos; et propterea nos regratiamur satis magnificentie sue de bona sua intentione et dispositione, rogando eam instanter, quod placeat regere et gubernare castra sua, sicut hucusque fecit; et si propter hoc forent sibi necessarii de ballistariis nostris, nos sumus contenti et sic sibi offerimus, quod pro sua pecunia possit soldari et accipere de terris nostris usque ad numerum de vigintiquinque, cum quibus attendat ad custodiam et conservationem locorum suorum predictorum; et si hoc acceptabit, scribatur nostris rectoribus, quod sic debeant observare.

Ad terciam partem de facto Constantini continentem, quod ipse est dispositus munire quinque vel sex de locis suis bene et sufficienter de omnibus per quatuor annos et recedere ac se reducere ad habitandum in Nigroponte vel in Corfoy cum uxore, familia et rebus suis, et quod propterea nobis placeat hoc sibi concedare etc., respondeatur, quod in his, que honeste et habiliter possemus, complaceremus libenter dicto domino Constantino, sed nos non videmus bene modum, quod in illis locis istud facere possemus; nihilominus si placeret sibi se reducere ad civitatem nostram Venetiarum, hoc satis placeret nobis, et honoraremus personam suam in cunctis nobis possibilibus tamquam amicum nostrum carissimum, et secundum quod deceret magnitudinem suam. De parte 65, de non 20, non sinceri 19.

Secr. Cons. Rog. R. 81, u mlet. arkivu.

CCCCXLVI. God. 1393. 1 srpnja, u Mletcih.

Odgovor poslaniku bana hrvatskoga Ivana u poslu saveza gori pomenuta.

1393. die primo iulii. Dominus: quod respondeatur isti fratri minori, quod intelleximus diligenter ea, que nobis exposuit, quibus intellectis ro-

gamus Johannem banum carissimum amicum nostrum, quod non displiceat sibi, si propter aliquas iustas et rationabiles causas pro presenti non facimus sibi aliquam responsionem. De parte 20.

Ser Marcus Mauroceno, ser Antonius Contareno, sapientes ordinum: quod . . . . (Ista pars non reperitur hic scripta, sed tantum: non 10, non sinceri 14, 22, 20, 20, 26).

De parte ser Leonardi Dandulo et aliorum, qui secum erant in parte suprascripta, que posita fuit iterum die prescripta, 13.

Ser Petri Mocenigo et sociorum 64, non 11, non sinceri 9.

Secr. Cons. Rog. R. 81, u mlet. arkivu.

CCCCXLVII. God. 1393. 13. srpnja, u Mletcih.

Mletčani podieljuju pravo mlet. gradjanstva Hrvoji vojvodi bosanskomu i bratu mu banu Vuku.

Privilegium magnifici domini Chervoye Bossinensis cum suis heredibus gratie de intus et extra. Anthonius Venerio dei gratia dux Venetiarum. Universis et singulis tam amicis quam fidelibus et tam presentibus quam futuris presens privilegium inspecturis salutem et sincere dilectionis affectum. Tanto benignius ducalis providentia consuerit personas egregias et honorabiles sibi amicabiles et devotas honoribus prevenire, ipsorumque fidem et devotionem dignis retributionibus compensare, ac ipsas dotalibus favoribus convallare, et ipsorum petitiones liberalius exaudire, quanto ducatui nostro devotiores fide et operibus se ostendunt. Attendentes igitur multiplicis benevolentie puritatem et devotionis plenitudinem, quam egregius ac magnificus vir dominus Chervoye voyvoda, filius condam voyvode Bossinensis ad nostre magnitudinis excellentiam habere promptis affectibus se ostendit, qui in agendis nos, ducatum nostrum et singulares personas ducatus eiusdem tangentibus promptum et devotum laudabiliter et incessanter se prebuit atque prebet, suplicationibus nobis sua parte porrectis gratiosius annuentes, prefatum magnificum dominum Chervoyam voyvodam nostrorum omnium consiliorum et ordinamentorum necessaria solemnitate servata in Venetum et civem nostrum cum suis filiis et heredibus perpetuo recepimus atque recipimus, et Venetum et civem nostrum fecimus et facimus, et pro Veneto et cive nostro cum suis filiis et heredibus in Venetiis et alibi deinceps haberi et procurari omni effectu et plenitudine volumus et tractari, ipsum sincere benevolentie brachiis amplexantes et firmiter statuentes, quod singulis libertatibus, beneficiis, immunitatibus et honoribus quibuscumque, quibus alii honorabiles Veneti et cives nostri gaudent et perfrui dignoscuntur, prefatus dominus Cheruoye voyvoda cum suis heredibus in Venetiis et extra perpetuo gaudeat et utatur; nobis quoque prefatus dominus Chervoye voyvoda per suum procuratorem legitimum soleniter ad sancta dei evangelia prestitit fidelitatis debitum juramentum. In cujus rei fidem et evidentiam pleniorem presens privilegium fieri jussimus, et bulla nostra aurea pendente muniri. Datum in nostro ducali palatio anno dominice incarnationis millesimo trecentesimo nonagesimo tertio, mensis iulii die tertio decimo, indictione prima.

Simite privilegium factum fuit de verbo ad verbum egregio et magnifico viro domine Volcho bano, filio condam voyvode Bossinensis, fratri suprascripti domini Chervoye.

Liber Privilegiorum I. 107, u mlet. arkivu.

CCCCXLVIII. God. 1393. 17 kolovoza, u Mletcih.

Riešavaju se njeke tražbine predložene od poslanika obćine dračke.

1393. mensis augusti die XVII. indictione prima. Sapientes ordinum. Capta: cum coram nostro dominio comparuerint ambaxatores civitatis nostre Durachii, humiliter supplicantes, quatenus dignaremur de gratia speciali eis concedere et confermare capitala infrascripta per eos nobis porrecta, et pium sit eis in quantum possimus cum honore nostro subvenire, etiam pro populando civitatem nostram predictam; vadit pars, quod eis respondeatur et confirmentur capitula infrascripta cum correctionibus inferius annotatis et in eis insertis, videlicet.

Et primo super primo capitulo, per quod petant, quod omnes cives Durachii pascua coram Zemalia et estiva prata et montana et illud pascuum, cui dicitur Varo, nec non vineas et campos quoscumque, hortos et salinas nec non molendina aquea possideant libere et quiete, vendant et tradant pro eorum arbitrio voluntatis, et quod ratione usatici seu affictature, quam Albanenses vel alii consueverunt dare dictis civibus Duracenis pro ipsis pratis ratione pascuorum, non possint impediri venditiones seu alienationes fiende per predictos de Durachio etc., vadit pars, quod dicta petitio confirmetur eis, sicut petunt, cum hoc tamen, quod ipsi Durachini possint gaudere libere omnibus suprascriptis per eos petitis, quibus presentialiter gaudent et perfruuntur, dumnodo dicte res non spectent nec spectare possint nostro communi, nec in eis nostrum commune ius habeat, non derogando etiam propterea in aliquo partibus captis in nostris consiliis rogatorum et additionis, continentes, quod Albanenses possint gaudere omnibus et singulis possessionibus et aliis omnibus eis donatis per quondam dominum Georgium dominum Durachii etc., sicut in dicta parte continetur.

Super secundo capitulo, per quod petunt, quod predicta communitate gaudeant quicumque venerint habitatum Durachium propter libertatem civitatis Durachii, et debeant Duracenis copulari etc; vadit pars, quod dicta petitio reformetur in hunc modum, videlicet, quod omnes et singuli forenses, cuiuscumque conditionis existent, qui venerint cum eorum familiis habitatum Durachium, et steterint cum dictis suis familiis fatiendo et supportando onera et factiones et guardias dicte terre per quinque annos, sint cives Durachii, et debeant tractari pro Duracinis, ac etiam gaudere omnibus et singulis beneficiis et immunitatibus, quibus gaudent cives Durachii, et hoc ut civitas melius apopuletur. Verum si predicti forenses irent habitatum alias cum sua familia, sint extra dictam civilitatem.

Super tercio capitulo, per quod petunt, quod ecclesie latine et greca tam de archiepiscopatu quam de episcopatu nec non clerici et monasteria et eorum res sint secundum eorum iura et consuetadines liberi et immunes et potissime sue elemosine; vadit pars, quod dicta peticio reformetur in hunc modum, videlicet, quod omnes elemosine, que date fuerint fratribus,

clericis, monasteriis et ecclesiis, sint libere et franche ab omnibus datiis et gabellis, non intelligendo in hac concessione redditus et proventus monasteriorum, ecclesiarum et dictorum fratrum et clericorum ac etiam salem, quem aliquo modo perciperent tam de elemosinis quam pro redditu ipsorum monasteriorum et ecclesiarum ac ipsorum met.

Super quarto capitulo, per quod petunt, quod magister iuratus sit civis Durachii, et debeat eligi per cives Durachii de scientia capitanei sive baiuli secundum antiquam eorum consuetudinem; vadit pars, quod hec peticio reformetur in hunc modum, videlicet, quod Anthonius de Petropizolis sit magister iuratus secundum gratiam sibi factam per dominationem nostram. et alter magister iuratus eligi debeat per Duracinos, declarando, quod ille, qui fuerit electus, sit civis Durachii, qui placeat rectori, et sit confirmatus per dictum rectorem, et non possit stare in dicto officio nisi per unum annum, et quod ille, qui fuerit uno anno, non possit esse alio anno, ut omnes participent de dicto beneficio.

Super quinto capitulo, per quod petunt, quod nullus civis dicte civitatis teneatur ad custodiam ipsius civitatis, donec fuerit extra eam, nec solvat guardiam secundum eorum antiquam consuetudinem; vadit pars, quod dictum capitulum dictis Duracenis confirmetur in hunc modum, videlicet, quod illi ex predictis, qui ibunt ad aliquod viagium, non teneantur facere guardiam nec solvere pro custodiis aliquid, excepto quam in casu novitatis.

Super sexto capitulo, per quod petunt, quod nullus forensis preter Venetos possit vendere vel emere nisi a civibus Durachii; vadit pars, quod hec petitio in hunc modum reformetur, quod nullus forensis preter Venetos et omnes et singulos subditos nostri dominii possit vendere vel emere aliquid nisi a civibus Duracinis, habentibus ipsis Duracinis, Venetis et omnibus subditis nostri dominii hanc prerogativam per unam diem noturalem, qua mercationes fuerint delate ad civitatem nostram Durachii. Elapso autem illo die naturali omnes sint eo statu, quo sunt ad presens, non intelligendo nichilominus in hac strictura victualia pro vivere et nutrimento hominum et animalium, ut iustum est.

Super VII, capitulo, per quod petunt, quod cum in partibus Apulee per dominos rectores et gabellatores Apulee astringentur solvendum granos trigenta tres pro qualibet uncia valoris mercationum suarum, ct sie continuo fuit eis observatum, et modo postquam dominium civitatis Durachii pervenit ad manus nostras per consules nostros illarum partium coguntur tamquam veneti et subditi nostri ad solvendum ducatos quatuor pro quolibet centenarium salmorum pro ecclesia nostra sancti Marci, et de prima solutione, quam fatiunt tanquam Duraceni, minine possunt se tueri, et non sit licitum nec honestum, quod duo onera supportent; vadit pars, quod dicti Durachini sint absoluti a solutione ducatorum quatuor, quos solvunt consulibus nostris pro ecclesia nostra sancti Marci, et hoc ad beneplacitum nostri dominii. Et sic scribatur nostris consulibus deinde.

Ser Marcus Mauroceno et ser Benedictus Capello. Super octavo capitulo, per quod conquerunt, quod dominus Georgius Tobia quondam dominus suus tempore vite sue alienavit indebite aliquas possessiones et loca aliquibus Albanensibus, dando et alienando dicta loca cum hominibus existentibus super eis, et etiam dando de dictis hominibus, propter quod

Simite privilegium factum fuit de verbo ad verbum egregio et magnifico viro domine Volcho bano, filio condam voyvode Bossinensis, fratri suprascripti domini Chervoye.

Liber Privilegiorum l. 107, u mlet. arkivu.

CCCCXLVIII. God. 1393. 17 kolovoza, u Mletcih.

Riešavaju se njeke tražbine predložene od poslanika občine dračke.

1393. mensis augusti die XVII. indictione prima. Sapientes ordinum. Capta: cum coram nostro dominio comparuerint ambaxatores civitatis nostre Durachii, humiliter supplicantes, quatenus dignaremur de gratia speciali eis concedere et confermare capitala infrascripta per eos nobis porrecta, et pium sit eis in quantum possimus cum honore nostro subvenire, etiam pro populando civitatem nostram predictam; vadit pars, quod eis respondeatur et confirmentur capitula infrascripta cum correctionibus inferius annotatis et in eis insertis, videlicet.

Et primo super primo capitulo, per quod petant, quod omnes cives Durachii pascua coram Zemalia et estiva prata et montana et illud pascuum, cui dicitur Varo, nec non vineas et campos quoscumque, hortos et salinas nec non molendina aquea possideant libere et quiete, vendant et tradant pro eorum arbitrio voluntatis, et quod ratione usatici seu affictature, quam Albanenses vel alii consueverunt dare dictis civibus Duracenis pro ipsis pratis ratione pascuorum, non possint impediri venditiones seu alienationes fiende per predictos de Durachio etc., vadit pars, quod dicta petitio confirmetur eis, sicut petunt, cum hoc tamen, quod ipsi Durachini possint gaudere libere omnibus suprascriptis per eos petitis, quibus presentialiter gaudent et perfruuntur, dumnodo dicte res non spectent nec spectare possint nostro communi, nec in eis nostrum commune ius habeat, non derogando etiam propterea in aliquo partibus captis in nostris consiliis rogatorum et additionis, continentes, quod Albanenses possint gaudere omnibus et singulis possessionibus et aliis omnibus eis donatis per quondam dominum Georgium dominum Durachii etc., sicut in dicta parte continetur.

Super secundo capitulo, per quod petunt, quod predicta communitate gaudeant quicumque venerint habitatum Durachium propter libertatem civitatis Durachii, et debeant Duracenis copulari etc; vadit pars, quod dicta petitio reformetur in hunc modum, videlicet, quod omnes et singuli forenses, cuiuscumque conditionis existent, qui venerint cum eorum familiis habitatum Durachium, et steterint cum dictis suis familiis fatiendo et supportando onera et factiones et guardias dicte terre per quinque annos, sint cives Durachii, et debeant tractari pro Duracinis, ac etiam gaudere omnibus et singulis beneficiis et immunitatibus, quibus gaudent cives Durachii, et hoc ut civitas melius apopuletur. Verum si predicti forenses irent habitatum alias cum sua familia, sint extra dictam civilitatem.

Super tercio capitulo, per quod petunt, quod ecclesie latine et greca tam de archiepiscopatu quam de episcopatu nec non clerici et monasteria et eorum res sint secundum eorum iura et consuetadines liberi et immunes et potissime sue elemosine; vadit pars, quod dicta peticio reformetur in hunc modum, videlicet, quod omnes elemosine, que date fuerint fratribus,

clericis, monasteriis et ecclesiis, sint libere et franche ab omnibus datiis et gabellis, non intelligendo in hac concessione redditus et proventus monasteriorum, ecclesiarum et dictorum fratrum et clericorum ac etiam salem, quem aliquo modo perciperent tam de elemosinis quam pro redditu ipsorum monasteriorum et ecclesiarum ac ipsorum met.

Super quarto capitulo, per quod petunt, quod magister iuratus sit civis Durachii, et debeat eligi per cives Durachii de scientia capitanei sive baiuli secundum antiquam eorum consuetudinem; vadit pars, quod hec peticio reformetur in hunc modum, videlicet, quod Anthonius de Petropizolis sit magister iuratus secundum gratiam sibi factam per dominationem nostram. et alter magister iuratus eligi debeat per Duracinos, declarando, quod ille, qui fuerit electus, sit civis Durachii, qui placeat rectori, et sit confirmatus per dictum rectorem, et non possit stare in dicto officio nisi per unum annum, et quod ille, qui fuerit uno anno, non possit esse alio anno, ut omnes participent de dicto beneficio.

Super quinto capitulo, per quod petunt, quod nullus civis dicte civitatis teneatur ad custodiam ipsius civitatis, donec fuerit extra eam, nec solvat guardiam secundum eorum antiquam consuetudinem; vadit pars, quod dictum capitulum dictis Duracenis confirmetur in hunc modum, videlicet, quod illi ex predictis, qui ibunt ad aliquod viagium, non teneantur facere guardiam nec solvere pro custodiis aliquid, excepto quam in casu novitatis.

Super sexto capitulo, per quod petunt, quod nullus forensis preter Venetos possit vendere vel emere nisi a civibus Durachii; vadit pars, quod hec petitio in hunc modum reformetur, quod nullus forensis preter Venetos et omnes et singulos subditos nostri dominii possit vendere vel emere aliquid nisi a civibus Duracinis, habentibus ipsis Duracinis, Venetis et omnibus subditis nostri dominii hanc prerogativam per unam diem noturalem, qua mercationes fuerint delate ad civitatem nostram Durachii. Elapso autem illo die naturali omnes sint eo statu, quo sunt ad presens, non intelligendo nichilominus in hac strictura victualia pro vivere et nutrimento hominum et animalium, ut iustum est.

Super VII, capitulo, per quod petunt, quod cum in partibus Apulee per dominos rectores et gabellatores Apulee astringentur solvendum granos trigenta tres pro qualibet uncia valoris mercationum suarum, ct sic continuo fuit eis observatum, et modo postquam dominium civitatis Durachii pervenit ad manus nostras per consules nostros illarum partium coguntur tamquam veneti et subditi nostri ad solvendum ducatos quatuor pro quolibet centenarium salmorum pro ecclesia nostra sancti Marci, et de prima solutione, quam fatiunt tanquam Duraceni, minine possunt se tueri, et non sit licitum nec honestum, quod duo onera supportent; vadit pars, quod dicti Durachini sint absoluti a solutione ducatorum quatuor, quos solvunt consulibus nostris pro ecclesia nostra sancti Marci, et hoc ad beneplacitum nostri dominii. Et sic scribatur nostris consulibus deinde.

Ser Marcus Mauroceno et ser Benedictus Capello. Super octavo capitulo, per quod conquerunt, quod dominus Georgius Tobia quondam dominus suus tempore vite sue alienavit indebite aliquas possessiones et loca aliquibus Albanensibus, dando et alienando dicta loca cum hominibus existentibus super eis, et etiam dando de dictis hominibus, propter quod

dicti Albanenses habent dictos homines, qui sunt Durachini christicole et boni homines esse servos et sclavos, ob quam causam coguntur ire per partes Apulee et alienas terras mendicando cum maximo damno civitatis nostre Durachii, que propter duriciem aliquorum Albanensium volentium sic tractare istos pauperes homines remanet inhabitata; vadit pars, quod scribatur et mandetur baiulo et capitaneo nostro Durachii, quod debeat ad se convocare istos Albanenses, qui alienaverunt et tenent extra Durachium et loca predicta tales homines, asserentes eos esse servos et sclavos, ostendendo eis cum efficacissimis rationibus et verbis, quod non sunt nec esse possunt servi nec sclavi ullo modo, quia non sunt servi nec sclavi natione, et licet dominus Georgius quondam dominus suus eis donaverit territoria et loca, que tenent, de quibus eis lix aliqua non movetur, et ipsa territoria et loca eis dederit cum hominibus existentibus super eis, hoc tamen facere non potuit, quia lex divina prohibet, quod christiani natione vendi non possint pro servis, procurando cum his et aliis rationibus et verbis de inducendo ipsos Albanenses, quod sint contenti et velint, quod dicti homines, quos alienarunt et vendiderunt, et qui aufugerunt et non audent comparere, et sunt super territoriis predictis et in Durachio, possint repatriare et stare secure in civitate nostra Durachii et aliis locis nostris, et ab eis non tractentur pro servis nec sclavis, ipsis non existentibus servis nec sclavis, ut iustum est, fatiendo circha hoc posse suum de obtinendo intencionem nostram predictam; quam si obtinebit, tunc scribi faciant seriose in cancelleria sui regiminis ascensum predictorum Albanensium ad memoriam futurorum. Quum vero eam obtinere non posset, tunc debeat dicere civibus dicte terre intencionem nostram, que est, quod quicumque non esset servus nec sclavus natione nec servus emptus aut servus macinature, licet stetisset super territoriis donatis condam per dominum Georgium vel aliter prefatis Albanensibus, et cum ipsis territoriis fuisset donatus prefatis Albanensibus et per ipsos Albanenses alienatos, possit et valeat secure et sine aliquo impedimento venire habitatum civitatem nostram Durachii et alia loca nostra, cum ex nunc habeamus ipsos non fore servos nec sclavos, declarando partem captam in nostris consiliis rogatorum et additionis in 1393 die quinto aprilis in tantum, quod prefatus noster baiulus nec successores sui non debeant facere rationem dictis Albanensibus de servitudine talium hominum, quos asserunt esse servos, ullo modo, salvo si non fuissent servi antequam prefatus quondam dominus Georgius donasset dicta loca predictis Albanensibus, de reliquis vero hominibus debeant facere unicuique rationem et iusticiam. De parte 4.

Ser Anthonius Bragadino vult partem per totum, salvo quod vult, quod quando dictus noster baiulus non posset nostram intentionem obtinere per modum predictum, quia sanctum est taliter providere, quod subditi nostri non tortizetur, debeat prefatus noster baiulus facere publice proclamari, quod omnes cives et fideles nostri Durachini et Albanenses, qui fuissent et essent venditi, alienati in aliis et expulsi de terra nostra Durachii et aliis locis nostris deinde per pecuniam vel premium, possint secure libere et sine aliquo impedimento vel novitate venire ad civitatem nostram Durachii et alia loca nostra circumstantia Durachio cum suis familiis, notificando eis, quod ex nunc cognitum et determinatum fuit per nostrum dominium, eos non fore servos nec sclavos.

Ser Anthonius Bragadino sapiens ordinum. Insuper quod omnes illi, qui non sunt servi nec sclavi, sed solum tenentur et obligati sunt certo tempore servire alicui pro pecunia, bestiamine vel alio premio talibus causis recepto, in quibus intelligantur et inclusi sunt illi, qui per prefatum quondam dominum Georgium quovismodo fuissent donati, similiter possint venire ad civitatem nostram predictam, et in ea et aliis locis nostris secure morari per unum annum sine contradictione vel impedimento alicuius, notificando eis, quod baiulus noster eis plenum ius ministrabit, nec permittet, quod tortizentur ab aliquo ullo modo, ymo liberabuntur a servitudine. Et licet teneretur servire aliquibus certo tempore, tamen non desistant, quando secure veniant, nam per prefatum nostrum baiulum tenebitur modus, quod erunt in concordio cum illis, quibus forent obligati per modum, quo se habebunt merito contentari; declarando, quod in casu quo infra terminum unius anni, qui incipere debeat a die, quo ipsi vel aliquis eorum applicuerint Durachium, ipsi non possent se aptari nec esse in concordio cum illis, quibus tenerentur per modum eis gratum, dictus noster baiulus, cui committatur cum plenissima libertate executio procurandi omnia suprascripta, debeat eis et cuilibet eorum tale terminum assignare, quod possint se levare et recedere de Durachio et aliis locis nostris deinde, ita quod possint ire, quo voluerint ad beneplacitum suum. De parte 17—17 —17—14.

Ser Anthonius Contareno sapiens òrdinum. Capta: vult partem sotiorum per totum, salvo quod vult, quod quando dictus noster baiulus non posset per modum predictum nostram intentionem obtinere, quia iustum et pium est succurrere miseris et pauperibus etiam pro manifesto bono terre Durachii, ne ipsi cogantur ire cum suis filiis et famulis per alienas terras mendicando, tunc debeat facere publice proclamari, quod quicumque civis, subditus et fidelis civitatis nostre Durachii et aliorum locorum nostrorum circumstantium Durachio, qui sit Durachinus vel Albanensis, non intelligendo in hiis aliquem venetum nec qui pro veneto expediatur, nec aliqua alia persona, que pro debito recessisset de Durachio a die, qua habuimus dominium dicte civitatis, esset extra dictam civitatem et alia loca nobis subiecta in partibus illis quovis modo usque presentem diem preterquam homicidium, posset secure et sine aliquo impedimento accedere habitatum civitatem nostram Durachii et alia loca nostra deinde usque quinque annos proximos, dando eis ad intelligendum, quod infra spatium dictorum quinque annorum contra predictos non fiet ius alicui ullo modo, nam per istum modum terra nostra Durachii predicta appopulabitur, et interim ista negocia poterint aptari. Transacto vero termino quinque annorum predictorum prefatus noster baiulus et successores sui teneantur et debeant facere rationem et iusticiam unicuique eam petenti contra quemcumque, declarando partem captam in nostris consiliis rogatorum et additionis in 1393 die 5 aprilis in tantum, quod dictus noster baiulus nec successores sui non debeant se impedire de illis tamen, qui per prefatum quondam dominum Georgium quovismodo fuissent dati Albanensibus, et per ipsos Albanenses in alios alienati, quos non habemus secundum deum et omnem bonam equitatem esse servos nec sclavos ullo modo. De parte 43, 37, 37, 41; de non 7; non sinceri 11, 20, 20, 19.

Misti XLII. 122, u Mletcih.

CCCCXLIX. God. 1393. 30 kolovoza, u Mletcih.

Marko Barbadiko i žena mu Jelena, kćer pok. Gjorgja Topije, ustupljuju grad Kroju mlet. republiki, te se obvezuju upravljati tim gradom u ime republike, a ova da jim dade na godinu sto dukata.

Forma compositionis facte per ducale dominium cum nobile viro ser Marco Barbadico. In christi nomine amen. Anno nativitatis eiusdem MCCCLXXXXIII. mense augusti die penultimo, indictione prima, Venetiis, in ducali palacio super sala maioris consilii, presentibus circumspecto et sapiente viro, domino Petro quondam domini Jacobini de Rubeis honorabile Venetiarum cancellario ar providos viros ser Johanne Vido honorabile notario ducatus Venetiarum ac nobilibus viris ser Bartholomeo Barbadico quondam ser Francisci et ser Andrea Mauroceno nato domini Petri militis, testibus rogatis et ad hec specialiter convocatis et aliis. Ibique vir nobilis dominus Marcus Barbadico quondam domini Marini tam suo nomine proprio quam vice et nomine egregie et nobilis domine Helene uxoris sue, nate quondam magnifici domini Karoli Topie olim domini Durachii, cognoscens et certus existens, serenissimum et excellentissimum dominum dominum Antonium Venerio dei gratia illustrem et inclitum ducem Venetiarum etc. ac commune Venetiarum esse veros et legittimos dominos, possessores et dominatores, ac eis legittime, iuridice, cum omni pleno iure, libertate, arbitrio et potestate pertinere et spectare merum, liberum et plenum dominium ac mixtum et merum imperium civitatis Durachii, territori et districtus eius ac omnium terrarum, locorum, castrorum, opidorum, territoriarum, iurisdicionum sub ipsius civitatis dominio et gubernatione existentium, habens ad hec et alia exercenda ipse dominus Marcus plenam et liberam potestatem et facultatem, arbitrium et libertatem a prefata domina Helena consorte sua, ut patet instromento procurationis et mandati per Johannem de Morigiis quondam Anthoni de Mediolano imperiali auctoritate notarius ac domini baiuli et capitanei civitatis Durachii cancelarii, scripto et publicato in MCCCLXXXXIII. indictione prima, die sabati XXVI mensis iulii, a me notario infrascripto viso et lecto, per se et suos heredes et successoros, a certa animi sciencia et non per errorem, non vi vel coacte, sed ex sua propria et libera voluntate omnibus modis, viis, iuribus, forma et causa, quibus melius potuit et potest, fecit finem, datam refutationem, resignationem et plenariam securitatem egregio et nobili viro domino Marco Mauroceno quondam domini Bernardi sindico et procuratori prefatorum illustris domini ducis et communis Venetiarum, ut patet instrumento sindicatus et procurationis per me notarium infrascriptum scripto et publicato suprascriptis anno, millesimo, indictione et die, et in manibus eiusdem domini Marci Mauroceno ibidem presenti, stipulanti et recipienti nominibus, quibus supra, remisit et asignavit omne ius, actionem et iurisdicionem, quod et quas ipse dominus Marcus Barbadico nomine suo et uxoris sue predicte habet seu habere posset in castro et loco vocato Croy, pertinente et spectante dominio et gubernationi civitatis Durachii, nec non de omnibus aliis, que quocumque ipse dominus Marcus et uxor eius domina Helena petere aut requirere possent a prefatis domino duce et commune Venetiarum tam nomine dicti castri Croy quam omni alia occasione, ratione vel causa, que quomodolibet dici, peti vel excogi-

tari posset dictas, et concedens nomine suo et nomine prefate uxoris sue omnia iura, actiones et rationes, que et quas predicti vir et uxor quomodolibet haberent vel habere possent nominibus et occasionibus supradictis, eidem domino Marco presenti et nomine quo supra stipulanti et recipieuti. Prefatus vero dominus Marcus Maurocenus sindicus et procurator prefatorum illustris domini ducis et communis Veneciarum et eorum nomine de gratia speciali dedit et concessit eidem domino Marco nomine suo et uxoris sue predictum castrum et locum Croy cum hac conditione, quod ipse nominibus suprascriptis teneat, habeat et possideat dictum castrum et terram Croy solum nomine prefatorum illustris domini ducis et communis Veneciarum, fatiendo in ipso castro rationem et iusticiam in civilibus et criminalibus pro ut ei secundum deum et honorem ducalis dominii videbitur expedire. Quod quidem castrum ipse dominus Marcus promisit et promittit nominibus, quibus supra, tenere, custodire, conservare et fideliter manutenere ad honorem prefatorum illustris domini ducis et communis Veneciarum, et ipsum castrum fideliter regere et gubernare, et in omni casu et adventu de eo facere et disponere, secundum quod prefatis domino duci et communi Venetiarum videbit et placebit. In quorum omnium deservatione et maiori efficacia prefatus dominus Marcus Barbadico nominibus suprascriptis tam coram prefato illustre domino duce Veneciarum quam in manibus prefati domini Marci Mauroceno presenti, stipulanti et recipienti nominibus quibus supra, personaliter tactis scripturis fidelitatis et obediencie ac de sic observando solemne et debitum prestitit juramentum. Concessit predictus dominus Marcus Mauroceno et fuit contentus nominibus, quibus supra, quod ipse ser Marcus Barbadico et prefata domina Helena uxor sua gaudeant libere omnibus terris et possessionibus eisdem cont cessis per provisores communis Venetiarum, qui fuerunt ad partes illas, ei ut ipse ser Marcus cum prefata consorte sua habeat causam perseverandin fidelitate communis Veneciarum et manutenendi dictum castrum ad honorem prefatorum domini ducis et communis Veneciarum, quod ipse cum dicta uxore sua habeat annuatatim a commune Venetiarum ad beneplacitum ducalis dominii Venetiarum ducatos centum auri. Obtulit et prefatus dominus Marcus Mauroceno nominibus quibus supra, qnod quocienscumque illustre ducale dominium destinabit ambaxiatam suam ad magnificum quondam filium Morati, ipsum dominum Marcum Barbadico et uxorem suam ac castrum Croy predictum eidem recomendabit tamquam Veneti et cives, castrum et locum communis Venetiarnm. Que omnia et singula suprascripta promiserunt dicte partes nominibus, quibus supra, sibi adinvicem, videlicet, una pars alteri et altera alteri attendere et observare ac effectualiter adimplere et non contrafacere vel venire per se vel alium, aliqua ratione vel causa, de iure vel de facto, secundum modos et ordines suprascriptos, sub pena et in penam librarum decem millium stipulatione premissa, tociens committenda et exigenda per partem observantem a parte non observante, quotiens in predictis vel quolibet predictorum fuerit quomodolibet contra factum; qua pena commissa vel non commissa et soluta vel non soluta, nichilominus presens contractus in sua permaneat firmitate; renuntiantes dicte partes nominibus quibus supra omni exceptioni, doli, mali, conditioni in factum et sine causa aut ex iniusta causa, omnique actioni et

auxilio legis sibi competenti vel competituro et rei non sic geste et facte et omni alie rationi et legi, quibus possent quomodolibet se tueri etc.

Ego Johannes de Andalo quondam domini Petri de Venetiis publicus imperiali auctoritate notarius et ducatus Venetiarum scriba, his omnibus et singulis presens fui, et rogatus scripsi et publicavi.

Secr. Cos. Rog. R. 84, u mlet. arkivu.

CCCCL. God. 1393. 7. rujna, u Mletcih.

Mletačko vieće nepristaje na predlog svoga pomorskoga vodje, da se silom uzme Omiš, nego ga upućuje, da zahtjeva od Omišana zaplienjene stvari, a kad mu jih nebi dali, neka postupa proti njihovim brodovom kao proti morskim gusarom.

1393, indictione prima, die VII septembris. Capta: quod scribatur nobili viro Ser Francisco Bembo vicecapitaneo culphi in hac forma, videlicet: Accepimus litteras vestras datas Durachii, Tragurii et Spalati diebus VII, XVIIII et XXVIII mensis elapsi, seriose continentes gesta per vos postquam recessistis a nostro capitaneato culfi. Audivimus etiam nobis prudenter parte vestra exposita per nobilem virum Franciscum Dandulo, effetualiter notificantem nobis dispositionem vestram circa expugnatione castri Dalmisse, quam tamen facere non intendebatis nisi habito prius mondato nostro superinde et habitis bombardis, lignaminibus et aliis per dictum ser Franciscum a nobis requisitis, pro quibus omnibus vestram sapientiam et determinationem comendantes, rescribimus vobis cum nostris consiliis rogatorum et additionis, quod consideratis multis considerandis et potissime, quod expugnacio dicti castri hominibus galearum nostrorum foret periculosissima, determinavimus vobis non destinare bombardas et alia per nos requisita, quia nostra intencio non est, quod dictum castrum ullo modo expugnetur, sed bene volumus et sic vobis mandamus cum dictis consiliis, quod ire debeatis ad locum Dalmisse ad procurandum cum illis rationibus et verbis, que vestre sapientie videbuntur, de habendo restitutionem damnorum per eos illatorum vel valorem ipsorum subito iuxta continentiam et tenorem cedule presenti intercluse, quam si obtinere poteritis, nullam eis facere debeatis novitatem. Quando vero ipsam restitutionem obtinere non possetis, tunc dicere debeatis illis de Dalmissa, quod habetis in mandatis a nobis et sic cum dictis consiliis vobis mandamus, quod debeatis cum effectu adimplere, quod si contigerit vos reperire in mari galeam et galeotam armatas per eos, et utraque earum intromittetis, et homines super ipsas existentes tractabitis sicut publicos cursarios, non nutriendo propterea vos in illis aquis, sed eundo per culfum ubicumque sentietis opus esse ad procurandum honorem nostrum, sicut nobis notificastis per ultimas litteras vestras, uniendo vos cum capitaneo nostro culfi quam prestius poteritis, et essendo ad obedientiam suam, ut debeatis.

Misti XLII. 128, u mlet. arkivu.

CCCCLI. God. 1393 11 rujna, u Mletcih.

Republika mletačka nalaže svomu podkapetanu pomorskomu, neka se nepača u brod Nikole Trogiranina, pošto vozi u Apulju poslanika turskoga idućeg stoga, da utanači ženitbenu pogodbu medju onim kraljem i kćerkom Bajazitovom.

1393. indictione II. die XI. septembris. Capta: quod scribatur ser Francisco Bembo vicecapitaneo culphi in hac forma: intelleximus litteras vestras, quas misistis nobis, datas supra Spalatum 28 mensis augusti, in quibus inter alia fit mentio, qualiter ille Nicolaus de Tragurio vobis dixit, quod habet in mandatis a domino suo de faciendo poni cum uno brigentino unum Turchum in Apuleam, qui est ambaxator domini Basaiti, et vadit ad dominum regem Vencislaum pro complemento nuptiarum tractatarum inter ipsum dominum regem et filiam dicti Basaiti, et quod vos estis dispositus ire ad apostandum eum in aquis Manfredonie, quia habetis, quod debeat illuc capitare; et si casus dabit, quod veniat in manus vestras, reddere sibi meritum pro suis bonis operibus. Unde consideratis omnibus, que consideranda sunt super ipsa intentione vestra, et maxime quod dictus Turchus ambaxator non vadit in cursum nec pro aliqua alia, quantum ad nos, causa inhonesta, fidelitati vestre cum nostris consiliis scribimus et mandamus, quod in caso quod veniret in manus vestras eundo vel redeundo, vos non debeatis ei nec suis in personis vel rebus nec dicto brigentino aliquam iniuriam vel violentiam facere, sed debeatis ipsum honorare cum illis verbis et per illum modum, qui vestre sapientie videbitur, ita quod habeat causam laudandi nos, dominium nostrum et vos, gerendo vos taliter in executione istius nostri mandati, quod possitis apud nos de bona observatia comendari.

Mist XLII. 129, u mlet. arkivu.

CCCCLII. God. 1393. travnja-rujna.

Baštinici pok. Leta Dukagja kao vlastnici grada Leške ustupljuju ga Mletčanom.

Copia pactorum firmatorum per nobilem virum ser Johannem Miani capitaneum culphy cum aliquibus nobilibus pro castro Lexii. — Ista sunt pacta pro castro de Lexio cum omnibus confinibus et pertinentiis ac habentiis suis, facta et firmata per nobiles viros dominos Progon et Tanus fratres, filios quondam domini Lethe Duchagii, dominos dicti castri, suo nomine et nomine et vice alterius domini Progon Duchagi fratris quondam domini, Paula Tanus Duchagi filia quondam domini Pauli, germanorum et consaguineorum ipsorum dominorum Progon et Tanus, pro quibus promiserunt etc., cum egregio et nobile viro domino Johanne Miani de ducali mandato capitaneo culphi, qui representat dominum ducem et dominium Veneciarum.

Primo dicti domini Progon et Tanus Duchagi promiserunt et offerunt nomine quo supra dare castrum predictum de Lexio cum toto territorio exteriori, habentiis et pertinentiis suis et cum toto dominio et guardia in mandatis domini ducis et dominii Veneciarum et domini capitanei, predicti, qui representat ipsum dominum ducem et dominium Veneciarum cum hac condititione, quod dictum castrum debeat dominari et custodiri

nomine domini ducis et dominii Veneciarum cum toto territorio et pertinentiis suis, et sint sub iusticia et baculo ipsius domini ducis et dominii Veneciarum; et de ipsius utilitatibus et proventibus, primo et ante omnia debeat extrahi expense necessarie pro custodia et reparatione ipsius, si fuerit expediens, non possendo expendere in anno in dictis custodia et reparatione ultra ducatos octigentos auri, et si plus expenderetur, id plus expendatur nomine domini ducis et dominii Veneciarum; declarando etiam, quod idem dominus dux et dominium Veneciarum predictum iuxta posse suum teneatur tenere forum ipsius castri fulcitum sale. Et de residuo dictarum utilitatum debeant fieri tres partes, quarum due sint domini ducis et dominii Veneciarum et tercia ipsorum dominorum Progon et Tanus fratrum et heredum suorum.

Item petunt de gratia speciali, quod eis concedantur quinque casalia subiecta dominio castri predicti, quia dominium castri predicti et totius territorii exterioris est sub baculo et dominio domini ducis et dominii Veneciarum, que casalia predicti domini possint et debeant sub dicto dominio Veneciarum pacifice gaudere; hoc semper declarato, quod dicti domini Progon et Tanus et omnes ipsorum propinqui et consanguinei ac germani predicti sint ad omnia mandata dominii Veneciarum parati.

Item petunt, quod in dicto castro, pertinentiis, territoriis et locis suis omnibus non possint nec debeant habitare, unire nec stare proditores rebelles sui, nec homines male conditionis proditorie, sed quod dominus dux et dominium Veneciarum seu ipsius rectores debeant eis obstare toto posse. Et versa vice dicti domini Progon et Tanus promittunt ipsi domino capitaneo nomine domini ducis et dominii Veneciarum, quod quandocumque aliqui proditores, rebelles et homines male conditionis domini ducis et dominii Veneciarum aufugerent de sub dominio ipsius domini ducis et dominii Veneciarum et de sub potestate et baculo rectorum seu rectoris ipsius castri, quod ipsi domini Progon et Tanus teneantur et debeant ad omnem requisitionem domini ducis et dominii Veneciarum, seu rectorum vel officialium suorum illos tales malefactores et rebelles capere et dare in manibus predictorum, vel ipsos cecidi facere pro ut eis fuerit requisitum et ordinatum.

Item prefatus dominus capitaneus pro sua consolatione nomine mutui super parte spectante ipsis dominis Progon et Tanus de utilitatibus castri promittit dare prefatis dominis ducatos sexcentos causa mutui ut supra in Venetiis cuicumque eis placuerit.

Item vult prefatus dominus capitaneus, quod dicti domini Progon et Tanus nec aliquis alter, qui haberit sub se villanos sive vassallos, non possint nec debeant artare aliquem de suis villanis sive vassallis ad aliquid faciendum ultra hec, quod sibi tenentur pro iuribus suis; et si aliquid haberent agere cum aliquibus ex suis hominibus, debeant petere ius a rectore existente in dicto castro de Lesio.

Commemorialium VIII. 181, u mlet. arkivu.

CCCCLIII. God. 1393. 20 rujna, u Mletcih.

Committitur capitaneo Durachii, quod executioni mandet ordinem circa illos, qui vivunt extra Durachium, quibus permissum fuit in patriam

redire, non obstante illud factum Cursaci, viri potentis in illo districtu, qui occasione homicidii stat extra Durachium, de quo providebitur. Quum lignum, quod est in Durachio, sit nimis magnum, redeat Venetias, et mittatur illuc aliud remorum viginti. Conantes aliqui mercatum salis de Alexio reducere ad locum vocatum Suffada, ordinatur capitaneo Durachii, ut prohibeat venetis subditis aliquid ferre ad dictum mercatum, imponendo eis penam.

Misti XLII. 129, u mlet. arkivu.

CCCCLIV. God. 1393. 20 rujna, u Mletcih.

Šalju se ugar.-hrv. kralju i kraljici tajno prepisi njekih listova zaplienjenih u njekom brodu.

1393. die vigesimo septembris. Dominus dux. Quod pro multis bonis respectibus ordinetur, quod copie istarum literarum, que reperte fuerunt in isto brigentino, et fuerunt lecte isti consilio, debeant mitti per nos domino regi et domine regine Hungarie, ut eis legantur et monstrentur, tenendo in hoc illum secretum et cautum modum, qui videbitur collegio vel maiori parti pro honore nostri dominii. 35, 34., de non capta 48., 50., non sinceri 15, 10.

Secreta Cons. Rog. R. 89, u mlet. arkivu.

CCCCLV. God. 1393. 26 rujna, u Mletcih.

Obećava se Vuku Brankoviću, da će mu povraćeno biti sve, što se u Draču našlo te bilo njegove sestre žene pok. Gjorgja Topije, ako ondješnje trgovce pusti slobodno obćiti po njegovih krajevih kao što i prije.

1393. die 26 septembris. Sapientes ordinum. Capta: quod respondeatur magnifico domino Volcho de Brancho, intimo amico nostri dominii, quod intellectis litteris suis nos instantissime deprecantibus, quatemus nobis placeat sibi facere consignari res existentes in manibus castelani nostri Durachii, que fuerunt date condam domino Georgio Thobie pro dote sororis sue, quod scripsimus superinde et dedimus in mandatis prefato nostro bajulo et capitaneo Durachii, quod faciendo magnificentia sua erga nostrum dominium et subditos et fideles nostros de rebus rationabilibus et honestis, quod ipse noster baiulus faciet, quod ipsa sua magnificentia habebit se merito contentari. Capitaneo vero nostro predicto mandetur, quod cum illis sapientibus, bonis et dextris modis, qui sue sapientie videbuntur, debeat procurare cum domino Volcho, quod ipse sit contentus, quod itinera currant et stent apperta, et quod cives, mercatores et fideles nostri tractentur in locis et terris suis dulciter et benigne, et quod eis confirmentur solite libertates et franchisie, et meliores, si poterit obtinere, faciendo, quod de predictis apareat scriptura in bona forma; quibus sic pactis et in eis conclusis debeat idem noster bajulus Durachii consignare facere unam coronam auream et paria quatuor cercellorum perlarum existentes apud castellanum nostrum Durachii predictum, que fuerunt prefate domine, cui predicte res spectant de iure. De parte alii, de non 4, non sinceri 2.

Misti XLII. 130, u mlet. arkivu.

CCCCLVI. God. 1393. 26 rujna, u Mletcih.

In facto homicidii perpetrati per Cursachum commissum capitaneo Durachii, quod conveniant ad consilium ipse, capitaneus culphi, castellanus Durachii ac supracomiti galearum, et examinent modum ita quod fieret de eo iustitia sine aliquo scandalo et novitate; si vero videretur dicto collegio, quod volendo dictam iustitiam facere de ipso Cursaco, posset sequi novitas et scandalum, tunc supersedeant et scribant, et postea providebitur, sicut videbitur esse iustum.

Secreta Cons. Rog. R. 88, u mlet. arkivu.

CCCCLVII. God. 1393. 29 prosinca, u Mletcih.

Anna Senjska kneginja i njezin sin nude Mletčanom grad Raspurk i Novigrad u Istri.

1393. indictione secunda, die XXIX decembris. Ser Leonardus Dandulo miles procurator, ser Petrus Mocenigo procurator, ser Petrus Cornario procurator, ser Benedictus Superantio sapientes consilii. Capta: cum iam multis diebus fuerunt et sint hic duo ambasiatores magnifice domine Anne comitisse Segne et eius nati volentes nobis dare in pignus castrum Raspurch et Castrum Novum, que sunt in manibus suis, que castra et specialiter Raspurch, per ea que semper antiqui nostri cognoverunt, et que clarissime presentialiter cognoscuntur, est talis et in tali loco situatum, quod dici potest clavis totius Istrie, per quam salvabuntur et custodientur omnia loca notra a rapinis et latrociniis solitis, ita quod multum faceret pro nobis et bono ac quieto statu illarum partium habere specialiter ipsum locum, quia contrata melius habitabitur et cultivabitur cum notabili comodo terre nostre et illarum partium Istrie; vadit pars, quod collegium domini, consiliariorum, capitum et sapientum habeat libertatem tractari et tractari faciendi cum ipsis ambasiatoribus de habendo per viam pignoris dicta duo castra vel castrum Raspurch solummodo cum illis melioribus modis, avantagiis et condicionibus, quos poterunt obtinere possendo expendere usque ad quantitatem ducatorum decem millia pro ipsis duobus locis, vel pro castro Raspurch solo, et faciendo fieri de dicta pignoratione instrumenta necessaria et oportuna pro securitate et cautela nostri communis. De parte 69, non 4, non sinceri 2.

Misti XLII. 143, u mlet. arkivu.

CCCCLVIII. God. 1394. 5 siečnja, u Mletcih.

Instrumentum conventionis firmate inter ducale dominium et ambasiatores magnifice domine Anne comitisse Segne pro castro Raspurch. In christi nomine amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo trecentesimo nonagesimo quarto, indictione secunda, die quinto mensis ianuarii. Cum maguifica et potens domina domina Anna comitissa Vegle, Modrusie etc. relicta bone memorie magnifici et potentis quondam domini Johannis comitis Vegle, Modrusie etc, per infrascriptos suos oratores, procuratores et nuncios requiri fecerit ab illustri et excelso domino domino Antonio Venerio dei gratia inclito duce Venetiarum etc. et a suo dominio mutuo et

ex causa mutui certam pecunie quantitatem dicte magnifice domine pro conservatione et securitate sui status ac magnifici nati sui et pro recuperando certa sua iocalia atque bona per dictum quondam magnificum virum suum pignori obligata, ut asserunt necessariam et opportunam, offerentes de ipsa quatitate pecunie dictum illustrem dominum ducem et suum excelsum dominium reddere bene cautum et securum. Et ipse illustris et excelsus dominus dominus Antonius Venerio dei gratia dux Venetiarum etc. cum suo dominio moti singulari affectione et sincera caritate, quam semper habuerunt ad ipsum quondam magnificum dominum comitem Johannem, et habent similiter ad eandem dominam comitissam eiusque natum ad conservationem sui status et securitatem, iuxta predictam suam requisitionem sint sibi dispositi complacere, fuerintque et in modo cautionis prestande et quantitate pecunie certa colloquia et ratiocinamenta habita inter partes. Tandem predictus illustris et excelsus dominus dux et sua inclita dominatio habentes ad hec autoritate eis tradita per unam partem captam in suis consiliis rogatorum et addictionis in presenti millesimo et indictione die vigesimo nono mensis decembris plenariam potestatem, ut constat mihi notario infrascripto; et nobiles et prudentes viri ser Pauli de Georgiis de Jadra, procuratores, ambasiatores, factores et nuncii speciales sepe dicte magnifice domine Anne comitisse Vegle etc., habentes similiter ad omnia infrascripta et alia exercenda plenum et sufficiens mandatum, ut constat instrumento publico procurationis scripto per Nicolaum quondam Dominici de Vegla, imperiali auctoritate notarium publicum et communis Segne scribam iuratum in millesimo trecentesimo nonagesimo tertio, indictione prima, die vigesimo secundo mensis novembris, a me notario infrascripto viso et lecto ad infrascriptam conventionem et compositionem unanimiter et concorditer devenerunt. Primo quidem, quod suprascriptus illustris dominus dominus Antonius Venerio dei gratia dux Venetiarum etc. et sua dominatio prestare et mutuare debeant dicte magnifice domine Anne comitisse Vegle etc. seu predictis suis procuratoribus, ambasiatoribus et nunciis pro ea et suo nomine recipientibus ducatos decem millia boni auri et iusti ponderis, quorum quatuor millia dari et assignari eis fatiant pro expediendis ipsis suis iocalibus atque bonis et aliis suis agendis hic in Venetiis, cum informati fuerint de assignatione et tranditione possessionis et tenute castri Raspuch, de qua inferius sit mentio, et reliquos sex millia infra unum mensem immediate sequentem, postquam habuerint noticiam assignationis predicte in civitate Segnie, illuc conducendos ad risicum et periculum communis Venetiarum. Pro securitate vero et cautione totius sortis et quantitatis dictorum decem millium ducatorum idem ambasiatores, procuratores et nuncii dicte domine comitisse nomine et vice ipsius heredum et successorum suorum promiserunt et se obbligaverunt ac promittunt et se obligant stipulacioni solemni dare, transfere, tradere et consignare, et ex nunc tradunt, transferunt et consignant in manibus, dominio, fortia et potestate dicte ducalis dominationis seu illius vel illorum, qui haberent ab ea plenum et sufficiens mandatum pro pignore et nomine pignoris et ypotece, cautionis et securitatis castrum Raspurch situm in partibus Chersorum, quod ad presens tenetur et possidetur per ipsam dominam comitissam cum omnibus et singulis edificiis, fortiliciis, villis, territoriis, pertinentiis, iuribus et iurisdicionibus ac redditibus, usufructibus et proventibus ad ipsum castrum et

ad dictam dominam spectantibus et pertinentibus, dantes et concedantes eidem domino duci et suo dominio, deputatis vel deputandis ab eis plenam licentiam, autoritatem et bailiam intrandi, apprehendendi et tenendi possessionem et quasi dicti castri et omnium iurium, fotiliciarum, pertinentiarum, iurisdicionum, territoriorum et redituum eius etiam propria autoritate sine licentia alicuius quincumque eisdem videbit et placebit, subditis illius rationem et iusticiam ministrando. Ac volentes et promittentes per pactum expressum, quod dicta ducalis dominatio possit et valeat omnes fructus, utilitates, redditus, introitus et proventus dicti castri, iurium et pertinentiarum ipsius, quicumque, quanticumque et quotienscumque sint a die, qua intraverit et receperit seu intrari et recipi fecerit ipsum castrum et eius tenutam, ut dictum est, habere, tenere, gaudere et possidere, fructuare et in suos usus convertere et ponere pro libito voluntatis, pro ut et sicut ipsa domina comitissa hactenus habuit, tenuit et facere potuit, libere, pacifice et quiete tamdiu et donec eidem ducali dominationi restituta, data, tradita et assignata fuerit tota supracscripta quantitas decem millium ducatorum. Promiserunt insuper sepedicti procuratores, ambasiatores et nuncii antedicte domine comitisse suo heredum et successorum suorum nomine per solemnem stipulationem legitime interpositam defendere et guarentare, autorizare et disbrigare dicto domino duci et suo dominio ipsum castrum Raspurch cum omnibus et singulis iuribus, iurisdicionibus, usufructibus, redditibus et territoriis suis ab omni domino, communi, collegio et universitate, ac qualibet alia persona de mundo, inquietante, perturbante vel molestante aut inquietare, perturbare vel molestare volente ipsum et suum dominium in pacifica possessione ipsius castri ac usufructatione redituum et proventuum eius. Et si hoc non facerent, et propterea ipse dominus dux et suum dominium reciperent vel paterentur aliquod damnum, quodcumque foret, quod tunc ipsa domina comitissa, heredes et successores sui amendare teneantur ipsi domino duci et suo dominio damnum predictum integraliter et in totum, credendo simplici verbo suo sine sacramento vel alia probatione. Similiter etiam dictus inclitus dominus dux et suum dominium, solemni stipulatione interposita, promiserunt suprascriptis procuratoribus, ambasiatoribus et nunciis dicte domine comitisse stipulantibus et recipientibus nomine quo supra, et hoc expresse volentibus et requirentibus, quod quociens-cumque et quincumque per dictam dominam comitissam donec vixerit et post mortem eius per heredes et successores suos legittimos ac eorum heredes ex ipsis heredibus suis legittime descendentibus, et si sine heredibus deficerent, per magnificos et potentes dominos comites Henricum et Johannem Maynardum fratres suos et suos heredes, aut illos, qui, defficientibus omnibus supradictis, sucederent per testamentum vel ab intestato ipsi domine Anne comitisse dati et restituti, traditi et assignati fuerint ipsi domino duci et suo dominio in civitate Venetiarum predicti decem millia ducati boni auri et iusti ponderis, et facta satisfatio et emenda damni, si quid in casu suprascripto inquietationis vel perturbationis aliqualiter sustulissent, tunc dabunt, restituent et resignabunt aut dari, restitui, et resignari facient eisdem aut suis procuratoribus legittimis libere et sine ulla contradicione dictum castrum Raspurch cum omnibus et singulis edificiis, fortiliciis, territoriis et pertinentiis, iuribus, iurisdicionibus, redditibus et proventibus eius, ita quod de illis totaliter foris erunt. Quare

omnia et singula suprascripta dicte partes predictis nominibus sibi adinvicem, scilicet una pars alteri et altera alteri, promiserunt firma, rata, et grata habere et tenere, attendere et observare ac adimplere et in aliquo non contrafacere vel venire per se vel alium seu alios aliqua ratione vel causa, modo vel ingenio, de iure vel de facto, sub pena octomillia ducatorum boni auri et iusti ponderis, solemni stipulatione premissa, que pena totiens committatur et exigatur ac exigi possit cum effectu per partem observantem a non observante, quotiens in predictis vel aliquo predictorum fuerit modo aliquo contrafactum. Et pena commissa vel non commissa, soluta vel non, nichilominus presens contractus et omnia et singula in eo contenta firma perdurent, et debeant a partibus inviolabiliter observari. Pro quibus omnibus et singulis firmiter observandis et adimplendis prefatus illustris dominus dux et suum dominium obligaverunt omnia bona communis Venetiarum dictis sindicis et procuratoribus ipsius domine comitisse suo nomine stipulantibus et recipientibus, mobilia et immobilia, presentia et futura; et versa vice predicti procuratores et sindici ipsius domine comitisse nomine quo supra eidem domino duci et communi Veneciarum omnia bona antedicte domine comittisse, nobilia et immobilia, presentia et futura. Renunciantes expresse ambe partes exceptioni doli, mali et in factum actioni, privilegio fori, rei non sic geste ac non sic celebrati presentis contractus, omnique alii exceptioni legum et iuris auxiliis, quibus possent contra predicta vel aliquod predictorum aliqualiter se tueri, oponere, dicere, facere vel venire. Voluerunt insuper et rogaverunt, ut de predictis fieri debeant per me notarium infrascriptum duo consimilia publica instrumenta, quorum unum remaneat apud dictum illustrem dominum ducem suumque dominium, alterum eisdem procuratoribus et ambasiatoribus dicte domine comitisse debeat assignari. Actum Venetiis in ducali palacio presentibus sapiente et circumspecto viro domino Petro de Quadraginta honorabili cancellario communis Veneciarum, ac providis et virtuosis viris ser Nicolao de Gerardo, ser Johanne Plumacio et se Petro Costa notariis ducatus Venetiarum, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis et aliis. Ego Guillelmus quondam ser Thomasini de Vicenciis, imperiali auctoritate notarius publicus et ducatus Venetiarum scriba, predictis omnibus et singulis presens fui, eaque rogatus scribere in hanc publicam formam scripsi, meorumque signi et nominis munimine roboravi.

Commemorialium VIII. 172, u mlet. arkivu.

CCCCLIX. 1394. 2 veljače, u Šutisci.

Stjepan Dabiša kralj bosanski preporučuje mlet. republiki svoga poslanika Mihaila, i da mu vieruje, što joj on bude rekao u njegovo ime.

1394. 2 februarii, Sutisce. Copia literarum missarum ducali dominio per dominum regem Bosine. Excellentissime frater carissime. Quia iam dudum, sicut recolimus, alias excelentie vestre scripsisse, commisimus egregio viro domino Georgio protovestiario nostro dilecto sibi noto, quod de galeis nostris istic Venetiis apud vos existentibus, sicut scitis, vice nostra ordinare disponereque deberet et posset, prout videretur et placeret eidem, ex tunc nos ratum et gratum habere, quidquid super inde faceret, promittendo. Et nunc ipse commissionem nostram huiusmodi sibi factam, licet alias

eam prius fecerit, sicut refert nobili viro Marino de Caboga honorabili civi et factori Ragusino, istic idem Venetiis, ut nostis, tunc et nunc etiam existenti, venerabilem virum dominum Michaelem Dominici, presbyterum Ragusinum capellanum suum, exebitorem scilicet harum, istuc idem ad vos mittit specialiter exequutum. Igitur ipsum ipsi excellentie vestre recomendamus, attente requirentes eamdem, eum in sibi commissis per ipsum fraternitati vestre oretemus expediendis nostri consideratione recommendatum habere et dirigere, et sibi demum favorabiliter assistere dignemini in eisdem, sicut quod vestro mediante favore finem exinde celerem et optatum, sicut de dicta fraternitate vestra confidimus, consequi valeamus, factura nobis in eo complacentiam specialem adscribendam inter specialia beneplacita nostra, et tandem vice versa vobis et vestris in omnibus vobis gratis libenter et libere rependendam, prout idem dominus Michael de omnibus excellentiam informabit eamdem, cui que circa hec referet ei viva voce nostrique vice credulam fidem placeat adhibere. Data in aula nostra Suthisce die secunda mensis februarii, anno MCCCLXXXXIIII.

Stephanus Dabissha dei gratia Rascie, Bosne Maritimeque etc. rex.

(A tergo): Excellentissimo fratri nostro carissimo domino Authonio Venerio dei gratia duci Venetiarum.

Commemorialium VIII. 189, u mlet. arkivu.

CCCCLX. 1394. 3 veljače, u Mletcih.

Odgovara se poslaniku gospodara Ulcinskoga, koj nudjaše Mletčanom grad Skadar.

1393. indictione secunda, die 3 februarii. Sapientes ordinum. Capta: cum iam multis diebus comparuerit ad presentiam dominii reverendus pater dominus episcopus Scutarensis tamquam ambasiator domini Dulcigni, offerens dare nobis nomine dicti domini locum Scutari et aliqua alia sua loca infra terram, volentibus nobis providere de eo secundum quod erit rationabile atque iustum, ac requirens superinde nostram resposionem; vadit pars, considerato, quod dicta loca non sint ad marinam, ymo valde remota, et forent pocius damnosa nobis quam utilia; considerato etiam, quod dictus locus Scutari presentialiter est in manibus Turchorum, ita quod male sine scandalo intromitti posset, et quampluribus aliis rationibus, quod cum istis et aliis utilibus et bonis verbis et rationibus, que dominio videbuntur, fiat responsio ipsi domino episcopo, lutanando se a facto pro utilitate agendorum nostrorum. De parte omnes alii, de non 6, non sinceri 2.

Secreta Cons. Rog. R. 91, u mlet. arkivu.

CCCCLXI. God. 1394. 27 veljače, u Mletcih.

Mletčani šalju poslanika hrvatskomu banu Ivanu sa zahtjevom, neka na slobodu pusti francezke podanike zarobljene od Omišana na moru a na mlet. brodu, dolazeće iz svetih miesta.

1393. indictione secunda, die XXVII februarii. Sapientes consilii et sapientes ordinum excepto ser Bartholomeo Nani. Capta: quia venientibus aliquibus nobilibus francigenis et flamengis cum una nostra griparia

de Mothono a sancto sepulcro, ipsi per unam galeotam de Dalmisio capti fuerunt, et captivi cum pecunia et bonis suis illuc ducti cum magno onere nostri dominii propter ordinem nostrum alias captum superinde et notificatum in omnem civitatem et locum intra culfum existentem et cum damno et periculo civium et mercatorum nostrorum mercantium et conversantium cum galeis, bonis et mercationibus suis in partibus, quarum ipsi nobiles sunt oriundi; et propterea expediat superinde providere de illis remediis, que nobis possibilia sunt; vadit pars, quod mittatur presto ad ipsum locum Dalmisii unus noster nuncius cum una bona barcha armata, cui committatur, quod si Johannes banus, ad quem spectat ipse locus, erit ibi vel in partibus non multum remotis, ita quod secure ire possit ad eum, vadat ad presentiam suam, et presentatis sibi nostris litteris credulitatis, exponat, qualiter novissime ad nostram audientiam est deductum, quod venientibus cum una nostra griparia et cum uno nostro navigio a sepulcro dominico aliquibus nobilibus partium ultramontanarum, ipsi cum havere et bonis suis per unam galeotam armatam in dicto loco extracti fuerunt de dicto navigio, quod reputamus ut propriam urbem nostram, cum bonis suis, et captivi ducti ad ipsum suum locum Dalmisii contra ordinem et provisionem nostram alias notificatam omnibus civitatibus et locis existentibus intra culfum, qui erat et est, quod omnes venientes ad terram nostram et inde recedentes tam cum nostris navigiis quam aliorum, forent salvi et securi in personis vel bonis suis. De qua violentia et novitate turbati sumus quantum esse possemus, quia nullo modo credere poteramus, consideratis his, que scripsimus et dici sibi fecimus ac rectoribus loci tui, quod subditi sui processissent ad tantam violentiam contra nostra navigia, homines et bona existentia in eisdem, que salva esse volumus ut proprios cives nostros et bona sua. Et propterea requirimus magnitudinem suam, quatenus placeat tenere modum, quod ipsi nobiles, capti per dictam suam galeotam, cum bonis suis libere relaxentur et assignentur ipsi nostro nuncio, ut habeamus causam remanendi bene contenti et habendi eum, subditos et loca sua in nostrum amicum, sicut cupimus et optamus. Faciendo circha istam nostram intencionem obtinendam cum ipso domino Johanne bano totum id, quod poterit cum istis et aliis bonis verbis, secundum quod ipsi nuncio utile et necessarium apparebit.

Et si poterit obtinere nostram intentionem predictam, ita quod ipsi nobiles cum bonis suis totaliter liberentur, tunc teneat nuncius noster modum, quod recedere possint deinde et venire ad partes istas, rogando ipsum dominum Johannem, quod det taliter in mandatis suis subditis loci predicti Dalmisii, quod de cetero se abstineant a damnificando nostros et nosta navigia et similiter omnes alios venientes ad civitatem nostram et inde recedentes cum mercationibus et bonis suis in nostris navigiis vel aliorum, secundum quod in ipso nostro ordine continetur.

Si vero non posset dictam nostram intentionem obtinere, tunc facta omni possibili experientia dicere debeat ipsi domino Johanni bano, quod pro honore nostro non potuimus aliter pertransire, quam providere superinde de remediis opportunis secundum formam nostri ordinis antedicti, qui est, tractare tales damnificantes nostros vel alios venientes ad terram nostram aut inde recedentes tamquam publicos piratas et similiter loca ipsos

receptantia. Et ad cautelam detur dicto nuncio copia ipsius nostri ordinis, ut sit de eo plenarie informatus; et adimpletis predictis accepto commeatu Venetias revertatur, dando operam, si comode facere poterit, quod ipsi nobiles capti habeant de ista via sua et procuratione notitiam, et quod habeant ab eis linguam pro sentiendo, in quibus terminis sunt.

Verum si Johannes banus non esset ibi nec in locum, ad quem secure posset noster nuncius, tunc compareat coram rectoribus dicti loci Dalmisii, exponat et exequatur nostrum mandatum predictum, secundum quod superius est expressum.

Insuper pro utilitate nostri nobilis ser Fantini Michael, capti per dominum sancte Crucis, informentur nuncii istorum nobilium captorum, qui hic sunt, et vadunt ad domos suas de provisione, quam fecimus pro liberatione dominorum suorum, et dicatur eis, quod non obstante, quod domini Francie, quorum ipsi sui domini sunt subditi, non procuraverint nec procurent·liberationem civis nostri capti per dominum sancte Crucis contra deum et iustitiam et contra salvumconductum, quem habemus pro omnibus mercatoribus nostris, tamen volumus presto facere provisionem predictam, et quod propterea dicere debeant patribus et attinentibus eorum, quod procurent apud ipsos dominos Francie et Borgondie, quod ipse civis noster libere relaxetur, ut habeamus causam nunc et per futura tempora procurare comoda et favores suorum in casibus, qui eis possent occurrere. Insuper scribatur domino duci Borgundie casus iste, et id, quod providimus superinde, et effectus responsionis portate per Johannem Dandalo a sua excellentia de liberatione dicti ser Fantini cum illis verbis, que utiliora dominio videbuntur, ut sit magis favorabilis ad faciendum, quod ipse noster civis de tanta miseria liberetur. De parte — 48, de non — 16, non sinceri — 9.

Misti XLII. 154, u mlet. arkivu.

CCCCLXII. God. 1394. 7 travnja, u Mletcih.

Ordinatum, quod capitaneus culphi et supracomiti simul cum capitaneo, castellano et camerariis Durachii debeant esse insimul in collegium ad examinandam foveam et muros istius civitatis, et post hoc duo galeae remaneant ad custodiam Durachii.

Misti XLII. 159, u mlet. arkivu.

CCCCLXIII. God. 1394. 9 travnja, u Mletcih.

Pravo mletačkoga gradjanstva podieljeno Vuku Brankoviću.

Privilegium magnifici domini Volchi de Brancho cum suis filiis, heredibus, gratie de extra.— Anthonius Venerio dei gratia dux Venetiarum. Universis et singulis tam amicis quam fidelibus et tam presentibus quam futuris, presens privilegium inspecturis, salutem et sincere dilectionis affectum. Tanto benignius ducalis providentia consuevit personas magnificas et illustres sibi amicabiles et devotas honoribus prevenire, ipsarumque fidem et devotionem dignis retributionibus compensare, ac ipsa dotalibus favoribus convallare, et ipsarum petitiones liberalius exaudire, quanto ducatui nostro devotiores fide et operibus se ostendunt. Attendentes igitur multi-

plicis benevolentie puritatem et devotionis plenitudinem, quam magnificus ac potens dominus Volchus de Brancho, dominus Rassie, Slavonie et cet., carissimus et intimus amicus nostri dominii, ad nostre magnitudinis excelentiam habere promptis affectibus se ostendit, qui in agendis nos, ducatum nostrum et singulares personas ducatus ejusdem tangentibus promptum et devotum laudabiliter et incessanter se prebuit atque prebet, supplicationibus nobis sua parte porrectis gratiosius annuentes, eum nostrorum omnium consiliorum et ordinamentorum necessaria solemnitate servata, in Venetum et civem nostrum cum suis filiis et heredibus fecimus et facimus et pro veneto et cive nostro cum suis filiis et heredibus in Venetiis et alibi deinceps haberi et procurari omni effectu et plenitudine volumus et tractari, ipsumque sincere benevolentie brachiis amplexantes, et firmiter statuentes, quod singulis libertatibus, beneficiis, immunitatibus et honoribus quibuscumque, quibus alii honorabiles Veneti et cives nostri gaudent et perfrui dignoscuntur, prefatus dominus Volchus de Brancho cum suis filiis et heredibus in Venetiis et extra perpetuo gaudeat et utatur; prefatus quoque dominus Volchus per nuntium suum legitimum soleniter ad sancta dei evangelia prestitit fidelitatis debitum juramentum. In cujus rei fidem et evidentiam pleniorem presens privilegium fieri jussimus, et bulla nostra plumbea pendente muniri. Datum in nostro ducali palatio, anno dominice incarnanationis millesimo trecentesimo nonagesimo quarto, mensis aprilis die nono, indictione secunda.

Liber privilegiorum I. 111, u mlet. arkivu.

CCCCLXIV. God. 1394. 4 svibnja, u Mletcih.

Deliberatum, quod castellanus Durachii loco XXIV lib. grossorum in anno, habeat deinceps de salario viginti tantum, et quod debeat de caetero fieri et elligi in maiori consilio per duas manus electionum et probari unum medium alterius.

Misti XLII, 161, u mlet. arkivu.

CCCCLXV. God. 1394. 12 svibnja, u Mlecih.

Uslied prošnje dračkih gradjana zamoljen papa, neka potvrdi za dračkoga nadbiskupa njekoga malobraćanina Franka od njih izabrana.

1394. indictione secunda, die XII maii. Capta: quod ad instantem supplicationem nobis factam per canonicos et capitulum ecclesie Durachii, ac per universitatem dicte terre fideles nostros possint scribi littere domino pape et cardinalibus in illa forma, que videbitur dominio, in favorem venerabilis viri fratris Franchi de ordine minorum, quem ipsi canonici et capitulum concorditer elegerunt, ut santitas sua dignetur ipsum in archiepiscopum dicte ecclesie preficere et pastorem, cum de eo et laudabilibus operibus et virtutibus suis et de multa fidelitate erga nostrum dominium ab omnibus bonum testimonium prebeatur.

Misti XLIII. 3, u mlet. arkivu.

CCCCLXVI. God. 1394. 21. svibnja, u Mletcih.

Mletčani nastoje, da si Kroju prisvoje. Sestri pok. Tome gospodara Dračkoga obetuju godišnju podporu.

1394. die XXI. maii, indictione secunda. Sapientes consilii et sapientes ordinum. Capta: quod rescribatur baiulo et capitaneo nostro Durachii, quod nos per istam suam barcham recepimus omnes literas suas et capitanei nostri culphy, per quas ad plenum fuimus informati de condicionibus partium deinde et de motibus Turchorum ac de gestis per ser Marcum Barbadico, qui videtur ivisse ad inclinandum Basaito et cet. Ad quas responsum damus et primo ad partem dicti ser Marci, quod nobis displicet valde illud, quod ipse fecit, quod est contra nostrum honorem et in damnum contrate et civitatis nostre Durachii. Nichilominus consideratis omnibus placet nobis, quod in casu, quo videat posse tenere modum, quod ipse ser Marcus cum uxore sua et castro Croy redeat ad obdientiam nostram, non obstante fallo suo debeat hoc facere et ad hoc parte sua dare operam toto posse. Quando autem videret hoc facere non posse per istum modum, et cognosceret, quod per viam tractatus posset habere dictum castrum, tunc sumus contenti, quod ipsum accipere debeat, ponendo mentem, quod non deciperetur, et quod gentes, quas illuc mitteret ad hunc finem, non ponerentur ad periculum manifestum. Et quia videmus, quod hoc fieri non posset sine pecumia et spe premii, sumus contenti, quod ipse possit promitterre illis, qui darent sibi dictum locum, provisionem, quam dabamus dicto ser Marco et uxori, secundum quod sibi videbitur, et similiter territoria, que possidebantur per eos, ad gaudendum et usufructandum in parte et toto, ut possit nostram intentionem obtinere. Et si hoc facere non posset per aliquem dictorum modorum, tunc scribat nobis presto, quiquid habebit et in quibus terminis facta consistent, ut providere possimus secundum quod nobis utile appareret. De parte 110, de non 2, non sinceri 1.

Capta: Insuper scribatur dicto baiulo ad partem, quam nobis scripsit, de facto uxoris quondam Cursachii, sororis quondam domini Durachii, et provisionis quam petit, quod ut dicta domina videat et cognoscat optimam dispositionem nostram et amorem, quem portavimus fratri suo et sibi portamus, sumus contenti de dando sibi ad placitum nostrum provisionem ducatorum centum in anno, quam dabamus viro suo et sibi, ut possit habiliter ducere vitam suam, cum conditione, quod si se maritare voluerit, hoc facere teneatur cum conscientia et voluntate nostra, ut se coniungat persone, que sit in amore et benivolentia nostri communis.

Misti XLIII. 4, u mlet. arkivu.

CCCCLXVII. God. 1494. 12 svibnja, u Mletcih.

Obdaruju se oni, koji su predali Aleksu republiki.

1394. indictione secunda, die XII maii. Sapientes consilii. Capta: cum isti nobiles Duchayni, qui hic sunt et a quibus dominatio nostra habuit castrum Lexii, quod est circha partes Durachii, supplicaverint nostro dominio, quod sicut secundum formam pactorum initorum per capiteneum nostrum culphy inter nos et eos, ipsi debent habere tercium utilitatum et introituum

dicti loci, solutis expensis limitatis in illis pactis, et nos duas, ita dignemur eis dare medietatem, et causa est, quia Turchi astulerunt sibi aliquas villas, de quibus percipiebant magnam utilitatem. Et similiter quod mandemus baiulo et capitaneo nostro Durachii, quod teneat modum, quod mercatum salis non fiat alibi quam ad mercatum dicti loci Lexii, quia est cum magno damno nostro et suo; et ultimate, quod mutuemur sibi ducatos ducentos deducendos de introitibus seu illa parte introituum dicti loci, que eos contiget; vadit pars, quod respondeatur eis, quod nobis gravat, si per Turchos vel alios senciunt damna aliqua in introitibus et locis suis, quia non solum eos, quos habere et tractare intendimus in nostros amicos sed quoslibet christianos vellemus ab omnibus molestiis et Turchorum insultibus preservari; et propterea volentes sibi in his, que cum honore nostro possumus, complacere, sumus parati prestare eis ducatos ducentos, quos requirunt a nobis defalcandos de sua parte introituum castri Lexii. Et scribemus baiulo et capitaneo Durachii districte, quod teneat modum, quod sal non portetur alio quam ad ipsum mercatum, ut nos et ipsi consequamur maiorem utilitatem; sed complacere sibi non possumus de medietate introituum, quia cognoscimus evidenter, quod esset cum manifesto damno nostri communis. Verum quia ipsi nobiles venerunt huc cum magna expensa et non sine incomodo suo et agendorum suorum sub spe obtinendi dictam suam intencionem de medietate introituum predictorum et senciendi, de gratia nostri dominii donari sibi debeant ducati quinquaginta de pecunia nostri communis, ut magis redeant consolati. De parte 53, de non 2, non sinceri 1.

Misti XLIII. 4, u mlet. arkivu.

CCCCLXVIII. God. 1394. 30 lipnja, u Mletcih.

Odgovara se biskupskomu namiestniku u Senju, da mlet. vlada nebi dopustila izvor oružja iz Mletaka bez izplate dotične daće, a glede Zadra da se Mletčani u ništa miešati neće.

1394. indictione secunda, die ultimo iunii. Capta in collegio. Quod nobilis vir ser Johannes Storlato rescribat a se et respondeat isti domino Thome vicario Segnie, qui sibi misit istas duas literas in hac forma.

Egregie et honorande amice carissime. Ego noviter recepi duas vestras literas, unam datam Brigne die decimoseptimo mensis iunii, in qua continetur factum castri Raspuch, alteram die XVIII continentem partes duas, primam de dacio illorum armorum, que extrahere debet Marcus Merzario, quod datium dominatio vult solvi debere, et alteram de facto Jadratinorum et cet. Quibus respondeo, quod habita super illis literis aliqua cogitatione et respectu, michi visum fuit pro meliori et ita deliberavi non facere aliquam mentionem, nec dare aliquam noticiam dominationi, quia videtur michi cognoscere satis clare, quod dominatio predicta specialiter de prima litera habuisset maximam turbationem, et iudicio meo habuisset magnam causam. Volo tamen vobis in parte declarare mentem vestram de aliis duabus partibus secunde litere, quia habendo informationem uti quotidie habeo de factis Venetiarum, videtur michi, quod hoc facere possim. Et primo de prima parte datii, vobis dico, quod debeatis reddere vos certum, quod ista dominatio sincere et tenere diligit dominam comi-

tissam ac dominum comitem eius filium, quemadmodum amaverunt patrem, et solutio dicti dacii non procedit, quia nec amor sit extinctus nec diminutus, sed quia multiplicantibus ab infinitis partibus multis similibus petitionibus cum magno damno et diminutione datiorum et introituum huius terre, detur materia aliis restandi a talibus peticionibus, nec credatur, quod dominatio non complaceret domino comiti et domine comitisse de multo maiori re, ita quod ipsi non debent de hoc gravari neque vos, imo propter amorem existentem inter partes debent esse contenti, quod per istum modum detur materia aliis non molestandi dominium de talibus, que sunt cum tanto damno suo. Ad ultimam partem Jadratinorum respondeo vobis, quod per ea, que scio et comprehendere possum, dominatio non se impediret aliquo modo de factis illis, quia habet et tenet in amicam utramque partem.

Secreta Cons. Rog. R. 93, u mlet. arkivu.

CCCCLXIX. God. 1394. 16 srpnja, u Mletcih.

Republika dozvoljuje, da prodaja soli bude i u Draču kao što u Aleksi obzirom na njekoga Sajna turčina gospodara okolostojećih prediela, te potvrdjuje gradski zakonik drački.

1394. indictione secunda, die XVI iulii. Sapientes consilii. Capta: cum propter mandatum de novo missum baiulo et capitaneo nostro Durachii per adventum illorum Duchaynorum, qui pridie fuerunt ad presentiam dominii, scilicet, quod non permitteret portari salem Durachii alio quam ad castrum Lesii, quod castrum fuit Duchaynorum predictorum, venerint huc duo ambasiatores nomine communitatis dicte terre, exponentes inter cetera, quod si mandatum predictum servari deberet, illa civitas esset ex toto deserta, et hoc scribit etiam baiulus et capitaneus predictus, quia illa civitas iurisdicionem habet, quod in fluminibus ibi circumstantibus non potest conduci sal de aliquo alio loco nisi de Durachio, ita quod Durachini soli portant salem suum in illis, et de hoc commune nostrum habet suam utilitatem; habent etiam certa pacta cum Sayno Turcho, domino mercati sancti Serci, et illi datur de sale Durachii secundum usum, et si non daretur sibi, ipse non permitteret aliquas caravanas nec aliquem alium venire Durachium, quia habet passus omnes in manibus suis, quod esset cum magno damno suo et nostri communis, posset etiam de facili propter dictam causam predari totam patriam; vadit pars predictis consideratis, et quod unus de dictis Duchaynis, quia alter mortuus est, est de hoc contentus, quod dicatur dictis ambasiatoribus, et sic mandetur ipsi baiulo et capitaneo, quod in hoc facto salis sumus contenti, quod observet illos bonos modos, qui sue sapientie videbuntur, ita quod illa civitas et fideles nostri non patiantur incomodum in iurisditionibus suis, et quod ponat etiam mentem, quod de mercato Lesii nostrum commune consequatur utilitatem, ut non habeamus ibi expensam sine utili.

Capta: insuper quia dicti ambasiatores supplicant nostro dominio, quod dignemur dicte communitati Durachii facere literas nostras patentes, in quibus contineatur illud capitulum, quod insertum est in privilegio alias dato domino suo, scilicet, domino Georgio Topie, continens, quod dominatio nostra debeat servare statuta et ordines dicte civitatis Durachii; vadit

pars cum ita sit, ut dicti fideles nostri supplicant, quod fiant eis dicte nostre litere, in quibus sit insertum capitulum suprascriptum, ut ex hoc videant benignitatem nostri dominii, et ut magis fideles reddantur nostro dominio antedicto.

Misti XLIII. 16, u mlet. arkivu.

CCCCLXX. God. 1394. 16 srpnja, u Mletcih.

Capta pars: „quod carnes et tota alia grassa, que extrahitur de Durachio pro conducendo Venetias, sint absolute a datio X pro centenario, sed solvatur solummodo una et dimidia sicut solvitur de aliis rebus."

Misti XLIII. 16, u mlet. arkivu.

CCCCLXXI. God. 1394. 16 srpnja, u Mletcih.

Dozvoljeno Vojslavi, sestri pok. gospodara Dračkoga Tome, kojoj je republika davala godišnju podporu, da se uda za Pregona Dukajina.

1394. indictione II, die 16 iulii. Capta: quia pridie, quando captum fuit in hoc consilio, quod domina Voyasclava, soror condam domini Georgii Topie domini Durachii deberet habere provisionem, quam dabamus marito suo et sibi cum conditione, quod in casu quo vellet se maritare, accipere deberet personam, que foret dominio nostro grata; et nunc ipsa scribat, quod optat se copulare Pregono Duchayno, qui est unus ex illis nobilibus, qui pridie fuerunt ad nostram presentiam, in casu quo de beneplacito nostro sit; vadit pars, quod rescribatur baiulo et capitaneo nostro Durachii, quod dicere debeat parte nostra domine antedicte et similiter ipsi Pregono, qui etiam nobis scripsit, quod sumus contenti, postquam ita sibi placet, quod simul in bona gratia complere debeant matrimonium antedictum.

Misti XLIII. 16, u mlet. arkivu.

CCCCLXXII. God. 1394. 24 srpnja, u Mletcih.

Marko Barbadico plemić mletački i gospodar Kroje, koj se s Turci dogovarao na škodu Drača, pozvan pred sud u Mletke, da se opravda.

1394. indictione secunda, die XXIV iulii. Dominus, consiliarii, capita de XL, sapientes consilii et sapientes ordinum. Capta: cum ser Marcus Barbadico dominus castri Croy, ut habetur tam per literas baiuli et capitanei nostri Durachii quam per alias vias redierit a Basaito cum mandato suo possendi acquirere totam contratam usque ad terram Durachii, quod est maxime contra nostrum honorem et in maximam destructionem patrie, nam iam incepit subvertere totum populum, et requisitus per ipsum nostrum vicebaiulum, quod redeat ad nostram obedientiam, hoc recusare facere videatur, ita quod est penitus providendum superinde pro honore nostri dominii; vadit pars, quod mandetur baiulo et capitaneo nostro predicto, quod in casu quo in receptione presentis nostri mandati non habuerit rem a dicto ser Marco, per quam videatur sibi de indutiando istud nostrum mandatum, debeat in locis solitis dicte civitatis facere publicari, quod dictus ser Marcus Barbadico propter attentata per eum contra nos-

trum honorem et contra iuramentum et promissionem nobis factam, comparere debeat coram nostro dominio usque tres menses tunc proximos a die dicte cride ad faciendum suam difensionem de his, que obiciuntur sibi, alioquin elapso dicto termino et eo non comparente procedetur contra eum secundum quod iustum et conveniens apparebit; notificando nobis per suas literas diem proclamationis predicte, ut de illa informationem habeamus. Verum quia recusare posset venire propter debita sua et quia est aliis obligatus, fiat una litera salvi conductus et affidationis auctoritate istius consilii per unum mensem a die, qua Venetias applicuerit, que mittatur ad manus dicti baiuli, et comittatur eidem, quod de ipsa dictum ser Marcum debeat informare, scribendo sibi, quod habet in mandatis a nobis de dando sibi illa, in casu quo compareat ad nostram presentiam, ut est dictum, et sic debeat observare. De parte 61, de non 9, non sinceri 2.

Misti XLIII. 18, u mlet. arkivu.

CCCCLXXIII. God. 1394. 24 srpnja, u Mletcih.

Mletčani bodre cara iztočnoga, neka ostane u svojoj državi, a da će mu kršćanski vladaoci u pomoć priteći.

1394. indictione II, die 24 iulii. Ser Petrus Mocenigo procurator, ser Benedictus Superantio, sapientes consilii; ser Laurentius Bembo, ser Victor Marcello, ser Bartholomeus Nani, sapientes ordinum. Capta: quia, ut habitum est per litteras vicebaiuli et consiliariorum nostrorum Constantinopolis dominus imperator post recessum viri nobilis ser Bertuccii Quirino videtur multum affectare de habendo responsionem nostram ad illa duo, que per eundem nobis dicendo misit, scilicet de facto possendi levari super nostris galeis vel aliis navigiis nostris et conduci Venetias cum securitate, et de facto insule Staliminis, ita quod rationabiliter differri non potest, quin detur sibi responsio per istas nostras galeas; vadit pars, quod scribatur ipsi nostro vicebaiulo et consiliariis, quod nos plene intelleximus ea, que ipse ser Bertutius nobis retulit super dictis duabus partibus pro parte ipsius domini imperatoris, et propterea volumus et mandamus eis cum nostris consiliis rogatorum et additionis, quod, captato tempore habili et condecenti, ipse noster vicebaiulus compareat ad presentiam ipsius domini imperatoris, et sibi soli, si poterit, responsum prebeat parte nostra, quod nos non parvam displicentiam sensimus de hiis, que nobis sua maiestas notificare voluit per ser Bertucium antedictum, scilicet de termino et conditionibus, in quibus se reperit imperium suum, tam propter singularem et intrinsecam caritatem, quam portavimus et portamus maiestati sue predicte, quam propter reverentiam colentium nomen dei; et licet ad presens non reperiat se in illo bono termino, in quo optaremus, tamen omnibus consideratis, et precipue quomodo partes Basaiti molestantur ad presens ab imperatore Tartarorum, non videtur nobis, quod serenitas sua habeat taliter dubitare, quod pro aliqua conditione mundi debeat cogitare de volendo se absentare a sede sua, nam manifeste cognoscimus, quod talis sua absentatio ab imperio et sede sua esset finalis destructio imperii sui et illius famosissime civitatis, quia de presenti aut imperator Turchorum dominaretur eidem, et tunc ruinari muros faceret et alias provisiones, per

quas civitas esset ex toto deserta, aut alium ibi poneret, per modum quod non esset sperandum, quod amplius imperium suum rediret in manibus suis nec etiam christianorum; et propterea suademus imperiali excellentie sue cum maxima caritate et fide, quod penitus extrahat hoc de mente sua, et quod se disponat ad conservandum se et statum suum et ad remanendum in sede sua, sperando in divina clementia, quod illuminabit taliter mentes et corda catholicorum regum et principum, quod unanimiter et potenter se disponent ad providendum conservationi sue et sui imperii ac nominis christiani; et cum hiis et aliis similibus verbis debeat ipse noster vicebaiulus suadere domino imperatori predicto, quod non se separet ab imperio suo, sed quod remaneat et se conservet, ut fecit hucusque. Et si remanebit cum his verbis contentus, ita quod non faciat aliam mentionem de volendo levari super nostris galeis vel aliis nostris navigiis, bene quidem; si vero ipsi baiulo replicaret factum, et peteret responsivam, tunc sibi dicere debeat, quod maiestas sua reddat se certam, quod imperium et statum suum puro et sincero corde diligimus, et propterea videntes dubia et pericula, que verisimiliter eventura forent de levamento et motu suo, nullo modo sibi hoc persuadere auderemus; nihilominus quando maiestas sua deliberaret se levare, et cum nostris galeis vel aliis nostris navigiis venire ad civitatem nostram Venetiarum, reddat se certissimam, quod ipsam suam maiestatem et comitivam suam videremus et reciperemus cum illa reverentia, caritate et benivolentia, que deceret suam excelletiam et honorem nostrum, et haberemus ipsum et bona sua quelibet ac sue comitive salva et secura ab omni molestia et novitate, quemadmodum haberetur in domo sua propria, et quemadmodum habere debemus carissimos et honorabiles amicos nostri communis.

Et ultra hoc providere debeat ipsi domino imperatori, quod scribat domino pape, domino imperatori et aliis regibus et principibus mundi terminum et conditiones, in quibus se reperiunt partes de inde et suum imperium cum isto domino Turchorum, ut magis curam habeant faciendi de provisionibus utilibus pro conservatione catholice fidei et sua et depressione infidelium predictorum, quas litteras offerimus nos missuros dominis et principibus antedictis.

Et ex nunc comittatur dicto vicebaiulo et consiliariis, quod adveniente casu predicto, quod absit, debeat dare in mandatis nostris galeis vel aliis nostris navigiis, super quibus ipse dominus imperator levaretur, quod ipsum et comitivam suam conducere debeant Venetias, honorando suam maiestatem et suum imperium secundum quod honori maiestatis sue et nostro viderint convenire, non conducendo eum ad aliquam aliam partem, quam ad civitatem nostram Venetiarum, salvo quam ad insulam Staliminis, si illuc ire vellet.

Ad secundam vero partem de facto insule Staliminis, quam dominus imperator vellet nobis vendere, rescribatur dicto nostro vicebaiulo et consiliariis, quod placeret nobis, quod de dicto facto non facerent mentionem, salvo si dominus imperator predictus nos requireret responsionem; et si requireret responsionem, tunc cum illis verbis, que sue sapientie videbuntur, debeat dicere ipso domino imperatori, quod pro presenti dominatio nostra non est in termino possendi attendere ad hoc factum, et quod propterea dignetur habere nos excusatos.

Et habita responsione ipsius domini imperatoris, debeant nos de illa et de aliis omnibus particulariter informare, ut simus de omnibus avisati. De parte 64, de non 1, non sinceri 3.

Secr. Cons. Rog. R. 93, u mlet. arkivu.

CCCCLXXIV. God. 1394. 4 kolovoza, u Mletcih.

Naputak za kastelanu Dračkoga.

1394. die IV. augusti, indictione II. Sapientes ordinum. Capta: cum alias captum fuerit in hoc consilio, quod castellanus Durachii elligeretur cum salario librarum XX grossorum in anno et cum commissione et aliis conditionibus, cum quibus est ille, qui ad presens est ibidem, examinata comissione ser Pauli de Canali, qui illic est, et commissione baiuli et capitani Durachii, aliqua sint corrigenda et addenda; vadit pars, quod fiat commissio castellano ituro Durachium in hac forma.

Nos Antonius Venerio dei gratia dux Venetiarum etc, committimus tibi nobili viro Victori Delphyno dilecto civi et fideli nostro, quod de nosstro mandato vadas castellanus castri Durachii per duos annos, et tantum plus, quantum successor tuus illuc venire distulerit, quod castrum cum ballistariis, quos ibi habebis, diligenter custodis et salvabis, et de ipso habebis et haberi facies die noctuque bonam et diligentem custodiam, ita quod bene conservetur, sicut de persona et probitate tua plene confidimus et speramus.

Et non debes exire de castro nisi duobus diebus in ebdomada, et in illis tenebis modum, quod duo capita ballistariorum, que ibi sunt, semper quando exibis remaneant in castro pro bona custodia ipsius. Volumus etiam, quod non possis dare licentiam dictis capitibus et ballistariis suis de exeundo de castro per modum, quod non remaneant semper ad custodiam ipsius saltem ballistarii XX.

Scias etiam, quod apud te ad custodiam dicti castri esse debent dicta duo capita ballistariorum cum ballistariis duodecim pro quolibet, qui erunt in totum XXVI, quos divides et pones ad custodiam et conservationem illius castri secundum quod utilius et magis necesse apparebit tibi.

Res, arma, biscotum et omnia alia, que tibi assignabit vir nobilis Paulus de Canali precessor tuus facies locari et salvari in castro secundum quod tibi utilius et melius apparebit, et de illis de tempore in tempus providebis et provideri facies, ut omnia bene conserventur, et non disperdantur, scribendo nobis per tuas literas omnia, que tibi assignabuntur de ratione nostri communis. Habere debes de salario libras XX grossorum in anno et ratione anni, quod salarium recipere debes in hunc modum, videlicet, quia ante tuum recessum fecimus tibi dari salarium primi anni, et abinde in antea habere illud de sex in sex menses. Et propterea habere et tenere debes tuis salario et expensis duos famulos, qui sint a XX annis supra et L. infra, et nolumus, quod sint Albanenses nec Durachini, nec potes facere de mercationibus.

Et ultra predicta informamus te, quod in commissione baiuli et capitanei Durachii est quoddam capitulum continens, quod omnes illi, qui deputati sunt et deputabuntur ad custodiam et conservationem civitatis Du-

rachii, castrorum et locorum spectantium dictc civitati, esse debeant ad obedientiam et mandatum baiuli et capitanei nostri predicti. Quod capitulum in quantum ad te spectat debeas observare et facere observari. Omnia, que tibi dicendo mandabimus, observabis et cet. — Jurastis et cet.

Misti XLIII. 21, u mlet. arkivu.

CCCCLXXV. God. 1394. 27 kolovoza, u Mletcih.

Primljeno, da se glavnica položena od kneza Cetinjskoga Nelepića i dotične kamate izruče njekomu, koj jih tražio, akd valjano dokaze svoje pravo.

1394. indictione secunda, die 27 mensis augusti. Capta: cum alias 1343 quidam comes Neliptius dominus Citine partium Sclavonie vigore cuiusdam pacis tractate et firmate inter nos et eum depositum fecerit ad cameram frumenti libras XX millium, de quibus debebat habere prode suum ad racionem quinque pro centenario, uti continetur in quaternis dicte camere, et de ilis habuerit multis annis prode, sed propter guerras et alias novitates a multis annis circa nullus comparuerit ad petendum nec prode nec capitale; nunc autem compareat quidam nobilis, qui petit depositum predictum et prode suum, probare se offerens, qualiter ad ipsum spectat pecunia suprascripta; vadit pars, cum sit secundum honorem nostri communis unicuique iustitiam ministrare, quod committatur officialibus nostris frumenti, quod videntibus illis et habentibus sufficientes probationes et claritatem secundum consuetudinem sui officii, quod ad ipsum nobilem spectare debeat pecunia suprascripta et prode inde secutum per successionem vel aliter, faciant ei fieri cedulas suas tam de capitali quam de prode, quod habere debebit, ita quod cum integritate habeat, quod sibi spectabit.

Misti XLIII. 27, u mlet. arkivu.

CCCCLXXVI. God. 1394. 6 rujna, u Mletcih.

Mletčani odgovaraju ugar.-hrv. kralju i kraljici, da će jih po mogućnosti pomagati u ratu proti Turkom i na dolazku u Italiju, što kane izvesti.

1394. indictione tercia, die sexto septembris. Sapientes consilii et sapientes ordinum. Capta: quod respondeatur istis ambassatoribus serenissimi domini regis et domine regine Hungarie ad ambassatam suam nobis expositam; et primo ad primam partem, per quam notificant nostro dominio, quod propter invasiones Turchorum in regno suo ipse deliberavit cum principibus, baronibus, fratribus et amicis suis partium suarum de mense maii proxime venturo movere se cum potenti exercitu suo et ire contra dictos Turchos ad damnum et destrutionem suam, et quod propterea nobis placeat dare sibi super hoc consilium, auxilium et favorem et cet. Quod sicut eis diximus, teste Deo nos gravit et gravaret semper omnis novitas, que fieret et molesta foret maiestati sue, subdictis et regno suo per quodcumque et maxime per dictos infideles persecutores fidei catolice et nominis christiani propter singularem affectionem, quam habemus ad excellentiam suam et ad conservationem sui status; et reddimus nos certos, quod omnis deliberatio facta et que fieret per eum tam in hoc quam in quibuscumque aliis respectu magne sapientie, que in maiestate sua vi-

get et in aliis, cum quibus partecipavit et deliberavit hunc motum suum, foret mature et sapientissime facta, ita quod superinde magis utilis deliberatio fieri non posset per nos. Bene supplicamus largitori omnium gratiarum, cuius res principaliter agitur, quatenus dignetur sibi impertiri de dictis perfidis Agarenis gloriam et triumphum pro conservatione fidei orthodose, exaltatione sui nominis et populorum sibi subditorum statu pacifico et tranquillo.

Ad factum autem auxilii et favoris, quod a nobis petit, sic dicimus, quod quocienscumque alii principes et communitates mundi, qui et que prebere possunt favorem huic bono proposito et deliberationi sue serenitatis, se disponent ad prebendum de favoribus, qui preberi poterunt, quia noster solus insufficiens esset, et nos fuerimus requisiti, maiestas sua inveniet nos paratos et bene dispositos ad faciendum de his, que honeste et rationabiliter per nos fieri poterunt, secundum quod nostra communitas in similibus casibus semper extitit consueta.

Ad secundam vero partem de deliberatione facta per serenissimum dominum imperatorem de veniendo ad partes Italie pro sua coronatione, et quod dominus rex et frater deliberaverunt venire cum eo, petentes auxilium et favorem nostrum, respondeatur, quod non dubitavimus imo certi reddimus, quod deliberatio facta per imperialem maiestatem ac per serenissimum dominum regem de volendo ad partes Italie personaliter se conferre, est facta cum magna solemnitate, matura et gravi deliberatione, tam pro conservatione predicti honoris maiestatis sue, quam quiete totius Italie; et speramus in divina gratia, quod ex illo descensu suo multi provenient boni fructus, et nos, quandocumque hoc fuerit, inveniemur parati ad honorandum ipsam imperialem maiestatem ac dictum dominum regem et fratrem, ac facere de rebus, que posse nostro sint grata et placibilia eis et cum honore nostri dominii. De parte 113, de non 1, non sinceri 0.

Secreta Cons. Rog. R. 94, u mlet. arkivu.

CCCCLXXVII. God. 1394. 6 rujna, u Mletcih.

Conceditur potestas collegio facere illam expensam, quae ei apparebit necessaria, pro habendo castrum Croyae et dominum Marcum Barbadico possessorem ipsius, rebellem communis Venetiarum, et hoc, ut civitas Durachii cum suo districtu remanere valeat in quiete. Pars altera item capta de expendendo usque 4000 mille duc. pro habendo castrum et ipsum d. Marcum.

Secr. Cons. Rog. R. 94, u mlet. arkivu.

CCCCLXXVIII. God. 1394. 25 rujna, u Mletcih.

Quum pridie deliberatum foret habere dominam Helenam, uxorem d. Marci Barbadico, in facto Croyae in gratiam, et nunc sentitur, quod quidquid fit in damnum reipublicae, in maiori parte fit de voluntate et placito suo, ideo collegium mandat baiulo Durachii, quod procedat etiam contra ipsam dominam Helenam, sicut ei utile videbitur.

Secreta Cons. Rog. R. 95, u mlet. arkivu.

CCCCLXXIX. God. 1394. 28 rujna, u Mletcih.

Provisum pro recuperatione animarum captarum per quendam Turchum de fluminaria s. Sercii (Bojana). Vicecapitaneus culphi cum baiulo Durachii et supracomitis videat, si Georgius Stracimiri posset recuperare locum Scutari, et in casu quo hoc foret possibile, cauto modo notificet ei, ut possit cum suo auxilio finem consequi. Castrum Alesii provideatur de castellano sufficienti. Bajulus Durachii reperiat usque ad octo austures, ut possint presentari novo domino Tunisii, qui illos per consulem querit. Comiti Nichetae et suo socero Comino dentur duae peciae pannorum florentinorum valoris duc. CXX. Talea data Dimitrio Jonena ducatorum 300, quia incessanter destruit territorium Durachii.

Misti XLIII. 29, u mlet. arkivu.

CCCCLXXX. God. 1394. 30 listopada, u Mletcih.

Quum piratae multa damna inferant navigiis transeuntibus per mare, et „illi de Aurana sunt male dispositi contra cives et fideles nostros, et iam ceperunt navigium Nicoleti Trivisano, quem interfecerunt „deliberatum, quod subito armetur una galea subtilis, et eius supracomitus tanquam vicecapitaneus culphi exeat ad persequendum illos damnificantes cives venetos, „nutriendo se in partibus Sclavonie et specialiter Aurane, dando operam sibi quantum plus poterit de damnificando illos de Aurana.“ Quia vero illi de Sclavonia conqueruntur, quod nostri illis rapiunt animalia, captum, quod supracomitus solvat ducatum medium pro quolibet animali minuto, et pro grosso ducatos quinque. Capitaneus culphi ante suam reversionem Venetias vadat vel mittat galeam ad partes Auranae, et procuret damnificare illos de Aurana, et ab illis de Sibinico et aliis damnificatoribus procuret emendam et satisfactionem damnorum. Et super facto istarum novitatum, quae commissae sunt et committantur per illos de Aurana, ut ipsi se removeant a sua prava intentione „scribantur litere domino regi Hungarie, et similiter communitati Jadre et Sibenici, quorum subditi videntur fuisse fauctores et participes dicti excessus et prede, in illis formis, que videbuntur dominio, ut Jadrenses et Sibenicense etiam habeant causam providendi, quod per subditos suos talia non committantur“.

Misti XLIII. 34, u mlet. arkivu.

CCCCLXXXI. God. 1394. 1 prosinca, u Mletcih.

Quia castellanus Alesii debet facere justitiam in civilibus et criminalibus, et exigere pecuniam communis, ideo captum, quod debeat elligi per duas manus ellectionum in maiori consilio, sicut alii rectores, stet duos annos, et habeat de salario 22 libras grossorum in anno, tenendo ad suas expensas duos famulos et unum notarium.

Misti XLIII. 36, u mlet. arkivu.

CCCCLXXXII. God. 1394. 23 prosinca, u Mletcih.

Odgovara se poslaniku carigradskomu u poslu saveza, da će do mala doći u Mletke poslanici tudjih vlasti, i da će se o tom u sastanku razpravljati.

1394. die 23 decembris. Quod respondeatur ambasiatori domini imperatoris Constantinopolitani . . . Ad alia capitula de facto lige respondeatur, quod non apparet de faciendo sibi pro presenti responsionem, quia expectantur hic ambasiàte Francie, Burgondie, Anglie et etiam Hungarie, et ut ymaginatur super istis ligis, quas utile est audire, et illis auditis, postea poterit magis deliberate responderi ad omnia supradicta, et similiter dicimus de facto Janue, quia de die in diem habebitur melior deliberatio factorum deinde, et salubriter poterit provideri.

Secr. Cons. Rog. R. 102, u mlet. arkivu.

CCCCLXXXIII. God. 1395. 21 siečnja, u Mletcih.

Kaže se poslanikom burgundskim, da se nemože ništa odlučiti glede postupanja proti Turčinu, dokle ne dodje poslanik ugarski, koj se čeka.

1394. indictione tercia, die XXI ianuarii. Sapientes consilii. Capta, quod respondeatur domino Guilelmo de Tremoilla mareschalco Burgondie, quod nos optantes tamquam catolici christiani, quod ista sancta et laudabilis dispositio domini ducis Burgondie ac dominorum ducum Aureliensium et Lanchastrie ad conservationem et augumentum fidei chatolice sortiatur effectum, sumus dispositi complacere sibi et scribere eis in excusationem more suo in hac forma: Excellentissime princeps, iam pluribus diebus venit in urbem nostram spectabilis et strenuus miles dominus Guilielmus de Tremoilla maraschalcus Burgondie excellentie vestre orator expectans ambaxatam serenissimi principis domini regis Hungarie, cum qua, ut nobis asseruit, iuxta ordinem inter eos ad dicti regis presentiam stabilitum, debebat ad nostram presentiam comparere pro factis fidei orthodose in festo ephifanie nunc proxime preterito; et quia usque in diem presentem ambasiata ipsius regis minime comparebat, ipse venit ad nostram presentiam exponens intentionem excellentie vestre ac illustrium dominorum Aureliensium et Lanchastrie ducum ad pium opus et passagium antedictum. Nos autem habentes iuxta progenitorum nostrorum naturam sinceram dispositionem ad conservationem fidei antedicte, et considerantes, quanta bona ex hoc sequi possent si sortiretur effectum, suasimus satis ipsi domino mareschalco, quod adhuc expectare deberet per aliquos dies, ut audita ambasiata dicti domini regis Hungarie cum vestra et aliorum principum predictorum, possemus cum maiori et meliori deliberatione requisitis omnibus respondere. Qui tamquam prompte dispositus ad opus pium predictum et ad excellentie vestre honorem requievit persuasionibus nostris, quod in suam excusationem dicte vestre excellentie volumus per has literas nostras facere manifestum.

Secr. Cons. Rog. R. 103, u mlet. arkivu.

CCCCLXXXIV. God. 1395. 4 veljače, u Mletcih.

Ambasciator ducis Burgundiae, cum non posset amplius expectare adventum ambasciatoris Hungarie, rogat, ut detur suo domino responsum circa bellum contra Turcos per ambasciatores venetos. Republica consentit, et subjungit „quod quocienscumque videbimus materiam dispositam ad prosecutionem laudabilis operis supradicti, dominatio nostra pro bono catolice fidei, contemplatione illustrum principum predictorum et honore nostri communis invenietur sincere disposita, sicut fuit in talibus casibus temporibus retroactis".

Secreta Cons. Rog. R. 105, u mlet. arkivu.

CCCCLXXXV. God. 1395. 14 veljače, u Mletcih.

Vadat nuntius, qui sciat linguam graecam, Durachium, informet se cum illo bajulo in facto Croyae, et deinde pergat ad dominum Constantinum, „qui accepit castrum Croye de potestate ser Marci Barbadico, qui ipsum nostro nomine possidebat", et procuret, ut illud restituat communi veneto; collegium vero habeat libertatem tractare et spendere pro habendo ipsum castrum, quae sibi alias data fuit.

Secreta Cons. Rog. R. 105, u mlet. arkivu.

CCCCLXXXVI. God. 1395. 5 ožujka, u Mletcih.

Malo vieće neka se dogovara s ugar.-hrv. poslanici u poslu vojne proti Turčinu.

1395. indictione tercia, die quinto marcii. Sapientes consilii et sapientes ordinum. Capta: quia ambasiatores Hungarie ultra primam exposisionem ambasiate sue, que fuit in effectu, quod per suam serenitatem fuerat deliberatum de volendo totis viribus se movere contra Turchos, propter quam causam mittebantur ad diversas mundi partes, sed primo ad nos tamquam ad speciales et singulares amicos, ad requirendum consilium et favorem nostrum, habuerunt dicere nostris nobilibus, quos misimus ad eos, in substantia et effectu, quod ambasiata eorum ponderosa erat et pregnans, et quod multa bona possent tractari sub ista materia; et propterea quandocumque sentirent, quod dominatio nostra attenderet ad istud factum, ipsi aperirent nobis secreta cordis domini sui domini regis. Et sit laudabilis et sapiens res, antequam alia responsio eis fiat, audire et sentire omnia, que ipsi dicere et apperire nobis volunt; vadit pars, quod dici possit ambasiatoribus predictis, quod nostra dominatio, considerans naturam et conditionem istorum agendorum, et habens sinceram dispositionem ad cuncta concernentia honorem et exaltationem fidei chatolice et ipsius regie maiestatis, est parata attendere et intrare in isto tractatu per illas vias, formas et modos, qui sint rationabiles et honesti, ita quod ipsi possunt ample loqui nobiscum et apperire nobis intentionem domini sui, ut possimus large respondere eis et declarare mentem nostram. Et ex nunc sit captum, quod collegium domini, consiliariorum, capitum et sapientum utriusque manus habeant libertatem cum predictis et aliis verbis, que utilia videbuntur, intrare in tractatu cum dictis ambasiatoribus, audire et respondere, secundum

quod pro bono agendorum nostrorum viderint expedire, non possendo aliquid concludere nec firmare sine licentia et voluntate istius consilii. De parte 103, de non 4, non sinceri 2.

Secreta Cons. Rog. R. 107, u mlet. arkivu.

CCCCLXXXVII. God. 1395. 10 ožujka, u Mletcih.

Glede pomoći, koju je mlet. republika kanila pružiti ugar.-hrv. kralju proti Turčinu.

1395. indictione tercia, die decimo marcii. Ser Marcus Falletro consiliarius; ser Petrus Mocenigo procurator, ser Benedictus Superantio, ser Symon Dalmario, sapientes consilii; ser Johannes de Garzonibus, ser Nicolaus Delphino, sapientes ordinum. Capta: cum post partem pridie captam in hoc consilio de possendo intrare cum istis ambasiatoribus Hungarie, ut posset trahi et sentiri de sua intentione et de secretis domini sui, sicut promiserant, dominatio bis miserit ad presentiam eorum cum verbis inductivis ad aperiendum se et ad declarandum suam intentionem, ut clarius possemus in facto procedere et etiam sentire, si forent dispositi ad faciendum de his, que forent grata et accepta nobis; et si in effectu aliud ab eis haberi non potuerit, nisi quod declarato eis ad suam requisitionem, quod XXV galee forent necessarie ad resistendum, ne Turchi transirent in Turchiam de Grecia, et e converso, et quod expensa ipsorum esset singulo mense a XXXV millia in XL ducatis. Ipsi ultimate requirere habuerunt, quod placeret nobis declarare eis illud, quod ad istud opus pium, quod suus dominus pro fide catholica facere intendebat, offerre et contribuere volebamus, et quomodo videlicet aut in dicti reverentiam aut ob aliam causam, et in ista petitione perseveraverunt et perseverant, dicentes, quod processerunt secundum formam commissionis sibi date, ita quod non poterant aliud dicere, nisi primo responderemus eisdem; quod propterea placeret nobis dare sibi expeditionem, cum haberent, ut sciebamus, ire etiam ad alias partes. Et considerata natura et qualitate istius facti, quod est pium et catholicum, et modis semper servatis per nostros predecessores in talibus vel similibus casibus, pro nobis faciat dare eis illam responsionem, que sit secundum deum et nostrum honorem; vadit pars, quod respondeatur dictis ambasiatoribus, quod licet clarissime cognoscamus, quod volentes habere respectum ad utilitatem et comodum mercatorum nostrorum, qui in bono numero et cum magnis quantitatibus personarum conversantur in terris Turchorum, in quibus secure et bene tractantur, et etiam ad bonum et quietum statum multorum locorum et terrarum nostrarum, que convicine sunt dictis Turchis, et que sunt in pace cum eis ac sine molestia vel lesione tractantur, pro nobis non faceret impedire se in istis factis propter dubia, damna et pericula, que sequi possent nobis et nostris; tamen non habentes ad hec respectum ob reverentiam fidei orthodose et contemplationem ipsius domini regis, quem habuimus et habere intendimus in nostrum singularem amicum, parati erimus, quotiescumque ipse dominus rex cum illustribus principibus Burgondie, Aureliensibus et Lancastrie ducibus, ad quos vadunt, prosequetur istam suam intentionem et motum contra Turchos per terram, secundum quod offerunt, per mare ponere et

mittere ad nostras expensas ad ipsum transitum prohibendum quartam partem galearum, que ponetur per alios christianos ad obstaculum et resistentiam supradictam, non transeundo numero galearum vigintiquinque, hoc modo videlicet, quod si armata erit et si per omnes ponentur XXV galee, nos ponemus sex, si viginti, ponemus quinque et cet., que galee nostre vacabunt et stabunt ad dictum opus tantum, quantum stabunt galee aliorum et quantum maiestas sua et alii domini predicti ad persecutionem et destructionem Turchorum stabunt in partibus antedictis. De parte 71.

Ser Marcus Geno procurator sapiens consilii, ser Victor Marcello, ser Andreas Venerio sapientes ordinum: quia habitis pluribus colloquiis et rationamentis cum ambaxatoribus Hungarie, qui hic sunt pro volendo trahere et sentire ab eis de intentione secreta domini sui, ut ante promiserant se dicturos finaliter, ab ipsis aliud haberi nequiverit, quam quod ipsi volebant sentire responsionem nostri dominii, et illud, quod offere volebamus ad istud opus, quod dominus rex facere intendebat, et qualiter, aut ob rei reverentiam aut aliter, cum nobis aliud dicere non possent, nisi primo sentirent nostram intentionem, conclusive rogando, quod daremus eis expeditionem, quia habeant ire ad alias partes, et pro nobis faciat, considerando quantum caute procedunt in istis suis requisitionibus, dare eis responsum, quod reservare habeat honorem et bonum nostrum; vadit pars, quod dicatur ipsis ambasiatoribus, quod quemadmodum scire possunt, cives et mercatores nostri vivunt de exercitio mercantie et in bona et magna parte in terris Turchorum, in quibus multi ex ipsis nostris mercatoribus cum magnis quantitatibus haveris et pecunie conversantur, habemus etiam, sicut sciunt, multas ex terris nostris convicinas terris et locis Turchorum, que ab omni incursione Turchorum et melestia preservantur, propter quas causas necessarium nobis est habere bonam considerationem ad negotia antedicta et non movere nos, nisi videamus materiam dispositam per modum, quod procedatur in facto, Et propterea dicimus, quod quocienscumque dominus suus dominus rex cum istis aliis illustribus ducibus Burgondie, Lancastrie et Aureliensibus, ad quos vadunt, procedent ad persecutionem dictorum infidelium Turchorum, secundum quod pluries dixerunt nobis, nos ob reverentiam fidei chatholice et contemplationem regie maiestatis non obstantibus dubiis et damnis predictis parati erimus dare ei per mare illud subsidium illumque favorem, qui sit cum utilitate et comoditate facti, fama et honore nostri communis De parte 37..

Ser Michael Steno procurator sapiens consilii: quod respondeatur istis ambaxatoribus Hungarie ad requisitionem, quam nobis faciunt, in hac forma: quod sicut maiestati regie et toti mundo notorium esse potest, nos fuimus prompti ad cuncta concernentia honorem et statum regni et corone Hungarie, quemadmodum temporibus preteritis videri potuit per experientiam manifestam et maxime in recuperationem excellentie reginalis de manibus inimicorum suorum et in multis aliis, que fecimus in prohibendo, ne alii transitum facerent ad molestandum coronam suam, et etiam toto anni tempore retinendo galeas nostras in partibus Dalmatie in utilitatem et comodum subditorum suorum per mare navigantium, sine quibus dicti sui subditi et loca sua continuo molestarentur a brigantinis et galeis piratarum et aliorum suorum emulorum, que intra culphum armarentur ad damnum suum, in qua sincera et optima dispositione nostra perseverare

intendentes, sumus parati non obstantibus multis damnis et incomodis, que ex hoc sequntur mercatoribus et navigiis nostris, quorum bona pars mercatur et conversatur in terris et locis Turchorum cum magna utilitate et emolumento ac dubio multorum locorum nostrorum conterminantium cum eis, cum quibus omnibus locis sumus in pace secum, ita quod mercatores et subditi nostri sunt salvi et securi in omnibus locis suis, quorum oppositum sequetur intrando in isto facto, quandocumque ipse dominus rex cum dominis ducibus Lanchastrie, Burgondie et Aureliensibus se movebit et prosequetur motum suum contra dictos Turchos, complacere sue maiestati de quimque galeis in numero XXV galearum ad hoc necessariarum, quas consideramus capere summam singulo mense VIII millia ducatorum, quas galeas tenebimus in dictis partibus Romanie, donec ipse dominus rex cum dictis principibus et alie galee stabunt in partibus antedictis.

Verum quia in una parte sue conclusionis ipsi tetigerunt nobis, quod dicamus, quomodo volumus facere illud, quod deliberabimus eis facere aut ob dei reverentiam et contemplationem domini sui aut alia causa, nos dicimus, quod dictas quinque galeas offerimus et parati sumus dare seu ponere ad dictum pium opus in reverentiam fidei catolice et nominis christi et contemplationem domini regis ad nostras expensas, quamvis in gratificationem tot et tantorum serviciorum et beneficiorum impensorum per nos maiestati sue et corone Hungarie, et in signum bone amicitie et voluntatis, iustum et rationabile foret ac gratum nobis, quod seremitas sua promitteret cum solemnitatibus oportunis, quod quotienscumque aliquis cuiusvis conditionis existeret vellet venire vel veniret intra culphum nostrum per mare ad offensam subditorum et locorum nostrorum, sibi prohiberentur portus sui Dalmatie et quodlibet tam victualium quam gentium et cuiuslibet alterius rei, quia versa vice parati essemus prohibere omnes portus nostros quibuscumque venientibus ad offensionem terrarum et locorum suorum a marina ac quodlibet subsidium tam victualium quam gentium et cuiuslibet alterius rei. De parte 1, de non 3, non sinceri 16.

Secreta Consilii Rogatorum R. 108, u mlet. arkivu.

CCCCLXXXVIII. God. 1395. 12 ožujka, u Mletcih.

Republika obećaje pomoć ugar.-hrv. kralju, ako mu ju pruže i francezki i englezki knezovi.

1395. indictione tercia, die duodecimo marcii. Ser Petrus Mocenigo procurator, ser Benedictus Superantio et ser Symon Dalmario, sapientes consilii; ser Johannes de Garzonibus, ser Victor Marcello, ser Nicolaus Delphino et ser Andreas Venerio, sapientes ordinum. Capta: quia heri ambasiatores Hungarie, audita et habita responsione eis data per dominium secundum quod captum fuit in hoc consilio, habuerunt dicere et petere declarari, quod in casu, quo christianitas seu illi principes et duces Francie et Anglie nollent attendere ad istud factum, et dominus suus, secundum quod iam deliberaverat et dispositus erat facere, prosequeretur cum deo dictum factum, si placebit nobis et si volebamus in servitium christianitatis et in suam complacentiam ponere galeas nostras prout promittebamus et aliud. Et consideratis verbis eorum, pro nobis faciat facere sibi finalem responsionem nostram; vadit pars, quod respondeatur eisdem,

quod nos dedimus eis responsionem cum deliberatione nostrorum consiliorum secundum peticionem, quam fecerunt nobis, et ita se moventibus et prosequentibus ipso domino rege cum principibus antedictis parati sumus perseverare et attendere, secundum quod continetur in ea, quia facendo per alium modum, videre videmur, quod sequi possent multa pericula et manifestissima damna civibus et mercatoribus nostris et nostris civitatibus, que sunt vicine Turchis perdictis, quod dominus rex velle aliquatenus non deberet. De parte 74.

Ser Marcus Geno volebat, quod responderetur dictis ambasiatoribus, quod parati essemus, secundum quod eis promissimus, contribuere quartam partem galearum de numero, quem ponent alii christiani, non transendo numerum de XXV, prosequente domino rege cum principibus Francie et Angiie, secundum quod nobis dixerunt. Quando autem hoc non faceret, et ipse dominus rex cum favore regis Polonie et Bosne ac ducis Austrie et aliorum nobis nominatorum procederet et prosequiret cum deo opus ipsum, nos etiam in isto casu, non habentes respectum ad damna et pericula, que nobis et nostris sequi possent, nisi factum fieret cum effectu, parati erimus providere per illum modum, qui sit cum honore sancte matris ecclesie et nostro ac utilitate pii operis antedicti. De parte 43. de non 4, non sinceri 9.

Secreta Consilii Rogatorum R. 109, u mlet. arkivu.

CCCCLXXXIX. God. 1395. 5. travnja, u Mletcih.

Ana kneginja Senjska zahtieva od Mletčana, da joj povrate grad Raspurk u Istri, a oni pristaju uz njeke uvjete.

1395 indictione tercia, die quinto aprilis. Sapientes consilii. Capta: quod respondeatur istis nuntiis magnifice domine Anne comitisse Segnie ad requisitionem, quam nobis fatiunt, quod nobis placeat prefate domine restituere castrum Raspurch dantibus et restituentibus ipsis nobis pecuniam dicte domine mutuatam per dominationem nostram et cet. Quod nos de tali et sic subita requisitione non modicum admirari compellimur, considerantes, quod quando accepimus dictum locum in pignore, nos fuimus firmiter informati, quod dicta domina comitissa dictum locum usque maximum tempus non redimeret, propter quod defulcivimus omnes nostros paysinaticos armigeris et aliis opportunis, fatiento fieri etiam in dicto castro quam plures notabiles et immensas expensas pro habitatione rectoris nostri, quem misimus ad dictum locum per duos annos et etiam pro habitatione stipendiariorum nostrorum, quos in dicto loco posuimus et aliter; sed nichilominus volentes ea, que promisimus, ut semper fuit moris dominationis nostre, involabiliter attendere et observare, sumus contenti, non advertendo expensas imensas per nos factas, nec sinistrum aut damnum aliquod nostri rectoris, qui in dicto loco est, ipsum castrnm dicte domine restituere infra illum terminum rationabilem et honestum, infra quem nos possimus reducere et regulare paysinaticos nostros, et ipsos fulcire gentibus et aliis opportunis, ac etiam nobis providere, in quantum nobis appareat, de uno fortilicio construendo de novo pro securitate terrarum et locorum nostrorum. Et sic eamdem dominam comitissam rogamus, quatenus

ei placeat nobis terminum codecentem consignare, ut possimus adimplere predicta, avisando ipsam dominam, quod in fine termini, quem nobis consignaverit, ipsa sit parata cum pecunia nobis debenda, ut possit rehabere locum suum predictum, quem uos ei consignabimus in finaliter, ut prediximus.

Et si dicti nuntii dicerent, nullam habere libertatem assignandi nobis aliquem terminum, et vellent protestari, vel alia dicerent difformia intentioni nostre, tunc dicatur eis, quod nos sumus dispositi propter hoc de presenti destinare unum nostrum nontium ad dictam dominam comitissam, et non dubitamus, imo sumus certissimi, quod attento singulari amore hinc inde vigente ipsa condescendet iustissimis requisitionibus nostris. Et ex nunc sit captum, quod collegium domini, consiliariorum, capitum et sapientum per maiorem partem in omni casu habeat libertatem destinandi ad ipsam dominam comitissam, ad dominum Padue et ad alios cum illis verbis, que dicto collegio videbuntur, ad tractandum et procurandum de habendo locum predictum per illum meliorem modum, qui tractari poterit, ut non exeat de manibus nostris, non possendo aliquid concludere absque voluntate huius consilii.

Et informetur capitaneus noster Raspurch de requisitione nobis facta per dictos muntios et de nostra responsione, mandando ei et potestati et capitaneo nostro Justinopolis, quod debeant examinare illa loca, que sibi scribentur per dominim, examinando etiam expensas, que occurrerent in construendo aliquod fortilicium in locis, que ipsi examinabunt, et quod nos informent de his et omnibus aliis, que habuerint et eis necessaria videbuntur, ut nos de omnibus informati et provisi melius deliberare possimus, sicut nobis opus esset, habendo prefatum nostrum capitaneum Raspurch interim die noctuque bonam custodiam atque curam de loco sibi commisso et de ceteris terris nostris Istrie. De parte omnes alii, de non 6, non sinceri 4.

Secr. Cons. Rog. R. 110, u mlet. arkivu.

CCCCXC. God. 1395. 6 svibnja, u Mletcih.

Republika po svom poslaniku ugovara sa knjeginjom Senjskom o načinu, kako da joj povrati grad Raspurk.

1395. indictione tercia, die sexto maii. Ser Leonardus Dandulo miles procurator, Johannes Bembo, ser Donatus Mauro, ser Johannes Miani, ser Symon Dalmario sapientes consilii. Capta: quod scribatur magnifico Henrico de Boldemandis physico, qui est de nostro mandato apud dominam comitissam Segnie in hac forma, videlicet.

Sapientie vestre literas, datas Segnie decimonono aprilis hora octava diei continentes ordinate acta per vos et habita a magnifica domina comitissa Segnie super factis vobis commissis, suscepimus et plenarie intelleximus, pro quibus sapientiam vestram et modos per vos servatos merito comendamus, volentes et mandantes vobis, quatenus toto studio et diligentia sitis solicitus et attentus ad procurandum et obtinendum a dicta domina, quod castrum Raspurch nobis dimittatur ad quam longiorem terminum poterit obtinere et ad minus usque ad complementum rectoris nostri, qui ibi est, secundum formam vestre commissionis; et quando diffi-

cultas foret in facto reddituum et introituum castri, placet nobis, quod condescendatis, remanente loco in manibus nostris, ut dictum est, ad dandum seu dari faciendum omnes redditus et proventus a die, qua pecunia, que est hic depositata suo nomine, data et assignata . . . . . . et erit in potestate nostri communis, quia ante iustum non foret, quod illos habere deberet . . . . partem istam facere et operari debeatis virtutem vestram cum illis verbis et rationibus, que vestre sapientie videbuntur. Quando autem facta omni possibili experientia ipsa domina comittissa condescendere non voluerit, sed vellet omnino habere redditus et proventus, qui habiti sunt et haberi debent pro termino sancti Georgii nunc preteriti, sumus contenti, quod condescendatis etiam ad dandum sibi illos, cum condicione semper in omni casu, quod rector noster, qui est ibi cum ista promissione a nobis et cum ista condicione, habeat illud, quod est ei promissum per nos per formam sue comissionis, et quod rustici faciant angarias, quas facere tenentur pro custodia et conservatione ac laboreriis castri, ut locus non vadat in ruinam nec ad malum. Et si hoc poteritis obtinere, accepto amicabili comeatu ab ipsa domina comitissa, Venetias redeatis. Quando autem obtinere non possetis, tunc scribatis nobis omnia, que habueritis ordinate, et expectetis nostrum mandatum. De parte 89, non sinceri 5, de non 9.

Secr. Cons. Rogatorum R. 114, u mlet. arkivu.

CCCCXCI. God. 1395. 10 svibnja, u Mletcih.

Ad instantiam Rizardi del Gotho domini Ydronti respublica veneta comittit suo capitaneo culphi, ut eundo ad partes Anconae et Jadrae, debeat procurare, quod istae communitates vivant in benivolentia et amore cum dicto domino Rizardo cive veneto, quum ipse dominus ad hoc etiam peroptime sit dispositus.

Misti XLIII. 58, u mlet. arkivu.

CCCCXCII. God. 1395. 11 svibnja, u Mletcih.

Mletčani podieljuju pravo gradjanstva Gjorgju Sracimiru gospodaru Zente.

Privilegium magnifici domini Georgii Stracimiri, domini Zente et cet., prout habuit pater eius. — Anthonius Venerio dei gratia dux Venetiarum etc. Universis et singulis tam amicis quam fidelibus, et tam presentibus quam futuris presens privilegium inspecturis salutem et sincere dilectionis affectum. Inspexit alias ducalis benignitas clarum honorem et perfecte reverentiam caritatis, quam magnificus condam dominus Strazimirius, baro maritime Sclavonie, ad nostrum honorem comodumque nobilium et mercatorum et fidelium nostrorum in suo dominio commorantium effectualiter demonstravit adeo, quod sub felicis memorie illustri domino Laurentio Celsi Venetiarum duce, predecessore nostro, in numero honorabilium civium nostrorum intus et extra cum suis heredibus promeruit agregari, sibique privilegium civilitatis Venetiarum bulla ipsius domini ducis argentea communitum extitit de sola ipsius dominii munificentia gratiosius elargitum, prout in libris cancellarie nostre reperitur distinctius annotatum. Nunc autem magnificus dominus Georgius Strazimiri, dominus Zente et cet.,

filius condam domini Strazimiri antefati, fecit nobis per suum procuratorem devotissime supplicari, ut pro speciali consolatione et honore suo simile privilegium, prout condam dicto eius patri datum extitit, in personam ipsius domini Georgii et heredum suorum concedere dignaremur. Nos autem amicabili requisitioni sue annuere cupientes, presertim laudabili eius dispositione erga dominium nostrum inspecta, etiamque supplicationem suam iustam esse concernimus, dictum privilegium scribi mandavimus, et eiusdem ambaxiatori solenniter exhiberi in forma subsequenti, videlicet. — Tanto benignius ducalis providentia consuerit personas honorabiles sibi devotas et fideles honoribus prevenire, ipsarumque fidem et devotionem dignis retributionibus compensare, ac ipsas dotalibus favoribus convallare, et ipsarum petitiones liberalius exaudire, quanto ducatui nostro devotiores fide et operibus se ostendunt. Attendentes igitur multiplices fidei puritatem et devotionis plenitudinem, quam magnificus vir dominus Georgius condam Srazimiri, dominus Zente et cet. ad nostre magnitudinis excellentiam habere promptis affectibus se ostendit, qui in agendis, nos, ducatum nostrum et singulares personas ducatus eiusdem tangentibus devotum et promptum laudabiliter et incessanter se prebuit atque prebet, suplicationibus nobis sua parte porrectis gratiosius annuentes, eum cum suis filiis et heredibus, nostrorum omnium consiliorum et ordinamentorum necessaria solemnitate servata, in Venetum et civem nostrum cum suis filiis et heredibus perpetuo recepimus atque recipimus, et Venetum et civem nostrum cum suis filiis et heredibus fecimus et facimus, et pro veneto et cive nostro cum suis filiis et heredibus in Venetiis et alibi deinceps haberi et procurari omni effectu et plenitudine volumus et tractari, ipsum sincere benevolentie brachiis amplexantes, et firmiter statuentes, quod singulis libertatibus, beneficiis, imunitatibus, et honoribus quibuscunque, quibus alii honorabiles Veneti et cives nostri gaudent et perfrui dignoscuntur, prefatus dominus Georgius Strazimiri cum suis filiis et heredibus Venetiis et extra perpetuo gaudeat et utatur; idem quoque per circumspectum virum Vallem Johannis de Dulcineo, ambaxiatorem suum, solenniter ad sancta dei evangelia prestitit fidelitatis debitum iuramentum. In quorum omnium fidem et evidentiam pleniorem presens privilegium fieri iussimus, et bulla nostra aurea pendente muniri. Datum in nostro ducalio palatio anno dominice incarnationis millesimo trecentessimo nonagesimo quinto, mensis maii die undecimo, indictione tercia.

Liber privilegiorum I. 115, u mlet. arkivu.

CCCCXCIII. God. 1395. 15. svibnja, u Mletcih.

Naputak za pomorskoga kapetana, neka podje u Zadar, Trogir i Omiš i zahtieva od tih obćina njekoje zadovoljštine.

1395. die XV. maii, indictione tercia. Ser Franciscus Bembo, ser Nicolaus Delphyno, ser Paulus Zane et ser Nicolaus Capello, sapientes ordinum. Capta: quod mandetur capitaneo nostro Culphy, quod hodie in bona gratia cum galeis sibi commissis debeat recedere de Venetiis, et ire ad partes Jadre ad procurandum primo curandum primo concordium et pacem inter ipsam communitatem et virum egregium

Rizardum del Goto dominum Ydronti civem nostrum, prout pridie captum fuit in hoc consilio; et subsequenter ad videndum et se se informandum, si in dicto portu Jadre per aliquos Jannenses vel per alias personas preparatur quedam spinariza itura ad cursum, que fertur esse in dicto portu. Et si dictus noster capitaneus reperietur sic esse, videlicet, quod ipsa spinariza preparetur dicta de causa, debeat cum omnibus illis verbis et rationibus utilibus et dextris, que sue sapientie videbuntur, procurare apud dictam communitatem Jadre, quod armamentum et preparatio dicte spinarize non procedant multis inconvenientiis, que sequi possent, et pre ceteris, quod si a predicta spinariza aliquis lederetur, ille talis sic lesus contra communitatem suam posset rationabiliter habere regressum, attento, quod eadem spinariza in portu suo Jadre fuisset preparata et armata, quod nobis, deo teste, summe displiceret, nam totis nostris sensibus cupimus, quod communitas illa pacifice et tranquille vivat tamquam cordiales amici nostri dominii; et ut ipsi non ignorant, pro honore nostro ullatenus non tolleraremus, quod in culpho nostro aliquod navigium rapinam comitteret pro conservatione iurium nostrorum maritimorum, que, altissimo concedente, intendimus illesa conservare, cum hiis et allis verbis et rationibus apud dictam communitatem et etiam cum patrono ipsius spinarize, si ei videbitur, cum tota eius industria taliter procurando, quod ipsa spinariza ad cursum non attendat neque vadat ullo modo, et quod per ipsam communitatem non`detur ei aliquis favor de armis nec de allis rebus, ut penitus ad tali proposito desistat.

Subsequenter debeat dictus noster capitaneus ire ad partes Tragurii, regimini dicte terre exponere parte nostra, quod per relationem nobis factam per notarium nostrum, quem ad partes illus destinavimus, ut nobis consignarentur illi pirate homicide et sicarii, qui comiserunt illam crudelem novitatem contra homines existentes in barcha Andree Teucha civis nostri, ex quibus duo fuerunt interfecti, et pro recuperatione etiam rerum per dictos sicarios de dicta nostra barcha ablatarum et conductarum Tragurium in mentibus nostris sunsimus turbationem et displicentiam valde grandem, quia clare cognovimus per inhonestos modos per eos tentos et servatos tam in receptando perpetratorem illius excessus, quam in prestando eis favorem et precipue per Nicolaum Andree, qui unum ex illis malefactoribus, existente dicto nostro notario in Tragurio, in domo propria sub sua protectione tenebat, ut facere semper consuevit, ipsos nedum fuisse causam illius excessus sed ceterorum aliorum, qui in partibus illis comittebantur, uam illi de Dalmisio non auderent talia attentare, nisi ab eis subventionem et reductum haberent, ut vidimus operum per effectum. Sed quia non intendimus talia ullatenus tollerare po honore nostro, deliberavimus serenissimo domino regi predicta sic honorabiliter commissa et per quos sue maiestati denotare, non dubitantes, quod tamquam iustissimus princeps superinde salubriter providebit; rogando nichilominus eos, quod illos nefarios homines dicto nostro capitaneo consignent, et quod faciant condignam emendam et satisfationem eorum, que ablata fuerunt de dicta nostra barcha iuxta continentiam damnorum predictorum, que in scriptis dentur predicto nostro capitaneo pro sua informatione; reddendo etiam eos previsos, quod sibi caveant de cetero aliquam subventionem prebere predictis de Dalmisio nec alicui, alia talia vel similia committenti, nam pro certo eis non tolle-

raremus ullo modo; procurante dicto nostro capitaneo cum hiis et aliis verbis et rationibus, que sue sapientie videbuntur, de habendo dictos malefactores in manibus suis et restitutionem integram ablatorum.

Debeat similiter idem noster capitaneus ire ad locum Dalmisii, agravando se de novitate per eos comissa, et de aliis novitatibus, que quotidie committuntur per eos, de restitutione ablatorum, ac eis notificando, quod intencio nostra penitus est denotare serenissimo domino regi Hungarie novitates, que quotidie per eos indebite inferruntur, non dubitantes, quod ipse dominus rex superinde tamquam verus amicus nostri dominii procul dubie providebit; amonendo tamen eos interim et continuo, quod sibi caveant tales vel similes novitates comittere, ut non habeamus causam providendi per modum, qui forsam eis cederet multimode molestum; procurante dicto nostro capitaneo cum hiis et aliis verbis de obtinendo intencionem nostram predictam.

Verum si dictus noster capitaneus sentiret, banum Sclavonie esse ad marinam in loco, ad quem ipse posset habilem ire ad loquendum secum, quod ipse procuret esse cum dicto banno, cui refferat omnia suprascripta, procurando ab eo obtinere, pro ut superius dictum est.

Misti XLIII. 59, u mlet. arkivu.

CCCCXCIV. God. 1395. 27 svibnja, u Mletcih.

Kneginja Senska dopušća, da si Mletćani pod njekimi uvjeti pridrže još za tri godine grad njezin Raspurk, ako li ga nebi prije njezina braća, knezovi gorički, izkupiti htjeli.

1395. die XXVII maii. Capta: cum magister Henricus de Beldemandis physicus venerit ad certam compositionem cum magnifica domina comitissa Segnie in factis Raspurch, per quam ipsa est contenta dimittere nobis adhuc ipsum castrum per tres annos, incohandos prima die iulii proximi, salvo si domini comites Goricie fratres sui vellent recuperare dictum locum, cum conditione, quod ipsa habeat ducatos decem millia ducatorum, quos depositari fecit apud procuratores de ultra ducatos quatuor millia, ac reditus et introitus loci a dicto tempore in antea, dando rectori nostro fenum, ligna et ova, et cum aliquibus aliis declarationibus; ad que firmanda et complenda ipsa misit suum ambaxatorem ad nostram presentiam cum libertate ad plenum super dictis factis; vadit pars considerato, quod facit pro nobis venire ad dictam compositionem, quod collegium domini, consiliariorum, capitum et sapientum consilii habeat libertatem concludendi et firmandi dictam compositionem per modum predictum, faciendo ex inde fieri instrumenta, que fuerint oportuna. De parte 78, de non 14, non sinceri 3.

Secreta Consilii Rogatorum R. 114, u mlet. arkivu.

CCCCXCV. God. 1395. 8 lipnja, u Mletcih.

Ad requisitionem Progani Duchaini et suae uxoris, sororis quondam domini Durachii, per quos respublica habuit castrum Lesii, conceditur, quod ipse Proganus possit pro lubitu suo inspicere rationes introituum illius

castri, ut clare videat, quantum debet habere de parte sua; quod causa pecuniae, quam debet dare veneto dominio, per duos annos nulla novitas ei fiat; quod in facto terrarum, quae ipse habere cupit, scribatur capitaneo culphi, ut circa hoc informet; quod provisio, quam habebat domina Elena cognata sua, ei dari non potest, quia ipsa dedit castrum Croje dominio, et ipse ipsum castrum dare non potest, quum sit in manibus Turchorum; quod in casu necessitatis possit se reducere intra vallum castri predicti; quod capitaneus Durachii faciat ei jus de aliquibus bonis, quae fuerunt matris suae; quod non videtur modus possendi complacere sibi de precunia; quod bona et iocaliar, quae remanserunt post mortem domini Georgii, quae ipse querit, non possunt satisfacere sua debita; quod capitaneus Durachii faciet ei ius circa bona data in pignore archiepiscopo Durachii; et ultimo quod accipietur informatio a baiulo Durachii in facto salinarum, quae fuerunt magnifici domini Karoli Topiae, et quae ipse querit pro se.

Misti XLIII. 71, u mlet. arkivu.

CCCCXCVI. God. 1395. 8 srpnja, u Mletcih.

Scribitur baiulo Durachii, quod quidam Antonius de Civitate Nova asserat se habere modum recuperandi castrum Croie, quod erat in manibus Constantini. Ideo examinet bene modum, quem proponit iste Antonius, et det operam toto posse per istum vel alium quemcumque modum de habendo et recuperando castrum predictum, cum ab ipso pendet securitas et conservatio Durachii. Et ut possit facilius in hoc agere, datur ei libertas expendendi usque ad quantitatem trium milium ducatorum, et per aliquos dies apud se retinere unam galeam. Hortatur etiam, ut procuret habere in fortiam Marcum Barbadico degentem in terris domini Georgii Stracimiri, et possit expedere in hoc usque a mille ducatos.

Secreta Consilii Rogatorum R. 115, u mlet. arkivu.

CCCCXCVII. God. 1395. 5 listopada, u Mletcih.

Episcopus Albaniae tanquam ambasciator dominae Avalonae refert dominationi venetae: „quod dicta domina est contenta et se offert dare loca sua, que sunt quatuor, scilicet: Avalona, Janina, Cimera et turris Pirgi, providendo de ea et filio suo taliter, quod in quamcumque partem ire velit, ipsa possit honorabiliter ducere vitam suam.“ Asserente episcopo, quod introitus predictorum locorum possint esse circa VIIII millium duc., et quod ipsa domina requirat tantum VII mil. duc. in anno in vita sua et filii sui; deliberatum scribere capitaneo culphi, quod se informet de statu illorum locorum et de introitibus eorum, ut possit finaliter provideri superinde.

Misti XLIII. 89, u mlet. arkivu.

CCCCXCVIII. God. 1395. 12 listopada, u Mletcih.

Capta pars, quod possint scribi litterae domino papae et cardinalibus in favorem venerabilis viri fratris Franchi electi in archiepiscopum Duracensem, ut ad dictum archiepiscopatum in loco fratris Johannis episcopi Ferretinantini, per çonsilium venetum non acceptati, per summum pontificem preferatur.

Misti XLIII. 89, u mlet. arkivu.

CCCCXCIX. God. 1395. 5 studenoga, u Mletcih.

Ad instantiam communitatis Spalatensis rogantis, quatenus respublica dignetur scribere dispoto Misistrae, ut in libertatem relaxet navem Spalatensem captam per suos ad insulam Meli oneratam lapidibus Mothonum conducendis, deliberatum, quod scribi debeant litterae domino dispoto, gravando factum et violentiam predictam, et requirendo relaxationem et restitutionem dictae navis, hominum et bonorum eius; et informetur de hoc ipsa communitas.

Misti XLIII. 91, u mlet. arkivu.

D. God. 1395. 10 studenoga, u Olgunu.

Punomoć za poslanike, koje je slao Gjorgje Sracimir republiki mletačkoj, da joj ponude grad Skadar i još njekoja miesta.

Copia sindicatus et procuratorii magnifici domini Georgii Stracimerii in personam suorum ambassiatorum pro factis Scutari. — In nomine domini nostri iesu christi amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo trecentesimo nonagesimo quinto, quarta indictione, die decimo mensis novembris in castro civitatis Dulcigni. Nos Georgius de Straciomeri de Balsiis dei gratia dominus Zente etc. volentes pro aliquibus nostris negociis peragendis nostros ambassiatores destinare ad illustrissimam et serenissimam dominationem Venetiarum, hinc est, quod omni modo, via, iure et forma, quibus melius possumus et debemus, facimus, constituimus et ordinamus nostros procuratores, factores, et negociatores et nuncios speciales reverendissimum in christo patrem dominum fratrem Nicolaum Samarixiis de Scutero sacre theologie dignissimum professorem absentem tanquam presentem et nobilem virum et fidelissimum dominum Heliam quondam Marini, et Chinesium fidelem servitorem, nostros cives presentes et sponte suscipientes quemlibet eorum in solidum ad comparendum coram prefata illustrissima dominatione, et cum ea faciendum, dicendum, operandum, tractandum, donandum, iurandum, exercendum et concludendum omnia et singula eisdem per nos commissa, et a prefata dominatione recipiendum et obtinendum omnia et singula, que fuerint oportuna, dantes et concedentes eisdem procuratoribus, factoribus et nunciis specialibus et cuilibet eorum in solidum plenum et generale mandatum cum plena et generali administratione, dandi, dicendi, cedendi, tractandi, donandi, iurandi, exercendi, adimplendi et concludendi omnia et singula, ut supradictum est et fuerit oportunum, et singulariter faciendi, dicendi, operandi, iurandi et adimplendi omnia et singula, que nos met ipsi constituentes facere, dicere, exercere

aut adimplere possemus, si personaliter interressemus, et quod per unum inceptum fuerit, per alios seu alium ipsorum factum aut questum fuerit in predictis vel circha predicta aut aliquod predictorum. Unde ad perpetuam rei memoriam et cautelam ac roborationem omnium premissorum rogavimus infrascriptum publicum notarium, ut de predictis publicum conficeret instrumentum. Actum ut supra, presentibus reverendis patribus domino Marino canonico cathedralis ecclesie Dulcignensis et domino Matheo eiusdem cathedralis ecclesie archidiacono, notis, vocatis et specialiter ad hec testibus rogatis.

Ego Johannes de Morigiis quondam Antonii de Mediolano imperiali auctoritate notarius publicus ac cancellarius nobilis viri domini Johannis Gauro castellani Lesii, predictis omnibus et singulis presens interfui, rogatusque scribere, scripsi, signumque meum consuetum apposui ad roborationem omnium premissorum.

Ego dominus Marinus supra scriptus sum testis. Ego Matheus archidiaconus Dulcinensis sum testis.

Commemorialium IX. 13, u mlet. arkivu.

DI. God. 1395. 30 prosinca, u Mletcih.

Poslie više predloga zabačenih u vieću mletačkom primljeno, da se započme dogovaranie sa poslanici Gjorgja Sracimira gospodara zetskoga ob odstupu Skadra i još drugih miesta.

1395. indictione quarta, die XXX decembris. Ser Nicolaus Delphyno, ser Nicolaus Laurendano, ser Leonardus Sanuto, ser Phylippus Aymo, sapientes ordinum. Quia fuerunt hic iam bono tempore ambassiatores domini Georgii Stracimiri offerentes, velle suo nomine dare nobis communitatem Scutari et civitatem Drivasti cum suis pertinentiis sub certis pactis et condicionibus nobis in scriptis datis, qui ambassiatores petunt cum magna istantia expeditionem, et propterea bonum sit respectu quanti damni et male consequentie forent, si dicta loca pervenirent ad manus Turchorum dare eis expeditionem et providere super dictis factis ita sapienter et mature, quod cum comodo et honore nostro possimus facere facta nostra, et quod ipsi ambassiatores recedant et informent dominum suum per modum, quod spem habeat, quod attendamus ad factum; vadit pars, quod respondeatur dictis ambassiatoribus, quod ex ambassiata eorum et multis aliis evidentiis nos videmus et cognoscimus manifeste sinceram affectionem, quam habet dominus suus dominus Georgius ad honorem et statum nostrum, de quo nos regratiamur sibi satis, intendentes ipsum et statum suum in hiis, que cum honore nostro poterimus habere, ipsum cordialiter recomissum. Sed descendendo ad effectum sue ambassiate nos dicimus, quod propter certum casum et certam informationem, quam expedit nos habere, non possumus sibi dare illam determinatam responsionem, quam ipse affectat et secundum quod esset cor nostrum; sed prestante domino procurabimus illam habere et presto, quantum esse poterit, et postea determinate et deliberate sibi mentem nostram manifestam fieri faciemus, quia certi reddimur, quod condescendet semper nobiscum ad ea, que erunt iusta, rationabilia et honesta; nichilominus suademus eidem, quod interim et con-

tinuo sit boni animi et constantis ad conservandum se et loca sua predicta et omnia alia et ad faciendum ipsa bene et fideliter custodiri, ita quod non pervenirent ad manus infidelium; et si per aliquem casum, qui de novo superveniret, cognosceret, quod possemus sibi in aliquo subvenire aut de ballistariis et gentibus nostris pro custodia et defensione locorum aut aliter, et recurreret ad nos, non relinquemus eum in hiis, que honeste poterimus. De parte 2. Nota, quod residuum istius partis est in libro secreto rogatorum ad kartas 120 in latere altero.

Ser Andreas Contareno sapiens ordinum volebat, quod posset concludi cum istis ambassiatoribus domini Georgii Stracimiri, qui hic sunt, cum illis melioribus pactis et condicionibus, que poterunt obtineri; non obligando nos de dando sibi aliquam provisionem; et si poterit concludi cum eis per modum predictum, ex nunc fieri debeat illa quantitas ballistariorum, que videbitur collegio sufficiens ad custodiam castri Scutari et Drivasti, per illum modum et cum illo soldo et conditionibus, que dicto collegio videbuntur, mittendo ipsos nostro nomine et ad requisitionem dicti domini Georgii, ut loca sint in manibus nostris. Et interim mitti debeat et provideri de ambassiata et cet., sicut in residuo partis sociorum in libro altero continetur. De parte 3.

Ser Petrus Mocenigo procurator, ser Michael Steno procurator, ser Paulus Mauro miles, ser Marcus Geno et ser Benedictus Superancio, sapientes consilii. Quia respectu termini et conditionis, in qua nos reperimus ad presens, et eorum, que habemus facere et tractare per nostram ambassiatam cum Basayto et multis aliis respectibus et conditionibus, non esset modo tempus aptum ad attendendum ad ista facta Georgii Stracimiri; vadit pars, quod respondeatur suis ambassiatoribus, qui hic sunt, quod nos videmus bonam dispositionem et voluntatem domini sui ad nostros honores, de quo regraciamur sibi satis et nos offerimus ad ea, que possemus facere in honorem et statum suum tamquam carissimi amici et civis nostri, rogantes, quod non gravetur, si non attendimus pro nunc ad acceptandum loca, que nobis offert, quia bona causa nos inducit; suademus tamen quantum scimus et possumus, quod sit constantis et boni animi ad tenendum et conservandum sibi illa, quia speramus in divina gratia, quod de brevi providebitur super istis factis per modum, quod non erit expediens, quod exeat de locis suis, lutanando se a facto cum istis et aliis dextris verbis, secundum quod dominio apparebit. De parte 26—31.

Ser Blancus Barbo, ser Georgius Lauredano consiliarii. Capta: Quia multum comendabilis et sapiens res est providere in rebus, que occurrunt secundum conditiones et varietates temporum, et sicut notum est, considerata conditione partium et locorum subiectorum domino Georgio Stracimiri, qui se offert per suos ambassiatores nobis dare communitatem Scutari et quedam alia loca sua, est superinde multis respectibus vigilandum; vadit pars, quod in bona gratia incipiatur ad tractandum cum ipsis ambassiatoribus de accipiendo pro nostro dominio dictam communitatem et loca, et praticetur et tractetur super hoc, sicut melius et securius videbitur, non concludendo ullo modo aliquid superinde, sed potius veniatur ad istud consilium cum eo, quod habebitur, ut diffiniatur sicut melius videbitur pro bono et honore nostri dominii. De parte 42, 48, de non 8, non sinceri 14, 13.

Senato Misti XLIII. 98, u mlet. arkivu.

DII. God. 1396. 14 siečnja, u Mletcih.

Mletčani neprimaju u svoju vlast ponudjena jim grada Kotora.

1395. die 14 ianuarii. Sapientes consilii et ordinum. Capta: quia multis respectibus non faceret pro honore nostri dominii neque bono nostro intrare ad acceptandum et intromittendum se de civitate Cattarina, quam nobis offert illa civitas cum pactis, modis et condicionibus nobis in scriptis datis; vadit pars, quod cum illis utilibus et accomodis verbis, que collegio videbuntur, regratiari debeat dicte communitati de bona dispositione, quam habet ad nostrum honorem, lutanando se ab hoc per illum honestum modum, qui dicto collegio videbitur, quia non faceret pro factis nostris respectibus suprascriptis. De parte 107, de non 7, non sinceri 3.

Secreta Cons. Rog. R. 120, u mlet. arkivu.

DIII. God. 1396. 14 siečnja, u Mletcih.

Odbijen predlog, da se neprima ponuda Gjorgja Sracimira glede Skadra i drugih miesta, te i drugi predlog, da se odpravi poslanik kralju ugar.-hrv., neka republiki dozvoli, da si smie prisvojavati miesta, koja polag turinskoga mira nebi mogla.

1395. die XIIII ianuarii. Ser Leonardus Dandulo miles procurator, ser Michael Steno procurator, ser Fantinus Georgio miles, ser Albanus Baduario, sapientes consilii. Quia est res sapiens et recomendatione digna, quando dubitatur de factis mundi, stare intra suos terminos, et non vigilare neque attendere ad res dubias, ex quibus exire possent alique sintille, que possent errores, divisiones aut scandala generare, cuiusmodi esse possent negocia, que nobis proponuntur per ambasciatores domini Georgii Stracimiri; vadit pars, quod respondeatur eisdem, quod nos videmus bonam dispositionem et voluntatem domini sui ad honores nostros, volendo nobis dare loca, que nobis offert, de quod regraciamur sibi satis et nos offerimus ad ea, que possimus facere in honorem et statum suum tamquam carissimi civis et amici nostri, rogantes, quo non gravetur, si pro nunc non attendimus ad acceptandum loca, que nobis offert, quia ad istud bona causa nos inducit, ac suadentes quantum scimus et possimus, quod sit constantis et boni animi ad tenendum et conservandum sibi illa, et ad faciendum ipsa bene custodiri, ita quod non exeant de manibus suis, quia speramus in divina gratia, quod de brevi providebitur super dictis factis per modum, quod non erit expediens, quod illa tribuat alicui, lutanando se ab hoc cum istis et aliis bonis et dextris verbis, secundum quod dominio apparebit. De parte 29, 31, 28, 28, 29. De parte quatuor sapientes ordinum 28, 36, 36, 40, 37, de non 22, non sinceri 37, 48, 50, 48, 50,

Nota, quod istud capitulum est unum capitulum, quod debebat esse et sequebatur quandam partem positam per quatuor sapientes ordinum ad kartas 97 et non fuit captum.

Et quia, ut dictum est, multum faceret pro nobis et mercatoribus nostris, quod ista civitas Scutari foret sub dominio nostro infinitis respectibus, et ad istud sit unum obstaculum, quod leviter removebitur, faciendo dextro modo et cum tempore facta nostra, scilicet punctus pacis Hungarie,

per quem non possumus nos impedire in Dalmatia a Quarnario usque ad confines Durachii, et propterea bonum et utile sit providere, quod illud removeatur, ut possimus melius et clarius facere facta nostra, ordinetur, quod eligatur in hoc consilio ad serenissimum dominum regem Hungarie, qui, ut habetur, est reversus de exercitu, in quo fuit contra Turchos, pro condolendo de morte serenissime quondam domine regine, que mortua est, dum esset in via cum dicto exercitu, et pro procurando suo loco et tempore hoc factum et alia, que sibi dabuntur in mandatis, unus solempnis ambassator per duas manus electionum et unam per scruptinium inter dominum, consiliarios, capita et sapientes ambarum manuum, quod possit accipi de omni loco et offitio et iudicatu petitionum, et teneatur respondere ea die, qua fuerit electus vel sequenti, non possendo refutare sub pena librarum C, et habeat de salario ducatos XL in mense de quando stabit in ambasiata predicta, ducendo secum unum notarium cum uno famulo, tres domicellos, unum coqum et duos ragacios ac unam saumam, et possit expendere ducatos quinque in die in omnibus expensis quomodocumque occurrentibus pro se et familia predicta, non intelligendo de nabulis navigiorum, scortis et agociis equorum, et teneatur recedere, quando sibi mandabitur per dominium cum illa comissione, que ei dabitur per istud consilium tam super predictis quam aliis, que sibi comittenda viderentur.

Secreta Consilii Rogatorum R. 120, u mlet. arkivu.

DIV. God. 1396. 21 siečnja, u Mletcih.

Pozivlju se poslanici Gjorgja Stracimira zetskoga, neka se izjave, pod kojimi uvieti kane ustupiti republiki u ime svoga gospodara Skadar i druga miesta.

1395. indictione IV, die 21 ianuarii. Ser Michael Steno procurator. ser Fantinus Georgio miles, ser Albanus Baduario, sapientes consilii. Quod respondeatur istis ambasiatoribus domini Georgii Stratimiri ad ea, que nobis proposuerunt et dederunt in scriptis de volutate domini sui in dando nobis civitatem Scutari et locum Drivasti, quod nos plene intelleximus ea, que ipsi exposuerunt nobis, et similiter dederunt in scriptis, et ea, ad que finaliter ipsi dixerunt posse condescendere pro parte domini sui. Et quia, sicut eis diximus, post suum recessum a dicto eorum domino capitaneus noster culphy fuit personaliter cum eo, et ab ipso habuit magis largam promissionem et multum plus ante, quam ipsi nobis dixerint, credimus esse bonum, quod si alium non habent nec ad alia possunt condescendere, quam ad ea, que dixerunt nobis, ipsi vel unus eorum revertatur ad dominum suum, et informent eum de verbis, que habuimus ab ipso capitaneo culphy, narrando sibi distincte omnia, que habuerunt a nobis de dictis verbis et de nostra intentione, et quod propterea placeat, si habet intentionem veniendi ad compositionem nobiscum super dictis factis, sicut ostendit, aperire nobis ample totam suam finalem intentionem, condescendendo ad res iustas et rationabiles, ut possit poni finis gratus et debitus omnibus negotiis antedictis. Et quia est res sapiens, quod interim habeamus bonum consilium de isto facto, si, intromittendo dicta loca, contrafaceremus paci Hungarie, collegium domini, consiliariorum, capitum et sapientum consilii et ordinum habeat libertatem mittendi pro illis propriis, que eis videbuntur, pro habendo consilium suum super dictis factis, ut postea illis ambasia-

toribus advenietibus vel aliis possimus cum maiori claritate et meliori deliberatione procedere in facto predicto. Et ex nunc etiam captum sit, quod quando erit in partibus predictis Scutari vel Dulcigni, licentiatis duabus galeis grossis, que vadant Mothonum, et expectent eum ibi, debeat cum duobus ambassiatoribus nostris, qui vadunt ad Basitum, dare operam de loquendo et conferendo cum dicto domino Georgio, si erit in illis partibus Dulcigni, ut esse solet, et dicendo sibi illud, quod alias retulit capitaneo nostro culphy, scilicet de volendo libere ponere totum dominium suum in manibus nostris, et de volendo venire ad habitandum cum sua familia ad civitatem nostram Venetiarum; et quod propterea, si habet voluntatem veniendi ad compositionem nobiscum, debeat mittere suos procuratores de suis intentionibus finalibus informatos cum pleno mandato et libertate, ut possit cum dei gratia poni finis factis predictis; intrando etiam flumeriam, et accipiendo omnem informationem tam de situ loci quam etiam contracte, et de introitibus et expensis, et similiter quomodo potest ascendi per ipsam flumeriam et quomodo possemus subvenire dicto loco, et de omnibus aliis, que eis videbuntur, et nobis omnia singulariter et particulariter denotando pro nostra informatione. Insuper scribi debeat capitaneo nostro Durachii, quod det operam de inveniendo omnia privilegia antiqua, que forent in civitate Durachii tam in communi quam apud speciales personas, tangentia confines Durachii, et iura ac iurisdictiones dicte terre et eorum omnium copiam prestissime nobis mittat, ut simus de omnibus avisati. De parte 14.

Ser Michael Contareno sapiens consilii. Quia est res laudabilis, postquam sumus in istis terminis, velle habere talem declarationem et informationem super istis factis, quod animus omnium sit clarus et possit bene deliberare et terminare illud, quod sit bonum et utile nostri dominii; vadit pars, quod, antequam fiat alia responsio istis ambassiatoribus domini Georgii super istis factis collegium domini, consiliariorum, capitum et sapientum utriusque manus mittere debeat pro illis personis, a quibus videbunt posse melius, fidelius et lucidius informari de factis predictis, qua informatione habita, postea cum meliori deliberatione et securitate fieri eis poterit illa finalis responsio, que isti consilio bona, honesta et utilis apparebit. De parte 2.

Ser Leonardi Dandulo militis, qui posuit iterum partem per eum et socios possitam die XIIII ianuarii. 12. — De parte tercia sapientium ordinum 16, 21, 19, 21. — Ser Nicolai Lauredani sapientis ordinum, 23, 25, 23, 23; non 8; non sinceri 22, 51, 52, 54.

Secr. Cons. Rog. R. 121, u mlet. arkivu.

DV. God. 1396. 21 siečnja, u Mletcih.

Opet primljeno, da se neprima grad Kotor.

Sapientes consilii et sapientes ordinum. Capta: quia ambassator Chatarinorum, audita responsione nostra sibi facta per dominium, que fuit, secundum quod pridie captum fuit in hoc consilio, de luntanando nos cum illis verbis, que viderentur, de volendo pro nunc attendere ad ea, que nobis dixerant, de volendo nobis dare civitatem Chatari, habuit dicere, quod sicut toli mundo poterat esse notorium ipsi semper fuerant filii et servitores nostri dominii, et ita esse intendebant, et propterea volebat aperte nobis tanquam

dominis suis apperire et manifestare totam condicionem suam, que erat, quod de neccessitate eos opportebat se submittere alicui, quia in istis terminis stare non poterant, et propterea non attendentibus nobis ad hoc, ipsis erat necessarium se subgiugare aut Albanensibus aut Sclavis, aut Turchis, et quod si se subiugarent primis duobus, cognoscebant se ex toto desertos, et propterea potius eligerent adherere Turcho, quia non haberent ita propinquam destructionem suam, de quo forent excusati rationabiliter deo et mundo, nam quilibet bene poterat considerare, quantum male libenter istud facerent, nam inter alios suarum partium ipsi semper catolici fuerant, et ita si deo placeret esse vellent, allegando condicionem illius terre, que erat apta ad mare, habebat portum, navigia, lignamina et magistrantiam pro galeis et aliis navigiis, et quod pro deo compateremur X mille animarum, que erant sub regimine dicte civitatis, et concludendo, quod si scirent causam, propter quam nos nolumus et recusamus nos intromittere de ipsis, cum suis personis et cum suis carnibus ipsi vellent laborare ad procurandum, quod removeatur dicta causa et dictum obstaculum, cum multis aliis verbis magne compassionis et magne umilitatis, propter que fuit ei dictum per dominium de volendo habere aliquem respectum superinde, et postea sibi daretur responsio; vadit pars, quod dicatur eidem ambassiatori, quod, sicut ipse dicit, ita est rei veritas, quod nos semper habuimus et tenuimus illam communitatem in nostros benivolos et amicos, et inter alias istarum partium eam amavimus et amamus ac amore dispositi sumus, et dolet nobis satis, quod se reperiant in termino, in quo nobis dixit in tantum, quod sublevaremus eos libenter. Sed sicut eis et toti mundo notorium esse potest, nostra dominatio semper fuit et est disposita velle attendere domino regi Hungarie et omnibus aliis id, quod eis promissum est per pacem, quam habemus cum eo, non possumus nos impedire de loco illo Catari, et propterea ipsi sunt bene sapientes, et poterunt providere superinde secundum quod eis videbitur oportunum. De parte 86, de non 6, non sinceri 2.

Secreta Cons. Rog. R. 121, u mlet. arkivu.

DVI. God. 1396. 8 veljače, u Mletcih.

Gjorgj Stracimir gospodar zetski predaje Mletčanom grad Skadar uz njeke uviete.

1385. indictione IV, die 8 februarii. Ser Michael Contarenus sapiens consilii. Capta: quia pro nobis et statu nostro, consideratis omnibus, que consideranda sunt in factis Scutari et istorum locorum, que nobis dare vult magnificus dominus Georgius Stracimiri, facit, quod ipsa loca perveniant ad manus nostras et sub nostro dominio antequam vadant ad manus Turchorum, sicut infalibiliter irent, nisi illa acciperemus; vadit pars, quod in nomine iesu christi et gloriose virginis Marie matris eius et beati Marci protectoris nostri accipi et acceptari debeant loca ipsa nomine nostri dominii cum pactis et condicionibus infrascriptis et cum istis declarationibus ad capitula nobis data per ambassatores suos, in casu quo ipsi condescendere velint ad ipsas declarationes.

Primo ad primum capitulum continens, quod, in casu quo acceptemus dicta loca, nobis placeat ipsum dominum Georgium cum omnibus suis

heredibus tractare tanquam cives nostros fideles et facere nostros nobiles, ita quod quociescumque venerint Venetias, possint venire ad consilium sicut alii nostri nobiles, habeat collegium domini, consiliariorum, capitum et sapientum utriusque manus libertatem condescendendi ad predictum capitulum, et acceptandi illud sicut iacet, ita quod ipse dominus Georgius Stracimiri cum suis filiis et heredibus, solennitatibus terre servatis, sint de nostro maiori consilio et in numero nostrorum nobilium aggregentur.

Ad secundum capitulum seu ad primam partem eius continentem, quod dominatio nostra vel alii pro ea non possint sibi accipere contratam, quam vult retinere pro se, nec ipsum contra debitum molestare, condescendatur sicut petit. Verum ad aliam partem dicti capituli, per quam requirit, posse in illa sua contrata levare nostram insigniam, ad istam partem tractari et procurari debeat per dictum collegium cum illis verbis, que videbuntur, quod de ista parte se removeant, quia erit maior honor suus levare insigniam suam quam aliam, et istud ipse dominus deberet velle pro honore domus sue. Quando autem facta omni experientia ipsi ambassiatores starent ad hoc constantes, debeat condescendi ad istam partem, quod possit levare nostram insigniam in locis suis, sicut requirit.

Ad tertium capitulum continens, quod aliquis homo, qui vellet recedere de contrata, quam pro eo retinere vult, non debeat acceptari nec recipi in terris nec locis, que nobis dat, sed eidem debeant assignari; ad istud dici debeat et ita per dictum collegium debeat procurari, quod nos sumus contenti ei restitui et assignari facere omnes homines, qui aufugerent de locis suis predictis ad illa loca, que nobis dat, quacunque alia causa, excepto si aufugerent pro delicto criminali, per quod perimendi probabiliter essent, quia tales dominatio nostra nunquam dare voluit neque dat in terris et locis suis, ymo tales cum se transferunt de loco ad locum, sunt salvi, et securi; faciendo et servando similiter versus nos de his, qui aufugerent de ipsis locis nostris ad loca sua.

Ad partem vero tertii capituli continentem, quod si aliquis vellet offendere ad accipiendum contratam suam predictam, quam pro se retinet, quod nos debeamus iuvare cum gentibus contrate, quam nobis dat, procurari et dici debeat ambassiatoribus predictis, quod nostra dominatio nunquam solita fuit facere tales promissiones, nec ipsas modo aliquo faceret, quia non forent cum honore nostro; sed ipse dominus suus debet esse certissimus, quod si loca, que nobis dare vult, erunt in manibus nostris, Turchi non curabunt neque intentabunt velle amplius venire ad attendendum ad damna partium illarum. Similiter etiam omnes circavicini ob reverentiam et amorem nostri dominii erunt contenti stare in pace et intra terminos suos. Et nichilominus si casus daret, quod aliqui molestarent contratam suam, nos omni tempore toto posse dabimus operam et procurabimus de tractando pacem et concordium inter eos, ut possit regere et gubernare in pace et bona voluntate contratam predictam, procurando, quod remaneant de hoc contenti.

Ad quartum capitulum, per quod ipse dominus Georgius petit de provisione a nostro dominio ducatos mille auri omni anno ad minus in perpetuum pro sua subventione pro se et heredibus suis, procurari debeat per dictum collegium cum ipsis ambassatoribus de dando ipsi domino Georgio

et suis heredibus ex legitimo matrimonio descentibus de introitibus Scutari quam minus dari poterit usque ad quantitatem predictam ducatorum mille.

Ad ultimum capitulum, per quod petit, quod si suus pater vel dominus Georgius vel dominus Balsa, barbani sui, accepissent aliquid vel offendissent alicui Veneto, quod propter dictam causam sibi nichil dici possit; procurari debeat per collegium, quod dicti ambassiatores condescendant ad essendum contentos, quod non possit molestari de provisione, quam sibi daremus; et si poterunt obtinere, bene quidem, quando autem obtinere non possent, condescendere possint ad essendum de illo contenti, considerato, quod nunquam terminatum fuit, quod ipse dominus Georgius sit debitor alicui.

Et si habebunt dicti ambassiatores libertatem condescendendi ad istas modificationes per nos factas, concludatur cum eis in bona gratia. Si vero dicerent, non habere libertatem, tunc dicatur, quod ista est nostra finalis intentio, et propterea possunt pro habendo voluntatem domini sui in hoc disponere eundo vel scribendo, secundum quod eis videbitur et placebit. De parte 44,49.

Ser Johannes a Bocolis caput de XL: quia examinatis bene omnibus, que examinanda sunt de istis factis Scutari, et potissime pactis et conditionibus, cum quibus ambassiatores domini Georgii, qui hic sunt, dicunt ipsa loca nobis dare posse, non faceret pro nobis neque nostro dominio acceptare dicta loca; vadit pars, quod cum illis bonis verbis, que dominio videbuntur, responderi debeat dictis ambassiatoribus, quod cum conditionibus, cum quibus illa dicunt nobis dare posse, non videtur nobis de acceptando loca predicta. De parte 36, 36.

Ser Nicolaus Lauredanus sapiens ordinum volebat, quod responderetur dictis ambassiatoribus, quod essemus summe contenti, quod dominus suus possit potenter et bene conservare sibi loca sua, sed postquam se reperit in dicto termino, de quo dolemus, consideratis expensis, que pateremur in accipiendo dicta loca, videretur nobis esse iustum, quod dominus suus pertransiret nobiscum cum liberalioribus pactis illis, que petunt, et maxime considerato, quod capitaneus noster culphy retulit nobis, dictum dominum Georgium habere magis liberalem dispositionem illa, quam dixerunt; et ideo in casu quo non velint vel non habeant maiorem libertatem illa, quam dixerunt, rogamus eos, quod non tedeat reverti ad dominum suum, et eidem referre nostram bonam voluntatem et dispositionem, que est teste deo complacendi desideriis suis in cunctis nobis possibilibus et honestis, cum simus dispositi mittere de brevi ambassiatorem nostrum ad presentiam suam de intentione nostra plenarie informatum. Et ex nunc sit captum, quod mittatur unus ambassiator, qui cum galeis nostris culphy primo vadat Durachium ad informandum se cum rectore de inde et cum omnibus aliis, qui ei videbuntur, ubi sunt et quantum se extendunt confines Durachii tam tempore antiquo quam moderno, et de omnibus aliis spectantibus ad hoc factum; et subito postea vadat ad dictum dominum Georgium et in locis dicti domini Georgii similiter se informet de predictis et de situ locorum Scutari et Drivasti et flumerie et de omnibus pertiuentibus ad confines dictorum locorum et provincie, in qua sunt; et similiter debeat esse cum dicto domino Georgio, et cum illis rationibus et verbis ac iustis demonstrationibus, que dicto ambassiatori videbuntur, debeat procurare de

inducendo dictum dominum Georgium ad omnia illa pacta, que sint in prerogativam nostri dominii, procurando, quod ipse mittat suum procuratorem cum mandato ad plenum; et cum ultima intentione dicti domini Georgii, quam sentire poterit, Venetias revertatur, quia postea provi debitur per istud consilium ut videbitur esse bonum. Qui ambassiator eligatur per duas manus electionum in hoc consilio, et unam per scrutinium inter dominum, consiliarios, capita et sapientes ambarum manuum; possit accipi de omni loco et officio et iudicatu petitionum, exceptis procuratoribus; respondeat die, qua eligetur vel altera ad tercias, et non possit refutare sub pena ducatorum L, et teneatur recedere cum galeis culphy; habeat de salario a die quo Venetiis recedet usque reditum suum ducatos L in mense et ratione mensis, possit expendere in omnibus expensis quomodocumque occurrentibus pro se et familia ducatos tres, habendo et tenendo quatuor famulos, unum notarium cum uno famulo et unum coquum, exceptis nabulis navigiorum eundo, stando et redeundo. Interim vero donec dictus ambassiator recedet, si videbitur, quod bonum sit ei aliquid committere ultra predicta, poterit provideri, ut videbitur opus esse. De parte 4, de non 3, non sinceri 10, 11.

Secreta Cons. Rog. R. 123, u mlet. arkivu.

DVII. God. 1596. 19 veljače, u Mletcih.

Galije neka izvezu poslanika kotorskoga do na blizu Kotora besplatno.

1395. die XIX februarii. Consiliarii. Capta: quod levetur super galeas culphy ambassiator communitatis Cathari cum sua comitiva, et deponatur in terram penes Chatarum in loco abili, qui sit sine incomodo itineris galearum et cum comodo dicti ambassiatoris libere et sine aliquo nabulo.

Misti XLIII. 109, u mlet. arkivu.

DVIII. God. 1396. 27 veljače, u Mletcih.

Odredjuje se, da galije ukrcaju poslanika carigradskoga, dolazećega iz Ugarske da se kući vrati, ako dodje do trećega ožujka.

1395. die XXVII. februarii. Sapientes ordinum. Capta: cum magnificus vir Hemanuel Philotropimos, ambaxator serenissimi domini imperatoris Constantinopolitani, qui iverit ad serenissimum dominum regem Hungarie, scribat per unam suam literam nobilibus viris ser Blancho de Rippa et ser Johanni Mauroceno, quod est expedictus a dicto domino rege et erit cito Venetiis, et propterea dictus ser Blanchus ex parte dicti ambaxatoris supplicaverit dominio, quod dignetur ordinare, quod una ex galeis ituris ad partes Constantinopolis differat usque per totum mensem presentem, ut idem ambaxator possit conduci ad partes Constantinopolis, et bonum imo utile sit, quod dictus ambaxator quam citius esse potest vadat ad dictas partes Constantinopolis, ut informare possit dictum dominum imperatorem de omnibus, que habuerit et tractaverit cum dicto domino rege Hungarie; vadit pars, quod scribatur et mandetur capitaneo nostro culphi, quod remaneat in Pola usque diem veneris per diem proximum, que erit tercia

mensis martii, et expectare debeat dictum ambaxatorem, qui, si dicta die ibi erit, debeat levari super una dictarum galearum et conduci ad partes Constantinopolis, et si ante erit ibi, ante recedat; quando vero non esset ibi dicta die, in bona gratia debeat prosequi viagium suum, et debeat idem ambaxator conduci cum ligno nostro riperie Istrie usque Polam.

Misti XLIII. 103, u mlet. arkivu.

DIX. God. 1396. 1 ožujka, u Mletcih.

Pošto bi sklopljen savez medju ugar. kraljem i carigradskim cesarom, te ovim kane skoro udariti na Turke, odustaje se od zaključka, da se odprave poslanici k Bajazitu u svrhu, da izposluju mir medju njim i carigradskim dvorom.

1396. indictione quarta, die primo martii. Sapientes consilii et sapientes ordinum excepto ser Fantino Georgio milite. Capta: cum per reditum istius ambassiatoris domini imperatoris Constantinopolis de partibus Hungarie habeatur, quod ipsi sunt simul in concordio, et devenerunt ad certa pacta et conventiones, per quas dominus rex promisit cum potenti exercitu esse usque per totum mensem maii proximum ad quendam locum, qui dicitur Ulnavi, qui est supra flumen Danubii, et deinde postea per totum mensem iunii usque Constantinopolim, et dominus imperator debet armare sibi decem galeas uno mense ad expensas dicti domini regis, et iam dari fecit hic in Venetiis dicto ambassiatori duc. XXX millia, qui requisitus per dominium in casu quo ambassiata nostra, itura ad Basitum, de qua plene informatus fuit et de causa qua mittebatur, procederet, si dominus imperator posset facere pacem cum eo propter tractata et conclusa cum dicto domino rege, respondit, quod putabat, quod non, propter quam causam est habendus respectus ad missionem dicte ambassiate; vadit pars, omnibus consideratis et potissime, quia cessat principalior causa, propter quam mittebamus, scilicet, pro reconciliando dominum inperatorem cum Basito, et ut dominus rex Hugarie non haberet materiam conquerendi de nobis, quia dictus tractatus pacis inter dominum imperatorem et Basitum non esset secundum compositionem, quam habet cum imperatore, quod revocetur missio ambassiatorum nostrorum predictorum et ambassiata sua, ita, quod non procedat pro omni bona causa et respectu.

Misti XLIII. 112, u mlet. arkivu.

DX. God. 1396. 1 ožujka, u Mletcih.

Naputak za kapetana pomorskoga idućega sa osam galija u Carigrad na obranu iztočnoga carstva.

1396. indictione quarta, die primo marcii. Sapientes consilii et sapientes ordinum. Capta. Quod fiat commissio nobili viro ser Thome Mocenigo ser Petri procuratori, capitaneo generali culphy in hac forma etc.

Et cum erit in dictis partibus Constantinopolis, debeat ipse capitaneus, habita collatione cum vicebaiulo nostro et consiliariis Constantinopolis, dare ordinem de possendo comparere ad presentiam domini imperatoris, dimissis suis galeis sub bono ordine et regula, ita quod gentes non

disperdantur, et exeunte ad presentiam suam, presentatis literis nostris credentialibus, quas in personam suam sibi fecimus exhiberi, et facta reverentia et salutatione solita ac oblatione generali cum illis verbis, que sue sapientie videbuntur, debeat exponere maiestati sue, quod dominatio nostra, que semper sincero corde dilexit et diligit imperium suum et domum suam, informata per suum ambassiatorem dominum Hemanuelem Filatropinos de termino et condicionibus, in quibus se reperiebat maiestas sua et imperium suum cum Basito, volens vigilare ad ea, que bona et utilia forent pro conservatione maiestatis sue et dicti sui imperii, non sine notabili suo incommodo et expensa facerat et facit plures provisiones utiles et fructiferas, et que prestante domino redundabunt in utilitatem et comodum suum et imperii sui, et inter alias providerat de mittendo eum cum octo galeis ad partes illas pro conforto et consolatione sua et suorum et pro dubio aliorum, et ut melius possemus illud, quod querebamus, ducere ad effectum, et cum illis provideramus de mittendo ad presentiam Basiti duos notabiles et famosos cives nostros ad inducendum eundem cum illis verbis et rationibus, que nobis neccessarie apparebant, quod vellet reconciliari cum sua maiestate, et sperabamus satis concedente et suffragante divina gratia, quod ipsi nostram intentionem predictam ad effectum perduxissent, nam committebamus sibi capitaneo, quod numquam recederet de dictis partibus, sed iret sursum et deorsum per strictum, donec vidisset finem conclusionis ambassiatorum predictorum. Providimus etiam de mittendo ad dictas partes aliquas nostras naves cum frumento, ut ipse Basitus videret et comprehenderet, quod dispositio nostra non erat imperium suum derelinquere, et ut non staret in opinione et pertinacia sua, quam concepit, quod sine bladis suorum locorum alii vivere non possint. Factis autem dictis provisionibus et parte galearum predictarum iam exeunte in via ita, quod non restabat nisi galea nostrorum ambassiatorum predictorum, applicuit ad civitatem nostram ipse dominus Hemanuel ambasiator sue excellentie, rediens de partibus Hungarie, et per illum informati sumus de his, que fecerat et tractaverat cum domino rege nomine imperii sui, de quibus certe maximam consolationem et leticiam habuimus, sperantes in divina gratia, quod prosecutio dicti tractatus et eorum, que in simul facere promiserunt, poterit esse et erit liberatio et salus imperii sui et maiestatis sue. Et volentes cum eodem ambassiatore conferere de missione ipsius nostre ambassiate, apparuit nobis et ita deliberavimus, quod non procederet sed remaneret, quia ea, que tractare habebant, repugnare videbantur his, que tractaverat et concluserat ipse suus ambassiator cum suprascripto domino rege, ut veniente ipso tractatu nostrorum ambassiatorum ad noticiam dicti domini regis, non haberet causam se turbandi; confortando ipsum dominum imperatorem cum istis et aliis bonis verbis, que sapientie dicti nostri capitanei videbuntur, et offerendo se ad sua beneplacita et honores.

Misti XLIII. 117, u mlet. arkivu.

DXI. God. 1396. 21 ožujka, u Mletcih.

Tri providura odredjena te izabrana, da podju uzeti posied grada Skadra.

1396. die XXI marcii. Sapientes consilii et sapientes ordinum Capta: quia est necessarium facere provisionem ad illa, que necessaria sunt pro factis Scutari, tam pro accipienda possessione eius et aliorum locorum, que nobis dat vigore pactorum in simul contractorum magnificus dominus Georgius Stracimiri, quam pro regulando custodiam, fortilicias et regimen deinde, mittere presto nostros provisores ad illas partes, qui faciant et exequantur predicta et omnia alia, que sibi comittentur; vadit pars, quod in bona gratia eligantur de presenti in hoc consilio tres nostri provisores sufficientes per quatuor manus electionum, qui possint accipi de omni loco et offitio et judicatu petitionum, non accipiendo ultra unum pro domo et unum pro offitio, et respondeant die, qua eligentur vel altera ad tercias, non possendo refutare sub pena librarum centum pro quolibet, et teneantur recedere ad beneplacitum dominii, et ire cum uno ex lignis riperiarum nostrarum. Et ex nunc sit captum, quod ille capitaneus, qui ire debebit secundum quod sibi mandabitur per collegium, venire debeat ad sanctum Nicolaum de litore ad levandum dictos provisores et portandum eos cum sua familia ad locum predictum.

Electi provisores ser Jacobus Gradenico miles, ser Johannes Cappello, ser Johannes de Canali.

Misti XLIII. 119, u mlet. arkivu.

DXII. God. 1396. 6 travnja, u Mletcih.

Ustanovljuju se njeke odredbe tičuće se primanja Skadra i drugih ondješnjih miesta u vlast mletačku.

1396. indictione quarta, die VI aprilis. Sapientes consilii et sapientes ordinum. Capta: quia provisores nostri, qui ituri sunt Scutarum, informati de hiis, que eis necessaria sunt et esse poterunt, dederunt in scriptis aliquas provisiones necessarias, et presertim de una persona sufficienti et fida, quam ipsi ducere possint pro ponendo ad custodiam loci del Drivasto, et etiam de uno trucimano et de pluribus aliis; vadit pars, quod concedatur eisdem, quod possint accipere dictam sufficientem personam de numero ballistariorum ordinatorum, que tamen placeat collegio, pro ponendo ad dicti loci custodiam, cum salario ducatorum decem in mense, habendo unum ragacinum secum. Insuper etiam habeat collegium predictum libertatem de dando sibi unum trucimanum cum illo salario et ordine, qui videbuntur eisdem. Item pro utilitate nostri communis et pro vitando expensam multarum barcharum, que eis et ballistariis, qui illuc mittuntur, ac munitionum, essent necessarie, ordinetur, quod dari debeat eis illa galea subtilis, que parata est in nostro arsenatu, seu de brevi parata erit, super quam recedat capitaneus riperie Marchie, qui ibi est cum zurma sua, ipsi provisores cum sua familia et ballistarii nostri, qui mittuntur ad dictas partes cum suis armis et rebus; poni etiam debeat ille bombarde, balliste, veretoni, arma, biscotum et omnia alia, que per dictum collegium mittentur pro munitione locorum; accipiatur etiam in numero ballistariorum ordinatorum unus marangonus cum aliqua prerogativa, ut possint deinde

fieri ea, que necessaria forent de dicto misterio. Insuper quia provisor, qui remanere debebit deinde, remanebit cum pluribus personis, quam sint eidem limitate, quando simul sunt, quia remanebit secum notarius cum famulo, cochus et interpres, ita quod male posset facere expensam de ducatis duobus sibi taxatis, ordinetur, quod de tempore, quo ipse provisor remanebit solus, possit expendere ducatos duos cum dimidio in die, ubi poterat spendere solum duos.

Item ordinetur, ut alii duo habeant viam et modum possendi repatriare, quando erunt expediti, quod capitaneus noster culphy, si redisset intra culphum, et si non redisset nobilis vir Johannes Lauredano, qui debet ibi esse, debeant tenere modum, quod suo loco et tempore ipsi habeant unam de suis galeis, que eos conducat usque Polam, unde postea debeant redire Venetias per illum modum, qui eis videbitur, et galea ad suam custodiam revertatur.

Capta: Preterea scribatur baiulo et capitaneo nostro Durachii propter casus, qui possent occurrere, quod ad omnem requisitionem provisorum predictorum mittere eis debeat brigentinum suum armatum, ut de illo possint facere et disponere, secundum quod eis videbitur opus esse.

Insuper quia hic sunt ambassiatores domini Georgii Stracimeri, cum quibus ista negotia tractata sunt, ordinetur, quod ipsi levari debeant cum sua familia super galea predicta, et quod fiant eis expense oris, donec erunt ad domum suam, pro honore nostri dominii.

Item quia habetur informatio, quod una de utilitatibus Scutari est in emendo salem et illum vendendo, quod fieri non potest per alios quam per nos, quia ita semper servaverunt domini dicti loci, ordinetur, quod istis nostris provisoribus dari debeant ducati IIII millia de pecunia nostri communis, ut in isto principio possint providere de emi faciendo et vendi dictum salem, ut usus solitus non deficeret; committendo eis, quod per illos duos, qui Venetias revertentur, nobis, si fieri poterit, portetur pecunia antedicta capitalis tantum, et quod de reliqua teneat computum ordinate, ut videri possit utilitas, que consequitur ex ipsa salis vendicione.

Misti XLIII. 121, u mlet. arkivu.

DXIII. God. 1396. 11 travnja, u Mletcih.

Ugar.-hrv. kralju nude se četiri galije u pomoć, ali mu se odbija molba o zajmu novaca.

1396. indictione quarta, die XI aprilis. Ser Petrus Mocenigo, procurator, ser Petrus Cornario procurator, ser Marcus Geno procurator, ser Leonardus Bembo, ser Michael Contareno, ser Albanus Baduario, sapientes consilii; ser Nicolaus Delphyno, ser Nicolaus Lauredano, ser Andreas Contareno, ser Philippus Aymo, sapientes ordinum. Capta: quod respondeatur isti ambassiatori serenissimi domini regis Hungarie ad illas duas partes sue ambasiate, quibus non est data responsio. Et primo ad partem requisitionis, quam ipse facit nobis propter deliberationem et dispositionem suam de movendo se et eundo cum potenti exercitu contra Turchos, quod erit in festo penthecostes, nobis placeat attendere illud, quod alias sibi promisimus, et dare sibi nostram subventionem in subsidium tam utilis operis pro tota christianitate et cet. Quod nos sumus satis certi, quod ipse am-

basiator scit formam et modum nostre promissionis, que fuit, quod movente se serenissimo domino, rege Hungarie cum illustribus principibus Burgondie, Aureliensibus et Lanchastrie, et eunte ad persecutionem Turchorum, parati eramus ei dare et contribuere quartam partem galearum, que ponerentur per omnes alios in subsidium dicti pii operis a XXV galeis infra, hoc est, si ponerentur XXV galee, ponere sex, et sic inde infra et cet.' Et ita ob reverentiam fidei chatolice et contemplacionem sue serenitatis parati sumus facere, attendere et observare, nec a promissione nostra modo aliquo recederemus. Et quia nos non audimus ab eo nec sentimus ab extra, quod dicti tres principes cum ipso domino rege se moveant, propter quod promissio ipsa nostra non haberet locum, sed apparet solum, quod dominus rex solus cum exercitu suo sit dispositus prosequi istud opus, quod summe laudamus, non dubitantes, quod propiciante dei dextera reportabit gloriam et triumphum cum exaltatione fidei chatolice, ut maiestas sua videat nostram bonam et optimam dispositionem ad istud factum, et ad volendum sibi servire et complacere in rebus possibilibus, parati sumus et ita sibi offerimus, quod procendente sua serenitate et eunte cum suo exercitu ad persecutionem Turchorum predictorum in partibus Romanie, secundum quod dici nobis fecit deliberasse, nos dabimus sibi subventionem de quatuor nostris galeis bene armatis et bene fulcitis, que erunt in partibus Romanie ad longius usque dimidium mensis iulii, et ibi attendent adventum maiestatis sue et sui exercitus usque dimidium mensis augusti, quia certi sumus, quod eciam ante dictum tempus cum dei auxilio maiestas sua erit in illis partibus, et adhuc plus, quando ipse capitaneus informatus esset, quod propter aliquam causam distulisset, et quod foret de proximo illuc iturus. Et propterea ipsam maiestatem suam affectuose precamur, quatenus placeat tali modo providere, quod ipse noster capitaneus sit de tempore in tempus informatus de via sua et de tempore suo, et similiter si aliquo casu non posset ire ad illas partes, ut possit providere de dictis galeis nostris, quia non esset bonum, quod defferet ibi, nisi debetur illuc ire, imo foret cum magno damno et incomodo galearum et gentis nostre. De parte 132, de non 6, non sinceri 1.

Ad alteram partem subventionis pecunie, quam ipse petit a nobis, volendo nos ut dicit reddere bene cautos et securos, respondeatur, quod maiestas regia ex multis operationibus per nos factis temporibus preteritis versus suam excellentiam et regnum suum potest clarissime vidisse et cognovisse nostram sinceram et optimam dispositionem ad honorem et exaltationem suam et corone sue, quia hucusque non cessavimus facere, quecumque facere potuimus tam opere quam sermone, et pur altera die, quando applicuit Venetias, veniens de partibus Hungarie, ambasiator domini imperatoris Constantinopolis, deus novit quantum laboravimus et fecimus, ut haberet celerem expeditionem, et finaliter tenuimus modum intrando et faciendo plezariam de magna quantitate pecunie, quam portavit, quod in tribus diebus recuperavit totam pecuniam et fulcitus fuit, ut intentio domini regis defectu pecunie non deficeretur, quando sequeretur effectum, et ita essemus dispositi facere pro presenti. Sed veritas rei est, quod propter multa accidentia, que nobis occurrerunt isto anno insolita et inusitata, oportuit nos facere multam expensam et magnam ultra solitam, propter quam et propter diminutiones nostrorum introitum, que fuerunt isto anno propter

casus occursos, commune nostrum non esset in termino possendi ipsi domino regi subvenire, secundum quod ipse requirit, et sicut optaremus. Modum similiter non videmus possendi cives nostros gravare propter multa damna et incomoda, que sustinuerunt anno isto, et propterea rogamus maiestatem regiam, quatenus causis predictis habere nos placeat merito excusatos. De parte 46, 46, 46, 46, 47, 48, 46, de non 46, 46, 49, 50, 48, 49, 49, non sinceri 20, 20, 17, 16, 16, 15, 16.

Ser Johannes Storlato, ser Dominicus Contareno consiliarii, Ser Mapheus Capello, ser Antonius Belegno capita de XL. Capta: quia ista facta sunt maxima et ardua, et tangunt multum statum nostrum, et propterea expedit, quod fiant cum bona et matura deliberatione; vadit pars, quod induciari debeant pro nunc. De parte 96.

De parte sapientum suprascripta 39, de non 0 non sinceri 3.

Capta: quia captum est de suspendendo seu differendo istam secundam partem responsionis fiende ambasiatori domini regis Hungarie de facto pecunie; vadit pars, quod suspendatur etiam responsio prime partis de facto galearum, donec deliberata fuerit responsio secunda.

Die XIV aprilis. Dominicus Contareno consiliarius: quod respondeatur isti ambasiatori domini regis Hungarie ad primam partem sue ambasiate secundum quod pridie captum fuit in hoc consilio. Ad secundam partem subventionis pecunie dicatur, quod pro certis rationabilibus et honestis causis videtur nobis de differendo responsionem ad dictam partem usque ad adventum Francisci de Bemardo, quia tunc sibi dabimus finalem responsionem super parte predicta 48, 49.

Sapientes consilii et sapientes ordinum. Capta: quod considerata libertate, quam habet iste ambassiator domini regis ad faciendum nos securos de mutuo, quod requirit a nobis, qui non est nisi de facto septemmillium ducatorum, fiat ei responsio cum illis honestis verbis, que dominio videbuntur, quod propter multas expensas factas per nos anno presenti ultra solitum pro modo dominatio nostra non est in termino possendi complacere maiestati regie, quam affectuose precamur, quatenus habere placeat nos merito excusatos, et ad primam partem fiat responsio, sicut pridie captum fuit. De parte 52, 59, de non 6, non sinceri 5, 5.

Secreta Consilii Rogatorum R. 126, u mlet. arkivu.

DXIV. God. 1395. 14 travnja, u Mletcih.

Pogodba, kojom Gjorgj Sracimir ustupljuje Mletčanom Skadar i Drivast.

Instrumentum concordii et compositionis tractatus cum ambassiatoribus magnifici domini Georgi Stracimerii pro facto Scutari et Drivasti. — In Christi nomine amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo trecentesimo nonagesimo sexto, indictione quarta, die quarto decimo mensis aprilis. Cum magnificus et potens dominus Georgius Stracimeri de Balsiis, dominus Zente etc. miserit ad presentiam serenissimi et excellentissimi domini domini Antonii Venerio dei gratia incliti Venetiarum ducis etc. suique dominii suos ambassiatores virum nobilem dominum Helyam quondam Marini et circumspectum virum Chinesium eius servitorem, et per illos notificari fecerit, qualiter cum dei auxilio recuperaverat de manibus infidelium Theucrorum civitatem suam Scutari cum castro et certa alia loca sua,

que per illos sibi arrepta fueraut et indebite tenebantur, sed quia sciebat, imperatorem Basitum continuo anhelare ad rehabendum civitatem predictam, ut cum ipsa posset partes alias circhavicinas tam suas quam aliorum in contemptum christiani nominis facilius subiugare, maxime dubitabat, ymo clarissime cognoscebat, ipsa loca defendere et manutenere non posse, et propterea pro honore fidei catolice et salute animarum et corporum tot fidelium christianorum, quot sunt in partibus antedictis, requiri et rogari fecerit serenissimum dominum ducem predictum et suum dominium, quatenus tamquam christianus princeps velet ipsam civitatem Scutari et locum Drivasti et certa alia loca sua sub dominio, potestate et potentia sua recipere et acceptare, cum paratus sit illa cum iuribus et iurisdictionibus suis, dominio mero et mixto imperio illariter sibi dare, ut ita salvi fiant subiecti populi in terris ipsis, et per consequens idem dominus Georgius cum aliis terris et locis suis restantibus et ceteri circhavicini partium predictarum. Et ipse illustrissimus et excellentissimus dominus dominus dux suumque dominium Venetiarum, licet clare videant et cognoscant dubia et pericula, labores etiam et expensas, qui et que plerumque solent ex talibus intromissionibus evenire, eorum progenitorum vestigia imitantes, inter alios christicolas fuerunt semper vere fidei cultores et prencipui defensores, dispositi sint, predictis dubiis et periculis ob dei reverentiam prostergatis, pro conservatione fidei sue sancte et salute tot fidelium christianorum in complacentia etiam dicti domini Georgii, quem sincere dilexerunt et diligunt, ipsam civitatem Scutari et alia loca, que eis dare vult, ne redeant ad manus ipsorum Turchorum persecutorum christi nominis acceptare. Id circo nobilis et sapiens vir dominus Nicolaus Delphino quondam domini Galeacii honorabilis civis Venetiarum, sindicus et procurator ac negotiorum gestor ipsius serenissimi et excellentissimi domini domini Antonii Venerio dei gratia incliti ducis Venetiarum etc. et communis Venetiarum ad infrascripta et alia exercenda specialiter creatus et constitutus, ut constat instrumento publico sindicatus scripto manu providi visi Johannis de Ottedo quondam ser Andree imperiali auctoritate notarii et ducatus Venetiarum scribe predictis anno et indictione, die vero vigesimo primo mensis marcii, a me notario infrascripto viso et lecto, sindicario nomine prefati domini ducis et communis Venetiarum ex parte una, et nobilis ac circumspecti viri dominus Helyas quondam Marini et Chinesius supradicti, sindici, procuratores et negotiorum gestores dicti magnifici et potentis domini domini Georgii Stracimerii de Balsis, habentes similiter ad infrascripta et alia facienda plenissimam libertatem, ut constat publico instrumento procuratorii et mandati, scripto manu Johannis de Morigiis quondam Antonii de Mediolano imperiali auctoritate notarii in millessimo trecentesimo nonagesimo quinto, indictione quarta, die decimo mensis novembris, in civitate Dulcigni, a me notario infrascripto etiam viso et lecto, ex parte altera, ad infrascripta pacta et conventiones sponte, deliberate, unanimiter et concorditer devenerunt.

Primo quidem, quod ipse magnificus dominus Georgius Stracimeri, dominus Zente, dare debeat ipsi serenissimo domino duci et communi Venetiarum seu habentibus ab eis arbitrium et potestatem ipsa loca accipiendi et acceptandi, civitatem Scutari cum castro suo et cum omnibus introitibus, dohanis, datiis, pedagiis et gabellis tam sancti Sergii quam

aliis ad ipsam civitatem spectantibus et cum toto lacu et insulis in eo existentibus et secundum quod labitur flumen, quod Boiana vulgariter nuncupatur, usque ad marinam. Item dare debeat ipsi domino duci et communi Venetiarum aut illis, qui per ipsos ad hoc fuerint deputati, civitatem Drivasti cum castro et pertinentiis suis, et castrum Satti cum dohana del Dagno et cum omnibus villis, dohanis, introitibus, pareziis et datiis et cum tota contracta, secundum quod posita est et continet a bucha dicti fluminis sursum, cum tota aqua et apud vel iuxta, saltem cum tota contrata, secundum quod posidet ad presens et posidebat ipse dominus, quando inceptum fuit tractari de factis istis. Quas quidem terras et loca tam in primo quam in isto capitulo posita ipse dominus Georgius Stracimeri dare et transferre debeat in ipsum dominum ducem et commune Venetiarum iure proprio in perpetuum cum omnibus iuribus et iurisdictionibus suis et cuiuslibet eorum cum pleno dominio, mero et mixto imperio et libera potestate, ita quod de ipsis vel earum aliqua vel aliquo, aliqua ratione vel causa vel titulo vel colore ipse dominus Georgius vel sui successores nunquam se possint vel debeant impedire, sed semper remaneant vel sint ipsius domini ducis et communis Venetiarum. Reservante eo sibi, magnifice uxori sue et suis heredibus civitatem Dulcigni cum toto suo districtu, et similiter Antivarum cum tota contrata usque divicinam stiena et ita supra per montes, confinando cum altera ripa lacus, et ita infra ab altera parte fluminis per ripam dicti fluminis usque ad marinam, que tota patria vulgo dicitur Saboiana; ita tamen, quod ipse magnificus dominus Georgius et successores non possint neque debeant super ripam dicti fluminis vocati Saboiana, quam retinet pro se et in parte sua, et per quod itur Scutarum, neque per unum miliare infra terram aliqua parte edificare vel edificari facere aliquid fortilicium, ut transitus dicti fluminis semper remaneat expeditus. Ultra autem unum miliare infra terram possint in ipso territorio edificare et edificari facere quodlibet fortilicium, secundum quod eis videbitur et placebit.

Item quod ipse magnificus dominus Georgius Stracimeri, dominus Zente etc. cum omnibus filiis et heredibus suis sit et esse debeat nobilis Venetiarum et de maiori consilio Venetiarum, ita quod tam ipse quam dicti sui filii et heredes, quotiescumque se transferrent ad civitatem Venetiarum, possint venire ad manus consilii Venetiarum, et in eo stare et facere, quemadmodum stant et faciunt alii nobiles Venetiarum de maiori consilio antedicto. Item quod ipse dominus dux et commune Venetiarum non possint neque debeant per se vel alios modo aliquo vel ingenio contra debitum communis inquietare vel molestare ipsum magnificum dominum Georgium nec suos heredes de contrata, quam ipse pro se retinet, nec illam eis auferre vel auferri facere, ymo ipse et sui heredes possint eam possidere et tenere et de ea disponere et facere, sicut sibi placuerit tamquam dominus eius, possendo ultra hoc in ea et qualibet terra et loco eius elevare vexilla et insignia sancti Marci, ut per illa cognoscatur esse nobilis et civis Venetiarum.

Item quod si aliquis ex subditis et habitatoribus contrate predicte, quam ipse dominus Georgius resservavit et per se resservat, aufugeret et iret ad habitandum terras vel loca, que ipse dat ducali dominio, quod illi tales sibi restitui debeant et assignari per rectores et officiales, qui ibi

fuerint per ducale dominium; et versa vice si aliquis ex subditis contrate, quam ipse dat ducali dominio, aufugeret et iret ad habitandum terras et loca ipsius domini Georgii, quas et que per se retinet, quod illi tales restitui et assignari debeant officialibus et rectoribus domini ducis et communis Venetiarum, salvo si ab una parte vel ab altera aufugerent aliqui pro delicto criminali, per quod puniendi personaliter forent, quare in isto casu predicti per unam partem neque per alteram debeant assignari, sed sint et remaneant in loco, ad quem fugerent, liberi et securi.

Item quod ipse dominus Georgius et sui heredes ex legitimo matrimonio descendentes habere debeant ab ipso domino duce et communi Venetiarum de primis introitibus, qui habebuntur de locis predictis, omni anno ducatos mille pro sua subventione. Si vero dicti introitus non attingerent summam predictam ducatorum mille in anno, tunc dictus dominus Georgius et sui heredes ex matrimonio legitimo descendentes habere debeant tantum minus, quanto minus exigetur et habebitur, ut iustum est.

Item si pater dicti domini Georgii seu barbani sui dominus Georgius vel dominus Balsa aliquo casu accepissent aliquid alicui Veneto, vel eidem modo aliquo offendissent, quod propter dictas causas ipsi domino Georgio nichil dici possit vel aliquid imputari.

Que omnia et singula suprascripta et in presenti contractu contenta dicti procuratores et sindici et uterque eorum dictis nominibus et omnibus modis, iuribus, formis et causis, quibus melius potuerunt, promiserunt sibi invicem, scilicet una pars alteri et altera alteri per solemnem stipulationem hincinde intervenientem firma, rata et grata habere et tenere et effectualiter ac inviolabiliter observare, et contra ea vel eorum aliquid non contrafacere vel venire aliqua ratione vel causa sub pena dupli damni expensarum et interesse litis et extra toties comittenda et exigenda cum effectu, quoties fuerit contrafactum, solvenda a parte non observante, et applicanda parti observanti et observare volenti. Et pena commissa vel non commissa, soluta vel non soluta, presens contractus et omnia et singula in eo contenta firma perdurent et debeant inviolabiliter observari. Pro quibus omnibus et singulis firmiter observandis et adimplendis idem dominus Nicolaus Delphino, sindicus domini ducis et communis Venetiarum sindicario nomine suprascripto omnia bona communis Venetiarum mobilia et immobilia, presentia et futura, et ipsi dominus Helias quondam Marini et Chinessius sindici et sindicario nomine magnifici domini Georgii sepedicti omnia bona ipsus domini Georgii nobilia et immobilia, presentia et futura, sibi invicem una pars alteri et altera alteri perpetuo obligarunt. Renuntiantes dicte partes dictis nominibus condicioni sine causa vel ex iniusta causa, exceptioni doli, mali et in factum actioni et omnibus iuribus communibus et municipalibus, fori privilegio et omni legum et statutorum auxilio, quibus possent seu vellent contra predicta vel aliquod predictorum facere vel venire. Promiserunt insuper idem dominus Helias et Chinesius procuratores et sindici supradicti per pactum expressum solemni stipulatione vallatum nomine antedicto, quod idem dominus Georgius Stracimeri per publicum instrumentum seu per suas patentes literas, bulla sua solita comunitas, presens instrumentum et omnia et singula in eo contenta ratificabit, approbabit et emologabit, ipsumque vel ipsas in manibus . . . provisorum communis Venetiarum tradet et dabit, seu tradi et dari faciet,

quibus possessionem locorum supradictorum assignabit vel faciet assignari, ut superius dictum est. Voluit etiam ipse serenissimus dominus dominus dux et suum dominium ad maiorem firmitatem omnium predictorum hoc instrumentum sua bulla plumbea communiri. — Actum Venetiis in ducali palatio presentibus viro nobili ser Philippo de Molino quondam domini Johannis ac providis viris ser Johanne de Ottedo, ser Bernardo ser Dominici et ser Laurentio Marcelo, notariis ducatus Venetiarum, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis, et aliis. Ego Guillielmus de Vicentiis et cet.

Commemorialium IX. 12, u mlet. arkivu.

DXV. God. 1396. 20 travnja, u Mletcih.

Naputak providurom poslanim, da prime posied Skadra i drugih miesta u Albaniji, poklonjenih od Gjorgja Sracimira gospodara zetskoga mletačkoj republiki.

1396. indictione quarta, die vigesimo aprilis. Sapientes consilii et sapientes ordinum. Capta quod fiat commissio nobilibus viris ser Jacobo Gradonico militi, ser Johanni Capello et ser Johanni de Canali ituris nostris provisoribus ad partes Scutari in ista forma, videlicet:

Nos Anthonius Venerio dei gratia dux Venetiarum et cet. comittimus vobis nobilibus viris Jacobo Gradonico militi, Johanni Capello et Johanni de Canali, dilectis civibus et fidelibus nostris, quod ire debeatis de nostro mandato nostri provisores ad partes Scutari, eundo cum ista galea, super quam ascendere facimus capitaneum nostrum riperie Marchie cum zurma sua, quem volumus esse ad vestram obbedientiam, donec erit vobiscum, et cum maiori comodo ire possitis, et ut etiam ballistarii, quos vobiscum mittimus, arma bombarde et alia omnia, que vobis dari fecimus pro munitione et securitate locorum, que habere debemus a magnifico domino Georgio Stracimeri, facilius et comodius conducantur. Et est nostra intencio, quod faciatis vos conduci cum dicta galea ad locum, unde magis comode possitis descendere et ire ad accipiendum cum dictis ballistariis tenutam et possessionem civitatis Scutari et aliorum locorum, que nobis dare debet ipse dominus Georgius vigore pactorum contractorum inter nos et eum, quorum vobis dari fecimus copiam pro vestra informatione. Fecimus etiam vobis fieri sindacatum ad plenum in personas vestras ad possendum accipere nostro nomine dictam tenutam, et faciendum quietationem. Sied quia nobis videtur necessarium, quod sitis ad presentiam ipsius domni Georgii, ut sciatis et habeatis modum et ordinem, quem servare vult et que tenere etiam vos habetis, fecimus vobis fieri literas credulitatis, ut possitis comparere ad presentiam suam, et facta amicabiliter salutatione et oblatione generali, et retractis illis verbis amoris et dilectionis, que vestre sapientie videbuntur, requiratis ipsum de assignatione locorum predictorum et de ratificatione instrumenti pactorum, quia sindacatus datus suis ambassiatoribus non erat in plena forma, secundum quod in pactis predictis videbitis contineri. Et avisamus vos, quod in introitu, quem facietis, provideatis quantum poteritis a parte vestra, quod intretis honorifice, et quod fiant ille solemnitates, que solite sunt et apte fieri poterunt pro honore nostris communis, et similiter quod provideatis deli centiando quanto pres-

tius poteritis galeam nostram predictam, ut redeat ad partes istas, scribendo per illam nobis totum illud, quod feceritis, et in quibus terminis omnia consistent pro nostra informatione.

Postquam vero acceperitis possessionem terrarum et locorum predictorum iuxta formam pactorum vobis in copia datorum, dabitis ordinem et dividetis ballistarios nostros per fortilicias et loca, secundum quod vobis melius et securius videbitur, mittendo ad custodiam loci del Drivasto providum virum Antonium de Mantua, qui venit vobiscum cum illa parte ballistariorum, que vobis videbitur, et cum illo ordine et commissione, qui et que inspecta condicione loci et personarum in eo existentium vobis necessariis apparebit, regulando custodiam Scutari tam castri quam civitatis secundum quod sapientie vestre videbitur.

Et volumus, quod de quanto stabitis omnes tres simul in dictis partibus iuxta ordinem et madatum nostrum debeatis ipsam civitatem Scutari et locum Drivasti et omnia alia loca et gentes in eis existentes et totam provinciam, que nobis datur, regere in civilibus et crimiualibus et gubernare ad nostrum honorem, adherendo quantum poteritis statutis, ordinibus et consuetudinibus deinde, in quantum vobis videantur secundum deum et honorem nostri dominii. Quando vero vobis aliter videretur, et similiter ubi statuta, ordines et consuetudines non haberent, regetis et gubernabitis loca et gentes illas secundum quod vobis secundum deum et iustitiam equum et rationabile apparebit, faciendo hoc et omnia alia vobis commissa executioni mandare per maiorem partem vestrum, sicut est conveniens et honestum. Et ita volumus observari per illum, qui remanebit, expeditis vobis commissis in illis partibus, ad regimen et custodiam locorum in ratione et iustitia ministranda, donec providebimus de rectore, quem illuc mittemus; et nihilominus volumus, quod duo, qui venturi et redituri sunt Venetias, super ista parte iuris et iustitie et super ordinibus et consuetudinibus deinde et de modo regendi, qui vobis videretur, plenarie informatus, ut providere possimus secundum quod nobis utile apparebit.

Quando antem habueritis possessionem locorum predictorum, ut dictum est, et regulaveritis custodias vestres et gentes vestras per illum bonum modum, qui vestre sapientie, sicut plene de sapienciis vestris confidimus, apparebit, volumus, quod quanto prestius poteritis, sumpta tota illa bona informatione, quam poteritis, conferendo de hoc cum illis personis, que vobis videbuntur tam de nostris quam de aliis, qui ibi forent, a quibus videbitis posse clarius et melius informari, regulare et sub modo et ordine ponere debeatis omnes introitus, datia, pedagia et gabellas locorum predictorum, dando ordinem, quod exigantur per illum modum et sicut factum est hucusque per dominum Georgium antedictum, sed quod omnia devolvantur ad nostrum commune, faciendo tenere computum ordinate, ut rationes videri possint et nulla fraus committi possit in damnum nostri communis. Et si per hoc esset necessarium constituere officiales et scribas, sumus contenti, quod illos constituatis cum illo salario, quod vobis videbitur, dando quam minus poteritis, donec per nostrum domininm aliud provisum et ordinatum fuerit, nisi ut primo erat. Verum volumus, quod debeatis vos bene informare de omnibus, quomodo exiguntur, et qualiter, quantum et a quibus et de unaquaque re de perse, et si foret fienda aliqua mutatio, et qualiter, et quibus, et de omnibus, que circha hoc vo-

bis utilia viderentur, et de illis redire plene informatus, ut postea possimus salubrius superinde et utilius providere. Avisantes vos, quod quia per informationem nobis datam una de utilitatibus, quam consequebatur idem dominus Georgius in dictis locis, erat de sale, quem accipiebat et emebat a Durachio et postea vendi faciebat in illis, nos fecimus vobis dari ducatos quatuor centum de pecunia nostri communis, ut in isto principio possitis tenere modum de faciendo emi de sale predicto et vendi, secundum quod faciebat dominus antedictus, faciendo teneri computum ordinate, ut videatur introitus et exitus, et dando operam toto posse vestro, quod per illos duos ex vobis, qui revertuntur Venetias, portentur nobis dicti quatuor centum ducati de capitali utilitate alia ibi dimissa pro bono nostri communis.

Subsequenter postea videbitis et examinabitis eastrum Scutari et totam civitatem, situm et fortiliciam eorum, et condicionem ac terminos, in quibus sunt, et si indigent aliqua reparatione, et quali, et quanta, et expensam, que per omnem modum in istis reparationibus et fortificationibus esset necessaria; examinabitis etiam de stantia nostri rectoris, quem illuc mittere intendimus, et de condicionibus, cum quibus videretur vobis ipsum debere mitti, et si est necessarium, quod illa reparetur et reaptetur, et qualiter, et quomodo, et similiter quante gentes sunt necessarie ad custodiam dicti loci, et cum quo soldo, et etiam ea, que forent necessaria ibi pro munitione loci ultra vobis data pro nunc, de quibus faciatis ibi ordinate notam, et quomodo diviseritis, et de omnibus aliis, que vobis videbuntur examinanda pro nostra distincta et clara informatione omnium, faciendo notari singulariter et ordinate omnia, ut in reditu vestro possimus illa informatione sumpta clarius providere. Et sicut dicimus vobis de civitate Scutari, ita volumus, quod faciatis de loco Drivasti et de aliis locis, que haberemus ex forma pactorum predictorum, ut possit in omnibus per nos sine diminutione aliqua provideri. Verum quia habitatio, que debebit esse nostri rectoris, fortasse non esset in ordine ita, quod foret expediens, si deberet in ea posse stare, facere multas reparationes, volumus et committimus vobis, quod si videretis, quod sine auxilio rerum de hinc magistrantie posset fieri talis reparatio, quod prima facie ipse posset habiliter in illa descendere cum sua familia, quod debeatis illam fieri facere, ille saltem, qui remanebit, possendo propter hoc expendere usque ad quantitatem librarum quatuor centum, veniendo informatos de aliis rebus necessariis et de expensa, quia hic postea providebimus. Volumus etiam, quod debeatis bene et diligenter examinare totam contratam, que nobis datur, et situm eius et etiam partes circhavicinas, quia informati sumus, quod in illa intrari non potest nisi per certos passus, qui sunt in manibus aliquorum albanensium seu aliorum, qui si illos bene custodirent nullus posset intrare. Et quia bonum et malum dictorum locorum nostrorum et per consequens nostri communis stat in hoc, quod dicti passus sint bene custoditi, ita quod possimus tenere fideles nostros cum securitate, volumus, quod in casu quo ita sit, detis operam toto posse vestro de habendo, si poteritis, vel mittendo, quando aliter fieri non posset, ad illos tales et cum illis amicabilibus et dextris modis, qui vobis videbuntur, contrahere secum benivolentiam et amorem, ac tenere modum, quod ipsi se intelligant taliter vobiscum et vos cum eis, quod vivatis simul amicabiliter et fraterne,

*

et quod contrata nostra remaneat cum securitate et nichilominus si in reditu duorum, qui redibunt, videbitur de tenendo de aliis modis cum predictis, istud fieri poterit pro bono agendorum. Vos etiam ultra hoc a parte vestra et in nostro territorio regulare debeatis taliter custodias vestras et gentes vestras, quod in omni casu possitis habere provisionem, quia cum habetur provisio de his, que accidere possunt, minus incomodi pati solet.

Insuper quia una de principalibus rebus, ad quas volendo retinere ista loca, que nobis dantur, et specialiter civitatem Scutari, vigilare debemus, esset de habendo flumen liberum et expeditum ita, quod cum nostris navigiis succurrere possemus dicto loco, volumus et comittimus vobis, quod debeatis bene et diligenter examinare totum lacum illum, qui ibi est, et insulas in eo existentes ac condiciones eius et situm et flumen, quod labitur usque ad marinam ex illo lacu, descendentes ripas eius, molendina, pischerias et omnia alia, que supra et in eo sunt, et videre usque quo ire possemus cum navigiis et cuius condicionis, et si esset modus possendi providere, quod possemus ire usque ad civitatem, et quis modus et cum quibus navigiis damnum et incomodum, quod sequeretur illis nostris fidelibus et nostro communi ex hoc, et etiam expensam, que subintrare, et omnia alia, que circha hoc fuerint oportuna, ponendo seu poni faciendo omina ordinate in scriptis, ut clare illa videre possimus et providere secundum quod nobis videbitur.

Item quia inter alia est utile et necessarium, quod strate et camini mercatorum et mercationum securi sint, ita quod mercata nostra tam sancti Sergii quam alia habeant cursum et inviamentum, et per consegnens commune nostrum recipiat utilitatem suam, introitus suos et emolumenta sua pro bono etiam mercatorum conversorum in dictis partibus, volumus et comittimus vobis, quod, sumpta illic de hoc informatione cum illis dominis sclavis et albanensibus, qui ad hoc haberent potentiam, et cum quibus dabitur vobis consilium, procurare debeatis, quod strate sint libere et apte mercatoribus et mercationibus, et quod possint secure ire et redire per territoria sua, et specialiter cum quodam Radice Cernovichi, qui est civis noster, et ut sentimus est valde potens, et quotidie cum gentibus vadit discurrendo contratas deinde. Volumus etiam, quod eidem instanter recomendare vel recomendari facere debeatis parte nostra civitatem Catari et illos cives, qui sunt nostri speciales amici et hoc habebimus valde gratum in tantum, quod ad beneplacita sua amplissime nos disponet, si complacebit nobis.

Insuper quia ut scitis habemus in dictis partibus castrum Lexii, quod nunquam visitari fecimus, et vellemus libenter informari, in quo termino est et quomodo sit de mercato salis et de introitibus illius, qui, ut informati sumus, deberent esse multi, volumus, quod quando vobis videbitur, possendo istud facere cum securitate personarum vestrarum, duo vestrum ire debeant ad videndum et examinandum dictum locum et modos, qui servatur in illis redditibus, et etiam omnia alia, que vobis examinanda videbuntur, ut cum illa informatione sumus de omnibus informati. Verum si non possetis ire per terram, et videretur vobis de mittendo pro ligno Durachii, ut in illo possitis ire, placeat nobis, quod mittatis pro ipso, et ob hoc fieri fecimus vobis literas nostras baiulo et capitaneo nostro Durachii, ut ipsum ad omnem vestram requisitionem vobis mittere debeat.

Factis autem examinationibus omnibus predictis, et adimpletis his, que superius dicta sunt, volumus, quia baiulus et capitaneus noster Durachii nobis scripsit provisiones esse in dicto loco necessarias, secundum quod videre poteritis per copiam earum, quam vobis dari fecimus, et dato ordine, quod unus vestrum remaneat per concordium vel texeras, donec providebimus de rectore, volumus, quod alii duo vadant Durachium, et ibi sint cum baiulo et capitaneo predicto, videant et examinent tam illas provisiones, quas vobis dabimus in scriptis, quam omnes alias, quas diceret fore necessarias, et illis secum bene et diligenter examinatis et notatis et omnibus, que necessaria fuerint circha illas, Venetias revertantur de omnibus informati.

Verum ut scitis informati de modo redditus vestrum duorum, qui debetis redire, providimus de dando vobis nostras literas capitaneo nostro culphi et ser Johanni Lauredano, qui remanet intra culphum, et per illas utrique eorum mandamus, quatenus ad omnem vestram requisitionem debeant vos levari et conduci facere cum una ex suis galeis usque Polam, unde postea cum barchis Venetias venietis, et propterea sitis informati de dando talem ordinem et habendo talem provisionem circha hoc, quod possitis suo loco et tempore habere unam de galeis predictis, et nichilominus si videretis illarum aliquam habere non posse, relinquimus in libertate vestra veniendo per alium modum, secundum quod vobis videbitur, habendo respectum ad bonum et utilitatem nostri communis.

Et ut possint fieri super istis factis ille provisiones, que utiles fuerint, damus vobis et cuilibet vestrum libertatem possendi usque tres menses a die, quo Venetias applicueritis, ponere partem et partes in consilio rogatorum super omnibus factis vobis comissis, spectantibus et pertinentibus, seu que spectare et pertinere possent quomodolibet ad ea; veniendo primo cum vestris opinionibus ad nos, consiliarios nostros et capita, ut possint audiri et examinari et etiam providere, si aliter videretur. Habere debetis de salario vel provisione et cet. ut alibi in partibus. Jurastis honorem et proficuum Venetiarum et cet. Datum etc. De parte 98, de non 1, non sinceri 0.

Misti XLIII. 124, u mlet. arkivu.

DXVI. God. 1396. 27 travnja, u Mletcih.

Republika iznova odbija predloge ugar.-hrv. poslanika u pogledu zajma novčanoga.

1396. indictione quarta, die vigesimo septimo aprilis ser Pertrus Mocenigo procurator, ser Petrus Cormario procurator, ser Marcus Geno procurator, ser Leonardus Bembo, ser Michael Contareno et ser Albanus Baduario, sapientes consilii; ser Nicolaus Delphino, ser Nicolaus Lauredano, ser Andreas Contareno ser Phylippus Aymo sapientes ordinum. Capta: quod respondeatur ambassiatori domini regis Hungarie ad istad duas partes, quas de novo nobis dixit seu Francisco de Bernardo, sicut ordinavit. Et primo ad primam, quod in casu quo ipse inveniat aliquem dominum vel alium, qui vellit servire ipsi domino suo domino regi de aliqua quantitate pecunie, quod nobis placeat illi tali domino vel persone facere promissionem et obbligare nos de solvendo et dando de anno in annum illud,

quod obligati sumus dare domino regi predicto et cet. Quod serenissimus dominus rex, sicut pluries sibi diximus, debet esse certissimus, quod complaceremus maiestati sue in his, que rationabiliter facere possemus cum honore nostri communis, sed nos consideramus naturam et formam obligationis et solutionis, quam facere debemus sibi de anno in annum, et apparet nobis, quod non foret sine onere nostri dominii, et non parvo, obligare se alicui alteri domino vel persone quicumque foret de tali re, et propterea rogamus excellentiam suam, quatenus velit habere nos de hoc merito excusatos. De parte 109 de non 9, non sinceri 8.

Capta: ad secundam partem, qua petit, de complacendo sibi de duabus literis ultimis, quas habet vir nobilis ser Petrus Contareno, quia ipse contentus est, ut dominus rex habeat illam pecuniam, servire sibi de illis et ultra ipsas duas de una tercia et cet., respondeatur, quod nos pridie in responsionem, quam sibi dedimus, diximus et declaravimus rationes et causas, propter quas pro modo non poteramus servire domino regi de subventione pecunie, quam petebat a nobis, secundum quod voluissemus, et per illas sapientia sua potest satis clare comprehendere et considerare, quod non sumus nec esse possumus plus modo quam tunc in termino possendi adimplere intentionem regiam, et propterea rogamus, quatenus vellit nos excusatos habere, quia si modus adesset, pro presenti complacuissemus sibi libenter, sed non est modus, sicut sibi diximus. De parte 90 — de non 18 — non sinceri 17.

Secreta Consilii Rogatorum R. 128, u mlet. arkivu.

DXVII. God. 1396. 18 svibnja, u Mletcih.

Naputak za kapetana odlazećega sa četiri galije u pomoć ugar.-hrv. kralju.

1396. indictione quarta, die XVIII. maii. Ser Petrus Mocenigo procurator, ser Petrus Cornario procurator, ser Marcus Geno procurator, ser Leonardus Bembo, ser Michael Contareno, sapientes consilii; ser Andreas Contareno, ser Phylippus Aymo, ser Jacobus Zane, sapientes ordinum. Capta: quia necessarium est, propter promissionem factam serenissimo domino regi Hungarie de subveniendo sibi in partibus Romanie contra Turchos de quatuor nostris galeis bene armatis et fulcitis, que erunt in dictis partibus ad longius usque dimidium mensem iulii, reddere informatum capitaneum nostrum culphi de promissione et factis predictis, ac sibi mittere nostrum mandatum de modo, quem servare habet in mittendo executioni dictam promissionem et faciendo nostrum honorem; vadit pars, quod scribatur eidem capitaneo de forma ambassiate ipsius domini regis, et responsionis ac promissionis nostre predicte, et mandetur eidem, quod in bona gratia ipse debeat cum tribus galeis nostris Crete bene in puncto et bene in ordine tam de hominibus de remo quam ballistariis et omnibus opportunis, ita quod in omni casu et eventu possit facere nostrum honorem, ire versus partes Romanie tali tempore, quod non occurrente sibi aliquo impedimento se reperiat in dictis partibus ad medium mensem iulii ad longius secundum nostram promissionem.

Et cum erit in dictis partibus, in quibus per informationem nobis datam pro parte dicti domini regis debet habere bonum numerum galearum armatarum ad persecutionem Turchorum et in favorem istius sui

passagii, det operam, dimissis suis galeis sub bono ordine, gubermatione et regula, ita quod gentes non disperdantur, et quod cum aliis rixas et scandala non committant, de eundo et essendo ad conspectum serenissimi domini imperatoris Constantinopolis, cui facta reverentia et salutatione debita ac illa generali oblatione, que sue sapientie videbitur pro honore sue maiestatis et nostro, dicere debeat causam, propter quam illuc eum misimus cum dictis galeis in subventionem sui imperii propter promissionem factam dicto domino regi Hungarie, et quod est paratus ibi esse et expectare adventum sue maiestatis usque dimidium mensem augusti, secundum quod eidem promissimus et facere et operari cum aliis galeis suis predictis illud, quod concernet redundare posse ad utilitatem, fructum et comodum istius sancti operis et sui imperii, secundum quod deliberabitur esse utile et bonum, et quod propterea maiestas sua dignetur ipsum reddere informatum de omnibus, que habet et sentit tam de adventu ipsius domini regis quam de tempore ipsius adventus, ac de omnibus aliis, que de eo sentiret et de exercitu suo ac factis suis et similiter de factis Turchorum, ut melius possit esse cautus et attentus ad faciendum debitum suum et honorem nostrum ac utilitatem operis antedicti. Et accepta illa plena informatione omnium, quam a maiestate sua habere poterit, ac collatione habita de modo servando per eum et alios, ut de omnibus plene remaneat informatus, revertatur ad galeas suas, ut continuo sint sub bona obedientia et regula, informando nichilominus se ultra hoc et conferendo cum nostro vicebaiulo et consilio Constantinopolis de omnibus factis predictis, ut melius habeat veritatem, et avisando eos etiam, quod sint vigiles et attenti ad senciendum bene omnium veritatem et ad reddendum eum de omnibus informatum pro honore nostri communis.

Verum ut ipse capitaneus sit informatus de modo, quem servare habet in dictis partibus contra Turchos, postquam fuerit in partibus Romanie, ut superius dictum est, comittatur eidem, quod in casu quo ipse dominus rex vel dominus imperrator habeat paratas et armatas galeas aliquas in illis partibus Romanie ad istud factum, et velit, quod cum ipsis attendatur ad prohibendum transitum Turchis intra strictum, quia, nostra intencio non est modo aliquo, quod intret bucham maris maioris sed solum stet ab Algiro infra, quod in bona gratia cum suis galeis apud galeas eorum debeat totis viribus attendere in mari ad persecutionem et distructionem Turchorum et ad prohibendum eis transitum toto posse suo, ut dominus rex cum exercitu suo melius et facilius possit implere intentum suum, quando venerit in partibus antedictis. Et in hoc casu reddatur informatus capitaneus noster predictus de mercatoribus, qui forent in partibus Turchorum, si aliqui forent, quod per suos de Constantinopoli fiant avisati, si fieri poterit, quod provideant factis suis ita, quod non reciperent damna nec sinistra.

Insuper quia in promissione, quam fecimus ipsi domino regi, nos diximus, quod ipse capitaneus noster expectaret adventum suum a dimidio mense iulii usque dimidium mensem augusti et plus, quando informatus esset, quod maiestas sua aliqua causa distulisset, sed quod foret de proximo venturus, comittatur dicto capitaneo, quod per viam domini imperatoris ac rectorum nostrorum et similiter per omnem aliam viam et modum, per quem cognosceret posse habere de hoc plenam et veram informationem, quod sit de tempore in

tempus informatus de adventu ipsius domini regis et sui exercitus ad partes Constantinopolis, et si veniet usque dimidium mensem augusti, quo tempore rationabiliter debebit illuc venisse vel post, quia non potuisset ita cito ibi esse, in bona gratia presentet se sibi, et exequatur cum suis galeis intra strictum in mari contra Turchos, ut superius dictum est, non ponendo modo aliquo gentes nostras in terram, quia subiaceret periculo manifesto, salvo si foret requisitus aliquo casu, qui posset occurrere, per dominum regem vel suos, quia vellent expugnare aliquod fortilicium, de subventione ballistariorum nostrorum, quia in hoc casu relinquimus in libertate sua dandi sibi illum numerum ballistariorum, qui ei videbitur, habito semper respectu ad securitatem et conservationem galearum nostrarum sibi comissarum, non recedendo de dictis partibus, donec dominus rex ibi staret cum suo exercitu vel donec habebit aliud nostrum mandatum, quod sibi infalibiliter mittemus per galeas nostras, quas missuri sumus ad viagium Romanie.

Si vero transacto dimidio mense augusti ipse capitaneus sentiret et haberet, quod dictus dominus rex non esset venturus Constantinopolim, tunc in isto casu mandetur eidem, quia mora sua in illis partibus non foret utilis nec necessaria, quod, quando sibi videbitur, comparere debeat coram domino imperatore et dicere, quod habebat in mandatis a nobis de expectando, sicut sua maiestas plene novit, ipsum dominum regem usque dimidium mensem augusti et plus quando venturus fuisset, et de inde non recedere, donec staret in partibus antedictis. Sed quia non venit neque venturus est, ipse est nobis necessarius pro aliis factis nostris, et quod cum licentia sua vult inde recedere; et hoc dicto supto amicabili comeatu revertatur versus culphum nostrum et custodiam suam, habendo menti, quod veniat obviam galeis nostris Romanie, ut possit recipere nostra mandata, que per illas sibi mittemus.

Insuper reddatur avisatus dictus capitaneus ad cautelam, quod donec stabit in illis partibus cum aliis galeis, que erunt ad negocia supradicta, vivat cum omnibus amicabiliter et fraterne, et teneat gentes suas sub bona obedientia et regula, ita quod inter eos novitas vel scandalum aliquod non nascatur, quia posset esse valde damnosum factis predictis. Informetur etiam, quod nos providimus de mittendo ad partes Nigropontis de biscoto nostri communis in bona quantitate, ut panis sibi non deficiat, et ita fieri debeat, et quod propterea det talem ordinem, quod de illo habeat semper ad sufficientiam, ut facta sibi comissa non portarent defectum, et quod sit solicitus ad scribendum et denotandum nobis de tempore in tempus et de die in diem per omnem viam et modum, quem habebit, omnia. que sequentur in factis predictis pro nostra informatione et consolatione.

Misti XLIII. 128, u mlet. arkivu.

DXVIII. God. 1396. 18 svibnja, u Mletcih.

Molba Zadrana, da jim republika uzajme 4000 dukata, odbijena.

1396. indictione IV, die XVIII maii. Capta: quod respondeatur isti ambasatori communitatis Jadre ad requisitionem, quam nobis faciunt, quod subveniamus eis mutuo de quatuor millia ducatorum, quod deus novit, nos

amavimus et amamus tenere illam communitatem tamquam caros et singulares amicos et vicinos nostros propter caritatem, quam videmus eos habere versus nos et cives nostros, et bene nos gravat, quod non possumus eis complacere secundum quod petunt et secundum quod esset cor nostrum, sed veritas est, quod propter aliquas rationes et causas rationabiles et honestas nos fuimus in terminis, et reperimus ad presens, quod necessarium nobis fuit excusare nos a domino suo domino rege de faciendo sibi similem subvenctionem pecunie, quam petebat a nobis. Et propterea rogamus eos, quatenus ipsi similiter velint, si non complacemus eis, habere nos merito excusatos.

De parte 56, 57, 56, 57, 58, 59, 60, 66; de non 45, 52, 55, 59, 56, 56, 56, 51; non sinceri 18, 12, 10, 7, 7, 6, 6, 5.

Secreta Consilii Rogatorum R. 128, u mlet. arkivu.

DXIX. God. 1396. 31 svibnja, u Olgunu.

Gjorgj Sracimir javlja republiki, da je njegova vojska pobiedila i ubila Radića Crnojevića, a da je on predao njezinim providurom grad Skadar sa dotičnim kotarom.

Exemplum litere misse per dominum Georgium Stracimirum dominum Sente etc. ducali dominio Venetiarum. Serenissime ac illustrissime princeps et domine. Cum omnimoda humilitate et reverentie recommendatione premissa, in eo tantum, qui est virtutum et bonorum omnium stabile fundamentum. Quoniam scimus, quod vestra excellentia de bono statu et victoria fidelium filiorum suorum semper audire cupit, idcirco celsitudo vestra tenore presentium clarius inotescat, quod favente domino die vigesima quinta mensis aprilis maledictus istius patrie destructor, videlicet Radiz Zernoe interfectu fuit a nostro exercitu, et partem territorii nostri, quam in manu forti tenebat, habuimus; quod prefatam dominationem vestram ignorare non arbitramur. Insuper noveritis, vestros nobiles proveditores recepisse ac a nobis habuisse civitatem Scutari cum tota contracta, ac omnia et singula, que nostri ambaxiatores in persona nostra vestre dominationi promiserunt. Quare deo, qui omnia suo benigno adiutorio et favore suplevit, grates referimus incessanter. Ideo serenitati vestre, in qua locavimus totius fiducie fundamentum, supplicamus, ut placeat nos retinere fidelissimos vestros filios, offerentesque nos efficaciter ad cuncta, que placitura sunt. Valete in domino, cuius pietas et gratia vos conservet. Vester Georgius Stracimiri dominus Sente etc. Data Dulcinei, ultima mensis maii. A tergo quidem est, videlicet: Serenissimo ac illustrissimo principi et domino domino Anthonio Venerio dei gratia inclito duci Venetiarum etc.

Commemorialium IX. 19, u mlet. arkivu.

DXX. God. 1396. 22 lipnja, u Mletcih.

Quia providitores, missi Scutarum, scribunt, invenisse civitatem et castrum malo in ordine et sine domo decenti pro habitatione rectoris, capta pars, quod mittantur illis omnia requisita per ipsos, et detur eis libertas, quod possint expendere ducatos ducentos in aptatione domus pro rectore.

Misti XLIII. 138, u mlet. arkivu.

DXXI. God. 1396. 20 srpnja, u Mletcih.

Naputak pomorskomu kapetanu, odpravljenu na pomoć ugar.-hrv. kralju u istok.

1396. die XX iulii, indictione quarta. Sapientes consilii, sapientes ordinum. Capta: cum capitaneus noster culphy habeat in mandatis, quod in casu quo dominus rex Hungarie veniat ad partes Constantinopolis, non recedendi deinde, donec ibi staret cum suo exercitu vel donec habebit aliud nostrum mandatum, quod sibi mittemus per galeas nostras viagii Romanie, et leviter posset casus occurrere, quod ipse dominus rex bene veniret ad illas partes Constantinopolis et Romanie, et staret ibi per aliquod tempus, sed provideret, quod sue galee et unionis disarmentur; ita quod est necessarium dare sibi ordinem, quod in hoc casu facturus sit; vadit pars, quod committatur dicto capitaneo nostro culphy, quod in casu, quo galee lige sue, silicet Rodi, Chii et Methelini, vel maior pars earum disarmarentur, ipse etiam debeat, quando sibi videbitur, accipere licentiam a domino imperatore, et venire ad custodiam suam, habendo semper mentem ad securitatem galearum nostrarum Romanie, ita quod secure in reditu suo transire possint locum Galipolis sine molestia aliquorum.

Insuper declaretur eidem capitaneo, quia mandatum, quod habet, dicit, quod debeat servire domino regi a Largiro infra intra strictum, quod si esset necessarium ipsi domino regi, possit sibi servire a Largiro infra usque Salonichium secundum quod fuerit oportunum.

Misti XLIII. 143, u mlet. arkivu.

DXXII. God. 1396. 22 srpnja, u Mletcih.

Republika podieljuje pravo mletačkoga gradjanstva Sandalju velikomu bosanskomu vojvodi.

Privilegium egregii viri domini Sandali de Chosachi, Rassie et Bosne magni voyvode de extra cum suis filiis et heredibus. Anthonius Venerio dei gratia dux Venetiarum et cet. Universis et singulis tam amicis quam fidelibus et tam presentibus quam futuris, presens privilegium inspecturis, salutem et sincere dilectionis effectum. Tanto benignius ducalis providentia consuevit personas magnificas sibi amicabiles et devotas honoribus pervenire, ipsarumque fidem et devotionem dignis retributionibus compensare, ac ipsas dotalibus favoribus convallare, et ipsorum petitiones liberalius exaudire, quanto ducatui nostro devotiores fide et operibus se ostendunt. Attendentes igitur multiplicis benevolentie puritatem et devotionis plenitudinem, quam egregius ac magnificus dominus Sandali de Chosachi, miles, Rassie Bosneque magnus voyvoda, ac Budue et Zente dominus, carissimus et intimus amicus nostri dominii, ad nostre magnitudinis excellentiam habere promptis affectibus se ostendit, qui in agendis nos, ducatum nostrum et singulares personas ducatus eiusdem tangentibus promptum et devotum laudabiliter et incessanter se prebuit atque prebet, supplicationibus nobis sua parte porrectis gratiosius annuentes, prefatum magnificum dominum Sandali nostrorum omnium consiliorum et ordinamentorum necessaria solemnitate servata, in venetum et civem nostrum cum suis filiis et heredibus perpetuo recepimus atque recipimus, et venetum et civem nostrum

cum suis filiis et heredibus fecimus et facimus, et pro veneto et cive nostro cum suis filiis et heredibus in Venetiis et alibi deinceps haberi et procurari omni effectu et plenitudine volumus et tractari, ipsum sincere benevolentie brachiis amplexantes et firmiter statuentes, quod singulis libertatibus, beneficiis, imunitatibus et honoribus quibuscunque, quibus alii honorabiles cives veneti et cives nostri gaudent et perfrui dignoscuntur, prefatus magnificus dominus Sandali cum suis filiis et heredibus in Venetiis et extra perpetuo gaudeat et utatur. Nobis quoque prefatus dominus per venerabilem virum Theodorum archidiaconum Scutariensem, ambaxatorem suum, soleniter prestitit fidelitatis debitum iuramentum. In cuius rei fidem et evidentiam pleniorem presens privilegium fieri fecimus, et bulla nostra aurea pendente muniri. Datum in nostro ducali palatio anno dominice incarnationis millesimo trecentesimo nonagesimo sexto, die vigesimo secundo iulii, indictione quarta.

Liber Privilegiorum I. 120, u mlet. arkivu.

DXXIII. God. 1396. 11 kolovoza, u Mletcih.

Juxta partem propositam a provisoribus redeuntibus Scutaro, captum, quod pro defensione illarum partium debeant soldari per menses sex septuaginta lanceae equestres, et recedant de Venetiis ad beneplacitum dominii.

Misti XLIII. 145, u mlet. arkivu.

DXXIV. God. 1396. 21 kolovoza, u Lapcu.

Sudbeno riešenje u baštinskom predmetu.

Nos magister Stephanus filius Pauli castellanus castri Conuba ac Guranus filius Rauk de villa Drihova suppanus de Lapach nec non Butko filius Borith de villa Blizan et Ivanis Lapich de Brigud judices nobilium sedis de eodem Lapach, memorie commendando significamus universis et singulis presentes, quod quia nuper in congregatione generali domini nostri regis per reverendissimum nostrum patrem dominum Johannem dei et apostolice sedis gratia episcopum Zagrabiensem et magnificum virum dominum Nicolaum de Gara, regnorum Dalmatie et Croacie banum, regie maiestatis in persona feria secunda proxima post festum sacratissimi corporis christi in civitate Nonensi celebrata, vir nobilis Ratko filius Utiseni similiter iudex nobilium sedis nostre predicte de Lapach de Pribcone filio Georgii, Cwitanus Wrancanich, Georgio Hlapothe, Iwano et Cwitkone filiis Voyncii, Filippho filio Geupse et Iwkone Mazadi medietatem terrarum et possessionis tocius linee generacionalis seu funis Voyslavichii dicte ut dixisset omni iure attinentis et per eosdem potiuntur et illegittime occupative detinentur, videlicet in villa Conschijane in dicta Lapach et alibi habite et existentis sibi reddi et restitui petivisset, qui Pribco, Cwitanus, Georgius, Iwan, Cwitko, Filipph et Iwko, quod de dicta villa Conschijan omnes pro evitanda inter eos contencione et sedandam litis materiam personaliter adeuntes pars utraque coram capitulo ecclesie Nonensis ordinassent et sub obligatione centum marcarum inter se firmassent, ut in litteris dicti capituli Nonensis nobis insuper productis luculenter vidimus contineri, ut post descensum ipsius congregationis generalis domini nostri regis die quinto-

decimo proxime post sese afuturo in loco solito coram pristaldis iuratis sedis presentate, prefati Guranus suppanus et Butko iudex, Lilak filius Diuse de Zlivno, item Mikach filius Aliveri de Plaag et Johannes filius Nasmani de Carino, ab omnibus, quibus incumbit prius rescita mera veritate, utrum ipsa medietas totalium terrarum et possessionis dicte linee generacionalis seu funis Voyslavichii vocate pertineat iure hereditario et attinere debeat ipsi Ratkoni vel ne, ad fidem eorum deo debitam et fidelitatem sacre regie dijademati observandam, tacto vivifice ligno crucis, quidquid fecerint vel ordinaverint facto in premisso, ambe partes sub dicta pena centum marcarum in ipsis litteris capitulariis contenta et expressa, acceptare et tollerare deberent et tenerentur, quarum partium si qua composicioni seu ordinationi premissorum contradixerit seu tollerare voluerit vel non curaverit, extunc talis pars contrafaciens ipso facto, in dicta pena centum marcarum incurere debeat et teneatur parti adverse secundum compositionem et ordinationem toleranti aplicandam. quo termino ipsius iuramentalis depositionis seu compositionis et ordinacionis adveniente iam dicti Guranus suppanus et Butko iudex, item Lilak filius Diusse, Mikach filius Aliveri et Johannes filius Nasmani abeuntibus quibus interesset nobilibus et aliis cuiusvis status et preheminencie hominibus sub iuramento veritatem facti prenotati indaganda ad fidem eorum deo debitam et fidelitatem sacro regio dijademati observandam, tacto vivifice crucis ligno, dixissent, quod tota et integra medietas terrarum seu possesionis linee generacionalis seu funis Voyslavichii vocate, ab antiquo sua et suorum predecessorum esset scilicet Ratkonis filii Utiseni prenominati, sibique et suis iure hereditario pertinet et attinere deberet, et demum nobis proximo iudicio circa festum sancti Bartholomei apostoli in dicta sede iudiciaria cum aliis nobilibus de dicta Lapach pro faciendo causamtibus iudicia consedentibus prenotati Pribco filius Georgii, Cwitan Wrancovich, Georgius filius Hlapothe, Iwan et Cwitko filii Voynoj, Filiph filius Grupse et Iwko filius Mazali de dicta Consthijan de Lapach personaliter coram nobis adherentes sponte retulerunt eorum vive vocis dictam medietatem linee generacionalis seu funis Voyslavichii dicte scilicet in dicta villa Conschijan habite et existentis ex integro dicto Ratkoni filio Utiseni iure hereditario pertinere, imo coram vobis et prestaldis infrascriptis eandem medietatem terrarum et possessionis linee generacionalis seu funis prefacte dicto Ratkoni et suis heredibus et successoribus cum omnibus utilitatibus et ad eamdem partinenciis restituerunt et cederunt tanquam ius suum proprium pari consensu nullo eorum discrepante, promittentes et se obligantes deinceps inperpetuum pena sub premissa centum marcarum, ipsum Ratkonem et suos heredes et successores in dicta medietate manutenere et contra non venire per se vel alium aliqua racione, causa vel ingenio, de iure vel de facto, imo ab omnibus occasione ipsius medietatis dicte linee generacionalis seu funis Voyslavichii dicte in premissa villa Conschijan habite et existentis dictum Ratkonem impedire volentibus vel suos heredes et successores et ipsi et eorum heredes et successores propriis laboribus, sumptibus et expensis defendere et excalumpniare in lite vel extra. Insuper promiserunt et se obligaverunt sepe dicti Pribco, Cwitan, Georgius, Iwan et alter Cwitko, Filiph et Iwko, quandocumque voluerit idem Ratko filius Utiseni, semper personaliter accedere debeant et teneantur ad capithulum, ad quem voluerint in hoc regno idem Ratko, et sibi

dictam medietatem et suis heredibus firmare et roborare modo, quo possent meliori, quod si facere noluerint vel non curaverint, extunc ipso facto in dicta pena centum marcarum incurere debeant, et nichilominus omnia compromissa permaneant in suo robore, hoc etiam adiecto, quod si aliquo tempore in processu quispijam ex parentella dictorum Pribconis, Cwitani, Georgii, Iwan et Cwitani, Filiph et Iwkonis de Conschijan de dicta mediotate Ratkonis aliquam habere partem videretur, ex tunc ipsi et eorum heredes Ratkonem et suos heredes in dicta medietate indempnem conservantes iuxta compromissa, de residua parte ipsius linee generacionalis seu funis eorum cuilibet satisfacere debeant et teneantur pena sub premissa, et ad hoc dedimus pristaldos Nicolaum filium Johannis Dminetisch, Wlatkonem Jessevich de Cvitnich, Petrum filium Herendich, Duymum Bilzaevich, Georgium filium Budoy de Vzdolya et Marconem filium Drask de Petrakovanaz. In cuius rei testimonium perpetuamque firmitatem presentes nostrorum sigillorum pendencium munimine roboratas eidem Ratkoni et suis heredibus duximus concedendas. Datum feria secunda proxima ante festum beati Bartholomei apostoli, anno domini MCCC nonagesimo sexto.

Izvornik na pergameni u mletačkom arkivu br. 41., sa 4 viseća pečatu, a peti se iztrgnuo.

DXXV. God. 1396. 22 travnja, u Mletcih.

Izabire se providur za Skadar, te mu se podieljuje naputak i opredjeluje plaća.

1396. indictione quarta, die vigesimo secundo augusti. Sapientes consilii et sapientes ordinum. Capta: quia consideratis condicionibus, in quibus ad presens sumus in partibus Scutari et Albanie, est utile providere pro omni bono respectu, quod habeamus unum bonum et sufficientem rectorem in civitate Scutari, et qui sciat regere et providere ad illa, que necessaria fuerint in dicta contracta; vadit pars, quod in bona gratia fiat pro ista vice tantum per duas manus electionum et una per scruptinium inter dominum, consiliarios, capita et sapientes utriusque manus unus comes et capitaneus Scutari per duos annos et tantum plus, quantum suus successor defferreret illuc ire, qui possit accipi de omni loco et offitio et indicatu petitionum et de aliis officiis existentibus, ut sunt auditores sentenciarum, provisores bladi et alii, si qui forent, qui teneatur respondere ea die, qua fuerit electus vel sequenti per diem et recedere pro eundo ad suum reginem predictum, sicut et quando sibi per dominium fuerit ordinatum. Habeat de salario libras nonaginta grossorum in anno et ratione anni, recipiendo hic pagam unius anni, ut possit bene se fulcire de rebus necessariis, ut de residuo sibi solvat de tribus in tres menses de introitibus deinde ad rationem grossorum trigintaquatuor pro ducato de moneta illa non habendo aliquam aliam regaliam, utilitatem vel honorificentiam, sed omnes quomodocumque pervenire debeant in nostrum commune, vendendo seu vendi faciendo ipsas ad publicum incantum, et notando ordinate, quod et quantum ac quibus vendite fuerint, et pecuniam ponendo ad rationem nostrorum introituum, ut clare semper videri possint; quod salarium perservire incipiat die, qua descendet in terram in partibus Scutari vel Durachii seu in aliis partibus deinde, ubi deliberaretur per istud consilium

ipsum descendere debere. In ipso regimine habere et tenere debeat suis salario et expensis duos socios venetos bonos et sufficientes, qui placeant ducali dominio, dando utrinque eorum ducatos XL auri in anno ultra expensas oris, unum notarium cum salario ducatorum triginta, quinque domicellos bonos et sufficientes, duos ragacios et sex equos, quorum quatuor sint pretii ducatorum triginta ad minus vel inde supra et de annis quatuor et ultra, unum tubetam, qui quando necesse erit, serveat dicto comiti et capitaneo, si personaliter equitaret, quod facere possit, si sibi videbitur, et similiter gentibus nostris, que equitarent de per se, secundum quod pro bono et securitate contrate sibi melius et utilius videretur. Verum ordinetur, quod de quanto tempore ipse comes et capitaneus staret extra castrum, quod ad minus unus de sociis suis semper remaneat intra castrum pro custodia et securitate loci.

Et debeat dictus comes et capitaneus regere dictam civitatem cum toto suo comitatu et districtu et conservare ad nostrum honorem, regendo omnes tam interiores quam exteriores suo regimini subiectos, et eis iustitiam ministrando in civilibus et criminalibus secundum formam, modum et ordinem, qui sibi dabitur per suam comissionem.

Verum non possit facere nec fieri facere de mercationibus, nec socii sui per se vel per alios, nec tenere i domo aliquem, qui faciat, nec recipere donum vel presens aut recipi aliquo modo vel ingenio per totum tempus sui regiminis. Et alia capitula generalia posita in commissione baiuli Durachii et solita poni in comissione rectorum de extra culphum, ponantur etiam in commissione dicti comitis et capitanei, secundum quod per dictum collegium fuerit terminatum. Sed ante eius recessum venietur huc, et providebitur de modo, quem servare habebit in recedendo et de suo descensu et de omnibus modis et ordinibus, qui dandi erunt gentibus nostris, que iture sunt ad illas partes pro bono, securitate et conservatione locorum nostrorum, ita quod omnes se intelligent, et poterit bene et sufficienter procurari honor noster. De parte 47 53.

Electus comes et capitaneus Scutari ser Johannes Capello.

Ser Jacobus Gradonico miles, ser Johannes de Canali, provisores reversi a Scutaro. Quod in bona gratia eligatur in maiori consilio per quatuor manus electionum unus comes Scutari, et ille, qui habebit plures ballotas aliis, transeundo medietatem consilii, sit firmus, et fiat per duos annos et tantum plus, quantum successor suus illuc ire distulerit; possit accipi de omni loco et officio et iudicatu peticionum et de aliis officiis, qui sunt ad dictam condicionem, et debeat recedere, ad beneplacitum dominii. Habeat de salario in anno et ratione anni ducatos octo centum, percipiendo pagam unius anni hic in Venetiis et residuum deinde de tribus in tres menses ad rationem grossorum triginta quatuor pro ducato, et ad dictam rationem solvere debeat deinde familie sue toti, que familia debeat esse duo socii, qui placeant collegio domini, consiliariorum et capitum de XL, sapientium ambarum manuum, provisoribus Scutari vel maiori parti, unum notarium, quatuor domicellos, quatuor equos et unum ragacium, non possendo facere nec aliquem de sua familia per se vel per alium de mercatoribus, nec accipere donum vel presens nec aliquam regaliam sibi appropriare, sed omnes perveniant in nostrum commune. Et debeat equitare dictus comes cum nostris gentibus armorum, quando necesse fuerit de comis-

sione sua, et aliis, quibus necesse est dari ordinem, providebitur per istud consilium ante suum recessum. De parte 28, 32, de non 4, non sinceri 15, 9.

Misti XLIII. 146, u mlet. arkivu.

DXXVI. God. 1396. 1 rujna, u Mletcih.

Terminatum, quod eligatur potestas Drivasti per duos annos cum salario librarum triginta grossorum in anno, tenendo suis expensis notarium, duos domicellos, ragatium ac tres equos; nec possit accipere donum, nec sibi apropriare regalias, neque facere mercationes per se vel per alium, et recedat ad beneplacitum dominii; sedeat „ad banchum ad jus reddendum omni die lune, mercurii et veneris de mane usque ad tercias ad minus, et similiter post prandium usque vesperum, die vero martis et iovis solummodo teneatur post prandium ad reddendum jus".

Misti XLIII. 148, u mlet. arkivu.

DXXVII. God. 1396. 1 rujna, u Mletcih.

Pro reparatione amborum castrorum Durachii expendantur ducati quadringenti. Mittatur illuc unus marangonus cum paga ducatorum IX in mense, et unus homo, qui sit expertus in extimando butas vini. Ematur domus, in qua conserventur arma communis, pro ducatis viginti; et alia domus pro habitatione camerarii et pro cameraria et pondere pro ducatis triginta quinque, et reparetur cum expensa usque ad ducatos quinquaginta. Semel in anno fiat calcisa necessaria pro aptatione murorum terrae et castrorum. Deputetur unus legalis scriba camerariae, et habeat octoginta ducatorum in anno, sed non faciat mercantias ullo modo.

Misti XLIII. 149, u mlet. arkivu.

DXXVIII. God. 1396. 14 rujna, u Mletcih.

Odbijaju se njeke prošnje pažke občine.

1396. indictione quinta, die quartodecimo septembris. Sapientes consilii et sapientes ordinum. Capta: quod respondeatur capitulis ambasiate nobis portate pro parte communitatis Pagi in ista forma. Et primo ad primum capitulum, per quod ipsi notificant nobis, qualiter ipsi per sententiam sive determinationem domini sui domini regis Hungarie sunt liberati a communitate Jadre, et remanent liberi sicut alie communitates Dalmatie, ita quod cum eis non habent aliquid ulterius agere et cet., quod nos recepimus magnam consolationem de libertate sua, et recepimus de hiis, que cederent ad statum, honorem et conservationem suam, quia ipsi bene sciunt, quod inter alios Dalmatinos nos eos semper sincere dileximus et sumus dispositi diligere in futurum.

Ad secundam partem subventionis, quam petunt a nobis de mutno ducatorum duo millia vel quanto placeret nobis, ut possint exigere privilegia sua dicte exemptionis, que sunt pro pignore apud quendam nobilem pro certa quantitate et cetera, respondeatur, quod deus novit subveniremus et in hoc et in aliis ita cito et libenter eis et communitati sue, sicut ali-

quibus ex circhavicinis suis, quia, sicut supra dicimus, antiquitus et ad presens nos tantum eos amavimus, quantum aliquos ex aliis, quia bene novimus sinceram affectionem, quam nobis habuerunt et habent; sed sicut ipsi scire possunt dominus suus dominus rex Hungarie fecit nuper amicabiliter nos requiri de subventione pecunie mutuo et etiam Jadratini, et nos certis rationabilibus, causis excusavimus nos ab eis, quas certi reddimus habuerunt acceptus, propter quam causam non apparet nobis, quod cum honore nostri dominii facere eis possimus subventionem, quam petunt, quando predicti haberent causam non remanendi ita bene contentos de nobis, sicut fecerunt. Sumus etiam ad presens in aliquibus notabilibus expensis, propter quas causas rogamus, quod vellite habere nos merito excusatos.

Ad tertium capitulum, per quod petunt, quod possint armare galeotam suam, quam fieri fecerunt, et illam in mari mittere pro factis suis et domini sui regis et cet., respondeatur, quod ipsi scire debent nostram intentionem, et illud, quod alias dici fecimus omnibus terris et locis existentibus intra culphum nostrum ab utraque riperia, videlicet, quod omnes permitterentur venire ad terram nostram et inde redire cum mercationibus et bonis suis et tam in nostris navigiis quam aliorum, et si aliter fiere haberemus regressum contra fusta aliter facientia terras et loca ubi forent armata et illa etiam receptantia tamquam contra publicos piratas, et in ista intentione et dispositione perseveramus, quia si pateremus, quod contrafieret, esset nimis preiudicatuum nobis et statui nostro, sed reddimur satis certi, quod ipsi, tanquam sapientes, tenebunt modum in faciendo facta sua, quod non habebimus causam gravando nos de eis.

Ad ultinum capitulum, per quod petunt de sartia, velis et aliis furnimentis antiquis nostri arsenatus pro fulcimento dicte sue galeote, respondeatur, quod propter certos nostros ordines de rebus nostri arsenatus nullo modo dare possemus, nisi precium solveretur, et propterea si sunt dispositi hoc facere, nos faciemus videri, si aliqua ibi erunt, que pro eis faciant, et faciemus fieri eis illam complacentiam, que rationabiliter fieri poterit.

Misti XLIII. 150, u mlet. arkivu.

DXXIX. God. 1396. 19 rujna, u Mletcih.

Loco Johannis Miani, electi comitis et capitanei Scutari, qui vero propter infirmitatem ullo modo ire potest ad ipsum regimen, fiat de presenti alius comes et capitaneus modis et condicionibus, quibus electus fuit Johannes Miani, et respondeat cras ad tercias, et recedat omnino cum navigio conducenti gentes armatas ad illas partes. Respondeatur ambasciatoribus domini Merxe domini Avalonae, qui volebat nobis dare Avalonam, Cimerum, Belgradum et turrim Pergi, hoc fieri non posse, nisi premittatur prius bona informatio circa ipsa loca.

Misti XLIII. 150, u mlet. arkivu.

DXXX. God. 1396. 25 rujna, u Mletcih.

Juxta propositionem domini Johannis da Canali provisoris reversi Scutaro statutum, quod de caetero omnes res et mercantiae, quae extra-

hentur per terram de Durachio, excepto vino, oleo et alia grassa nullum datium solvant; et omnes res et mercantiae, exceptis animalibus, quae intrabunt in Durachium per terram, solvant sex pro centenario. Quia aliqua datia in Scutari per anteriorem dominum dimissa erant ad faciendum expensas necessarias in dicta terra, captum, quod dicta datia remaneant in communi Scutari, sed comes eligat unum camerarium, qui talia administret, et rationes ipsi comiti singulis sex mensibus ostendat.

Misti XLIII. 153, u mlet. arkivu.

DXXXI. God. 1396. 25 rujna, u Mletcih.

Eligitur provisor, qui regat gentes armigeras euntes Scutarum per sex menses cum hac conditione, quod deinde, si vellet, possit remanere per duos annos baiulus Durachii. In Durachio videat, si ei foret possibile cum dictis gentibus recuperare castrum Croyae, quod est in manibus Probistiti, et castrum Satti, quod occupat Coyas, et super hoc consilium capiat cum baiulo Durachii et cum domino Paulo Nani eunte Drivastum, sed solus mittat executioni illud, quod sibi utile videretur. Si reperiet, quod utilius foret, si ipsae gentes starent in Scutaro in toto vel in parte, eat vet mittat illuc pro sua voluntate. Datur potestas provisori, baiulo Durachii et domino Paulo Nani, quod possint se concordare cum Comino Spata et comite Nicheta, qui se offerunt servire reipublicae cum 400 equitibus et 1000 peditibus, non possendo promittere ipsis plus quam 1200 yperperorum inter ambos annuatim, in casu quo propter hoc expulsi forent de suis locis.

Misti XLIII. 153, u mlet. arkivu.

DXXXII. God. 1396. 6 listopada, u Mletcih.

Committitur provisori gentium missarum Durachium, quod recedat cum una barca armata ad suam destinationem ita „quod sit presto ad partes Durachii ad dandum ordinem factis secundum formam sue commissionis“. Videat, si esset modus recuperare castrum Croyae et Satti. Pactum cum comite Nicheta et Comino Spata non concludat, nisi cum voluntate majoris partis collegii.

Misti XLIII. 155, u mlet. arkivu.

DXXXIII. God. 1396, 13 listopada, u Mletcih.

Concessum conventui fratrum predicatorum in Durachio „quod de rebus et bonis, que elemosinantur, et de fructibus possessionum, quas habent, non solvant aliquam gabellam ad portas dicte civitatis „sicut erat consuetudo et dom. Franc. Georgio, qui fuit ibi baiulus, ortatur.

Misti XLIII. 156, u mlet. arkivu.

DXXXIV. God. 1396. 28 listopada, u Mletcih.

Buduć došao glas, da je ugarski kralj od Turaka potučen, mletačko vieće izdaje njeke naredbe u pogledu sačuvanja svojih galija nalazećih se u Carigradu.

1396. die XXVIII octubris, indictione quinta. Sapientes consilii et sapientes ordinum. Capta: quia nova ista, que habentur de conflictu domini regis Hungarie licet satis tangant generaliter totam christianitatem, tamen specialiter tangunt tantum quantum tangere possent statum nostrum, sicut quilibet potest considerare, et propterea expedit, quod nos vigilemus solicite ad faciendum et nunc et in posterum de illis provisionibus, que possint reddere securitatem nobis et locis nostris; vadit pars, quod fieri debeant de presenti in hoc consilio duo nostri provisores solemnes ad eundum versus illas partes pro istis factis et aliis, que eis committenda viderentur, per duas manus electionum et una per scruptinium inter dominum, consiliarios, capita et sapientes utriusque manus, qui possint accipi de omni loco et officio et judicatu petitionum, auditoribus et aliis officiis, qui sunt ad dictam condicionem, et nominari debent, ut in suis capitularibus continetur, et teneantur respondere hodie per diem vel cras ad tercias ad longius, non possendo refutare sub pena ducatorum centum pro utroque, et habeant de salario ducatos trecentos pro primis quatuor mensibus pro quolibet et ab inde in antea libras I. in mense et ratione mensis, ducendo secum tres famulos pro quolibet, unum notarium cum uno famulo, unum expensatorem et unum coquum; possint expendere ducatos tres in die pro utroque tam in galea quam in terra, si esset necesse, quod irent in terram, in omnibus expensis quomodocumque occurrentibus, non intelligendo de scortis nec agociis equorum, que essent eis necessaria, et recedant quondocumque sibi mandabitur per dominium. Verum ante suum recessum venietur ad istud consilium, et providebitur de comissione sua, et de modo et ordine, quem servare habebunt, et de expedicione nostrarum galearum Lauredane et Barbadiche, et de omnibus aliis, que neccessaria videbuntur pro bono status nostri, conservatione et securitate locorum nostrorum et nostrorum subditorum et fidelium. De parte 66, de non 22, non sinceri 21.

Misti XLIII. 158, u mlet. arkivu.

DXXXV. God. 1396. 29 listopada, u Mletcih.

Dalje naredbe ob istom predmetu.

1396. indictione quinta, die XXVIIII octubris. Ser Leonardus Dandulo miles procurator, ser Pantaleo Barbo miles, ser Johannes Barbadico miles, ser Michael Steno procurator, sapientes consilii; ser Fantinus Quirino, ser Franciscus Superantio, ser Alexander Georgio, sapientes ordinum. Capta: quia existentibus negociis Romanie in terminis, in quibus rationabiliter esse debent propter conflictum domini regis Hungarie, capitaneus noster culphi se reperiet in magna perplesitate tam propter dubium galearum nostrarum maris maioris quam civitatis Constantinopolitane, propter quam causam sapiens res est, quanto prestius esse potest, dare sibi subventionem et linguam, ita quod de novo senciat a nobis aliquid de nostra

intentione, et habeat nostra mandata; vadit pars, quod, quanto prestius esse poterit, expediatur presens galea Barbadica, que hic est, et per illam mittatur mandatum nobili viro ser Johanni Lauredano, qui est in partibus Parencii, quod levatis hominibus, remis, biscoto et aliis rebus, que mittuntur sibi pro sua galea, ac pecunia, que mittitur capitaneo nostro culphi pro sua subventione, que esse debeat ducatorum quinquemillium, cum ipsa galea Barbadica tantum presto et solicite, quantum poterit, ire debeat ad inveniendum capitaneum nostrum culphi versus partes Nigropontis et Constantinopolis, et si non inveniet eum a Nigroponte citra, quando erit in Nigroponte debeat esse cum baiulo et consiliariis Nigropontis, et inter eos diligenter et solicite videri et examinare omnia nova, que ibi habebuntur de dicto nostro capitaneo et de factis Romanie; et si per nova, que habebuntur, videbitur eis vel maiori parti, quod cum istis duabus galeis possit ire cum securitate ad dictum nostrum capitaneum, tunc in bona gratia vadat presto cum ipsa galea Barbadica ad eum. Quando autem per nova, que sentiret et haberet, videretur sibi, quod non possit ire secure nisi haberet maiorem societatem galearum, tunc de presenti et quanto prestius poterunt, providere debeant, quod habeat de galeis deinde tam deputatis ad custodiam insule quam duche Egeopelagi, unam vel omnes tres, si necesse eis videbitur, ut secure possit, ire ad capitaneum antedictum. Quando autem non videretur eis, quod cum omnibus dictis galeis, que essent quinque numero, ire posset, tunc de presenti debeant providere per illas vias et modos, qui eis videbuntur, quod capitaneus noster predictus sit informatus, quod ibi sint dictus ser Johannes cum ipsis duabus galeis, ut de eo providere possit, secundum quod sibi videbitur opus esse. Capitaneo vero culphi predicto scribatur, quomodo sensimus ista nova de conflictu domini regis, de quibus habuimus maximam displicentiam et turbationem, et propterа licet certi sumus, quod tamquam solicitus, vigil et attentus ad omnia concernentia honorem et statum nostrum habebit spiritus et mentem suam ad securitatem galearum nostrarum Romanie ita, quod cum dei auxilio secure redire poterunt, et quod similiter vigilabit quantum poterit ad conservationem et securitatem civitatis Constantinopolis, tamen providimus de mittendo sibi huiusmodi nostras galeas cum ducatis quinque millibus pro subventione galearum sibi comissarum, volentes et fidelitati sue mandantes, quod super omnia habeat spiritus et cogitationes suas ad providendum, quod ipse galee viagii Romanie possint cum securitate redire, ita quod non possint damnificari vel molestari a Turchis. Et similiter debeat toto posse vigilare ad conservationem civitatis Constantinopolitane predicte, confortando dominum imperatorem et suos, quantum poterit, cum illis verbis, que sibi videbuntur ad sustinendum se et statum suum, quia infalibiliter providebitur per principes christianos super istis negotiis ita potenter, quod de Turchis non poterunt dubitare, et super omnia in omni casu attendat ad securitatem mercatorum nostrorum ibi existentium et sui haveris, non recedendo deinde sine nostro speciali mandato, donec cum securitate et sine defectu poterit ibi stare. Quando autem casu aliquo, qui posset accidere, aliquid occurreret de dicta civitate Constantinopolis, ita quod videretur sibi non posse ibi stare cum securitate, tunc faciat provisionem, quam facere poterit, ad securitatem galearum nostrarum Romanie, ita quod non venirent in manus inimicorum, in casu quo non descendis-

sent, et reducat se ad partes inferiores, habendo spiritus suos ad securitatem et conservationem insule nostre Nigropontis et aliorum locorum nostrorum, secundum quod sapientie sue videhitur opus esse, ita quod conserventur ad nostrum honorem, non recedendo de dictis partibus sine nostro speciali mandato, sed nutriendo se deinde, ubi sibi videbitur opus esse, donec alius sibi mandabitur. Sed super omnia in omni casu sit ipse capitaneus solicitus et attentus ad denotandum nobis per omnem viam et per omnem modum, quem poterit, omnia, que fecerit, habuerint et sequentur pro nostra informatione, ut providere possimus, secundum quod nobis videbitur opus esse. Avisetur etiam, quod si videretur modum per ea, que deinde haberent, de possendo sine preiudicio agendorum sibi commissorum remittere nostras galeas ad custodiam insule Nigropontis, quod istud faciat et similiter de aliis nostris ad disarmandum pro utilitate nostri communis. De parte 64.

Expeditis autem dictis duabus galeis venietur ad istud consilium, et providebitur, si videbitur, de mittendo provisores nostros ad illas partes, et de modo, quo ire debebunt, ac de aliis, que videbuntur, quia omni die plura habebuntur et sentientur de istis factis.

Ser Lodovicus Delphino consiliarius, ser Dominicus Zane, sapientes ordinum. Volebant, quod ser Johannes Lauredano solus cum sua galea ire deberet ad inveniendum capitaneum nostrum culphi versus partes Nigropontis et Constantinopolis, et si non inveniret eum a Nigroponte citra deberet in ipso loco esse cum baiulo et consiliariis Nigropontis, et inter eos diligenter videre et examinare omnia nova, que ibi habebuntur de dicto nostro capitaneo et de factis Romanie, et ibi exequi in omnibus et per omnia pro ut in parte aliorum sapientum continetur, et quod galea Barbadica, que portabit istud mandatum dicto ser Johanni, debeat se nutrire in partibus Istrie, donee aliud haberet in mandatis a nobis, ut cum illa possit provideri tam de missione nostrorum provisorum quam de omnibus aliis, que comittenda viderentur dicto capitaneo culphi. De parte 20, de non 0, non sinceri alii.

Consiliarii. Capta: quod nobiles viri ser Nicolaus Valaresso et ser Nicolaus Fusculo, electi provisores ad partes Romanie, absolventur a dicta provisoria propter defectum persone, iurantibus ipsis causam esse veram.

Capta: quod pro subventione galearum nostrarum culphi, que, cum indigent subventione, pecunie accipiantur de danariis provisorum nostri communis ducati quinque millia, prout est solitum in casibus opportunis accipere.

Misti XLIII. 158, u mlet. arkivu.

DXXXVI. God. 1396. 29 listopada, u Mletcih.

Naputak za kneza u Skadru i načelnika u Drivastu, kako da sude u gradjanskih i u karnih stvarih. Vladini dohodci u gradu Drivastu.

1396. die XXIX mensis octubris. Capta: quia in ellectione comitis et capitanei nostri Scutari continetur, quod ipse debeat facere rationem et iusticiam fidelibus nostris loci sibi comissi in civilibus et criminalibus,

sicut ei committatur per istud consilium, propter quod est opportunum dare sibi ordinem, quem servare habeat super hoc; vadit pars, quod ipse comes et capitaneus noster Scutari debeat facere rationem et iustitiam in criminalibus secundum formam ordinum nostrorum; in civilibus autem ordinetur, quod per iudices solitos eligi per homines dicte terre, qui sunt quatuor, fieri debeat ius ab ipperperis decem infra, ab ipperperis decem supra rector noster faciat eis ius, secundum quod ei secundum deum et iusticiam apparebit justius et honestius, adherendo quantum poterit ordinibus et consuetudinibus deinde, in quantum sibi iusti et rationabiles videantur; declarando, quod quilibet habeat libertatem appellandi se de sententiis, que fierent per ipsum comitem et capitaneum contra eos, secundum quod habent alii nostri subditi tam in civilibus quam criminalibus; de sententiis autem, que fierent per ipsos iudices, possint infra unum mensem habere recursum ad ipsum nostrum comitem et capitaneum, et illud, quod per ipsum terminatum, debeat habere vigorem et mitti executioni.

Capta: Potestati autem Drivasti similiter ordinetur, quod faciat rationem et iustitiam suis subditis in criminalibus secundum formam nostrorum ordinum, in civilibus autem, secundum quod sibi secundum deum et iustitiam iustitius et rationabilius apparebit, adherendo quantum poterit statutis, ordinibus et consuetudinibus deinde in quantum sibi iusti et rationabiles appareant, cum conditione quod de sententiis latis per eum quilibet possit habere recursum ad advocatores et auditores nostros, si reputaverint se gravatos.“

Subjungitur, quid faciendum, si baiulus Durachii, graviter infirmatus, e vita decederet. Data una pecia panni florentini provisori pro Comino Spata et comite Nicheta, ut possit facilius inducere ipsos ad se submittendum intentioni reipublicae.

„Capta. Item quia bonum est limitare et dare ordinem de eo quod dare et solvere debent nostro communi fideles nostri Drivasti de introitibus debentibus pervenire in nostrum commune de territoriis et possessionibus, quas possident; habito respectu, quod territoria dicti loci sunt nostri communis, et semper fuerunt dominorum, qui dominati fuerunt dicte terre non obstante, quod illas possederint et possedeant ad presens; vadit pars, tractando ipsos benignius quam tractati fuerint per tempora preterita, quia domini sui preteriti accipiebant sibi illud, quod volebant et quantum eis placebat, quod ipsi nostri fideles solvere et dare debeant omni ano nostro communi decimam partem omnium fructuum bladorum, vinorum et olei, quos et que percipient de territoriis et possessionibus, quas possident, remanentibus tamen firmis aliis angariis tam personabilibus quam aliis, in quibus obligati sunt nostro communi, a quibus angariis dictus potestas non possit eos absolvere ullo modo. Verum ultra hoc mittatur dicto nostro potestati, quod, quando erit deinde, videre et examinare debeat, si videret aliam viam et modum de possendo procurare utilitatem et avantagium introituum nostri communis, quod scribat nobis omnia distincte et ordinate, ut possimus providere, secundum quod nobis utile apparebit.“

Misti XLIII. 157, u mlet. akivu.

DXXXVII. God. 1396. 29 listopada, u Mletcih.

Dozvoljeno Ivanu Saracenu, gospodaru Osora i Cresa neka si jednu galijicu u Mletcih nabavi, da njome morske gusare ukroti.

1396. indictione quinta, die XXVIIII octubris. Capta: cum comparuerint ad presentiam dominii duo ambassiatores pro parte domini Johannis Saraceni, domini Abseri et Chersi, instantes et humiliter supplicantes, quod cum ille insule sue multum damnificate sint et quotidie damnificentur a piratis, placeat concedere, quod possit recuperare vel fieri facere in Venetiis unam galeotam, quam possit tenere ad ipsas suas insulas et armari facere ad suam defensionem; vadit pars, considerato quantum dictus dominus Johannes Saraceni est amicus nostri dominii, et causas, propter quam illam requirit, quod complaceatur eidem, quod possit hic in Venetiis recuperare galeotam predictam; et si illam recuperare non posset, possit fieri facere unam, et illam conducere ad insulas supradictas cum conditione, quod promittat non alienare eam sine nostra conscia nec armare nisi in suam defensionem, secundum quod eam requirit.

Misti XLIII. 158, u mlet. arkivu.

DXXXVIII. God. 1396. 31 listopada, u Mletcih.

Njeki predlozi, u poslu iztočnih dogodjaja stavljeni, odbijeni.

1396. indictione quinta, die ultimo octubris. Ser Leonardus Dandulo miles procurator, ser Barbadico miles, sapientes consilii; ser Alexander Georgio sapiens ordinum. Quia non potest esse aliud quam utile pro tota christianitate reddere informatum specialiter dominum papam de istis novis, que habentur de conflictu domini regis Hungarie tamquam personam, ad quam principaliter spectat superinde providere: vadit pars, quod possint scribi litere ipsi domino pape, domino regi Francie et Anglie ac domino imperatori, significando eis casum et de illo condolendo pro bono christianitatis in illa forma, que videbitur collegio domini, consiliariorum, capitum et sapientum utriusque manus, non obligando tamen nos ad rem aliquam, que per futura tempora posset esset obbligatoria et preiudicativa nobis et statui nostro. De parte 45 42. Capta: de non 50, 60; non sinceri 15, 11.

Ser Panthaleo Barbo miles, ser Michael Steno procurator, sapientes consilii; ser Fantinus Quirino, ser Franciscus Superantio, ser Alexander Georgio, sapientes ordinum. Quia omni die et de hora in hora novum, quod habitum fuit de conflictu domini regis Hungarie, sentitum est et sentitur esse gravius et periculosius pro tota christianitate et pro statu nostro ita, quod nobis posset esse maxime oportunum habere extra nostros provisores et personas sufficientes nostro nomine, que amplam habeant libertatem ad possendum providere super multis casibus, qui possent occurrere; vadit pars, quod sicut pridie captum fuit, quod fierent duo provisores per duas manus electionum in hoc consilio et per scruptinium in collegio domini, consiliariorum, capitum et sapientum consilii et ordinum, ita fieri debeant, ut res sit magis communis, per scruptinium in isto consilio, et illi duo, qui habuerint plures ballotas aliis, transeundo medietatem consilii, sint firmi. Verum habere debeant ducatos trecentos pro primis tribus mensibus et ab inde in antea duc. XXX in mense et ratione mensis pro utroque, cum omnibus aliis modis et condicionibus contentis in parte pridie super hoc capta.

Et quia est necessarium providere de navigio, cum quo conduci debebunt, ordinetur, quod, quanto prestius fieri poterit, expeditis duabus galeis, sicut nundius tertius captum est, armari debeat ad cameram armamenti una galea de novo quanto prestius fieri poterit, cum illo saldo, quod deliberabitur per collegium antedictum, et fiat de presenti supracomitus ipsius in isto consilio per duas manus electionum et una per scruptinium inter collegium suprascriptum, qui habeat de salario ducatos triginta in mense, et pagam trium mensium, et ita fiat aliis hominibus dicte galee et cum comissione et aliis conditionibus omnibus supracomitorum culphi. Salvo quod teneatur respondere cras ad tercias, ut possit celerius cum dictis pagatoribus vigilare ad expeditionem et armamentum galee suprascripte. De parte 25, capta de non 72, non sinceri 17.

Misti XLIII. 158, u mlet. arkivu.

DXXXIX. 1396. 4 prosinca, u Mletcih.

Mletčani nastoje, da dobiju u svoje ruke Raspurk i Latisanu uz zajam. Kneginju senjsku obodravaju, neka tvrdo brani svoja imanja.

1396. indictione quinta, die quinto decembris. Ser Petrus Aymo miles, ser Michael Steno procurator, sapientes consilii. Capta: quia nobilis vir ser Marinus Storlato capitaneus Raspurch per unum suum nuncium nobis notificari fecit, qualiter quidam servitor domine comitisse Segnie fecerat sibi mentionem, si nos attenderemus de habendo in pignus Castrum Novum pro ducatis tribus millibus, et quod dixit dicto nuncio, quod non faceret pro nobis nisi fieret mentio simul de factis Raspurch, ad quod dictus nuntius respondit, quod de illo similiter aliquid fieri posset. Fecit etiam nobis dici, quod per capitaneum Latisane, qui est subditus dominorum Goricie, ipse fuit similiter requisitus, quod si nos attendimus ad volendum habere dicta duo loca ab ipsis suis dominis Goricie, quorum sunt, quia domina comitissa soror eorum habet illa in pignus pro XIII millia ducatis ab eis, ipsi pro complacendo nostro dominio et pro confirmatione amoris, qui fuit inter nos et dominum Maynardum comitem Goricie eorum patrem, nobis illa dabunt in pignus pro bono tempore. Et considerato magno fructu et utilitate proveniente locis nostris Istrie de dicto loco Raspurch, quia postquam illum habuimus, terre nostre Istrie non fuerunt damnificiate de uno obolo, pro nobis faciat attendere ad habendum ipsum locum, quia alicubi non posset construi aliquis alius locus, qui foret ita utilis et dexter, et in quo non spenderetur tanta et maior summa pecunie illa, que dabitur comitibus antedictis vel domine comitisse: vadit pars, quod respondeatur dicto nostro capitaneo Raspurch, quod placet nobis et sic fidelitati sue mandamus, quatenus det operam de dando principium et prosecutionem tractatui de castro Raspurch cum capitaneo Latisane, qui sibi mentionem de hoc fieri fecit; et in casu quo ipsum locum habere possit in pignus a dominis Goricie, quia de Castro Novo nos nolumus impedire, sumus contenti, quod ipsum accipere debeat cum iuribus et iurisditionibus suis, villis, pertinentiis et intratis, possendo expendere usque ad quantitatem ducatorum XV millia, faciendo quam melius poterit. Sed est nostra intentio, quod ipsum habeamus per tempus annorum octo ad minus et inde supra quanto plus posset, et similiter, quod expense, que necessariis occurrerent in repara-

tione loci, et sine quibus rationabiliter fieri non potuisset, nobis solvantur et restituantur, et quando istud non posset obtinere de istis expnsis, non stet propterea de concludendo, dummodo detur nobis saltem per tempus annorum octo vel inde supra et cum villis, iuribus, iurisdictionibus et introitibus suis, habendo memorie de quatuormillia ducatorum, quos habere debemus a domina comitissa, ita quod scontentur in quantitate, que promitteretur comitibus antedictis, vel provideatur per talem modum, quod ipsos habere possimus. De facto autem alterius tractatus, de quo sibi facta fuit mentio per illum servitorem domine comitisse, scribatur capitaneo andedicto, quod nos providimus superinde per alium modum, scilicet in mittendo ad dictam dominam nuncium nostrum pro ista et alia causa ita quod non est necesse, quod in hoc laboret ulterius, significando nobis tamen de die in diem illud, quod sequitur de tractatu suprascripto cum comitibus Goricie pro nostra informatione, ut possimus super illo, si aliter fuerit necessarium, providere.

Et ex nunc sit captum, quod pro responsione literarum ipsius domine comitisse, quas pridie nobis misit, requirendo auxilium et consilium nostrum, et pro isto facto Raspurch, mittatur ad dictam dominam comitissam unus noster nuncius sufficiens cum literis credulitatis, cui comittatur, quod post salutationem et oblationem solitam debeat sibi dicere, quomodo recepimus pridie suas literas antedictas, in quibus post novorum significationem, quam nobis facit, ipsa nos rogat de predictis duobus, scilicet, de consilio et auxilio, et quod ad factum consilii nos scimus ample consulere, quod studeat tenere loca sua bene munita et custodita ita, quod illa sibi in omni casu valeat conservare, et quod cum aliis dominis et baronibus regni constans et fortis sit ad conservandum partes circhavicinorum suorum, quia sic faciendo conservabunt suas. Ad partem autem auxilii respondemus, quod propter multa loca, que habemus in partibus Romanie, et similiter alii christiani, est necesse, quod habeamus et armemus ad presens multas galeas ituras ad illas partes, ut possint concedente domino conservari a Turchis, propter quod et multas ex nostris gentibus, que cum eis ibunt, non videmus modum de possendo sibi de dictis nostris gentibus subvenire. Sed si placeret magnitudini sue pro habendo pecuniam, cum qua posset facere facta sua, quod nos daremus sibi illas VI millia ducatorum, que nobis restituit pro castro Raspurch, dando et relinquendo nobis locum cum modis et condicionibus primis, nos parati sumus istud facere, promittendo nobis similiter de non accipiendo illud nisi quando sui fratres redimere ipsum vellent ab ea. Et si dicta domina erit de hoc contenta, dictus muntius debeat contentari nostro nomine et facere, quod de hoc fiant illa instrumenta, que necessaria fuerint, et pro hoc habeat mandatum ad plenum de possendo istud facere. Si vero contentari nollet, et videret, quod differentia esset in quantitate pecunie vel in aliquibus aliis, tunc accipiat suam finalem intentionem, scribat et expetet nostrum mandatum. De parte 67.

Ser Pantaleo Barbo miles, sapiens consilii; volebat, quod inciperetur primo ab isto tractatu domine comitisse et quod mitteretur nuncius, ut superius dictum est, et quando possit habere effectum, bene quidem, quando autem non, quod postea daretur libertas capitaneo Raspurch de experimentando, si per viam capitani Latisane et comitum Goricie adimpleri poterit

nostra intencio per illum modum, qui isti consilio utilis apparebit. De parte 23, de non 1, non sinceri 10.

Secreta Consilii Rogatorum R. 133, u mlet. arkivu.

DXL. God. 1396. 16 prosinca, u Mletcih.

Šalje se pouzdanik u Ugarsku, neka razvidi, jeda li su Turci upravo u ovu zemlju unišli, i kako se u obće ondje stvari nalaze.

1396. indictione V, die 16 decembris. Sapientes consilii et sapientes ordinum. Capta: quia est res sapiens habere plenam et veram informationem de novis Hungarie, et de his, que dicuntur et referuntur de factis Basiti, quod videtur intrasse dictum regnum; vadit pars, quod possit mitti una sufficiens et discreta persona et bene informata de conditionibus et baronibus dicti regni ad partes illas, que ire ostendat de inde pro factis suis, et studeat sentire et investigare caute et secrete omnia nova, que habebuntur in dictis partibus ab illis personis, que sibi videbuntur, tam de factis Basiti, quam de tractatibus, quos haberet in regno, et de dispositionibus prelatorum et baronum; et totum illud, quod habere et sentire poterit per quemcumque modum, quanto prestius poterit, nobis studeat reportare, ut simus de omnibus informati et providere possimus, sicut nobis videbitur opus esse; et quod nuntius stare debeat de inde, si videbitur ibi posse stare cum securitate, scribendo continuo et de tempore in tempus illud, quod sentiet et habebit, et quando videbitur sibi cum securitate stare non posse, Venetias revertatur, de omnibus informatus. De parte 53, de non 4, non sinceri 1.

Secreta Cons. Rog. R. 134, u mlet. arkivu.

DXLI. God. 1396. 16 prosinca, u Mletcih.

Mletčani obavieščuju kraljevske namiestnike u Budimu, da je ugar.-hrv. kralj srećno došao u njihov grad Koron u Grčkoj. Isto tako se piše rimskomu cesaru i austrijskim vojvodam.

1396. indictione IV, die 16 decembris. Sapientes consilii et sapientes ordinum. Capta: quod scribatur dominis rectoribus in Buda pro serenissimo domino rege Hungarie in hac forma:

Quia certi reddimur, quod vos tanquam fideles et devoti sacre regie maiestatis Hungarie, certum et incolumen eius redditum ad partes Adriatici maris summa affectione cupitis persentire, magnitudini vestre presentibus nunciamur, quod per unum nostrum navigium veniens de locis nostris Coron et Mothon presentialiter habuimus, qualiter ipse dominus rex cum comitiva sua et aliquibus nostris galeis ac galea Jadratinorum die sexto mensis instantis ad loca nostra applicuit antedicta, propter quod considerato dierum lapsu ac preteritorum temporum qualitate, speramus, quod deo duce ipsum de brevi poteritis incolumen revidere, de quo pro bono christianitatis, utilitate regni et sue maiestatis contemplatione assummemus consolationem et letitiam cordialem.

Et similiter scribatur domino imperatori Romanorum ac ducibus Austrie in illa forma, que pertinens videbitur et honesta.

Secreta Cons. Rog. R. 134, u mlet. arkivu.

DXLII. God. 1396. 21 prosinca, u Mletcih.

Mletčani odgovaraju poslanikom cara rimskoga Venceslava na pitanje, znadu li šta o sudbini kralja ugarskoga Sigmunda.

1396. indictione V, die 21 decembris. Ser Leonardus Dandulo miles procurator, ser Panthaleo Barbo miles, ser Petrus Aymo miles, ser Johannes Barbadico miles, ser Michael Steno procurator, sapientes consilii. Capta: quod respondeatur ambasiatoribus serenissimi domini Romanorum et Bohemie regis etc.

Ad septimum capitulum faciens mentionem, si aliquid sentimus de serenissimo domino rege Hungarie; et si sentiremus eum in aliquibus necessitatibus vel augustiis, quod provideamus sibi de remedio etc., respondeatur: quod illud, quod sentimus et habemus de ipso domino rege ipsi sentiunt et habent ut nos de sinistro et infelici casu eius et sui esercitus. Novit deus, quem nil latet, nos portavimus et portamus illam cordialem displicentiam et passionem, quam portare possumus tam propter singularem caritatem, qua coniuncti sumus secum, quam propter damna, que ex casu illo sequentur regno suo et toti christianitati, pro cuius regni conservatione, regis et corone Hungarie ea, que elapsis temporibus fecimus, certi reddimur fore ita publica toti mundo, quod circa eorum narrationem non intendimus laborare; et ita ad presens facimus et sumus dispositi facere in futurum in his, que rationabiliter fieri possunt parte nostra. 99, de non 2, non sinceri 2.

Secreta Cons. Rog. R. 135, u mlet. arkivu.

DXLIII. God. 1396. 27 prosinca, u Mletcih.

Šalje se poslanik na susret ugar.-hrv. kralju.

1396 indictione V, die 27 decembris. Ser Panthaleo Barbo miles, ser Petrus Aymo miles, sapientes consilii. Quia per istam navim Santucii de Benedicto, qui heri Venetias applicuit, sensum est, quod una griparia de Mothono, que erat in Parentio seu homines ipsius referebant, quod die sexto mensis presentis applicuerunt Mothonum quatuor galee, una de Jadra et tres nostre, super quibus erat serenissimus dominus rex Hungarie cum comitiva sua; et bonum sit sentire veritatem istorum novorum et similiter habere informationem de modo, quem servabit ipse dominus rex in descensu suo, et de deliberatione sui ascensus ad partes Hungarie: vadit pars, quod per unum ex lignis nostris riperie Istrie vel Marchie bene in puncto et in ordine tantum presto, quantum esse poterit, mittatur unus noster nuncius ad exequendum predicta; cui committatur, quod cum dicto ligno ire debeat solicite et presto usque ad partes Ragusii, eundo per ripariam de loco ad locum, investigando et senciendo in omni parte de ipso domino rege, et ubi est, aut in quo loco descenderit. Et si a Ragusio citra in via vel in aliquo loco, in quo descenderet, inveniet ipsum dominum regem, tum com-

pareat ad suam presentiam cum nostris literis credulitatis, et facta sibi devota et honorabili salutatione parte nostra ac oblatione generali cum illis pertinentibus verbis, que sue sapientie videbuntur, exponere debeat maiestati sue, qualiter nos, cupientes habere claram et veram informationem de adventu suo ad has partes, quod affectione permaxima optabamus, et de quo aliquid, licet non certitudialiter habebamus, misimus eum versus dictas partes, ut sentire possemus, si verum erat, significantes sue excellentie, quod de infelici casu suo et sui exercitus teste deo illam cordialem amaritudinem sensimus, quam sentire potuimus tam propter singularissimam caritatem, quam semper gessimus et gerimus ad excellentiam suam, quam propter damna et pericula, que sequi videmur generaliter toti populo christiano. Sed isti sunt de eventibus belli, qui male sepe vitari possunt, et propterea necesse est, ut sua maiestas faciat de necessitate virtutem, et forti ac constanti animo provideat ad illa remedia, que salutifera sint tam regno quam toti populo christiano predicto. Et sicut de casu predicto intrinsece et immense condoluimus, ita exultavimus et exultamus sentientes, ipsam suam excellentiam incolumen rediisse. Et si dominus rex diceret nuncio nostro, quod videretur nostro dominio, si ipse veniret personaliter Venetias pro eundo ad partes regni sui, tunc dicere debeat, quod de hoc nullam informationem a nobis habuit, quia dominatio nostra certissima est, quod maiestas sua est ita sapientissima et habet ita solemne consilium apud se, et est ita plene informata de omnibus novis partium suarum, quod sapientes et mature deliberabit id, quod necessarium erit et utile sui transitus supradicti. Sed si nuncius inveniret cum ipso rege capitaneum nostrum culphy sive vicecapitaneum, ipse capitaneus sive capitanei exponat verba predicta, et ob hoc ad cautelam mittatur sibi littera credulitatis. Si vero inveniret galeas nostras venire Venetias sine rege, non procedat ulterius, sed Venetias revertatur. De parte 8.

Ser Dominicus Zane sapiens ordinum. Volebat partem aliorum sapientum consilii per totum, salvo quod vult, quod statim eligatur per scrutinium in hoc consilio unus solemnis ambasiator, qui possit accipi de omni loco et officio et judicatu peticionum, non perdendo officium nec utilitatem eius pro istis diebus. Teneatur respondere cras ad tercias, non possendo refutare sub pena librarum centum, ducendo illam familiam, que videbitur dominio, ad expensas ducatorum trium in die. Sed vult quod si dominus rex esset pro stando in partibus Dalmatie, quod ipse debeat remanere deinde, donec ipse dominus rex remanebit, notificando nobis per presens lignum omnia, que habebit, et hoc in casu, quo ibi remaneant et sint nostre galee. De parte 13, capta de non 84, non sinceri 7.

Secreta Cons. Rog. R. 135, u mlet. arkivu.

DXLIV. God. 1397. 4 siečnja, u Spljetu.

Sigismundus rex Hungariae etc. scribit republicae venetae circa provisionem mille ducatorum, quos assignavit egregio viro domino Thomae Mocenigo.

Alia littera a Sigismundo missa eidem reipublicae eiusdem tenoris, data „Spaleti feria quinta proxima post circumcisionem domini nostri iesu christi anno domini millesimo trecentesimo nonagesimo septimo."

Commemorialium IX. 92, u mlet. arkivu.

DXLV. God. 1397. 5 siečnja, u Modrušah.

Ana kneginja senjska moli Mletčane, neka joj izkupe srebrninu založenu u Mletcih za 1200 dukata, a da će jih namiriti sa žitom ili s vesli. Nudi jim Novo u zalog.

Serenissime princeps domine et amicè honorande, premisso quicquid possumus servicii reverentie et honoris. Vestre serenitati tenore presentium denotamus, quod dominus noster rex in brevi ad has nostras partes est venturus, prout ne forte vobis de hoc patet evidenter. Et quia nostra argenteria est nunc ad presens Veneciis impignorata per nos, nec habemus, cum quo sue maiestati debitos honores et reverentiam tales ad presens facere, prout deceret et conveniret, vestre igitur supplicamus maiestati affectu quo possumus cariori, quatenus dictam argenteriam per nos impignoratam nunc in ista nostra maxima opportunitate redimere dignemini et velitis, pro redemptione autem cuius vobis curialiter persolvemus et dabimus aut bladum aut remos, dummodo vestra serenitas nobis hanc singularem gratiam et complacentiam facere voluerit, prout speramus; quam si peragere volueritis, tunc ser Marco Marcerio concivi et servitori vestro loco et nomine nostro dictam argenteriam dare et, assignare dignemini nobis eandem ad destinandum, que vero argenteria stat in pignore pro mille et ducentum auri, secundum quod dictus ser Marcus vester concivis vestram serenitatem habilius de hoc informabit oretenus. Insuper vobis supplicamus instanter, prout alias vobis supplicavimus, quatenus nobis mutuo dare dignemini tria millia ducatorum super Castronovo, secundum quod nobis est impignatum per fratres nostros comites Goricie.

Anna comitissa et Nicolaus eius natus comes Vegle, Modrusse etc. Ubi data die V mensis ianuarii. A tergo namque scriptum est: serenissimo principi et domino domino Anthonio Venerio dei gratias inclito duci Venetiarum etc. eorum ut domino et amico venerando.

Commemorialiam IX. 29, u mlet. arkivu.

DXLVI God. 1397. 5 siečnja, u Mletcih.

Mletčani upućuju pomorskoga kapetana kako da se vlada, ako bi ugar. kralj kanio u Mletke doći.

1396. die quinto ianuarii. Sapientes consilii et sapientes ordinum. Capta: quia est honor nostri dominii habere provisionem propter illa, que habita sunt tam de domino rege Hungarie quam de nostris galeis ad reditum dicti capitanei nostri Venetias et ad sentiendum, si dominus rex predictus debet venire ad civitatem nostram, ut honorari possit, secundum quod decens est: vadit pars, quod presto mittatur una nostra barcha bene armata ad sex remos versus dictum nostrum capitaneum, comittendo patrono, quod vadat per riperiam usque Ragusium, dando operam de sentiendo et inveniendo capitaneum nostrum predictum, cui debeat nostras literas presentare, per quas scribatur capitaneo antedicto, quod recepto presenti nostro mandato, in casu quo deposuerit dominum regem predictum, licentiata galea Candide et galea Corphoy, quod vadant ad disarmandum cum galeis nostris de Venetiis, in bona gratia Venetias revertatur, et similiter facere debeat, si post receptionem ipsius nostri mandati ipsum do-

minum regem deponet. Si vero non deponeret eum, quia ipse deliberaret venire Venetias, volumus, quod in isto casu premittat nobis una de suis galeis cum plena informatione omnium, que habebit, et veniat differendo et bistantando tantum, quod saltem per unam diem, antequam possit esse Venetiis, nos recepeiimus galeam predictam, ut possimus providere his, que sint secundum honorem suum et nostrum. De parte 83, de non 3, non sinceri 1.

Misti XLIII. 165, u mlet. arkivu.

DXLVII. God. 1397. 11 siečnja, u Mletcih.

Savietuje se poslanikom francezkoga kralja i velikaša, neka predju u Dalmaciju k ugar.-hrv. kralju, koj će jih najbolje obaviestiti o francezkih zarobljenicih, nalazećih se u Srbiji. Odredjuje se oboružanje galija za obranu mora.

1396. die undecimo ianuarii. Sapientes consilii et sapientes ordinum. Capta: quia isti Gallici, qui huc venerunt pro parte serenissimi domini regis Francie, domini ducis Burgondie et aliorum dominorum Francie, nobis in effectu dixerunt, quod ipsi habent in mandatis a dominis suis non debendi repatriare, nisi videant captivos suos, et videntur velle incipere a domino comite Nivernense filio dicti domini ducis Burgondie, et successive postea velle ire Constantinopolim et deinde in Turchiam ad videndum alios, qui ibi sunt, requirentes consilium nostrum et nostrum auxilium et passagium ad possendo implere predicta; vadit pars, quod respondeatur et dicatur eisdem, quod novit deus passionem, quam portavimus de infelicissimo casu magnatum et nobilium predictorum tam ob contemplationem excellentissimorum principum Francie, quam pro bono fidei sancte dei, et recipiemus magnam consolationem, quando sentiemus, ipsos liberatos esse; sed sicut sibi diximus et dici fecimus, consilium et parere nostrum est, postquam serenissimus dominus rex Hungarie est mansurus in partibus Dalmatie aliquo tempore, ut habemus, et rationabiliter debet habuisse responsum de nunciis, quos misit in Rassiam pro factis domini comitis antedicti, quod directe et principaliter vadant ad presentiam suam, et ab ipso senciant omnia, que fuerint et habuerit, ac se informent de viis et modis, quos in illis partibus servare habent pro visitatione captivorum suorum, qui sunt in Rassia. Et ut hoc facere possint, faciemus sibi dari unam de nostris galeis, que ipsos conducet ad dominum regem predictum, et comittemus patrono, quod eos attendat in loco, in quo ipsos deponet duobus vel tribus diebus, ut postea, si deliberabunt, possit ipsos conducere Ragusium vel ad alias partes intra culphum, et deinde prosequi viam suam, quia ipsis depositis providere poterunt de eundo ad partes Rassie ad implendum ea, que habent in mandatis. Et quia dicta galea multo tempore in mari fuit, ita quod non posset bene sequi viagium Constantinopolis, providimus de faciendo armari et expediri presto unam aliam nostram galeam, quam mittemus ad levandum et conducendum eosdem ad partes Constantinopolis, ut in totum possint exequi mandata dominorum suorum. Et ex nunc sit captum, quod facto cambio de coprire galee Barbadice, et levato biscoto pro se et galea Michaela, que est in partibus Parentii, ut possit redire in Cretam ad disarmandum, et similiter posito banco galee culphi, solicitari presto debeat armamentum istius galee pro eundo ad levandum dictos no-

biles et conducendum Constantinopolim, quam pro reddendo informatum dominum imperatorem Constantinopolis et alios partium deinde de provisionibus factis per nos et de subsidio galearum nostrarum, quod presto ibi habebunt, ut possint se conservare in statu suo et pro faciendo de aliis provisionibus per dictam galeam, que tunc temporis apparebunt. De parte 80, de non 25, non sinceri 9.

Die XI jannuarii. Quod ut possit dari executio his, que nunc capta sunt de complacendo istis Gallicis de una nostra galea de numero galearum nostrarum, que armari debent isto anno ad culphum, armari debeat de presenti una galea per solutores nostros camere armamenti, que banchum ponat die dominico, et supracomitus eius eligatur de presenti in hoc consilio per duas manus electionum et una per scruptinium inter dominum, consiliariorum, capitum et sapientum utriusque manus; habeat de salario ducatos XXX in mense, et respondeat cras ad tercias, cum omnibus aliis condicionibus solitis supracomitorum culphi. De parte 47.

Ser Blancus Barbo consiliarius, ser Leonardus Dandulo miles, ser Panthaleo Barbo miles, sapientes consilii; ser Bertucius Pisani sapiens ordinum. Capta: quod istud factum inducietur ad diem crastinam, et vocetur consilium sub pena soldorum centum. De parte 61, de non 3, non sinceri 3.

Misti 166, u mlet. arkivu.

DXLVIII. God. 1397. 26 siečnja, u Mletcih.

Odgovara se ugar.-hrv. poslanikom na zahvale njihova kralja o tom, što su mu mletačke galije u istoku na uslugu bile; ali se zabacuje predlog, da se istomu kralju odpravi poslaničtvo za dogovaranja u poslu rata proti Turčinu.

1396. indictione quinta, die XXVI ianuarii. Ser Paulus Dandulo caput de XL, Ser Leonardus Dandulo miles caput consilii rogatorum, ser Dominicus Zane sapiens ordinum. Capta: quia est necessarium dare responsionem et expeditionem istis ambasiatoribus domini regis Hungarie, qui stant hic cum maxima expensa, et requirunt deliberationem: vadit pars, quod dicatur et respondeatur eisdem in ista forma, quod nos plene notavimus et intelleximus ambasiatam eorum ordinate et sapienter expositam, ad partes cuius respondemus, et primo ad illam partem, quam tangunt, de modis servatis per capitaneum galearum nostrarum in presentando se cum nostris galeis maiestati regie, quando venit Constantinopolim, et offerendo se et nostras galeas ad omnia sua beneplacita et mandata, et de honore postea sibi et suis impenso tam per eum quam per supracomitum nostrum, de quibus et de aliis servitiis liberaliter factis per nos non tantum modo sed alias regno suo ipse dominus rex regratiatur nobis et cet., sic dicimus, quod novit altissimus, quem nil latet, una de cordialibus passionibus, quam senserimus a magno tempore citra, fuit quando audivimus infelicissimum casum maiestatis sue tam propter sinceram caritatem, qua afficimur ad personam suam, quam pro universali bono totius christianitatis; et nisi sentissemus et sentiremus incolumitatem sue persone, male de dicto casu consolari possemus. Sed postquam omnipotens eum salvavit, speramus, quod suo loco et tempore ista negotia taliter reformabuntur, quod procurari et recuperari poterit honor christianitatis, corone et regni

sui. Et si per capitaneum nostrum et alios nostros factum est aliquid, quod sit gratum et acceptum sue serenitati, de hoc recepimus magnam consolationem, quia fecerunt et adipleverunt mandata nostra et debitum suum.

Ad aliam partem dicte sue ambasiate, in qua narrant distincte et seriose provisiones factas per ipsum serenissimum dominum regem in Licostomo, Chaliachera et in Constantinopoli, sic dicimus, quod per illas et alias, licet altissimo placuerit aliter providere, quam sperabamus, comprehendi et videri potest satis clare virtus, sapientia et bona intentio et dispositio maiestatis sue circha ista facta, propter quam causam tum apud deum quam apud reges et principes mundi est dignis landibus extollendum, et reddimur satis certi, quod omnipotens, cuius res principaliter agebatur et agitur, retribuet sue serenitati in hoc seculo et in futuro, Verum quia in una parte tangunt, quod expensam, quam ipse dominus rex fecit in Constantinopoli, fuit, quia nostri sibi dixerunt, credere, quod nos non deseremus christianitatem, ad hoc dicimus, quod maiestas sua bene novit ea, que per nos facta fuerunt, et expensam, quam passi fuimus ob causas antedictas anno presenti, que in rei veritate magna fuit. Et nichilominus nolentes deserere christianitatem nec civitatem Constantinopolis nostro posse et alia loca deinde, providimus de armando adhuc de novo octo galeas, quarum eligimus capitaneum et supracomitos, et faciemus illas presto exire pro conservatione locorum nostrorum et parcium suprascriptarum, et similiter tractavimus et procuravimus cum Januensibus, quod ipsi armant in Janua quinque galeas et in illis partibus de locis suis habebunt, ut dicunt, alias quinque pro conservatione et subventione locorum predictorum, ita quod super hoc facte sunt et fiunt per nos ille provisiones, que honeste fieri possunt, ut loca suprascripta pro bono christianitatis valeant conservari. Ad alteram partem, in qua ipsi faciunt mentionem, quod dominus suus dominus rex non intendit desere christianitatem, sed intendere disponit totis viribus ad liberationem ipsius, sed propter damna, que noviter passus est, dictam intencionem sine alieno auxilio ad effectum perducere non valeret, quia extra regnum suum cum apparatu bellico contra infidelium multitudinem exire non posset sine alieno auxilio, et propterea si intencio nostra est, velle hoc factum amplecti secum, quod mittamus ad eum nostram ambasiatam cum plena potestate tractandi ligam et quecumque alia faciendi et cet., respondemus, quod nos consideramus similiter ea, que sapienter et veridice considerat ipse dominus rex, et tam damna, que passus est, ac dispositionem gentium suarum, de quibus dolemus immense, quam magnam potentiam et multitudinem infidelium et videmus et cognoscimus evidenter, quod maxime in presenti potentia dicti domini regis et nostra non esset sufficiens ad liberationem christianitatis, ut tangit, et persecutionem infidelium predictorum, quos videmus esse propter suam victoriam maxime exaltatos. Et ad faciendum provisionem ad depressionem eorum, et non facere illam sufficientem, videretur nobis damnosum potius quam utile, et propterea apparet nobis necessarium, quod ad hoc concurrat auxilium et subsidium aliorum regum, principum et communitatum christianitatis, ut illud, quod fieri debet, fiat ita potenter et ordinate, quod cum dei auxilio amplius sinistrum aliquod non occurrat, quia si occurreret, certe postea difficiliter mendaretur. Et quia cognoscimus clare satis, quod istud ita presto esse non potest, non videtur nobis expediens pro presenti mittere

propter hoc nostram ambasiatam ad presentiam dicti domini regis, imo ut diximus loquendo confidenter credimus esse bonum, quod maiestas sua requirat de aliis regibus et principibus mundi ad istud factum, cum communiter omnes tangat, et non vellet assumere totum istud onus in se, quod importabile sibi foret et nobis etiam, quando tempore et nos vellemus apprehendere tantum factum. Et nichilominus non restabimus propterea de faciendo interim exire nostras galeas, et ita facient Januenses suas pro conforto et conservatione civitatis Constantinopolis, locorum nostrorum et aliorum civitatum christianitatis, que sunt in faucibus infidelium predictorum; et ad cautelam, sicut tangunt in uno capitulo sue ambasiate, providimus de mittendo de presenti unam de dictis nostris galeis ad partes Constantinopolis pro conforto domini imperatoris et aliorum deinde,. et ut sint informati de subsidio, quod de brevi habebunt, et postea, quando tempus erit, et alii reges et principes se disponent et mittent suas ambasiatas, erimus parati mittere nostram, et facere de rebus, que fieri per nos poterunt, sicut in similibus casibus nostri progenitores semper fecerunt. De parte 56, 59.

1396. indictione quinta die XXVI ianuarii, Ser Pantaleo Barbo miles, ser Petrus Aymo miles, ser Michael Steno procurator, ser Thomas Mocenigo, sapientes consilii et sapientes ordinum. Quia ambasiatores sacre regie maiestatis Hungarie, qui fuerunt ad nostram presentiam, videntur esse cupidi de habendo prestam responsionem et expeditionem a nobis ad coclusionem et effectum sue ambasiate qui est pro factis Turchorum et christianitatis et etiam pro aliis factis, si necesse fuerit, et propterea rogant, ut placeat mittere nostram ambasiatam ad presentiam dicti domini sui; vadit pars, quod cum illis placibilibus verbis, que collegio videbunt, respondeatur et dicatur, quod dispositi domino suo domino regi velut amico singularissimo complacere, deliberavimus mittere et in brevi nostram ambasiatam ad presentiam suam ad audiendum illa, que maiestas sua dicere et declarare voluerit super factis predictis.

Et eligantur de presenti per scruptinium in hoc consilio pro mittendo ad ipsum dominum regem ad partes Dalmatie tres nostri solemnes ambasiatores, qui possint accipi de omni loco et officio et iudicatu peticionum et aliis officiis, que sunt ad dictam condicionem et de officio continuo, non perdendo offitium continuum nec utilitatem eius, et non accipiendo ultra unum pro domo et unum pro officio. Et respondeant die, qua fuerint electi vel altera ad tercias, nec possint refutare sub pena ducatorum centum pro quolibet. Et debeant habere dicti ambasiatores a nostro communi ducatos centum pro quolibet pro faciendo sibi unam robam pro honore nostri communis, possint expendere in die ducatos quinque pro quolibet in omnibus expensis quomodocumque sibi occurrentibus in tam oris quam agoziorum pro se et familia sua, exceptis emptionibus equorum et scortis secundum usum, debeant habere et tenere ad dictas expensas quatuor domicellos pro quolibet, unum notarium cum uno famulo, unum expensatorem, unum cocbum et unum mareschalchum ac duos ragacios pro quolibet. Et si aliquis recesisset ab octo diebus citra vel recederet de cetero, subiaceat pene, sicut si esset in Veneciis; teneantur recedere cum illa commissione, que ei dabitur per istud consilium. De parte 42, 40; de non 1; non sinceri 15, 13,

Secreta Consilii Rogatorum R. 137, u mlet. arkivu.

DXLIX. God. 1397. 28 siečnja, u Mletcih.

Respondeatur ambasiatori domini regis Franciae, quod reipublicae multum displiceat captura tot et tantorum principum et nobilium suorum per Turchos facta in oriente; quod suis nunciis fuerit data una galea „que ipsos conducet primo ad partes Dalmatie ad locum, ubi est dictus dominus rex Hungariae, et deinde postea ad locum, unde ire possint ad visitandum dominum ducem Niverniensem, et alios, qui in Rassia capti sunt", et quod per unam aliam galeam ipsos postea conduci faciet ad partes Constantinopolis.

Secreta Cons. Rog. R. 138, u mlet. arkivu.

DL. God. 1397. 8 veljače, u Mletcih.

Quum captum fuerit, quod gentes armorum loco Scutari mittantur ad partes Durachii sub proprio gubernatore, ideo loco ser Johannis Capello, qui refutavit, eligatur unus alius pro comite dicti loci Scutari cum minori salario.

Misti XLIII. 170, u mlet. arkivu.

DLI. God. 1397. 8 ožujka, u Mletcih.

Daje se nalog Marinu de Conti, poslanu u Ugarsku s naputkom, da iztraživši novosti, koje se ondje dogadjaju, neka se u Mletke povrati.

1397. indictione quinta, die octavo mensis martii. Sapientes consilii. Capta: quia vir providus Marinus de Contis, qui fuit missus ad partes Hungarie pro sentiendo de novis et motibus partium deinde, stat ibi cum maximo incomodo domus sue et agendorum suorum; vadit pars, quod per viam solitam scribatur eidem, quod debeat, receptis ipsis literis, cum informatione omnium novorum deinde Venetias remeare.

Misti XLIII. 175, u mlet. arkivu.

DLII. God. 1397. 13 ožujka, u Mletcih.

Prima se u mlet. vieću, da se odpravi poslaničtvo u Ugarsku.

1397. indictione quinta, die decimatercia martii. Sapientes utriusque manus. Capta: quia serenissimus dominus rex Hungarie modo de novo per sapientem virum ser Franciscum de Bernardo sub suis literis credentialibus fecit cum magna instantia requiri nostrum dominium, quatenus nobis placeat mittere ad presentiam suam nostram ambasiatam pro multis respectibus, ample satis dicentem nobis de bona dispositione, quam ipse dominus rex habet versus nostrum dominium ad faciendum de rebus nobis placitis; vadit pars, ut propter istam causam non procederentur servicia per nos facta serenitati sue et regno Hungarie, quod eligantur de presenti per scrutinium in hoc consilio pro mittendo ad ipsum dominum regem tres nostri solemnes ambasiatores, qui possint accipi de omni loco et officio et judicatu peticionum et aliis officiis, que sunt ad dictam conditionem et de officio continuo, non perdendo officium, si esset continuum, nec utilitatem eius, et non accipi-

endo ultra unum pro domo et unum pro officio. Et respondeant cras per diem, non possendo refutare sub pena ducatorum centum pro quolibet; debeant habere a nostro communi ducatos centum pro quolibet pro faciendo sibi unam robam pro honore nostri communis; possint expendere ducatos quinque in die pro quolibet in omnibus expensis quomodocumque sibi occurrentibus pro se et familia sua, exceptis emptionibus equorum et scortis, agociis ac nabulis navigiorum secundum usum, habendo et tenendo ad dictas expensas quatuor domicellos pro quolibet, unum notarium cum uno famulo, unum expensatorem, unum mareschalchum, unum coqum, unum trucimanum ac duos ragocios et unam saumam pro quolibet. Verum pro honorando ambasiatam donari debeant familiaribus predictis ducati quatuor pro quolibet ultra suum salarium, ut faciant sibi unam vestem seu robam; et secundum nova, que habentur, providebitur ante suum recessum de sua comissione et de omnibus aliis, que isti consilio utilia et necessaria videbuntur. De parte alii, de non 0, non sinceri 4.

Electi ambasiatores ser Michael Steno procurator, ser Fantinus Georgio miles, ser Thomas Mocenigo.

Secreta Consilii Rogatorum R. 143, u mlet. arkivu.

DLIII. God. 1397. 7 travnja, u Mletcih.

Naputak za vrhovnoga kapetana na moru.

1397. indictione quinta, die septimo aprilis. Quod fiat commissio nobili viro ser Benedicto Superantio procuratori capitaneo generali culphy in hac forma, videlicet:

Sapientes consilii et sapientes ordinum. Capta: Nos Antonius Venerio dei gratia dux Venetiarum etc. committimus tibi nobili viro Benedicto Superantio procuratori, capitaneo generali culphy, quod in bona gratia recedere debeas cum galeis tibi comissis, et depositis ambasiatoribus nostris ad partes Segnie, quos tecum mittimus, cum una vel pluribus galeis, sicut tibi melius videbitur, ac visitatis locis nostris, que sunt ad viam tuam pro conforto suo, et eis, si necesse fuerit propter aliquam molestacionem, que ipsis vel aliqui eorum fieret, cum securitate galearum tibi commissarum, dando auxilium et favorem quanto prestius poteris, ibis ad partes Constantinopolis . . .

Quando autem applicueris ad partes Constantinopolis, debeas esse ad colloquendum cum vicebaiulo et consiliariis nostris Constantinopolis, et cum ser Blanco de Ripa nostro supracomito, et ab illis te plenarie informabis de omnibus novis, terminis et condicionibus partium deinde, et habita plena informacione . . . ibis ad presentiam domini imperatoris cum nostris litteris credentie, quas tibi fecimus exhiberi, et facta sue maiestati reverentia et salutatione debita et oblatione generali cum illis verbis amoris et dilectionis, que tue sapiencie videbuntur, ... debeas, quod per virum nobilem Blanchum de Ripa, quem cum tribus galeis misimus quanto prestius potuimus ad partes imperii sui pro conforto, succursu et subventione sua, plenarie maiestas sua extiterit informata de displicentia, quam nostra dominatio passa fuit et partitur de infelicissimo casu occurso regie maiestati Hungarie et exercitui suo, propter damna totius christianitatis et principalius sui imperii, quod nisi dictum infortunium occurisset, extra omne

periculum videbamur. Et licet dictum infortunium sit occursum, tamen est sumenda audatia et standum constantes et fortes ac sperandum in gratia iesu christi, quod finaliter suum populum non relinquet, nam certi reddimur, quod postquam dignatus est reducere dictum regem ad regnum suum, ipse cum aliis regibus et principibus christiānis se disponent ad deprimendam nequitiam et malignitatem infidelium predictorum . . .

Et si dominus imperator requireret te de factis domini regis Hungarie, et si facit exercitum vel parat se ad subveniendum sibi per terram, tunc debeas respondere, quod rei veritas est, quod postquam ipse rediit ad partes Dalmatie, ipse bono tempore fuit in illis partibus Sclavonie ad reformandum illas partes et loca sua, et reformatis illis ivit in Hungariam, celebratoque prelatorum, baronum et principum regni parlamento, deliberasse videtur de faciendo exercitum, et rogavit, ut mittamus ad eum nostram ambasiatam, per quam particulariter erimus de tempore in tempus de omnibus informati.

Insuper quia ipse dominus imperator per nostrum capitaneum galearum Romanie significavit et misit nobis in scriptis aliquas suas intenciones, videlicet de volendo nobis dare civitatem Constantinopolis, in casu quo necesse sit, quod inde recedat, vel locum in illa, aut insulas suas Embri et Emni cum aliquibus condicionibus, sicut apparet per copiam scripture predicte, quam tibi fecimus exhiberi, et per capitaneum nostrum culphy preteritum, ac modo de novo petit responsionem ad illas, et nos sibi dici fecerimus per nobilem virum Blanchum de Ripa, quod per te faciemus sibi fieri responsionem, volumus et committimus tibi, quod quando tibi videbitur, dum eris ad presentiam suam, sibi dicere debeas, quod nos plene notavimus et comprehendimus per scripturam supradictam, quam nobis misit, et per nostros, qui inde veniunt, sinceram disposicionem, quam habet maiestas et imperium suum ad honorem et statum nostrum, de quo ipsi sue maiestati regratiamur immense. Verum quia nos consideramus, quod omnis mutatio, quam ipse in his factis faceret, foret multum periculosa et damnosa statui suo, quod nullo modo vellemus, quia supra omnia cupimus, ut sibi dici fecimus, quod remaneat in statu suo . . . .

Et ut sis informatus de nostra intencione et de modo, quem per te servari volumus in illis partibus, committinus tibi, quod cum galeis tibi commissis . . . debeas vigilare ad faciendum honorem nostrum et attendendum ad conservationem locorum deinde, ne perveniant ad manus Turchorum, et ad persecutionem Turchorum in mari tantum, non ponendo gentes tuas in terram aliquo casu.

Ceterum quia propter illa, que sentimus, posset occurrere, quod dominus imperator et illi de Pera propter condiciones et terminos, in quibus se reperirent, attenderent ad volendum se concordare cum Turchis, quod nullo modo placeret nobis pro honore christianitatis, committimus tibi, quod . . . si tu sentires, quod vellent ad hoc attendere, volumus, quod tam apud dictum imperatorem quam illos de Pera tu debeas obstare quantum poteris et trahere hoc de mente sua, quod istud facere non debeant, quia foret cum magno damno et vituperio christianitatis. Quando autem facta per te omni instantia et omni experientia non prodesset, tibi . . . volumus, quia foret nobis et nostris nimis periculosum et nocivum remanere solos in guerra cum Turchis . . . procures, quod huiusmodi pax et

reconciliatio tractetur etiam pro nobis, ita quod non remaneamus soli in guerra . . . .

Modus vero, cum quo esset nostra intencio devenire ad pacem cum Turchis predictis, esset secundum quod temporibus preteritis semper fuimus et stetimus cum patre et cum eo, et secundum quod videre poteritis per formam, quam obtinuit vir nobilis ser Franciscus Quirino ab isto Basito . . . .

Verum quia possit occurrere, quod ipse Basitus vel sui facient requisitionem et mentionem de duobus, et primo de volendo habere pacem etiam nobiscum in mari, et similiter sicut alias dixit, de non volendo dare pacem locis per nos de novo acquisitis, prout sunt civitates Argos et Neapolis, Athenarum, Durachii, et Scutari, quia diceret, quod forent sua, et quod sunt sue venationis, ut solitus est dicere, ad ista volumus quod vicebaiulus noster seu alius, qui ad hoc iret, debeat respondere, quod iam multo tempore cum predecessoribus omnibus suis et secum, si bene recordatur, nos fuimus pluries ad ista colloquia, et semper omnes sui et magnitudo sua fuit contenta, quod in mari non haberemus pacem secum, quam pacem nunquam habuimus cum aliqua natione pagana vel christiana, nam bene scivisse et scire potest, quod nostre galee in quibuscumque partibus in mari persecuntur piratas et predatores maris, multos quorum etiam christianos temporibus nostris mori fecimus . . . Loca per nos noviter acquisita, sicut bene nosce potest, nos iuste habuimus et aquisivimus, et ab illis, qui iuridice illa poterant nobis dare et quorum erant, nec unquam accepimus unicum lapidem, qui foret in pontentia et potestate sua nec accipiemus . . .

Quando autem staret constans de nolendo includere omnia loca nostra vetera et nova, et de volendo pacem generalem in terra et in mari . . . . dicat, quod istud nullo modo facere posset sine nostro speciali mandato, sed quod scribet presto nobis, et expectabit nostram responsionem. Verum in hoc casu essemus valde contenti, quod tam dominus imperator quam Januenses differrent ad concordandum se, donec respondere possemus . . . quando autem ipsi vollent, tunc permittat ipsos concludere, et scribas nobis distincte omnia, que facta fuerint . . . .

Preterea quia consideramus, quod de levi posset esse, quod imperator Chaloiani nepos imperatoris Chiermanuli intrasset in imperio seu intraret, quia, ut sentimus, Basitus videtur dispositus non habere pacem secum nisi relinquat imperium, comittimus tibi, quod in isto casu tu habeas libertatem comparendi ad presentiam suam, et facta salutatione et oblatione solitis, retractis illis verbis amoris et benivolentie, que secundum tempus tibi videbuntur, requirere debeas de renovatione illarum treguarum, quas alias fecit et renovavit secum condam vir nobilis ser Franciscus Fusculo in forma, quam tibi pro tua informatione fecimus exhiberi . . . . De parte 58, non 11, non sinceri 14.

Secreta Consilii Rogatorum R. 146, u mlet. arkivu.

DLIV. God. 1397. 7 travnja, u Mletcih.

Daje se naputak poslanikom idućim u Ugarsku.

1397. indictione quinta, die septimo aprilis. Ser Petrus Cornario procurator, ser Johannes Barbo procurator, ser Leonardus Bembo, sapientes consilii; ser Fantinus Quirino, ser Bertucius Pisani, ser Franciscus Superantio, ser Dominicus Zane, ser Alexander Georgio, sapientes ordinum. Quod fiat commissio ambasiatoribus nostris ituris ad serenissimum dominum regem Hungarie in ista forma:

Capta: Nos Antonius Venerio dei gratia dux Venetiarum et cet, Committimus vobis viris nobilibus Michaeli Steno procuratori ecclesie sancti Marci, Fantino Georgio militi et Thome Mocenigo, dilectis civibus et fidelibus nostris, quod ire debeatis nostri ambasiatores solemnes ad presentiam serenissimi domini regis Hungarie, eundo ad partes Segnie, ad quas faciamus vos conduci per galeas nostras culphi, ut comodius et celerius ire possitis ad partes predictas, et deinde postea ad ipsum dominum regem. Et cum eritis ad presentiam suam, presentabitis sue serenitati nostras literas credulitatis, quas vobis fieri fecimus, et illis presentatis portabitis sibi parte nostra honorabiles et amicabiles salutationes, offerendo nos ad cuncta concernentia sue maiestatis honorem et incrementum cum illis pertinentibus verbis amoris et dilectionis, que vestre sapientie videbuntur.

Subsequenter exponetis eidem, quod sicut sua serenitas scire potuit per relationem suorum ambasiatorum, quos pridie ad nostram presentiam destinavit, nos requisiti suo nomine per eosdem, quatenus nobis placeret, in casu quo vellemus amplecti secum factum Turchorum, mittere ambasiatam nostram ad suam presentiam cum plena libertate tractandi ligam et quelibet alia faciendi, deliberavimus diferrere ipsam nostram ambasiatam mittere, quia consideravimus vera esse illa, que sua maiestas sapienter et mature consideraverat, videlicet, quod propter damna, que passus erat et suarum gentium dispositionem sine aliquo auxilio extra regnum exire non possent cum bellico apparatu. Consideravimus etiam multitudinem et potentiam infidelium predictorum, et quod necesse erat, ut in hoc facto concurreret auxilium et subsidium aliorum regum et principum christianitatis, ut illud, quod fieri debebat, fieret ita potenter et cum bono ordine, quod sinistrum amplius non veniret, quia si accideret, quod absit, postea difficilius mendaretur. Et quia hec ita presto videbamus non posse fieri, propterea nobis utile apparebat, quod requirentur primo reges et principes antedicti, quia disponentibus se ad hoc, eramus parati mittere et facere, sicut in casibus similibus facerunt nostri progenitores.

Verum quia potestea et nunc de novo sub suis literis credentialibus comparint ad nostram presentiam sapiens vir ser Franciscus de Bernardo, requirendo nostrum dominium, quatenus placeret nobis in magnam et singularem complacentiam sue serenitatis mittere ad suam presentiam nostram ambasiatam, ut posset conferre et esse secum, non expressa aliqua alia causa speciali, deliberavimus, dispositi quemadmodum semper fuimus, pro ut videre potuit per effectum, ad sua beneplacita et corone sue mittere vos ad conspectum suum iuxta requisitionem nobis factam, pro audiendo et intelligendo omnia illa, que sua excellentia nobis dicere et facere voluerit manifesta. Cui denotamus, quod sicut de infelicissimo casu

occurso sibi, gentibus et exercitui suo portavimus cordialem et intrinsecam passionem tam propter damna universalia totius christianitatis quam propter compassionem tot fidelium christianorum, qui in dicto casu inhumaniter perierunt, ita de incolumi reditu suo ad patriam suam et ad regnum suum remansimus et remanemus maxime consolati, indubie sperantes, quod omnipotens, cuius res agitur, illuminabit taliter mentem suam et aliorum regum et principum christianorum, quod ista negotia reformabuntur per modum, qui erit cum honore christianitatis et confusione ac esterminio infidelium predictorum.

Et si per ipsum dominum regem fieret vobis mentio, sicut facere soliti sunt dicti Hungari, si habetis sindicatum a nobis ad possendum tractare secum, volumus, quod ad hoc respondere debeatis, quod dominatio nostra non fecit nec dedit vobis aliquem sindicatum, et causa est, quia incognita nobis erat et est causa, propter quam maiestas sua requirebat nostram ambasiatam, qua incognita dictus sindicatus male fieri potuisset, nam ut dictum est, dictus ser Franciscus nullam aliam nobis mentionem fecit, nisi quod sua excellentia nos rogabat, quod nobis placeret in suam complacentiam istam nostram mittere ambasiatam ad suam presentiam, ut posset conferre cum ea, et ita fecimus.

Ceterum, quia non dubitamus, quod non obstante, quod non habeatis sindicatum a nobis propter causam, quam supra tangimus, ipse dominus rex se apperiet vobis et manifestabit vobis causam vel causas, propter quas ipse requisivit nostram ambasiatam, volumus, quod vos debeatis diligenter audire et intelligere omnia illa, que sua serenitas per quemcumque modum vobis dicet, dicendo, quod propter causam, quam supra dicimus, videlicet quod erat nobis incognita intentio sua, non dedimus vobis aliquam nostram intentionem neque aliquem ordinem super his, que vobis dixit, sed si placet excellentie sue, vos notificabitis nobis omnia, que habuistis ab eo, vel venietis unus vestrum ad notificandum nobis, et nos postea providebimus, secundum quod nobis videbitur; et ita in casu quo sibi placeat facere, debeatis scribendo vel veniendo unum vestrum, prout vobis utilius apparebit, considerata natura et conditione eorum, que ab ipso habueritis. Verum ut possimus melius et clarius deliberare, confidentes de virtute et sapientia vestra, volumus, quod antequam scribatis vel veniatis unus vestrum, ut superius dictum est, debeatis cum illis modis et verbis, qui vestre sapientie videbuntur, monstrando semper a vobis dicere, et non obligando nos in aliquo propter verba vestra, dare operam de trahendo et sentiendo quantum plus poteritis de sua intentione et de his, que vellet facere et habere, sustinendo iura nostra, secundum quod vobis cadet in proposito cum illis verbis et rationibus, que vestre sapientie videbuntur, et inducendo eum ad faciendum erga nos de his, que facerent pro nobis et statu nostro, ut habita ampliori et clariori informatione omnium, que habueritis et traxeritis, possimus melius deliberare et terminare, sicut nobis videbitur opus esse. Reddentes vos previsos, quod nostra intentio est, quod quando vobis in ratiotinamentis, que facietis cum ipso domino rege, cadet in proposito, vos sibi dicere debeatis, quod, sicut scivisse potest, nos iam bono tempore et immediate postquam sua ambasiata fuit ad nos, misimus ad partes Constantinopolis tres nostras galeas pro conforto domini imperatoris et Januensium de Pera, custodia et securitate locorum deinde, et

modo de novo misimus capitaneum nostrum cum aliis tribus galeis ad dictas partes, et de aliis etiam habebit. Sed propter aliqua, que nuper sentimus per literas rectorum nostrorum deinde de intentione et dispositione domini imperatoris et illorum de Pera, que videbatur inclinari ad concordandum se cum Basito, ipsi capitaneo stricte et efficaciter dedimus in mandatis, quod totis viribus et cum omni studio et diligentia det operam, in casu quo istud sit, de trahendo hoc de mente et intentione eorum, quia esset cum magno damno et vituperio suo et totius christianitatis, inducendo eos ad standum constantes et fortes, quia habent bonum succursum per mare, et cum dei gratia habituri sunt etiam per terram; dicendo, qualiter sua serenitas est disposita cum aliis regibus et principibus christianitatis providere quanto citius esse poterit ad sucursum suum per terram et distructionem Turchorum, et quod creditis esse bonum, quod sua serenitas similiter per illas vias et modos, qui prestiores et utiliores sibi videbuntur, debeat totis viribus et posse suadere et inducere tam ipsum imperatorem quam Januenses, quod istud concordium non fiat propter rationes et causas superius allegatas, de quo recipiemus maximam consolationem, quia cognoscimus manifeste, quod, in casu quo facerent concordium antedictum, male et sinistre ire posset cum exercitu per terram ad illas partes, et nos modicum possemus esse utiles per nos solos in dictis partibus, nam, sicut sua excellentia scire potest, nos non possemus neque obstare neque nocere Turchis, imo cognoscimus clare, quod nullo modo possemus in dictis partibus stare, nam non haberemus neque acquam neque acquam neque victualia neque aliqua, que necessaria nobis essent, et propterea esse nobis expediens concordare nos cum Turcho, ut non remaneremus in guerra soli cum eo, quia foret cum magno damno nostro et mercatorum nostrorum, qui in illis partibus mercantur et conversantur et dubio locorum nostrorum, plura quorum ipse Basitus posset predari facere et distrui cum maximo vituperio et damno nostro, quod non dubitamus ipsi domino regi multipliciter displiceret. De parte 40, de non 23, non sinceri 16.

Potestis expendere ducatos quinque et cet., ut in sua electione. Jurastis et cet. Data et cet.

Secreta Cons. Rog. R. 145, u mlet. arkivu.

DLV. God. 1397. 5 lipnja, u Mletcih.

Piše se papi uslied molbe drivastske občine na korist ondješnjega biskupa Ivana.

1397. die quinto iunii. Quod in favorem venerabilis viri domini Johannis episcopi Drivastensis, qui conquesitur, quod dominus summus pontifex videbitur alium episcopum fecisse dicte terre in eius absencia et ipso non citato nec requisito, possint scribi litere eidem domino pape et cardinalibus ac aliis in illa forma, que videbitur dominio, quia illa communitas ipsum nobis recommendat, et est civis originarius deinde (Capta).

Misti XLIIII, 2, u mlet. arkivu.

DLVI. God. 1397. 5 srpnja, u Mletcih.

Odgovor poslanikom grada Drivasta.

1397. die quinto iulii, indictione quinta. Sapientes consilii. Capta: cum comparuerunt coram dominio aliqui ambaxatores civitatis Drivasti, et in scriptis dederint aliqua sua capitula, quibus petunt responsionem, ut habita expeditione redire possint ad propria; vadit pars, quod respondeatur eisdem ad dicta capitula; et primo ad primum, per quod dicunt, per dominum Georgium Strazmirim oblatas fuisse certas possessiones hominum et communitatis predicte, et illas cuidam civi Scutarensi dedisse et consignasse, et quod propterea provideamus, quod recuperari possint, ita quod homines et communitas predicta possint habere et gaudere, quod suum est. Et sicut bene sciunt, ipse dominus Georgius, qui erat dominus dictorum locorum, et de illis ac territoriis et possessionibus eorum disponere poterat pro libito voluntatis tempore sui dominii, accepit et dedit possessiones predictas, et propterea non videtur nobis, quod possimus aliquam provisionem superinde facere, cum hoc factum non fuerit tempore dominii nostri sed tempore et dominio domini Georgii antedicti etc.

Ad secundum capitulum de facto confinium et de villis, que occupate sunt per communitatem Scutari, et sunt intra suos confines, ac solite erant esse subiecte dicte civitati Drivasti et supportare onera cum hominibus dicte terre, quas supplicant reduci, ut primo erant; respondeatur, quod per informationem, quam noviter habuimus, convenerunt simul commune et capitaneus noster Scutari et potestas Drivasti ob differentiam antedictam, et apparet, quod de communi concordio alique ex dictis villis reducte sunt sub potestaria Drivasti, ita quod pro presenti non videtur nobis, quod sit fienda alia novitas de novo, sed adveniente ipso nostro comite et capitaneo, quem in brevi expectamus, habebimus eum super dicta materia, et si videbitur nobis de faciendo aliquam aliam provisionem, nos faciemus et providebimus superinde, secundum quod nobis iustum et conveniens apparebit.

Ad tercium capitulum, quod observentur eis antiqua statuta sua etc; respondeatur, quod nos dedimus in mandatis potestati nostro, quod ipse debeat eis ius et iusticiam ministrare, secundum quod iustum sibi et conveniens videatur, adherendo quantum plus poterit statutis et consuetudinibus suis, ubi iusti et rationabiles videantur; et ita est nostra intentio, quod ipsi et alii debeant facere et observare, non dubitantes, quod ipsi in processu temporis clare videbunt et sentient bonum fructum regiminis nostri, ita quod remanebunt bene contenti, nec habebunt causam querele.

Ad quartum et quintum de facto sui notarii soliti sibi conficere instrumenta, testamenta et cartassuas, que potestas noster vult modo confici per suum notarium, et de solutionibus, quas accipit; respondeatur, quod sumus contenti et placet nobis, quod dictus suus notarius debeat facere eis cartas suas et testamenta sua ad beneplacitum suum, et quod non astringantur per nostros rectores ad eundum ad notarios suos, nisi quantum procedat de eorum beneplacito, dummodo dictus notarius sit legalis et bonus, cui notario suo providebunt de sua solutione, sicut soliti sunt.

Ad sextum de vino forensi, quod petunt non posse conduci nec vendi in civitate, donec vinum terrigenarum durat, quia sic semper solitum est servari, ubi dictus potestas ad presens non obstante dicta consuetudine con-

cedit eis licentiam conducendi et vendendi dicta vina; respondeatur, quod placet nobis, et sic dedimus in mandatis potestati nostro presenti et futuris, quod vina forensia de Apulea non possint conduci nec vendi in civitate Drivasti, donec durabit vinum Drivastinorum et aliorum de comitatu Drivasti, quod volumus habere condictionem in hoc, quam habent vina civium, scilicet quod introduci et vendi possit, nec intelligentur talia vina esse vina forensia, ut est iustum.

Ad septimum capitulum, per quod ipsa communitas petit, non astringi ad solvendam decimam nostro dominio vini, frumenti et olei quolibet anno recolletorum per eos; respondeatur, quod quando nos fecimus provisionem, quod darent nostro dominio decimam fructuum predictorum, nos voluimus habere bonam informationem de modis, qui in hoc servati fuerunt per antecessores dominos suos, et habito, quod multo maiores quantitates eis auferebantur, volentes secum humane et benigne pertransire, deliberavimus per modum predictum, de quo gravari non debent, quia in hoc tractantur valde mitius et benignius per nos, quam tractati fuerint temporibus preteritis.

Ad octavum de faciendo ad expensas episcopatus reparari unam de domibus episcopatus pro habitatione nostri rectoris, donec per eos fabricabitur domus, quam facere deberit pro nostro rectore predicto; respondeatur, quod placet nobis committere et tradere in mandatis ipsi nostro potestati, quod ipsam domum et etiam episcopatum et alias domus ipsius reparari faciat de introytibus episcopatus, quos procuret recuperari facere, ita quod habitare in ipsis possit; nihilominus est nostra intentio et sic dicto potestati committemus, quod teneat modum, quod per eos ematur vel fabricetur una domus pro habitatione ipsius, sicut obligati sunt, quia sicut viderit potestas noster non posset semper stare in domibus episcopatus, nec esset honestum, quod adveniente episcopo illas occuparet.

Ad nonum et ultimum, quod presbiteri et clerici non graventur in faciendo custodias et alias angarias, sicut faciunt seculares; respondeatur, quod vellemus bene posse sibi complacere, si fieri posset, sine preiudicio tocius terre et suo, nam bene vident, quod non facientibus eis custodias, sicut semper facere soliti sunt, terra non foret bene custodita, quod non esset sine dubio presertim tempore presenti, et propterea placet nobis, quod ipsi faciant et observent, sicut fecerunt hucusque, nam custodientibus eis civitatem, custodiunt se et bona sua, ubi si aliter fieret, subiacerent periculo evidenti.

Misti XLIV. 10, u mlet. arkivu.

DLVII. God. 1397. 22 srpnja, u Mletcih.

Dopušća se načelniku Drača, da odvede sobom liečnika, te mu se nalaže, da na dračkom trgu sagradi bunar.

1397. die XXII iulii. Consiliarii. Capta: quod pro comodo universitatis nostre Durachii concedatur nobili viro ser Petro Michaeli ituro baiulo et capitaneo Durachii, quod possit ducere secum unum medicum physicum, dando sibi pro suo salario unam pagam stipendiariorum nostrorum deinde.

Sapientes consilii. Capta: quod pro comodo et sanitate rectorum et fidelium nostre civitatis Durachii committatur nobili viro ser Petro Michael ituro baiulo et capitaneo Durachii, quod possit et debeat facere fieri unam cisternam in platea vel in alio loco in dicta terra, ubi melius sibi videbitur, possendo expendere de pecunia nostri communis deinde usque summam centum iperperorum.

Misti XLIV. 13, u mlet. arkivu.

DLVIII. God. 1397. 23 listopada, u Mletcih.

Super facto dandi de gentibus venetis magnifico Georgio Stracimiri et vice versa scriptum comiti et capitaneo Scutari Mafeo Gradonico de non; cui ordinatur, quod considerata conditione illarum partium non licenciet sed retineat omnes milites, quos habet, per totum mensem aprilis proximum; quod faciat fieri unam cisternam in castro Scutari, et aptet illam in Drivasto et sic etiam domum munitionis et alia edificia in castro Scutari. Concessum Johanni Capello, qui fuit comes et capitaneus Scutari, quod presentet suam relationem usque per totum novembrem proximum.

Misti XLIV. 22, u mlet. arkivu.

DLIX. God. 1397. 23 listopada, u Mletcih.

Conceditur Francisco de Bernardo de Hungaria, quod possit extrahere 54 pecias panni florentini emptas per transitum Veneciis anno preterito sine aliqua nova salutione, quum iam tunc solverit omnia datia ordinata.

Misti XLIV. 23, u mlet. arkivu.

DLX. God. 1397. 30 listopada, u Mletcih.

Dignut načelnik a postavljen kastelan u Drivastu, te je ovaj grad stavljen neposredno pod vlast skadarskoga načelnika. Naredbe tičuće se prometa u Albaniji.

1397. die penultimo octobris. Provisiones ser Johannis Capello pro Scutaro et Drivasto. Capta: quia utile et necessarium est providere ad scansandam expensam magnam quam habemus in locis nostris Scutari et Drivasti, ut possimus facere de introitibus dictorum locorum expensas necessarias, et sicut notum est de loco nostro Drivasti nullam sequimur utilitatem, ymo magnam partimur expensam et specialiter de rectore, qui habet ducatos trecentos auri in anno, et non est necessarius, ymo existente rectore in Drivasto est causam tenendi continue contractam illam in discordia inter Scutarinos et Drivastinos, et utile sit providere, quod fideles nostri ipsius contracte sint uniti et ad obedientiam unius solius rectoris; vadit pars, quod de cetero non fiat amplius potestas Drivasti, et omnino revocetur, et loco dicti potestatis fiat unus castellanus Drivasti popularis, qui habeat de salario in mense et ratione mensis ducatos octo auri, et tenere debeat suis expensis unum famulum, qui castellanus fieri debeat per collegium domini, consiliariorum, capitum et sapientum consilii et ordinum, et conducatur illuc ad expensas nostri communis, videlicet nabuli navigi-

orum, qui esse debeat ad omnem obedientiam et mandatum comitis et capitanei nostri Scutari, Verum pro aleviatione pauperum personarum dicti loci Drivasti et villarum circumstantium, ut non habeant causam pro omni minima re veniendi Scutarum, ordinetur, quod iudices Drivasti possint et facere debeant ius omnibus petentibus a decem iperperis infra, et ab inde supra ire debeant ad comitem et capitaneum Scutari; sed si aliqui reputabunt se gravatos de sententiis per dictos iudices factis, possint habere recursum ad comitem et capitaneum Scutari, qui habeat libertatem dictas sententias laudandi et incidendi, prout ei videbitur de iure. In criminalibus autem in omnibus spectet et pertineat comiti et capitaneo Scutari.

De parte — 47 — De non — 21 — non sinceri — 2.

Capta: item pro utilitate nostri communis ordinetur, quod omnes conducentes frumentum de partibus Sclavonie et de ultra Dagnum, sicut solvunt ad dohanam Dagni grossos duos pro sauma, ita de cetero nihil solvere teneantur. Verum si isti tales conducentes frumentum dabunt illud communi pro grossis XVI modio de Scutaro et accipient salem, sicut solvunt pro qualibet sauma salis ad transitum Dagni predicti grossos duos, ita de cetero solvant grossum unum, ut dicti habeant causam conducendi frumentum et illud dandi nostro communi, et comes et capitaneus Scutari teneatur illud frumentum accipere pro pretio antedicto et inde infra quam melius poterit, et dare illis talibus salem pro pretio, quod venditur in dohana sancti Sergii.

Item cum consuetum sit, quod pro qualibet petia panni, que conducitur ad partes Sclavonie per viam Scutari, solvuntur grossi triginta illius monete ad transitum dohanne Dagni, quod est importabile mercatoribus, vadit pars, quod sicut pro qualibet pecia solvuntur grossi triginta, ita de cetero solvi debeant grossos decemocto illius monete, ut mercatores habeant causam inde transitum faciendi.

Item comittatur comiti et capitaneo Scutari, quod anno futuro suo loco et tempore faciat in Scutaro incantari dohanam folexelli pro utilitate nostri communis. Facta fuit littera dictarum partium et missa Scutarum.

Misti XLIV. 24, u mlet. arkivu.

DLXI. God. 1398. 14 ožujka, u Mletcih.

Knez Drivastski od službe odpušćen i neka se u Mletke vrati, a neka knez skadarski jednoga, koj će isti grad čuvati do dolazka već imenovana kastelana pučkoga.

1398. die 14 mensis marcii. Consiliarii. Capta: quod nobilis vir ser Paulus Nani potestas Drivasti absolvatur a regimine predicto, et possit redire Venetias; verum comes et capitaneus noster Scutari ibidem ponat unum, qui sibi placeat, donec illuc applicuerit castellanus illuc iturus, cum illis salario, conditionibus et modis, cum quibus esse et ire debet dictus castellanus popularis, qui factus est pro eundo ad dictum locum secundum formam partis capte in hoc consilio super hoc.

Misti XLIV. 35, u mlet. arkivu.

DLXII. God. 1398. 11 svibnja, u Mletcih.

Mirče gospodar Avalonski nudi svoje zemlje mletačkoj republiki za godišnji prinesak u novcu.

1398. indictione sexta, die XI maii. Ser Antonius Contareno, ser Fantinus Quirino et ser Philippus Aurio, sapientes ordinum. Cum nuper ad presentiam nostram comparuerint duo ambaxatores domini Mirse domini Avalone cum certis capitulis exponentes, quod dictus dominus dispositus est dare loca Avalone in manibus dominationis nostre libere, sperans, quod nostrum dominium providebit de vitu suo per modum, quo habebit merito contentari, et hoc facit, quia non vidit se potentem ad defendendum se a Turchis, et considerans, quod, si dicta loca pervenirent ad manus Turcorum, multum posset esse nociva et nobis et aliis christicolis, deliberavit illa velle dare nobis. et supplicantes dicti ambaxatores, ut nobis placeat super hoc providere, et eisdem nostrum prebere responsum; quibus omnibus consideratis et auditis, ac examinatis capitulis predictis, bonum sit providere, ut loca illa non perveniant ad manus Turchorum; vadit pars, quod pro habenda bona et vera informatione locorum predictorum, et pro videndo situm et conditionem eorum ac introytus et expensas, que loca predicta habent, eligatur unus noster ambaxator et provisor per quatuor manus electionum in hoc consilio, probando electos ad unum ad unum, et ille, qui plures ballotas aliis habuerit, transeundo medietatem consilii, sit firmus, qui ire debeat usque ad Valonam ad presentiam domini dicti loci, ubi se informare debeat de introitibus et expensis ac conditionibus locorum omnium, que dare vult nobis predictus-dominus, cum illa commissione et ordine, que ante suum recessum fuerit per istud consilium ordinatum etc. De parte — 17.

Ser Franciscus Superantio sapiens ordinum. Capta: vult, quod respondeatur istis ambaxatoribus domini Avalone in hac forma; quod dominatio nostra diligit dominum suum tamquam suum verum amicum, quem tenet et reputat, et semper desideraremus, quod reperiret se ita potentem, quod ob insultibus istius iniqui Baysit possit se defendere et remanere in eius statu pacifico et tranquillo; et quod nostra parte hortentur dominum suum predictum, quod vellet esse boni et constantis animi, quia non dubitamus, quod mediante gratia divina bene poterit se tueri; sed nos volentes complacere domino suo, committemus capitaneo nostro culfi de brevi exituro de Veneciis, ut debeat se informare de conditionibus locorum, que nobis dare vult dominus suus, et habita a dicto nostro capitaneo informatione, providebimus, ut nobis videbitur opus esse.

Et ex nunc sit captum, quod committatur capitaneo nostro culfi, quod, quando ei videbitur habere tempus habile, ire debeat cum galeis sibi commissis ad dictas partes Avalone, et examinare diligenter et mature situm et conditionem Avalone et aliorum locorum, et si ibi est aliquis portus, ac examinare debeat introytus et expensas, quos et quas habent loca predicta, et quomodo et pro quibus rebus, et omnem informationem, quam habere poterit, debeat nobis suis litteris denotare, qua habita providebitur postea prout videbitur opus esse. Et si fuerit necesse mittere ad videndum aliqua loca et castra, que sunt infra terram, possit mittere unum ex

supracomitis, qui sibi placuerit pro dicta informatione habenda. De parte 59 — de non — 21 non sinceri — 4.

Misti XLIV. 39, u mlet. arkivu.

DLXIII. God. 1398. 13 lipnja, u Požegi.

Sigismundus rex Hungariae etc. assignat Johanni de Angest et Reinerio Poth 7000 flor., quos ei solvit annuatim veneta respublica, et hoc pro censu 100,000 florenorum expensorum in aquirenda libertate comitis Burgundiae et aliorum nobilium per Turcos captorum in ultimo praelio contra Bayazittum. „Datum et actum in civitate nostra Passagana anno incarnationis dominice millesimo trecentesimo nonagesimo octavo, indictione sexta, die tercia decima mensis iunii, regni autem nostri anno duodecimo, presentibus etc.“

Commemorialium IX. 81, u mlet. arkivu.

DLXIV. God. 1398. 8 kolovoza, u Mletcih.

Nalaže se načelniku dračkomu, neka dopusti, da zastupnici prmancira Sv. Marka, komu je papa dopitao dohodke dračke nadbiskupije, uzmu u posied nadbiskupska dobra.

1398. die VIII augusti. Ser Victor Diedo, ser Johannes de Canali, ser Jacobus de Priolis, ser Leonardus Mocenigo, ser Georgius Lauredano, consiliarii. Capta: cum alias scriptum et mandatum fuerit per literas nostras baiulo et capitaneo Durachii, quod de redditibus et possessionibus ac proventibus de iure spectantibus et pertinentibus tam de tempore preterito et presenti quam futuro archiepiscopatui Durachii debeat facere responderi venerabili viro domino Francisco Bembo primicerio sancti Marci, cui dominus papa, ut patet bullis apostolicis contulit in comendam, regimen et gubernationem dicti arhiepiscopatus, et dictus baiulus noluerit obedire dictis nostris literis; vadit pars, quod auctoritate huius consilii scribatur dicto baiulo et capitaneo in illa forma, que dominio videbitur necessaria, et mandetur specialiter, quod debeat obedire dictis literis et mondetur specialiter, quod debeat obedire dictis literis et mandatis nostris, permittendo procuratores sive vicarios dicti domini primicerii suo nomine habere et intrare possessionem dicti archiepiscopatus, et percipere redditus et proventus suos ac pecuniam ei debitam secundum continentiam literarum apostolicarum vel trasumptum ipsarum.

Misti XLIV. 58, u mlet. arkivu.

DLXV. God. 1398. 8 kolovoza, u Mletcih.

Povisuje se plaća za skadarskoga načelnika, da se tako nadje za to miesto osoba svomu poslu dorasla.

1398. die VIII augusti. Ser Victor Diedo, ser Jacobus de Priolis, ser Leonardus Mocenigo, ser Georgius Lauredano, consiliarii. Capta: quia male reperitur persona sufficiens, que velit ire ad regimen Scutari cum salario limitato rectori dicti loci, et bonum ac necessarium sit, quod ibi sit unus

comes et capitaneus, qui sit persona notabilis et utilis pro nostro communi et pro augmentatione loci; vadit pars, quod dicto comiti et capitaneo addantur adhuc ducati centum de salario in anno et ratione anni, sed teneatur respondere infra terciam diem, et recedere infra quindecim postquam acceptaverit, que tam de additione salarii quam de recessu locum habeant pro ista vice tantum. De parte 63, non 34, non sinceri 3. Sunt in totum ducati IX centum de salario.

Misti XLIV. 59, u mlet. arkivu.

DLXVI. God. 1398. 27 rujna, u Mletcih.

Concessum nobilibus Duchaynis, qui dederunt castrum Alexii in manibus reipublicae cum pacto, quod habeant tractis expensis tercium utilitatis dicti loci, quod possint ponere ibidem unum hominem suum, qui scribat una cum officiali veneto introytus et exitus, ut melius videantur rationes et non fiant contrabanna. Item scribatur rectori Alexii, ut diligenter examinet montem „supra ripam fluminis versus ponentem, super quo fuit antiquitus vel civitas vel castrum, et adhuc sunt muri alti, super quibus dicunt leviter posse construi unum castrum," et scribat omnia ordinate.

Misti XLIV. 64, u mlet. arkivu.

DLXVII. God. 1398. 27 rujna, u Mletcih.

Buduć se prosuo glas, da galije kralja napuljskoga Ladislava dolaze u jadransko more, republika daje njeke naloge za pohranu svoga trgovačkoga brodovlja.

1398. die XXVII mensis septembris. Ser Benedictus Superantio, ser Ludovicus Mauroceno, ser Karolus Geno, ser Rambertus Quirino, sapientes consilii; ser Fantinus Quirino, ser Paulus Dandulo, sapientes ordinum. Capta: cum propter nova, que habita sunt de galeis octo armatis ad peticionem domini regis Ladislai in partibus Gayete, cum quibus venturus est, ut dicitur, intra culphum nostrum, sit omnine providendum quantum fieri potest de securitate galearum nostrarum a mercato; vadit pars, quod per galeam disarmatam, que itura est Mothoni, scribatur castellanis nostris Coroni et Mothoni omnia ipsa nova in forma, qua illa habeamus, et similiter capitaneo galearum predictarum a mercato, mandando eisdem auctoritate istius consilii, quod cum una ipsarum armatarum applicuerit Mothonum, debeat expectare reliquam in dictis partibus, donec applicuerit, ut secundum ordinem nostrum possint pro sua securitate simul venire Venetias etc. (Armata Ladislai cum ipso rege dedinavit ad partes Rome die 19 octubris).

Misti XLIV. 66, u mlet. arkivu.

DLXVIII. God. 1398. 27 rujna, u Mletcih.

Mletačka vlada nalaže načelniku Drača, neka kupi kuću, u kojoj bi za svoga života stanovala Vojslava kćer pok. Gjorgje Topije dračkoga gospodara.

1398. indictione VII, die 27 septembris. Sapientes ordinum predicti. Capta: insuper quia suplicatum nobis est pro parte domine Voyslave, sororis quondam domini Georgii Tobie olim domini Durachii, quod dominatio nostra dignetur habere respectum sue conditionis, videlicet, quod propter parvam provisionem, quam habet, scilicet ducatorum centum in anno, opportet ire mendicanto de domo in domum, et propterea dignetur eidem providere de una domo pro sua habitatione; vadit pars, quod mandetur rectori nostro dicti loci, quod expendere debeat ducatos sexaginta in una domo, in qua ipsa domina habitare possit in vita sua, et post mortem suam reducatur in commune pro complacentia ipsius domine. De parte omnes alii, de non 6, non sinceri 0.

Misti XLIV. 64, u mlet. arkivu.

DLXIX. God. 1398. 24 listopada, u Mletcih.

Odgovor na razne molbe dračke općine.

1398. die XXIV octubris. Capta: cum iam multo tempore comparuerint ad presentiam dominii duo oratores communitatis Durachii, producentes aliqua capitula, quibus requirunt habere responsionem a nobis; vadit pars, quod respondeatur et provideatur ad ipsa capitula singulariter, ut inferius continetur.

Et primo, ad primum capitulum, per quod supplicant, quod una pecia panni nostri communis scarlatina, quam donaverunt in exemo facto Agubasse turcho, remittatur et donetur eisdem, cum sint pauperrimi et multotiens destructi et consumpti a Turchis et malis vicinis suis; respondeatur, quod sumus contenti sibi remittere et donare peciam antedictam causis suprascriptis.

Ad secundum capitulum, per quod petunt, quod videatur, et examinetur unus passus apud civitatem Durachii per quinque miliaria existens, ut fortificare possit, quia erit parve expense et magne utilitatis dicte terre; respondeatur, quod committimus baiulo et capitaneo nostro Durachii et capitaneo nostro culfi, quod in suo reditu Venecias sint simul et cum supracomitis suis, et videant et examinent fortilicium antedictum, et illa, que ad eius fortificationem forent necessaria, et expensam, que posset intrare, et si esset utile vel non, et similiter laltera (sic) si fieri posset, et fortificari vel non, et cum quanta expensa et quomodo et omnia, que circa illa forent necessaria, ut in suo reditu possimus habere informationem omnium predictorum, et providere, sicut nobis fuerit opportunum.

Ad tercium capitulum, per quod faciunt mentionem de consuetudinibus suis sibi fractis per ser Mapheum Gradonico in facto salis conducti ad illa mercata aliunde quam de Durachio, supplicantes, quod ille serventur eisdem; detur responsio, quod intentio nostra erat et sic servare faciemus, quod donec in Durachio erit de sale suo, alius sal non poterit conduci ad partes Lexi et Scutari et per illas flumerias, quam de Durachio secundum antiquam cosuetudinem; quando autem non esset in Durachio

de dicto sale Durachii, tunc provideri faciemus, quod mercata nostra erunt fulcita de alio sale pro bono nostri communis. Verum est nostra intentio, quod statui debeat precium ipsi sali Durachii, ad quod precium ipsi de Durachio illum vendere teneantur, non possendo transire precium ducatorum viginti octo pro centenario sachorum. Datur etiam ordo, quod anno quolibet bona hora aptetur fossa, per quam aqua salsa ire possit ad salinas, ut fiat sal ad tempus debitum.

Ad quartum, per quod requirunt, quod provideatur de custodia terre, dicatur, quod scribemus vestro rectori, quod debeat dare nobis informationem de eo, quod videretur sibi super illo capitulo, videlicet si videretur ei utilius et melius tenere gentes equestres, que sunt in Durachio pro custodia et conservatione civitatis et patrie, an melius et utilius videretur cassare illas et loco earum accipere quinquaginta vel sexaginta bonos balistarios, qui attenderent cum aliis ad custodiam terre et castri, et apud illos habere sex caballarios pro mittendo extra ad senciendum de motibus gentium de extra, et pro aliis casibus, qui possent occurere; vel si alius modus sibi servandus videtur, mittendo nobis consilium suum, quo habito providebimus, sicut nobis melius videretur.

Ad quintum capitulum, per quod petunt, quod provideamus ad factum tornesellorum, dicatur, quod providebimus superinde ita, quod habebunt merito contentari.

Ad sextum, in quo requirunt habere in commune Durachii dacium mali denarii parvi, ut possint facere expensas necessarias, fiat responsio, quod nostra intentio est, quod istud dacium exigatur per nostros rectores, et quod ista pecunia depositari debeat, nec in alium expendi, quam in reparatione bertescharum civitatis et castri, in fortificatione murorum et fossarum, non intelligendo de habitationibus rectorum, et quod per camerarium teneatur continue computum introytus et expense dacii supradicti, ut videri possit. quomodo et in quibus expendentur pecunie dicti dacii.

Ad septimum capitulum, per quod supplicant, quod capitula trigintaquinque statutorum suorum, reperta apud fratres sancti Francisci, et alia, que reperirentur, deberemus facere servari per nostros rectores Durachii, provideatur, quod rector noster habere debeat bonos homines Durachii, et ab illis diligenter scire et investigare, si vellent regi secundum ordines et statuta Veneciarum, et si de hoc forent contenti, scribat nobis de presenti, quando autem contenti non forent, mittat nobis illa capitula suorum statutorum, de quibus faciunt mentionem, quia videbimus illa, et postea providebimus, ut nobis honestum et rationabile apparebit.

Ad octavum, per quod requirunt limitari et tanxari precia scripturarum, que fiunt per concellarios rectorum, respondeatur ipsis oratoribus, quod committemus rectori, quod cum bonis hominibus deinde debeat se informare de solutionibus scripturarum, que fiunt per ipsos cancellarios, et quod omnibus examinatis debeat limitari precia ipsis scripturis, ita quod boni homines non habeant causam querele, et quod cancellarii ipsi possint habiliter pertransire.

Ad novum, per quod requirunt, quod revocetur quidam ordo factus per nostros rectores, quod aliquis notarius non possit facere testamenta vel alia instrumenta nisi cancellarii rectorum, detur responsio, quod sumus contenti et sic dabimus nostro rectori in mandatis, quod debeat revocare

ordinem antedictum ita quod quilibet notarius publicus possit facere testamenta et quelibet alia instrumenta.

Ad decimum et ultimum, in quo faciunt mentionem de certa differentia, que est inter quemdam archidiaconum Martinum Albonensem et archidiaconum Nicolam, requirentes in conclusione, quod ille archidiaconus Martinus expellatur per vim sicut per vim intravit; fiat responsio, quod mittemus nostro rectori dictum capitulum, et mandabimus, quod ipsum examinare debeat, et si ita erit, ut dicunt, faciat deponi et sequestrari penes aliquem bonum virum deindo omnes redditus et proventus dicti archidiaconatus, donec videbitur finis, quem capiet differentia, que inter ambos est in curia romana, habendo ultra hoc mentem et curam ad facta dicti archidiaconi Martini Macarathe; et si videret, quod per ipsum possent inter cives Durachii et intra terram scandala exoriri, quod teneat modum de licentiando eum ita, quod non stet ibi, donec aliter providebitur per nos.

Insuper quia habemus informationem, quod castra nostra Durachii stant sine aliqua munitione victualium et similiter cum modico armorum et aliarum rerum necessariarum, scribatur ipsi nostro rectori, si habet modum possendi ipsa castra fulcire munitionibus predictis, quod hoc facere debeat, quondo autem non haberet modum, scribat nobis presto omnia illa, que viderentur sibi necessaria et opportuna singulariter et distincte, quia nos hic providebimus, secundum quod nobis videbitur opus esse.

Misti XLIV. 68, u mlet. arkivu.

DLXX. God. 1399. 9 siečnja, u Mletcih.

Dopušća se načelniku skadarskomu, da si uzme tumača, i da ga plati iz prihoda one obćine.

1398. die nono ianuarii. Consiliarii. Capta: quod concedatur nobili viro ser Nicolao Polani comiti et capitaneo Scutari, quod pro accipiendo unum interpretem omnino necessarium pro dando expeditionem comparentibus coram eo, qui expediri non possunt ita cito propter lingnam, quam nescit dictus ser Nicolaus, possit expendere illud, quod erit necessarium, de denariis, qui remanent in communi Scutari pro reparatione illius loci.

Misti XLIV. 82, u mlet. arkivu.

DLXXI. God. 1399. 14 siečnja, u Mletcih.

Cum Alexii introitus sint multo minores quam exitus, quia nunc non accipitur a mercatoribus in solutione pro sale sicut antea granum, plumbum, pelamen et aliae merces, ideo capta pars, quod baiulus Durachii debeat dubanam Alexii affictare per publicum incantum „illi, qui plus ei offeret, non possendo illam deliberare pro minori pretio ducatorum octingentorum in anno“ cum conditione, quod ille, qui habebit dictam dohanam, teneatur eam tenere fulcitam de sale Durachii pro pretio limitato et non de alia, et sit subditus venetus. Deliberatum etiam, quod pro Alexio non debeat amplius fieri rector sed castellanus, et cum potestate faciendi rationem iu civilibus ab iperperis decem infra, a decem vero supra et in criminalibus iustitiam ministret baiulus Durachii.

Misti XLIV. 82, u mlet. arkivu.

DLXXII. God. 1399. 2 ožujka, u Mletcih.

Luka Mikac trogiranin posriedovanjem republike šalje 200 dukata u istok, da si tom svotom odkupi sina od Turaka zasužnjena.

1399. die 2 marcii. Capta: cum quidam nepos ser Luce de Michazo de Tragurio devoti nostri dominii sit captivus in manibus Turcorum, et pro eius redemptione opporteat, ut ad partes illas transmittat ducatos ducentos auri; vadit pars, quod nobilis vir ser Nicolaus Victuri civis noster possit mittere contatos vel per cambium, ut sibi videbitur, dictos ducatos ducentos cum navibus ituris ad illas partes nomine predicti ser Luce de Michazo, solvendo nabulum consuetum.

Misti XLIV. 90, u mlet. arkivu.

DLXXIII. 1399. 21 travnja, u Mletcih.

Riešeno, da se povrate sinovom pok. Vuka Brankovića njeke dragocienosti, pripadajuće sestri Vukovoj a ženi Gjorgja Topije, ako se dokaže, da na njih imaju pravo.

1399. die XXI mensis aprilis. Ser Petrus Civrano et ser Jacobus Tervisano, consiliarii. Capta: cum alias comparuerit coram nostro dominio quidam nuntius magnifici domini Volchi de Brancho, rogans nos instantissime, ut nobis placeret eis facere consignari res existentes in manibus castellani nostri Durachii, que fuerant date quondam domino Georgio Topie pro dote sororis sue, et scriptum fuerit baiulo et capitaneo nostro Durachii, quod procurare deberet cum dicto domino Volcho, quod esset contentus, quod itinera currerent et starent aperta, et quod cives et mercatores nostri tractarentur in terris et locis suis dulciter et benigne, et si sic faceret, deberet coronam unam auri et paria quatuor zerzelorum perlarum, existentium apud castellanum Durachii, consignari facere illi persone, cui de iure spectarent etc. Et modo nuper compareat ad presentiam nostram unus procurator filiorum dicti quondam domini Volchi cum litteris suis, per quas nos instanter rogant, ut dignemur dictam coronam auri et zerzellos eis consignare debere, cum sibi de iure spectant, et iustum sit, postquam dicte res non spectant nostro dominio, facere eas dare, quibus spectant de iure; vadit pars, quod scribatur baiulo et capitaneo nostro Durachii, qualiter comparuit ad nostram presentiam quidam nuntius filiorum quondam domini Volchi de Brancho, rogans nos, ut dignemur eis consignari facere coronam unam auri et paria quatuor zerzellorum perlarum, et mandetur eidem auctoritate istius consilii, quod in casu quo ad presentiam suam compareat aliquis procurator filiorum suprascripti quondam domini Volchi cum procuratorio sufficiente, debeat videre et examinare diligenter iura sua, et si per ea, que habebit, videbit et cognoscet, dictam coronam et zerzellos de iure eis spectare, debeat illam et illas sibi dare et consignare, et in hoc casu procuret toto posse suo, quod idem domini observent franchisias et libertates solitas civibus et mercatoribus nostris in terris et locis suis existentibus et circumstantibus; quando vero haberet et cognosceret, predictas res eis non spectare, debeat illas sic conservari facere, et nobis scribere, quid sequutum fuerit superinde.

Filiis autem domini Volchi respondeatur, quod recepimus litteras suas, per quas nobis scripserunt mortem dicti quondam patris sui, et eis tamquam successoribus dicti eorum patris dignemur consignari facere unam coronom auri et paria quatuor zerzellorum perlarum existentium apud castellanum nostrum Durachii, et quod vellimus habere eos in cives et caros amicos, ut habuimus dictum patrem suum etc. Quod de morte patris sui predicti nos deus novit satis dolemus tamquam de caro amico et cive nostro, quem habebamus, et tenebamus, et sic dispositi sumus eos habere et tenere tempore futuro, cum reddamus nos certos, quod omnes mercatores, cives et fideles nostros, in terris et locis suis mercantes et conversantes, tractabunt et videbunt amicabiliter, dulciter et benigne, et non permittent eis ullam molestiam vel novitatem inferri. Ad factum vero corone et zerzellorum eis dicimus, quod scripsimus capitaneo nostro Durachii et suis successoribus, quod in casu quo compareat ad suam presentiam aliquus suus procurator, debeat iura sua examinare, et facere eisdem id, quod sibi spectabit de iure, et propterea possunt procuratorem suum Durachium destinare ad dictum nostrum baiulum, denotando eis, quod secundum nostrum mandatum procuratori suo cum expeditione fiet iuris debitum complementum.

Misti XLIV. 99, u mlet. arkivu.

DLXXIV. God. 1399. 3 svibnja, u Mletcih.

Buduć papa obdario sina Petra Marcella nadbiskupijom Dračkom, koju je do sada uživao prmancir sv. Marka, te bi lasno toga radi doći moglo do smutnje, odlučeno, da se piše papi, neka izvršenje te stvari obustavi.

1399. indictione VII, die III maii. Capta: quia satissimus dominus papa, secundum quod videtur, ex motu proprio providit filio ser Petri Michaelis de archiepiscopatu Durachii, quem habebat et tenebat auctoritate apostolica dominus primicerius sancti Marci, et ista res et similes possent esse causa maximi erroris et scandali in hac civitate, quod non est tollerandum, ymo super inde penitus providendum pro bono status nostri; vadit pars, quod possint scribi litere prefato domino pape et aliis, qui videbuntur, in curia romana pro obviatione predictorum et similium, et ut predicta non consequantur effectum in illa forma, que videbitur dominio. De parte 52, de non 27, non sinceri 14.

Misti XLIV. 99, u mlet. arkivu.

DLXXV. God. 1399. 30 svibnja, u Mletcih.

Commissum capitaneo culphi, quod cum galeis sibi commissis vigilare debeat toto posse ad capiendum quamdam spinaricam (cocham), quae exivit de portu Jadrae, dispositam ire ad cursum ad damna quorumcumque, et male dispositam erga subditos venetos, et etiam suam barcham missam Segnam ad levandum balistarios quinquaginta.

Misti XLIV. 103, u mlet. arkivu.

DLXXVI. God. 1399. 10 lipnja, u Mletcih.

Pravo mletačkoga gradjanstva podieljeno Ostoji bosanskomu kralju.

1399. indictione VII. 10 iunii. Privilegium serenissimi domini Stephani Ostoya dei gratia Rassie, Bosne Maritimeque et cet. cum suis filiis et heredibus de intus et extra de gratia. Anthonius Venerio dei gratia dux Venetiarum etc. Universis et singulis tam amicis quam fidelibus et tam presentibus quam futuris presens pvivilegium inspecturis salutem et sincere dilectionis affectum. Tanto benignius ducalis providentia consuerit personas illustres et excelsas sibi devotas et fiedeles honoribus prevenire, ipsorumque fidem et devotionem dignis retributionibus compensare, ac ipsas dotalibus favoribus convallare, et earum petitiones liberalius exaudire, quanto ducatui nostro devotiores fide et operibus se ostendunt. Attendentes igitur multiplicis benevolentie puritatem et devotionis plenitudinem, quam serenissimus et excelsus dominuus Stephanus Ostoya, dei gratia Raxie, Bosne et cet. rex illustris, ad nostre magnitudinis excellentiam habere promptis affectibus se ostendit, qui in agendis nos, ducatum nostrum et singulares personas ducatus eiusdem tangentibus benevolum et amicabilem se incessanter prebuit atque prebet, votis suis et precibus affectuosius et gratiosius annuentes, ipsum serenissimum dominum Stephanum cum suis filiis et heredibus nostroium omnium consiliorum et ordinamentorum necessaria solemnitate servata in Venetum et civem nostrum cum suis filiis et heredibus perpetuo recepimus atque recipimus, et Venetum et civem nostrum cum suis filiis et heredibus fecimus et facimus, et pro Veneto et cive nostro cum suis filiis et heredibus in Venetiis et alibi deinceps haberi et procurari omni effectu et plenitudine volumus et tractari, ipsum sincere benevolentie brachiis amplexantes, et firmiter statuentes, quod singulis libertatibus, beneficiis, imunitatibus et honoribus quibuscumque, quibus alii honorabiles Veneti et cives nostri utuntur et gaudent, idem serenissimus dominus rex in Venetiis et extra libere gaudeat de cetero et utatur. In cuius rei fidem et evidentiam pleniorem presens privilegium fieri jussimus, et bulla nostra aurea pendente muniri. Datum in nostro ducali palatio anno dominice incarnationis MCCCLXXXXVIIII, mense iunii die decimo, indictione septima.

Liber Privileg. I. 132, u mlet. arkivu.

DLXXVII. God. 1399. 15 kolovoza, u Ostrogonu.

Litterae regis Hungariae missae ducali dominio Venetiarum pro quietatione ducatorum septem millium de anno currenti 1399, datae Strigoniae diae XV mensis augusti, indictione VII. — Sequuntur aliae duae in eodem facto

Commemorialium IX. 99, u mlet. arkivu.

DLXXVIII. God. 1399. 21 kolovoza, u Mletcih.

Thomas Mocenigo affirmat se accepisse a veneta republica 2000 duc. ex annuo tributo, quod ipsa respublica solvit regno Hungariae, et hoc nomine provisionis ei assignatae ab hungarico rege, et pro annis 1398,1399.

Commemorialium IX. 92, u mlet. arkivu.

DLXXIX. God. 1399, 3 listopada, u Mletcih.

Buduć se iznevierio skadarski i drivatski kotar, šalje se onamo vojnička pomoć, te se odredjuje, da se i galije kroz rieku protisnu do Skadra.

1399. die tercio octubris. Sapientes consilii, sapientes ordinum. Capta: cum, sicut scribit nostro dominio nobilis vir ser Nicolaus Polani comes et capitaneus Scutari, tota contracta rebellavit nostro dominio, ita quod non remansit nisi solummodo civitas Scutari et Drivasti obedientes nobis, et propterea necessarium sit providere ad custodiam et defensionem castrorum dictarum civitatum, ut in omni casu possint defendi ad honorem nostri dominii; vadit pars, quod committatur nostris solutoribus armamenti, quod quanto prestius fieri poterit solidare debeant viginti bonos et sufficientes balistarios forenses pro mittendo Scutarum, qui subito cum fuerint solidati mitti debeant Scutarum; committendo comiti et capitaneo, quod de illis disponat ad custodiam dictorum castrorum, prout cognoverit opus fore; de soldo autem dictorum balistariorum et firma ac de modo, quo fieri habebunt, provideri debeat per collegium domini, consiliariorum, capitum et sapientum utriusque manus, prout eis videbitur opus fore, ac insuper provideatur per dominium de mittendo prefato comiti Scutari denarios, pulverem a bombardis et alias res requisitas, prout videbitur expedire; et similiter scribatur baiulo et capitaneo nostro Durachii, quod, si ipsi comiti et capitaneo nostro Scutari esset necessaria subventio brigantini, quem ibi habet vel alterius rei, quod ipse sibi debeat subvenire pro conservatione locorum. De partė — 48.

Nota: quod per collegium supradictum terminatum fuit, quod supradicti ballistarii habere debeant libras sexdecim in mense et ratione mensis, pagam quatuor mensium et ratione aliorum quatuor.

Ser Petrus Gauro consiliarius: vult, quod, ut ille civitates melius conservari valeant ad nostrum honorem, et reduci contracta, utque fieri possit id, quod fieri habebit in dictis partibus, fieri debeat quanto prestius esse poterit centum pedites sub quatuor comestabilibus bonis et sufficientibus forenses, inter quos sint quam plures ballistarii esse poterunt et saltem medietas cum illo soldo et firma ac per illas vias et modos, qui fuerint deliberati per collegium domini, consiliariorum, capitum et sapientum utriusque manus, qui cum soldati et facti erunt, mittantur ad illas partes, et dividantur ad custodiam locorum, sicut utilius et melius apparebit. Verum quia per illa, que dicit comestabilis, qui venit de Scutari, esset valde utile et fructuosum, quod galee nostre se presentarent et irent in flumeriam Scutari, committatur ser Andree de Molino vicecapitaneo nostro culphi et aliis nostris galeis, que venirent intra culphum, quod, intelligendo se cum comite et capitaneo nostro Scutari, intrare debeat infra dictam flumeriam, et ire sursum usque ad dictum locum, qui sibi videbitur pro asecurando et reducendo contratam, non ponendo tamen gentes nostras in terram, nec subiicendo se alicui periculo, et mittatur pecunisa et alias res requisitas, et similiter scribatur baiulo et capitaneo Durachii, ut dicunt sapientes consilii et ordinum. De parte 25, de non 0, non sinceri 7.

Misti XLIV. 127, u mlet. arkivu.

DLXXX. God. 1399. 6 studenoga, u Mletcih.

Captum, quod eligi debeat potestas Drivasti per duos annos cum salario librarum quadraginta grossorum in anno, ad rationem grossorum triginta quatuor pro ducato, non possit ullo modo accipere donum et presens, nec sibi appropriare aliquam regaliam communis, nec facere de mercationibus; respondeat infra tertiam diem, et recedat ad beneplacitum dominii. Sedeat ad banchum pro ius reddendo omni die lunae, mercurii et veneris de mane usque ad tertiam ad minus et post prandium usque ad vesperas, die vero martis et iovis solummodo post prandium. Electus 9 februarii ser Johannes Diedo quondam ser Jacobi.

Misti XLIV. 128, u mlet. arkivu.

DLXXXI. God. 1399. 4 prosinca, u Mletcih.

Committitur comiti et capitaneo Scutari nec non potestati ituro Drivastum, quod cum idem potestas Scutarum applicuerit, debeat esse cum comite Scutari, et insimul diligenter examinare conditiones Scutari et Drivasti, causas rebellionis „totius contracte quantitatem gentium sufficientem ad eorum custodiam, modos et vias, per quas possemus pronarios ipsius contracte tenere fideles et nobis obedientes, et quot sunt numero“, et deinde informent super hoc, ut possit provideri, sicut erit necesse.

Misti XLIV. 130, u mlet. arkivu.

DLXXXII. God. 1399. 4 prosinca, u Mletcih.

Ordinatum capitaneo culphi, et supracomitis, quod quotienscumque acciderit „eos cum galeis sibi commissis transire apud flumeriam sancti Serzii, possendo cum commodo suo intrare dictam flumeriam, debeant in illam intrare et ascendere usque sanctum Serzium, cum hoc esset fidelibus nostris spes bona et male dispositis terror immensus“.

Misti XLIV. 131, u mlet. arkivu.

DLXXXIII. God. 1400. 9 ožujka, u Mletcih.

Piše se knezu skadarskomu i drivastskomu, neka nastoje, da oni, koji uživaju dobra uz dužnost njeke javne službe, tu dužnost izpune.

1400. die nono martii. Ser Andreas Mauroceno, ser Thomas Michael, sapientes ordinum. Capta: cum sint multi nostri fideles Scutari et Drivasti habitatores dictarum civitatum, qui habent aliquas promas, propter quas tempore dominorum, qui dominabantur dictis civitatibus, tenebantur equitare et facere certas angarias, et modo non curant equitare nec observare id, ad quod sunt obligati, vadit pars, quod scribatur rectoribus nostris Scutari et Drivasti, quod faciant, quod huiusmodi habentes promas observent et faciant nostro dominio id, quod ob dictas promas fatiebant et observabant dominis preteritis.

Misti XLV. 2, u mlet. arkivu.

DLXXXIV. God. 1400. 23 ožujka, u Mletcih.

Mandatum Nicolao Polani comiti et capitaneo Scutari et Paulo Baxilio potestati Drivasti quod occasione differentiarum in materia confinium Scutari et Drivasti esse debeant ad invicem, et participato consilio cum fidelibus illarum partium, pacifice et quiete ponere confinia predicta; et si aliqua differentia foret, tunc ipsam reipublicae denotent, et interim ulterius non procedant. Statutum etiam, quod in Scutaro sint de caetero 32 et in Drivasko 20 ballistarii.

Misti XLV. 4, u mlet. arkivu.

DLXXXV. God. 1400. 26 ožujka, u Mletcih.

Ambasciatori Murse domini Avalonae respondetur, quod republica, ut complaceat domino suo, sit commissura capitaneo suo culphi de brevi recessuro, „ut debeat se informare de conditionibus omnium locorum suorum, et habita a dicto capitaneo informatione, providebit, prout videbitur opus esse.“

Misti XLV. 6, u mlet. arkivu.

DLXXXVI. God. 1400. 11 svibnja, u Mletcih.

Zabranjuje se Dubrovčanom pod težkom globom doći u Mletke s toga, što je u Dubrovniku kuga biesnila.

Ser Michael Steno procurator, ser Donatus Mauro, ser Nicolaus Lucari, sapientes consilii. Capta: quia clare sentitur, quod de partibus Ragusii venit Venecias navis una Ragusinorum, in qua sunt mortui plures et infirmi, qui Ragusini cum suis familiis recedunt deinde et veniunt ad standum Venecias aliquo tempore, eo quod ipsa civitas Ragusii est valde contagiata peste, et sic satis constat, quod adhuc quamplurimi de ipsa terra ipsa de causa venient et venturi sunt Venecias, sicut semper fecerunt temporibus retroactis, quod fuit causa et nunc est tenendi civitatem istam coruptam et non bene dispositam, ubi sanificaretur cum gratia iesu christi. Et adhuc plus, quia videtur pariter, quod alias, quando in hac nostra civitate extitit epidemia, et civitas Ragusii extitit sana, nunquam illi de Ragusio consentire voluerunt, quod aliquis venetus seu de illis galearum vel navigiorum nostrorum intraverit ipsam terram suam; propter quod satis iustum est, quod illammet provisionem faciamus in ipsos, quod erit causa, quod nostri semper receptabuntur alacriter, prout fiunt in omnibus aliis terris maritimis cum personis et navigiis, et quod ipsi de illa terra in tantum corupta non venient cum illa sua intemperantia Venecias; vadit pars, quod teneatur omnis modus possibilis mandando rectoribus nostris a Grado ad caput Aggeris, ubi aliquando capitant de navigiis vel barchis, que veniunt Venecias, et similiter officiis nostris contra banna, quod ipsi rectores, quando predicti Ragusini cum suis familiis capitarent ad loca sibi commissa, et ipsi officiales, quando invenirent ipsos extra vel supra portum nostrum, stricte mandent et suprascripte navi et similiter aliis navigiis vel barchis venientibus Venecias, in quibus essent Ragusini cum familiis suis, quod nullo modo audeant venire Venecias sub pena librarum quinquagentarum pro quolibet, qui reperiretur de cetero venisse

Venecias, cui contrafacienti non possit fieri gratia, donum et remissio vel revocatio sub pena librarum quinquagentarum pro quolibet ponente vel consetiente partem in contrarium, de qua pena similiter non possit fieri gratia etc. sub pena predicta, et sic usque in infinitum. Et qui accusaret aliquem contrafacientem, qui venisset vel foret Venecias, pena, in qua incurrisset, dividatur per medium, silicet medietas sit accusatoris et alia deveniat in nostrum commune. Et ad similem penam cadant predicti Ragusini, si se reducerent ad terras a Grado ad caput Aggeris pro stando in illis, si eis foret notum, et tunc pena dividatur per medium, silicet medietas sit rectoris et alia nostri communis. Et si fuerit accusator, dividatur per tercium, silicet una pars rectoris, altera accusatoris et tercia deveniat in nostrum commune. Et de predictis non possit fieri gratia ut supra. Et tociens cadat quisque contrafaciens, quociens per eum fuerit contrafactum, et iterum expellatur. Et duret presens pars ad beneplacitum dominii et istius consilii.

Misti XLV. 11, u mlet. arkivu.

DLXXXVII. God. 1400. 14 svibnja, u Mletcih.

Mletčani dopušćaju Spljećanom, da drže na moru oružane brodove na obranu svojih trgovaca, te na molbu istih Spljećana posrieduju mir medju Spljetom i Jakinom.

1400. indictione VIII, die XIV maii. Sapietes consilii et ordinum. Capta: quod respondeatur regimini civitatis Spaleti in hac forma, videlicet: per litteras nobilis viri Andree Zane vicecapitanei nostrarum galearum culfi informati fuimus de brigantino et galea vestra, quos tenetis armatos pro defendendo et assecurando navigia, in quibus sunt mercimonia vestra, de barchis exiticiorum Spalatensium, et de navigio Anchonitanorum capto per dictum vestrum brigantinum sive galeam, liberato per dictum nostrum vicecapitaneum, ac de promissione per vos facta dicto vicecapitaneo etc., que quidem per binas litteras vestras distinxius intelleximus et presertim, quod petitis per nos concedi, quod armatos tenere possitis dictum brigantinum, galeam et barchas vestras pro defensione et assecuratione mercimoniorum vestrorum ab exiticis Spalatensibus, et quod nobis placeat facere annichilari dictam promissionem et obligationem, quam fecistis, et mandare capitaneo et aliis presidentibus galeis nostris, quod dictum brigantinum, galeam et barchas vestras habeant recommissas; insuper, quod iustas represaleas habetis contra communitatem Anchone ob damna vobis illata, de quibus differentiis videmus, contenti stare iudicio et interpositioni nostre etc. Ad que respondemus, quod nos non modicum tedet et gravat, quod inter vos et illos exiticios Spalatinenses sit aliqua discordia, inimicicia vel novitas, quia teste deo vellemus et placeret nobis, quod omnes vos Spalatinenses viveretis infimul fraternaliter et amicabiliter, ut facere deberetis; sed postquam sic res se habent, et vos asseritis, quod armastis dictam galeam sive brigantinum et barchas solummodo ad defensionem et assicurationem mercimoniorum vestrorum ab exiticis Spalatinensibus et non pro damnificando vel offendendo quemquam alium, sumus contenti in complacentiam vestram, quod promissio per nos facta sit cassata et amullata, ac etiam mandare capitaneo et aliis presidentibus nos-

tris galeis, quod habeant reccommissos brigantinum, galeam et barchas vestras, dummodo non inveniatur, quod damnificent vel offendant quemquam alium, et sic placeat dictis brigantino, galee et barchis vestris dare efficaciter in mandatis. Ad factum Anchonitanorum dicimus, quod, ut neutra partium habeat causam ulterius faciendi facere res, que augeant inimicitias et damna, decrevimus dicte communitati Anchone scribere super hoc facto in illa forma, que videbitur nobis necessaria, hortando et inducendo dictam communitatem, quod sit contenta de interpositione nostra circa istas differentias, circa quas bene vidimus et clare comprehendimus, vos accipere et habere in nobis magnam confidentiam, ex hoc vobis abunde regratiantes. Et propterea super hoc facto Anchonitanorum rogamus vestram benivolentiam, quatinus placeat nil ulterius innovare, nec ad aliquid aliud ulterius procedere, donec, habita per nos responsione a dicta communitate Anchone, vobis scripserimus superinde, paratos, si dictis Anchonitanis placuerit nostra interpositio, ponere nostro posse pacificam et concordem compositionem differentiis antedictis.

Capta: Communitati Anchone scribatur in hac forma, videlicet: ut omnibus notum esse potuit atque potest nostri moris semper fuit, ubi discordia sit, querere poni pacem et concordiam et specialiter inter circavicinos et amicos nostros. Cum igitur vicecapitaneus nostrarum galearum culfi, sciens hanc nostram intentionem, ob amorem, quem vobis gerimus, liberari fecerit quoddam vestrum navigium captum per unum brigantinum sive galeottam civitatis Spaleti, accepta promissione ab eis de reddendo nobis dictum brigantinum ad omne nostrum beneplacitum, quod nobis placuit, ne plures novitates et damna committerentur, et per dictum vicecapitaneum nobis data sit informatio, dictam communitatem Spaleti asserere, se habere iustas represalias contra vos ob damna sibi illata, et ut scitis semper quesiverimus, quod habitantes supra hunc culfum per mare non damnificent se alterutrum, et maxime, quos habemus et tenemus amicos atque benivolos, sicut sunt vestra communitas et civitas Spaleti; non videntes aliud melius medium vel remedium in hoc, quam quod acceptemus laborem interponendi nos in istis differentiis, vestre nobilitati magnificentie offerimus confidenter interpositionem nostram, de qua ex nunc comprehendimus, Spalatinos esse contentos, et propterea vos hortamur, ut placeat velle secum ad concordem compositionem venire, et si nostra interpositio et mediatio vobis est grata, parate vestrum oratorem, vestris iuribus et intentione informatum, quia subito, cum sciverimus, vos de hac interpositione nostra esse contentos, scribemus communitati Spaleti, quam in hoc comprehendimus certe fore aprime dispositam, quod mittat ad nostram presentiam aliquem de iuribus et intentione sua edoctum et instructum ad plenum, qui, cum Venetias applicuerit, vobis notificabimus, ut mittatis similiter Venetias ambassatorem vestrum predictum, rogantes benevolentiam vestram, quatenus placeat abstinere et abstineri facere vestrates ab inferendo aliquas novitates vel damno Spalatenis, quibus similiter scripsimus, ut, sicut optamus, ad pacem et bonam compositionem partes auctore domino reducantur.

Mtsti XLV. 12, u mlet. arkivu.

DLXXXVIII. God. 1400. 21 lipnja, u Mletcih.

Propositio, quod respondeatur ambasciatori domini Avalonae, qui offerebat reipublicae loca domini sui sub conditione, quod ipsa respublica provideat de ipso domino ita, ut possit cum sua familia honorifice ducere vitam suam, quod pro nunc non sit possibile propter multas causas attendere ad hoc factum, non capitur, sed committitur collegio, ut mittat unam vel duas personas ad examinandum loca omnia domini Avalonae, introitus et expensas eorum, et de omnibus informet, ut possit compleri factum, secundum quod fuerit iustum et utile reipublica.

Misti XLV. 19, u mlet. arkivu.

DLXXXIX. God. 1400. 21 lipnja, u Mletcih.

Načelniku idućem u Lešku doznačeno 200 dukata za popravak tornja u onom gradu.

1400. indictione octava, die XXI iunii. Consiliarii. Capta: quod nobilis vir ser Victor Dolfino, iturus ad Alexium, possit expendere ducatos ducentos auri pro aptatione turris dicti loci, quia habita informatione super hoc, ista expensa est penitus necessaria.

Misti XLV. 20, u mlet. arkivu.

DXC. God. 1400. 27 lipnja, u Mletcih.

Pruža se pomoć gradovom Skadru i Drivastu, porobljenim od Turaka.

1400. die XXVII. iunii. Quia consideratis terminis, in quibus se reperiuntur civitates nostre Scutari et Drivasti, quibus Turchi dederunt guastum bladorum et vinearum ac aliarum rerum de extra, est omnino danda eis subventio bladorum et aliarum rerum necessariarum, ut non pereant nec vadant ad manus Turchorum; vadit pars, quod collegium domini, consiliariorum et capitum et sapientum consilii et ordinum habeat libertatem mittendi dictis civitatibus nostris illas subventiones, que sibi videbuntur et gentium, bladorum et aliarum rerum, et cum illo modo et ordine, qui prestior et melior apparebit.

Misti XLV. 20, u mlet. arkivu.

DXCI. God. 1400. 27 lipnja, u Mletcih.

O novcih, koje je mlet. republika davala Tomasu Močenigo na račun godišnje svote, koju je plaćala ista republika ugar.-hrv. kruni.

Copia unius scripti manu ser Thome Mocenigo bollati cuno suo sigillo. Al nome de dio amen. 1400. die 13 septembrio, mi Thomado Mozenigo, de Veniesia son contento, che ducati mille doro, de i qual la signoria in questo di me a fato 1. zedola, che i me sia dadi, ai camerlengi de comun, in qual se per la provision, che io die haver da la corona de Hungaria per l anno presente de MCCCC, che in caso, che la signoria se voia pagar dal magnifico conte de Universa de quello la resta ad aver da lui de ducati XV milla, che altra fiada la inpresta in li dener, che la dic-

ta signoria da ogni anno ala dicta corona de Hungaria, de non tuor i diti ducati mille, finche la dicta signoria non sera paga dal dicto magnifico conte de Universa de quello la resta ad aver de i diti ducati XV mille. E questo scrito ho fato mi Thomado Mocenigo de mia man propria e bolada in uno sezelo in cera rossa.

Commemorialium IX. 107, u mlet. arkivu.

DXCII. God. 1400. 4 studenoga, u Mletcih.

Buduć izviestio knez Drački, da njeke dragocienosti pok. Vojslave žene Gjorgja Topije gospodara Dračkoga nepripadaju sinovom pok. Vuka Brankovića, republika nalaže istomu kneza, neka to odpremi u Mletke, a da će ona pako o tom konačni sud izreći.

1400. die 4 novembris. Capta: cum baiulus et capitaneus noster Durachii scribat, quod videtur sibi, quod corona et cercelli ei assignati per precessorem suum tamquam de bonis condam magnifici domini Georgii Thopie, spectent nostro communi et non filiis domini Vulchi de Brancho, petentibus dictam coronam et cercellos tamquam bona condam domine Voyslave, quia dictus dominus Georgius dedit et dimisit civitatem Durachii et omnia sua bona communi Venetiarum, et bonum sit providere super hoc, vadit pars, quod scribatur et mandetur baiulo et capitaneo Durachii, quod debeant mittere Venetias per personam confidentem ad manus nostrorum oficialium rationum veterum dictam coronam et cercellos, ut postea possit per istud consilium provideri de dictis rebus, sicut iustum videbitur.

Misti XLV. 38, u mlet. arkivu.

DXCIII. God. 1401. 4 ožujka, u Mletcih.

Dozvoljeno malomu vieću, neka i s novci povede njekoga turčina, da ne hara skadarski kotar i ne napada na onaj grad, poveden na to od Gjorgja Stracimira, komu se uzkratila godišnja podpora sbog povriede ugovora.

Cum, sicut clare habetur et per experientiam apparet, dominus Georgius Strazimir est potissima causa insultus et derobationis, que fiunt per Saynum Turchum in territoriis et districtibus nostris Scutari et illarum partium, et propter multos respectus faciat pro nobis habere advertentiam et cogitare factis nostris, specialiter considerato, quod dictus dominus Georgius contrafecit pactis nostris, propter quod deliberatum est per nostra consilia, quod non detur amplius ei aliqua provisio sicut habebat; et etiam considerato, quod dictus dominus Georgius dedit primo dicto Sayno Turcho locum Scutari, et postea illum eidem surripuit, et postea illum dedit nostro dominio, de quo dictus Saynus non bene contentus, pretendens ius habere in eodem loco, nunquam cessabit inferre molestias et gravitates contraere, nisi aliud remedium apponatur; et non faciat pro nostro dominio, quod dictus locus veniat in manus Sayni Turci; vadit pars pro honore nostri dominii et refrigerio et quiete subditorum nostrorum illarum partium, quod collegium domini, consiliariorum, capitum, sapientum consilii et ordinum habeat libertatem tractandi et conveniendi cum dicto Sayno per illum secretum et bonum modum, qui predicto collegio vel maiori parti

videbitur, etiam si opus erit facere aliquam expensam pro predictis, que possit fieri et expendi sicut videbitur, quia omnia fient cum quam maiori honore et minori gravitate fieri poterit pro nostro communi.

Misti XLV. 61, u mlet. arkivu.

DXCIV. God. 1401. 8 travnja, u Mletcih.

Ambasciatoribus comitis Segniae quaerentibus mutuo a veneto dominio 10000 duc. pro dote suae sororis iam cuidam Polono coniugatae, qui eam propter offitia regis Hungariae ad se accipere intendit, pro qua suma vult ei dare in pignus introytus suos speciales et Segniae, senatus respondet, quod propter plurimas causas suis petitionibus satisfacere non possit.

Misti XLV. 69, u mlet. arkivu.

DXCV. God. 1401. 10 travnja, u Mletcih.

Episcopus Frisingensis, orator Gulielmi ducis Austriae proponit denuo, quod suus dominus libenter se intromitteret „ad aptandum differentias, que sunt inter cognatum suum dominum regem Ladislaum et nos"; sed respublica ei respondet, quod ipsa nullam differentiam habeat cum ipso rege.

Secr. Cons. Rog. I. 4, u mlet. arkivu.

DXCVI. God. 1401. 23 travnja, u Mletcih.

Commissum capetaneo culphi, quod, transeundo Tragurium, quaerat restitutionem pecuniae ipsi communitati comodatae, vel det ordines, ut ipsa pecunia quam citius restituatur, deinde transeat in Apuleam.

Misti XLV. 73, u mlet. arkivu.

DXCVII. God. 1401. 14 lipnja, u Mletcih.

Republika šalje svoga tajnika u Dubrovnik, neka prosvieduje sbog Mletčanina Benedikta Kontarina, komu knez Stjepan počini mnogo škoda na krivu obtužbu podnesenu od njekoga Dubrovčanina.

1401. 14. iunii. Capta: quod pro factis nobilis viri ser Benediti Contareno propter novitatem et damnum illatum sibi per comitem Stephanum sive comitissam in Novabarda defectu cuiusdam Ragusini, mittatur unus nuntius noster Ragusium cum infrascripta commissione.

Vade ad presentiam regiminis Ragusii, cui presentatis literis nostris amoris et dilectionis, debeas exponere, quod per querelam nobilis viri ser Benedicti Contareno dilecti civis nostri sensimus cum non modica displicentia et turbatione, et etiam audivimus aliquas literas facientes nobis plenam fidem de hoc, quod propter non veram informationem datam per quemdam mercatorem ragusinum nomine Marinum Zinzalunoli et defectu et culpa dicti mercatoris comes Stephanus sive comitissa in Novabarda fecerat intromitti et poni in castrum unum civem nostrum factorem dicti nobilis viri ser Benedicti Contareno, et intromitti etiam domos et omnes

alias res, quas dicti habebant de ratione dicti nostri civis, et ultra hoc sequestrari fecerat in manibus suorum debitorum et specialiter unius nomine Stanira de Pasera totam quantitatem argenti, in qua teneatur dicto ser Benedicto, quod argentum est l. 250 vel circa, et iam partem ipsius argenti accipi fecit de manibus dicti debitoris dicti ser Beneditti in maximum damnum et iacturam dicti civis nostri et contra ius et iustitiam, eo quod dictus mercator ragusimus conquestus fuit dicto comiti Stefano de nostro rectore Scutari de re, in qua ipse Ragusinus fuit et est in culpa, et causa novitatis facte sibi per dictum nostrum rectorem, nam videtur, quod dictus mercator ragusimus voluit prius se informari, si concederetur ei licentia portandi per teritorium Scutari arma ad partes subiectas Turchis, fuit ei responsum, quod non. Et non obstante hoc dictus Ragusimus in quibusdam capsit portebat per territorium Scutari dicta arma oculta contra ordines et banna dicte nostre civitatis et contra honorem et bonum christianorum, que quidem arma, sic inventa portari per fraudem et contra bannum, fuerunt iuste et rationabiliter accepta per dictum nostrum rectorem, nec huic tali acceptioni potuit aliquid opponi alicui nisi dicto mercatori, qui fuit in defectu. Et quando pur dictus mercator putasset sibi aliquod oblicum illatum esse, debuisse habere recursum vel ad regimen Ragusii vel ad nos, qui benigne audivissemus eum intuitu iustitie et amore vestro, et fecissemus, si fuisset in iure de dicto facto, sibi ius et iustitiam ministrare. Sed quia vidit et cognovit, dicta arma iuste accepta sibi fuisse, inique et dolose male informavit dictum comitem Stephanum et contra equitatem et veritatem. Itaque quod qui causam dictam dat, damnum dedisse videtur, iuste et vere possumus dicere, quod dictus mercator Ragusimus intulit dicto nostro civi damnum, sequestrationes et acceptiones rerum et domorum suarum ac sui argenti de manibus suorum debitorum. Et propterea cum sicut civitates et communia tuentur et favent civibus et habitatoribus suis, ac conservant eos in iuribus suis contra quoscumque, similiter teneantur dicte civitates et communia ad providendum ad satisfactionem et mendam damnorum, que inferuntur indebite et iniuste per suos cives et habitatores aliis personis. Suam nobilitatem ac benevolentiam, quam scimus collere iustitiam, equitatem et honestatem, et nos diligere et per consequens mercatores et cives nostros, rogamus instanter quatenus placeat providere taliter circa materiam et factum predictum, quod dictus civis noster habeat satisfactionem et emendam damni sibi illati, et quod non habeat causam ulterius querelandi coram nobis, sed remanendi contentus, et quod factor suus relaxetur, ut est iustum, et speramus in sapientia sua. Et circa obtinendam istam nostram intentionem debeas cum predictis et aliis rationibus, que tibi videbuntur bona et proficua, facere quicquid boni poteris in favorem dicti nostri civis. Verum si tibi fieret mentio de restitutione armorum acceptorum per rectorem nostrum Scutari, et tu comprehenderes, quod restituendo dicta arma, tu obtinere possis nostram intentionem, tunc habeas libertatem dicendi, quod intuitu et amore dicte communitatis Ragusii sumus contenti facere dari in bailia et manu dicte communitatis dicta arma. Et ut hoc habeat effectum, fecimus tibi dare litteras nostras, quas poteris mittere rectori Scutari cum dicto nostro mandato, si videbis esse necesse pro facto nostro predicto. Et si obtinebis id, quod tibi supra committimus, vel in forma, de qua remaneat contentus dictus ser Bene-

dictus, bene quidem; quando vero dicerent, quod mittent ad dictum comitem Stephanum ad procurandum satisfactionem et restitutionem damni illati, debeas expectare, donec scies, quid secutum fuerit de dicta missione. Et si per dictam missionem sequetur talis effectus, quod dictus noster civis remaneat contentus, bene quidem; quando vero non, vel quod haberes aliam responsionem a dicto regimine, per quam non sperares aliquid obtinere, debeas tunc dicere dicto regimini, quod nostra dominatio mirabitur de responsione, et tamquam debitores manutenendi et conservandi iura suorum civium, nos oportebit previdere circa satisfactionem damni illati per illos modos et remedia, qui nobis videbuntur iusti et necessarii. Et facto in hoc quicquid boni poteris, Venecias revertaris. Avisamus tamen te, quod si dictum regimen te requireret, quod ires ad dictum comitem Stephanum, excuses te, quod non habes in hoc libertatem, lutanando te ab hoc cum illis verbis, que tibi videbuntur, quia nullo modo volumus, quod vadas ad dictum comitem Stephanum nec ad comitissam, sed si ipsi mittent, expecta, ut superius dictum est.

Capta: Insuper quia iustum est facere omnem experientiam possibilem, ut dictus noster civis tam indebite damnificatus possit venire ad satisfactionem et emendam damni sui, debeat dominium mittere pro Ragusinis, qui sunt in hac civitate, et gravare se de casu predicto cum verbis et rationibus contentis in hac commissione, et hortari eos, quod scribant Ragusium, ut suum regimen provideat ad satisfactionem et emendam damni illati dicto nostro civi, utendo versus dictos mercatores ragusinos illis verbis et rationibus, que videbuntur dominio, ut cognoscant et videant expresse nostre intentionis esse, quod dictus noster civis non remaneat cum damno predicto, sed perveniat ad satisfactionem et emendam, ut iustum et equum est.

Misti XLV. 87, u mlet. arkivu.

DXCVIII. God. 1401. 14 lipnja, u Mletcih.

Pažani zovu u pomoć republiku proti Zadranom, i mole ju, da jih primi u svoju vlast; ali ona sve to uljudno odbija.

1401. indictione nona, die XIIII iunii. Sapientes consilii et sapientes ordinum. Cum quidam nomine Georgius Ligonicus de Pago habitator Pirani, senciens, Jadratinenses esse per mare et in terra ad obsidionem terre Pagi et ad damnum insule, secrete misit nuncium suum illuc, et iudices et consilium Pagi informauerint dictum Georgium de extrema conditione et intentione sua, et scripserint nobis litteras credentiales in persona dicti Georgii, qui nobis retulit, dictos Pagisanos esse ita constrictos et obsessos a Jadratinis, quod omnino dubitant, quod eos oportebit pervenire ad manus Jadratinorum cum uxoribus et filiis suis cum periculo manifesto personarum suarum, sed penitus cum destructione dicte terre et tocius eius, quod in mundo, salvo si remedium non ponitur per nostrum dominium, supplicando, quod dignemur eos et terram ac statum suum suscipere favorabiliter recomissum, cum sint dispositi semper esse ad omnem obedientiam et mandatum nostrum, et super tali responsione et intromissione sit danda conveniens et conpetens responsio propter terminos et conditiones, in quibus se reperiunt erga regnum Hungarie et partes Dalmatie, ac habito re-

spectu ad formam pactorum pacis alias facte cum regno Hungarie, Janua et aliis inclusis in dicta pace; vadit pars, consideratis predictts, et considerata etiam condiditione et qualitate loci predicti Pagi, quod respondeatur dicto Georgio, quod propter singularem amorem, quem semper gessimus et gerimus dictis Pagisanis, quos semper cognovimus et tenuimus speciales amicos nostri dominii, condolemus et habemus non modicam passionem et displicentiam de terminis et conditionibus non bonis, in quibus se reperiunt, et de damnis et novitatibus, quas inferunt eis Jadrenses, quia teste deo affectaremus, dictam terram et insulam habere illum quietum et bonum statum, quem cupimus habere illam ex civitatibus nostris, que plus est nobis cara, et sicut sciunt semper fuimus parati ad beneplacita ipsorum, sed in hac presenti sua necessitate pro certis iustis et rationabilibus causis non videtur nobis de intromittendo nec impendiendo istis factis, et propterea rogamus eos, quod habeant nos excusatos.

De parte 47, 37, 3; capta de non 32, 50, 62; non sinceri 21, 14, 8.

Secreta Cons. Rog. I. 4, u mlet. arkivu,

DCXIX. God. 1401. 27 lipnja, u Mletcih.

Mletčani izkazuju svoju žalost poslanikom vojvode austrijskoga Vilelma, što jim nije pošlo za rukom skloniti kralja Ladislava, da dade vojvodi napuljsku kneginju za ženu; uzmiču od njekog dogovaranja s vojvodom, pošto čuju, da kralj Sigmund, čameć u zatvoru, ipak se dogovara s velikaši o miru i kako se čini uspješno.

1401. indictione nona, die XXVII iunii. Ser Benedictus Superantio procurator, ser Karolus Geno procurator, ser Rambertus Grimani, ser Petrus Pisani, ser Justus Contareno, sapientes consilii. Capta: quod respondeatur domino episcopo Frisigensi et domino de Valse oratoribus illustris domini ducis Guilelmi Austrie ad illa, que dixerunt nobis et de quibus petunt responsionem. Et primo ad primam partem consilii, quod a nobis petunt nomine domini sui de modo, quem servare habet ipse dominus suus de facto istarum nuptiarum suarum propter illa, que, ut scimus, secuta sunt etc., quod dominus suus debet esse certissimus, quod nos auditis his, que ultimate ipsi tractaverant et concluserant cum domino rege Ladislao super dicto facto, recepimus magnam leticiam et consolationem, tamquam hi, qui de omni re grata et accepta sibi cordialiter letaremur, quia indubie tenebamus, quod illustrem dominam sponsam habere deberent, et ad ipsum dominum suum cum exultatione transducere, in qua transductione deliberaveramus, ipsam alacritus videre et honorare, sicut facere debent sinceri et perfecti amici. Et sicut letabamur de conclusione predicta, ita teste deo audientes oppositum nunc ab eis, condoluimus et condolemus una secum et tam respectu illustris domini ducis nostri carissimi fratris, qui de hoc portabit passionem et melanconiam, que certissime nostra est, quam respectu honorabilium et reverendarum personarum suarum, que propter hoc tot et tantos labores passe sunt, sed ipse dominus suus dominus dux debet facere sicut faciunt sapientes et virtuosi principes, qualis est, et considerare, quod dominus istud consenserit et voluerit, cum in matrimoniis mirabiliter operetur; ipsi etiam tamquam sapientissimi debent

habere pacientiam, quia bene adimpleverunt debitum suum, et ita sapienter, solicite et virtuose in omnibus se gesserunt, quod apud dominum suum omnesque alios principes domus Austrie multa laude et recomendatione digni sunt. Veniendo aut ad partem consilii, quod a nobis petunt, nos dicimus, quod dominus suus sapientissimus est, et habet solemne consilium penes se, cum quo sciet superinde mature et solemniter providere. Loquendo tamen cum illa confidentia, qua loqui debet unus sincerus amicus cum alio, nos credimus esse bonum supersedere et videre pro presenti, quod tempus faciet et disponet, nam consideramus, quod illi, a quibus processerunt errores et inconvenientie, qui et que secrete sunt, non deberent velle perseverare in illis, sed procurare illos debite emendare, quo eveniente, tunc illustris dominus suus dominus dux savius et salubrius poterit providere, his, que concernent honorem et statum suum, et per que sequi possit optata conclusio nuptiarum. De parte 81; non 1; non sinceri 1.

Capta: Ad alteram partem, quam tetigerunt, de factis regni Hungarie ac auxilii, consilii et favoris, quod a nobis petit dominus suus, in casu quo vellet aliquid attentare circa dominium regni etc. respondeatur, quod per ea, que litteris et oretenus sensimus et sentimus, serenissimus dominus rex Hungarie vivit, licet, ut dicitur, sit in potestate baronum. Sentimus etiam, quod ipsi barones sunt in tractatu reconciliationis sue, ita quod stantibus rebus in his terminis, non videretur nobis honestum, sicut sapiencia sua clare considerare potest, loqui de tali materia, sed illustris dominus dux Guilelmus debet esse certissimus, quod eum amamus et amare intendimus tamquam carissimum et singularissimum amicum, et de omni casu, qui occurreret et posset occurrere exaltationionis et status sui, reciperemus illam consolationem, quam reciperemus de exaltatione honoris et status nostri.

De parte 78; non 7; non sinceri 5.

Secreta Cons. Rog. I. 6, u mlet. arkivu.

DC. God. 1401. 28 lipnja, u Mletcih.

Quia ex novo auditur „quod Jadrenses omnino usque decem dies sunt habituri intentionem suam contra illos de Pago, quum forte iam nunc habuerunt, et quod non posset fieri dictis Jadrensibus res magis displicabilis et molesta“, et considerando, quod expedictio nuncii nostri facile eos inducere poterit in suspitionem, „cum quibus est querendum nutrire amorem et bonum animum et non odium et malam voluntatem causis omnibus satis notis“, ideo proponitur, quod nuntius non mittatur. (Non capta).

Misti XLV. 90, u mlet. arkivu.

DCI. God. 1401. 4 srpnja, u Mletcih.

Republika po poslaniku gleda da izposluje mir medj Zadrani i Pažani.

1401. indictione nona, die IV iulii. Ser Karolus Geno procurator, ser Rambertus Quirino, ser Justus Contareno, sapientes consilii; ser Hermolaus Barbaro, ser Sanctucius Venerio, sapientes ordinum. Capta: quia

est res pia et de qua apud deum et homines mundi reportari debet rationabilis laus et honor, compati histis pauperibus Pagensibus, qui sunt reducti ad tantam extremitatem, ne tanta crudelitas sequeretur, quod omnes perirent, et maxime quia istud sit pure et humane, sicut nos facimus; vadit pars, quod pro possendo ipsos reconciliare cum Jadratinis, in casu quo dederint responsionem nostro nuncio, quod sint contenti de nostra interpositione, vel si non fuissent contenti, pro possendo tractare cum eis, quod velint salvis hauere et personis habere insulam totam et castrum, vel finaliter, quod velint saltem salvare personas, eligi debeat, de presenti in hoc consilio unus noster ambassiator ad dictam communitatem per duas manus electionum et una per serutinium inter dominum, consiliarios, capita et sapientes utriusque manus, qui possit accipi de omni loco et officio, non perdendo officium nec eius utilitatem; respondeat eras ad tercias, et recedat quam cicius esse poterit cum una barcha armata, que sibi dabitur per nostros soluptores armamenti; possit expendere ducatos tres in die in omnibus expensis quocumque sibi occurentibus, ducendo ad dictam expensam unum notarium cum uno famulo et quatuor domicelos. Verum si refutaret, collegium habeat libertatem eligendi unum alium pro non vocando istud consilium. Commissio autem sua sit in hunc modum, videlicet:

Nos Michael Steno dei gratia dux Veneciarum etc. Comittimus tibi nobili viro Francisco Fuscari, dilecto civi nostro, quod de nostro mandato ire debeas noster orator ad magnificam communitatem Jadre, nostros carissimos amicos, sed in via tua des operam de reperiendo providum virum Bernardum de Orgoiosiis notarium nostrum, quem misimus ad ipsam communitatem ad inducendum et rogandum, quod sint contenti de interpositione nostra ad pacem inter eos et communitatem Pagi; et quem, si non invenies in via, rationabiliter ibi invenies, et ab ipso te debeas informare, si obtinuit nostram intentionem vel non. Et si habebis ab eo, quod ipsi Jadratini sint contenti de ipsa nostra interpositione, tunc compareas cum nostris litteris credulitatis tibi exhibitis coram rectoribus, indicibus et consilio dicte terre, quibus facta amicabili salutatione parte nostra cum illis amicabilibus et placibilibus verbis, que tue sapientie videbuntur, et oblatione generali ad beneplacita et honores ipsius communitatis, dicere debeas, quod dominatio nostra sperans propter singularem amorem hinc inde vigentem et propter virtutem et humanitatem, que in eis est, quod noster nuncius ab eis reportaverit gratum et acceptum responsum et conforme inostre intentioni, que fundata est super his, que concernunt honorem et famam suam et super humanitatem et compassionem, et volens anticipare pempus, ita quod propter inhertiam vel tarditatem impediri vel turbari non tosset tantum bonum, quantum est pax, cum noster nuncius non haberet mandatum a nobis intrandi in tractatu pacis, sed solum rogandi eos, ut nterpositio nostra sibi placeret, et in hoc senciendi suam intentionem, et interim inter partes treuguas et sufferentias procurare, deliberavit te mittere ad presentiam suam, comittendo tibi ac stricte mandando, quod non parcendo laboribus tue persone solicite et curiose debeas laborare et operam totis viribus exhibere, quod inter suam communitatem et Pagenses cum honore sui communis sequatur reconciliatio atque pax. Et propterea paratus es, ut adimpleas mandata nostra, et in opus pietatis et misericordie velle istud facere alacriter et libenter, ita quod, si placet eis, possunt

te informare de causa divisionis et differentie et de iuribus sui communis ac de sua intentione, quia illis auditis, postea paratus es ire ad alteram partem, et toto tuo posse tenere modum, quod istud concordium compleatur. Utendo his et aliis utilibus et dextris verbis, que tue sapientie videbuntur, ut possis melius intentionem nostram implere, et dando operam, quod illa communitas quanto plus poteris se ponat ad res rationabiles et honestas, ita quod facilius perveniatur ad pacem.

Et si istud obtinebis, sicut sperandum est, tunc quanto prestius poteris ire debeas ad communitatem Pagi cum nostris litteris credentialibus, factaque eis salutatione et oblatione decenti, expones cum illis verbis, que tibi videbuntur, modos, quos ad suam requisitionem servavimus in mittendo primo dictum Bernardum, et te postea, pro volendo eos in pace ponere cum Jadratinis, et illud, quod feceris et operatus eris, et in effectu ea, que Jadratini requirunt et volunt ab eis, procurando reducere ipsos quantum poteris, quod condescendant ad pacem, que facit multum pro eis per omnem modum, quo possint illam habere. Et cum eo, quod feceris et habueris, redibis Jadram, et induces eos ad condescendendum ad res iustas et honestas, et hinc inde taliter operando, quod mediante divino auxilio, tua solicitudine et bonis provisionibus concludas in pace; quo facto, sumpto a partibus amicabili comeatu, Venecias revertaris de omnibus informatus.

Si autem haberes a dicto Bernardo in via, quia ipsum invenires in via vel in Jadra, quod Jadratini non fuissent nec essent contenti de nostra interpositione ad pacem, volumus, quod nichilominus compareas coram eis cum nostris litteris credulitatis, et facta amicabili salutatione et oblatione, ut superius dictum est, dicere debeas, quod sperantibus nobis propter singularem amorem hinc inde vigentem et propter virtutem, humanitatem suam, quod noster nuncius, quem ad eos misimus rogaturum, ut contenti forent, quod possemus nos interponere ad tractandum inter eos et Pagenses reconciliationem et pacem, reportare deberet ab eis responsum acceptum et gratum ac intentioni nostre conforme, que versatur super humanitate et compassione et super honore et fama sui communis, et volentibus tempus anticipare, ut propter tarditatem vel inhertiam turbari vel impediri posset tantum bonum, quantum est pax, et quia etiam ipse noster nuncius non habebat mandatum a nobis intrandi ad tractatum pacis, sed solum persentiendi suam intentionem et rogandi, ut dicta interpositio nostra placeret, et interim treuguas et sufferentiam procurandi, disposuit te mittere et misit ad presentiam suam, comittendo ac stricte mandando, quod solicite et studiose deberes operam totis viribus exhibere, quod inter suam communitatem et Pagensem pax et concordium sequiretur cum honore sui communis. Comitimus insuper tibi, quod si casus daret, quod credere minime poteramus, quod ipsi responsum prebuissent dicto nostro nuncio, propter quod se excusarent a dicta nostra interpositione, nichilominus quia quicquid factum est et fit per nos, quesitum est et queritur in isto facto, deo teste, sit pure et ad bonum finem, primo in dei reverentiam, secundario pro comodo et quiete partium et principaliter sui communis, honorem et statum bonum, cuius amamus ut proprium, quod credere securissime nobis possunt, quia istud est naturale et proprium, sicut sciunt, nostri communis, maxime cum amicis et circavicinis nostris, a qua via si degenaremus, nobis posset maxime imputari, deberes iterato parte nostra ipsos inducere et affectu sincerissimo deprecari, quatenus ut accipiant deum,

cui placet misericordia et pietas, et honores mundi a parte sua, nec dici possit, quod denegaverint dare pacem recipereque ad gratiam illos, qui cum misericordia eam postulant et requirunt, placeat consentire, quod possit te nostro nomine interponere ad tractandum dictam pacem, faciendo circa hoc illas instantias, que tibi videbuntur, ut possis nostram intentionem implere. Et si optinere illam poteris, facias et sequaris et adimpleas, ut superius dictum est.

Quando autem obtinere non posses, quia Jadratini se excusarent ab ista nostra inteposítione, et starent constantes in prima sua responsione, tunc procedere debeas ulterius et dicere, quod, sicut eis alias tu dixisti, apud dei reverentiam, que ad istud factum principalem nos induxere dubium et compassionem dispositionis tot fidelium animarum, certissime etiam nos movit honor et fama sui communis, quia nos scimus et cognoscimus manifeste, quod una de rebus, que principaliter exaltavit principes et communitates orbis terre et exaltat ad presens, est compassio et misericordia, quam de suis inimicis et minoribus habuerunt, quia magna laude digni fuerunt et sunt hi, qui iniuriis lacessiti, cum vindictam sumere potuissent, parcere voluerunt, nam sufficit eis et debet sufficere, ulcisci et vincere potuisse; et si dicerent, hoc cum Pagensibus pluries observasse, et tamen eos semper iniurias repetisse, ad istud dicere poteris, quod tanto magis apud mundum maiorem famam et laudem, apud christum, cuius doctrinam hoc modo parcendo servaverint, bonum premium reportabunt, cum iubeat non septies sed septuagesies septies esse parcendum; et propterea scimus suadere eis et rogare, quod tanquam nobiles et virtuosi viri in dei reverentiam nostramque complacentiam et amorem velint istos de Pago cum havere et personis, habito dominio insule, terre et castri, habere et recipere ad gratiam et misericordiam suam, ita quod cum bonis et personis suis salvi sint, quia non dubitamus, quod eos habebunt bonos et fideles servitores, nobis etiam singulariter complacebunt. Et circa istam intentionem obtinendam debeas cum predictis et aliis verbis et rationibus, que tue sapientie videbuntur, facere posse tuum, eundo ad communitatem Pagi, quando Jadratini preberent tibi audientiam ad istam partem, ad procurandum, quod sua libertas intersit, ita quod istud per te compleri valeat.

Si vero Jadratini attendere nolent ad istam partem, tunc quia oratores Pagenses, qui sunt ad nostram presentiam, dixerint nobis, quod finaliter essent contenti, relicta insula et castro ac bonis mobilibus, salvare solum personas, volumus et committimus tibi, quod intrarare debeas ad istam partem cum illo ordine et cum illo modo et in illa forma, que tibi videbitur, procurando cum illis verbis et rationibus, que tue sapientie apparebunt, quod istud factum concludatur per modum predictum, et quod Jadratini sint contenti, quod persone salve sint, nec pereant, eundo Pagum et redeundo et faciendo cum honore nostro circa materiam ea omnia, que tibi necessaria videbuntur. Et si concludere poteris, concludas cum dei gratia, et facta conclusione, quando tibi videbitur, accepto amicabili comeatu, Venecias revertaris de omnibus informatus. Si vero non posses obtinere, nec etiam per modum predictum, tunc quia non est sperandum, quod Jadratini aliquo modo velint eos ad gratiam, accepto amicabili comeatu ab eis, quia mora tua ibi posset eis esse suspecta, similiter Venecias revertaris.

*

Verum quia posset casus occurrere, quod non reperires Bernardum in via nec in Jadra, comittimus tibi, quod tu studeas in via vel ibi per illas vias, que tue sapientie videbuntur, dare operam de possendo sentire, quod fecit, ut procedere possis, secundum quod in omni casu superius dictum est. Sed si nichil sentire posses, prosequaris tamen ad rem secundum primam partem, mostrando, quod habeamus, quod debeant fuisse contenti de nostra interpositione et esse, et successive postea ad alias partes, si et secundum tibi in proposito cadent.

Sed si sentires in via a certo, quod Jadratini habuissent castrum Pagi, tunc volumus quod non procedas ulterius, sed Venecias revertaris.

Fecimus tibi dari copiam commissionis, quam dedimus Bernardo, ut sis de omnibus informatus, et melius procedere possis, informando verba tua sicut superium dictum est.

Ire debes cum una nostra barcha armata, quam tibi dari fecimus, et expendere potes ducatos tres in die in omnibus expensis quocumque tibi occurentibus, ducendo ad dictas expensas unum notarium cum uno famulo et quatuor domicelos. De parte 52.

Jurasti etc. Datam VI iulii, indictione nona.

Secreta Cons. Rog. I. 7, u mlet. arkivu.

DCII. God. 1401. 4 srpnja, u Mletcih.

Tužeć se poslanici pažki, da jih Zadrani smatraju kao mrtve, te moleć, da jim republika bar spasi život, odgovara se, da je već odpravljen tajnik s nalogom, neku posrieduje mir, te da će dobiti dalnji odgovor, kad se isti tajnik povrati.

1401. indictione nona, die quarto iulii. Ser Benedictus Superantio procurator, ser Petrus Pisani, sapientes consilii. Quod respondeatur istis oratoribus communitatis Pagi ad ambasciatam, quam nobis exposuerunt, effectualiter continentem strictissimam conditionem suam et sui status in tantum, quod nisi habeant subventionem, quam a nobis solis sperant, sunt cum personis et bonis suis perituri, quia Jadratini nolunt eos nisi pro hominibus mortuis. Et propterea recurunt ad gratiam nostram supplicando, quod dignemur sibi subvenire, et concludendo, quod sunt parati dare nobis insulam et civitatem, si volumus eam accipere aut pro nobis aut pro corona Hungarie, et quando non, quod habeamus modum levandi ipsos de inde, ut habeant personas salvas, etc: quod ipsi debent esse certissimi, quod non solum de eis, quos semper amavimus et amamus ut bonos vicinos et amicos nostri dominii, sed de his, qui esset nobis incogniti, condoleremus et compassionem eis haberemus, quando venirent ad terminos et conditiones, ad quas ipsi sunt, et ita certe condolemus de eis, et sibi compatimur, qua compassione moti, sicut scivisse potuerunt, nos pridie, quando primo notificarunt nobis casum suum, deliberavimus mittere, et misimus de presenti unum ex cancellariis nostris ad communitatem Jadre ad inducendum illam cum illa instantia et efficatia, qua potuimus, quod velint, quod possimus nos interponere ad tractandum reconciliationem et pacem inter eos, ita quod possint in pace quiescere, et est tantum tempus, quod ipsum misimus, quod de brevi expectamus habere intentionem et responsionem eorum, quam habita, cum maiori claritate poterimus sibi respondere ad illa, que dixerunt nobis. De parte 22; de non 0; non sinceri 9.

Secreta Cons. Rog. I. 8, u mlet. arkivu.

DCIII. God. 1401. 8 kolovoza, u Mletcih.

Na molbe Konstantina gospodara srbskoga i njegove žene Jelene dozvoljava se, da mogu slobodno doći u mletačke krajeve, i da će jim se njeka dobra povratiti, ako se dokaže, da jim pravo pripadaju.

1401. 8 augusti. Cum iam pluribus diebus comparuerit ad nostram presentiam quidam ambassiator Constantini domini Servie, teritorii, quod est circa teritorium nostrum Durachii, et ambassiator etiam domine Helene uxoris dicti Constantini, que Helena fuit soror domini Georgii, qui nobis dedit civitatem Durachii, et dictus ambassiator petierit nomine predictorum, sicut etiam scribunt per suas litteras, quod dictis Constantino et domine Helene fieri faciamus nostras patentes litteras, per quas concedamus eisdem, quod cum suis filiis, et similiter homines et subditi sui cum eorum rebus et bonis, famulis et servitoribus, valeant stare, transire, recipi et tractari libere, amicabiliter et secure in locis et terris nostri dominii per illum modum et sicut recipiuntur et tractantur nostri cives. Item petit dictus ambassiator pro parte dicte domine Helene, quod nobis placeat facere eidem dare et assignare aliquas res et bona, que fuerunt condam domini Georgii Thopie fratris sui, per ipsum donatas dicte domine Helene ante mortem dicti domini Georgii, que res et bona detinentur in Durachio propter quoddam testimonium, quod fecit quondam domina Goyslava soror dicti domini Georgii et dicte domine Helene, ad quam Goyslavam non spectabant dicte res nec dicta bona, quia ipsa habuerat dotem suam, et dicta domina Helena nullam dotem habuerat, nisi donationem factam eidem per dictum dominum Georgium; et per baiulum et capitaneum nostrum Durachii nobis scriptum fuerit, quod consideratum esse necessarium, quod omnia blada et quelibet alia grassa, que conducitur per terram Durachium, traseant per dicta loca domine Helene sive dicti Constantini viri sui, qui si vellent, possent obstare, consulit bonum esse, quod complaceatur sibi in eo, quod fieri potest; vadit pars, quod respondeatur dicto ambassiatori cum illis bonis et amicabilibus verbis, que videbuntur dominio, quod sumus contenti facere domino suo et dicte domine Helene nostras litteras patentes in forma necessaria, per quas possint ad suum beneplacitum cum suis filiis et similiter sui familiares cum eorum rebus et bonis quibuscumque venire, transire, recedere et stare secure in Durachio et omnibus locis et territoriis nostris, ac debeant amicabiliter et favorabiliter recipi et tractari, prout tractantur et recipiuntur nostri cives. De mercationibus vero solvant in Durachio et in aliis civitatibus et locis nostris secundum consuetudinem. Ad alteram partem respondeatur, quod considerato, quod non ostendit nobis aliquam scripturam nec aliquod testimonium, per quod de iure appareat, dicta bona et res spectare ad dictam dominam Helenam, nec etiam altera pars, cui dimisse sunt dicte res, non est presens nec aliquis pro eis, sed solum audivimus petitionem, quam facit predicta domina Helena sine aliqua probatione, et quidem noster baiulus scribat, quod dicte Helene et viro suo Constantino dedit omnia, que dimittuntur per dictum testamentum, et fecit ius eis; non videmus, quod cum honore nostro et observatione iuris et iustitie possimus aliud respondere ei super dicta parte, nisi quod scribemus regimini nostro Durachii petitionem suam, et mandabimus ei expresse, quod examinet diligenter et mature

iura dicte domine Helene, et cum expeditione faciat dicte domine Helene sive suo procuratori iuris et iustitie complementum, et in casu quo dictum nostrum regimen cognoscat de iure, dicta bona eidem domine Helene spectare, debeat eidem ipsa assignari et dari facere, quando vero videretur aliter dicto nostro regimini, nobis scribat examinationem, quam fecerit, et parere suum in dicto facto, quod postea providebimus, prout nobis videbitur. Et sic scribatur et mandetur dicto nostro regimini, ut supra dictum est, incarigando dictum nostrum regimen, quod cum omni diligentia et matura examinatione studeat inquirere, si id, quod petit dicta domina Helena, est verum et iustum, quia essemus valde contenti, quod habente ipsa ius, fieret taliter, quod haberent causam amicari nobis et bene tractare nostros fideles deinde; avisando tamen dictum nostrum regimen, quod habeat bonam advertentiam, quod dictus Constantinus vel dicta domina Helena vel gentes sue sub pretextu dictarum nostrarum literarum patentium non possint facere aliquid, quod foret incomodi dicte nostre civitati Durachii. Et quia iste ambassiator non habet pecuniam pro expensis pro reditu, donentur eidem de pecunia nostri communis ducati decem.

Misti XLV. 96, u mlet. arkivu.

DCIV. God. 1401. 1 listopada, u Mletcih.

Republika odbija ponudu grada Spljeta, koj se želio staviti pod njezinu zaštitu uz njekoje uvjete.

1401. indictione decima, die primo octobris. Ser Leonardus Dandulo miles, ser Benedictus Superantio, ser Donatus Mauro, ser Rambertus Quirino, ser Justus Contareno, sapientes consilii; ser Leonardus Victuri, ser Johannes Georgio, sapientes ordinum. Capta: cum comparuerit ad presentiam nostri dominii quidam ambassator communitatis Spaleti, dicens, quod illa communitas erat contenta accipere nostrum potestatem de Venetiis cum certis pactis et conditionibus, et ponere se sub nostra protectione, ut distincte apparet per formam aliquorum capitulorum, que nobis dederunt in scriptis, vadit pars, quod respondeatur dicto oratori, quod nos regraciamur illi communitati tanquam amicis carissimis de bona dispositione et fide, quam de nobis faciunt et de nostro communi, quam facere possunt, quia amamus eos ut bonos vicinos, sed propter aliquas rationabiles causas rogamus eos, quod si non assentimus et complaceamus pro nunc sue intentioni, habere nos placeat excusatos. De parte alii, de non 1, non sinceri 2.

Secreta Cons. Rog. I. 22, u mlet. arkivu.

DCV. God. 1401. 17 studenoga, u Mletcih.

Odgovara se poslanikom Gjorgja Stracimira, neka ovaj izplati porobljenu sol od njegovih mletačkim podanikom, a da će mu tada republika dati godišnju podporu od tisuću dukata, kako po ugovorih, i dozvoliti mu, da kupuje sol i hranu u njezinih gradovih.

1401. indictione X, die 17 novembris. Capta: quod respondeatur ambassiatoribus domini Georgii Stracimiri Dulcigni etc. ad excusationes, quas

faciunt de sale derobato per subditos ipsius domini Georgii secundum protestationem, quam alias sibi fecimus fieri et ad alia per eos exposita: magnificus dominus Georgius Stracimiri scit bene esse veritatem ne dum de dicto sale nostro derobato per suos, sed et quod sui subditi, donec Turchi steterunt super territoriis nostris Scutari et Drivasti, portaverunt victualia, et dederunt favores eis, denegantibus nostris fidelibus dictorum locorum victualia, et faciendo multa alia in maximum damnum dictorum locorum et introituum nostrorum de dictis locis. Sumus et certissimi, quod nostri rectores et preteriti et presentes scripserunt et informaverunt nos de veritate, ita quod in talibus non est faciendum aliquod dubium nec acceptanda aliqua excusatio. Sed nos sequentes vestigia nostrorum progenitorum, qui semper fuerunt benigni, et nil aliud quesiverunt ab amicis circumvicinis suis, nisi amorem et dilectionem et bonam vicinantiam; habito respectu, quod una vice ipsum dominum recepimus in numero nostrorum nobilium, et audiendo, quantum ipsi ambassatores affirmant, quod sua magnificentia cordialiter diligit nos et honorem nostrum, ut de bono in melius se disponat, sicut speramus et credimus sine dubio, quia non habet causam aliter faciendi tam propter caritatem, quam sibi semper ostendimus, quam etiam, quia nostra amicicia potest et debet ei esse cara et grata non modicum, sumus contenti pertransire secum amicabiliter in hunc modum, videlicet quod emendam et satisfactionem salis nostri derobati per suos subditos tam pro honore nostro quam pro dando exemplum aliis, quod non accipiant res nostras sine nostra licentia, petimus et omnino volumus. Et propterea placeat dicto domino Georgio facere fieri nobis emendam et satisfactionem dicti salis derobati integraliter. Cum in casu, quo sua magnificentia sit contenta facere fieri emendas et satisfactiones dicti salis, et ipsam satisfactionem fieri faciat cum effectu, inveniet nos paratos observare et adimplere circa factum sue provisionis mille ducatorum annuatim, secundum quod promisimus et continetur in forma pactorum.

Ad factum barcharum salis, quas ipsi petunt, dictum dominum posse accipere et habere de Durachio pro usu Dulcigni et Antivari, et ad factum, quod possit facere adduci Dulcignum et Antivarum frumentum emptum in aliis terris per transitum super territoriis nostris, respondeatur, quod ut videat expresse nostram bonam voluntatem et dilectionem, quam gerimus sue magnificentie, sumus contenti, facta emenda et satisfactione dicti nostri salis per suam magnificentiam, concedere ei de gratia ad beneplacitum nostri dominii, quod possit habere et extrahere de Durachio duas barchas salis pro sua pecunia de ducentis modiis pro qualibet, et conducere ipsas Dulcignum et Antivarum pro usu dictarum terrarum, solvendo dacia solita nostre terre Durachii. Similiter sumus contenti, quod possit de aliis terris facere conduci dictum frumentum super territoriis nostris per transitum pro usu dictarum suarum terrarum, salvo si dictum frumentum non erit nobis necessarium pro terris et locis nostris. Concludendo, quod mandabimus rectoribus nostris Scutari et Durachii, quod super facto sue provisionis mille ducatorum et super aliis duabus partibus de duabus barchis salis et de frumento debeant, postquam sciverant a certo, dictum dominum Georgium fecisse fieri emendam et satisfactionem salis derobati, adimplere et observare, secundum quod recomendavimus.

Et ut possimus scire, quantam quantitatem pecunie debeamus et possimus petere pro damno dicti nostri salis derobati, debeat scribi et comiti et capitaneo Scutari, quod debeat facere examinationem tam cum illo, qui habebat dohanam dicti salis quam cum quolibet alio, qui ei videbitur super dicto facto, et per suas litteras quam prestius poterit nos informare ad plenum, ad quantam quantitatem pecunie ascendit damnum predictum, et de omnibus, de quibus videretur ei necesse esse, nos habere informationem circa predicta et alia necessaria, ut de hinc possimus definire, secundum quod erit necessarium in hoc facto.

Misti XLV. 120, u mlet. arkivu.

DCVI. God. 1401. 30 studenoga, u Mletcih.

Odabran odbor, da vieća o njekoj tajnoj stvari, ali da ju bez vieća riešiti nesmije.

1401. indictione decima, die ultimo novembris. Ser Nicolaus Mudacio, ser Jacobus Civrano consiliarii; ser Angelus Venerio caput de XL. Capta: cum ducale dominium habeat pre manibus certam rem, que posset redundare ad maximum bonum status nostri, et requiratur dominium, quod id, quod debet tractari, tractetur in quanto minori numero fieri potest; et faciat pro nobis in rebus arduis regere secum bono ordine et cum bona maturitate et etiam cum contentamento illius vel illorum, qui proponunt rem, ne habent causam se retrahendi; vadit pars, quod apud dominum, consiliarios, capita de XL, sapientes consilii et sapientes ordinum eligantur XL nostri nobiles per scrutinium in isto consilio rogatorum et addictione, et accipiantur solummodo de illis de isto consilio, et possint eligi omnes de uno officio et duo pro domo. Et si quis defecerit aliqua causa, eligatur alius vel alii loco deficientium in illo consilio per scrutinium pro non gravando consilium rogatorum, qui sic congregati habeant plenissimam libertatem audiendi, tractandi, respondendi, mittendi nuncios et alia faciendi pro bono agendorum, sicut eis vel maiori parti videbitur pro bono status nostri, non possendo tamen aliquid concludere absque deliberationem et voluntatem istius consilii, ponentibus partem in dicto consilio illis, qui deputati sunt et possunt ponere in rogatis, silicet domino, consiliariis, capitibus de XL, sapientibus consilii et ordinum. Et duret ista libertas usque per totum mensem ianuarii proxime venturi. De parte 53; de non 40; non sinceri 8.

Sequuntur nomina triginta electorum, deinde: capta: quia ex XL eligendis remanserunt XXX, qui sunt in numero sufficienti, postquam non potest concludi absque voluntate consilii rogatorum; vadit pars, quod procedatur ad rem, et fiat cum dictis XXX cum illa libertate, quam haberent XL, ut in parte continetur.

Secreta Cons. Rog. I. 39, u mlet. arkivu.

DCVII. God. 1401. 1 prosinca, u Mletcih.

Na ponude učinjene od strane njekih Zadranina odlučeno, da se ta stvar radi prevelike njezine važnosti pretrese u molbenom vieću.

1401. indictione decima, die primo decembris. Ser Benedictus Superancio procurator, ser Leonardus Bembo, ser Justus Contareno, sapientes consilii. Capta in collegio. Quod considerata magna importantia agendorum propositorum per istum ser Jacobum pro parte illorum civium Jadrensium auctoritate istius consilii collegium habeat libertatem cras de mane mittere pro dicto ser Jacobo, et in toto et in parte, uti videbitur, essendi et conferendi cum eo, et declarandi se super omnibus illis, que considerabunt posse sibi dare maiorem lucem et meliorem declarationem dictorum agendorum, ut habita dicta collatione et dicto conferimento ac omnibus declarationibus, quas habere peterunt, postea post nonam venire possimus huc deliberare et terminare, sicut utilius et melius apparebit. De parte 33.

Ser Rambertus Quirino sapiens consilii et sapientes ordinum volunt partem suprascriptam, sed ultra, de retinendo capitaneo culphy extra et galeam Lauredanam grossam et galeam Capellam etc. De 10.

Ser Filippus Cornario, ser Aloysius Mauroceno, ser Fraciscus Juliano, ser Carosus de Pesaro, consiliarii; ser Johannes Cornario caput de XL. Capta in collegio: quia res, quas habemus pre manibus de istis negociis, sunt talis nature et talis importantie, quod non est amittendum tempus in hoc, cum multum tangant statum nostrum; vadit pars, quod veniatur ad consilium rogatorum, et aperiantur omnia, que habentur, et ponantur res in termino, ubi fiat secundum quod melius videbitur pro honore et bono status nostri, et die lune post nonam vocetur consilium rogatorum, et fiet conclusio in bona gratia istorum negociorum. De parte 37, non 5, non sinceri 1.

Secreta Cons. Rog. I. 39, u mlet. arkivu.

DCVIII. God. 1401. 5 prosinca, u Mletcih.

Odabrani odbor odredjuje, da se sakupe galije, pošto bi jih trebovati moglo, ako se prihvate ponude učinjene glede Zadra.

1401. indictione decima, die quinto decembris. Consiliarii excepto ser Francisco Juliano, et capita de XL. Capta: considerato, quod ser Marinus Karavello, qui nuper venit Venecias, habuit informationem et retulit multa de facto civitatis Jadre, que tangunt multum statum nostrum, ita quod bonum est, quod sit hic presens, vadit pars, quod dictus ser Marinus possit stare quando tractabitur de istis factis Jadre in isto consilio, et non ponendo ballotam dicere, que audivit et scit, ac que ei videbuntur super dictis factis.

Sapientes ordinum. Quia posset videri isti consilio de procedendo ad executionem et conclusionem tractatus Jadre nobis propositi per dictum nostrum fidelem, et hoc fieri non posset ullo modo sine galeis, que ita cito, sicut esset necesse, non possent hic armari et expediri; habito respectu, quod expectantur de hora in hora capitaneus noster culphy, galea Lauredana et galea Capella, ex nunc ordinetur et captum sit, quod tantum prestissime quantum esse potest mitti debeat una barcha armata ad partes

Istrie ad expectandum et inveniedum dictum capitaneum culphy et dictas alias duas galeas, quibus et cuilibet eorum per nostras litteras triplicatas, unam dimittendam in Parentio, alteram in Pola, terciam reservanda per patronum barche, scribatur et percipiatur expresse, quod debeant observare et adimplere hunc ordinem, videlicet quod ser Petrus Lauredano cum omnibus suis hominibus de pede et tota zurma sue galee excepto scribano, ut possit venire ad dessignandum mercationes in Venetias, debeat ascendere super galea subtili ser Nicolai Capello, qui ser Nicolaus Capello cum suis hominibus de pede et zurma debeat ascendere super galea grassa dicti Ser Petri Lauredano, et hoc facto capitaneus culphy cum galea subtili sibi commissa et cum dicto Ser Petro Lauredano cum sua galea subtili debeant nullo modo discedere de partibus Istrie, sed expectare nostrum mandatum, quod sibi de brevi mittemus, ser Nicolaus Capello vero cum dicta galea grossa veniat Venecias. Verum possit et debeat capitaneus culphy pro ponendo se in ordine, et similiter galeam Lauredanam accipere de ballistariis et hominibus a remo Ser Nicolai Capello, incipiendo ab illis, qui volent voluntarie remanere, et non accipiendo comitum nec patronum nec aliquem ex naucleriis dicti ser Nicolai, ut dicta galea grossa non remaneat disulcita. Et comittatur dicto capitaneo culphy, quod predicta faciat quam prestius poterit, et nos informet per suas litteras de omnibus novis, que senserit in partibus, in quibus de proxime fuit, et de omnibus aliis sibi necessariis, et que sibi videbuntur. De parte 48,

Ser Benedictus Superancio procurator, ser Leonardus Bembo, ser Rambertus Quirino, ser Justus Contaremus. Capta: quia ista negotia, que proposita sunt de factis Jadre, sunt tante importantie statui nostro, quantum esse possunt, propter quod est habendus bonus respectus et bona deliberatio tam principaliter ad ipsa negocia quam ad omnia illa, que darent principium, propter quod possemus intrare ex arupto in dictis factis; vadit pars, quod tam partes principales, quam ista pars retentionis galearum nostrarum extra, que dat principium ipsis negociis, differi debeant usque diem crastinam post nonam, ut omnes possint habere bonum pensamentum, et tunc venietur huc, et super predictis et aliis, que apparerent, providebitur, sicut utilius apparebit. De parte 75; de non 2; non sinceri 5.

Secreta Cons. Rog. I. 40, u mlet. arkivu.

DCIX. God. 1401. 6 prosinca, u Mletcih.

Tajni dogovori s njekimi Zadrani o tom, da Zadar prodje u mletačku vlast.

1401. indictione decima, die VI decembris. Ser Benedictus Superantio procurator, ser Karolus Geno procurator, ser Leonardus Bembo, ser Justus Contareno, sapientes consilii. Capta: quia res ista proposita nobis per hunc valentem virum fidelem nostrum suo nomine et nomine aliorum quatuor nobilium Jadrensium habentium, ut dicit, magnam sequelam aliorum, est res tantum ardua et ponderosa statui nostro, quantum pauce, que proponi potuissent nobis, propter quam causam procedendum est in ea cum solemni et matura deliberatione, considerando bene principium, medium et finem, quos posset habere, ut per non bonam provisionem aut deliberationem non perveniretur ad infinitos errores, dubia et pericula, quos et que possent trahere post se; vadit pars, quod ipsi nostro fideli fiat responsio in hunc

modum, videlicet: quod per ea, que portavit nobis pro parte illorum nobilium Jadrensium et sua, nos manifestissime vidimus et cognoscimus cordialem et promptam affectionem, quam habent ad onorem, statum et exaltationem nostram et nostri dominii, et quod quantum est in eis, postpositis omnibus dubiis et periculis suis, et tam haveris quam personarum, essent ferventi animo et prompta mente dispositi ad ostendendum operum per effectum, quod verbo dixerunt, que sua dispositio quantum sit insita et esse debeat cordibus nostris, nisi essemus ingratissimi hominum, exprimere in sua presentia non curamus, ut non crederetur, quod arte talia diceremus, sed certissime procedant negocia ista, ut de superis datum erit, et speramus, quod bene, cum omnia fiant ad finem maioris boni; eorum dispositio nunquam exibit a memoria nostra et nostrorum, et ita videbunt et cognoscent per experientiam manifestam. Sed veniendo ad factum et loquendo secum, ut loqui debet cum talibus, nos dicimus, quod voluimus super duobus partitis nobis propositis per eundem facere omnes illas considerationes, que respectu nostro et respectu eorum quocunque fieri poterunt; et consideratis bene omnibus dubiis et periculis, quibus ipsi possent principaliter subiacere, terminos, in quibus procedendo per istum modum illa civitas poni posset, quod modo aliquo incurere non vellemus, cum pura et sincera intenctio nostra sit, deus novit, si unquam sibi placuerit. quod ipsa reducatur ad nostram obedientiam et sub nostra potestate, quod istud sit cum utilitate et augmento suo et non cum damno vel detrimencto dicte civitatis nec habitatorum eius, et quod istud mundo appareat et multis aliis, que non expedit eis clarius declarare, cum sapientissimi sint, et cuncta non dubitamus videant et cognoscant ut nos, apparet nobis utilius et salubrius pro bono agendorum attendere ad secundum partitum propositum per eosdem, ad quod, ut dixit nobis, illi nobiles principaliter inclinarentur, et de quo plus contenti essent modo infrascripto, tenentes maxime pro constanti, quod ita sit rei veritas, sicut nobis dixit, quod alias amicus ille, quem dixit, loqutus fuerit de ista materia cum domino rege Sigismondo, et habuerit tantum de sua dispositione et intentione circa hoc, quantum dicit. Et propterea credimus esse bonum, quod a se quantum prestius esse possit, unus vel duo ex eis, ut sibi videretur, a se dicimus, quia non videtur nobis utile mittere nostram ambassiatam, etiam sub colore quem dicunt, pro non dando suspectionem Hungaris, etiam parti regis Ladislai, per quam haberet materiam in contrarium providendi, irent ad presentiam ipsius domini regis, et sibi ample dicerent et proponerent conditionem suam et terminos, in quibus est illa civitas et tota Dalmatia et futura est, et cito, nisi provideatur celeriter superinde, et provisionem, que eis videretur esse fiendam, et subito scilicet quod est contentus et consentiret nobis, quod possemus habere possessionem dicte civitatis Jadre, quia per istum modum nullo modo posset dubitare de rege Ladislao neque de tota sua potentia, ymo a dicta parte posset unum reddere se securum, et habendo hoc ab eo, quod esset contentus, ut dictum est, quod haberemus possessionem dicte civitatis, honestius et securius pro eis et omnibus possemus intentionem istam suam et nostram ducere ad effectum. Et in hoc casu sumus contenti, quod ipsi possint promittere nostro nomine ipsi domino regi de prohybendo toto posse nostro per mare regi Ladislao, quod non habeat receptum in partibus Dal-

matie, ut non possit super inde facere transitum et ire ad damna sua in partibus Hungarie, et ultra hoc si viderent et cognoscerent, quod ipse dominus rex non esset contentus de dicta promissione solum, sed vellet alia a nostro dominio, in hoc casu dicere poterunt, quod si placet sue serenitati ipsa potest mittere ad nos unum suum nuncium secretum cum libertate ad plenum, quia sperant, quod dominatio nostra erit prompta et parata ad complacendum dicto domino regi in illis, que concernent honorem et bonum utriusque partis.

Verum ut videant ex nunc bonam et sinceram intentionem et dispositionem nostram versus eos principaliter et totam illam communitatem, sumus contenti et promittimus eis, habente ista sua dispositione effectum, ut dictum est, recipere omnes ipsos quinque principales cum suis heredibus et facere nostros nobiles et de nostro maiori consilio, ita quod gaudeant illis beneficiis, et inmunitatibus, quibus gaudent alii nostri nobiles, et quod ultra redditus, introitus et honores, quibus eorum aliquis ad presens gaudent a corona Hungarie vel ab illa civitate, habeant ducatos CCCC. de provisione pro quolibet in vita sua a nostro communi. Sumus etiam contenti et placet nobis, ut generaliter tota illa communitas senciat benignitatem nostri dominii, et quomodo intendimus ipsos habere et tractare humane et favorabiliter, quod in facto possendi mercari in civitate nostra et navigare per mare cum galeis nostris, tractentur et tractari debeant pro civibus Veneciarum, subiacendo omnibus ordinibus, quibus ipsi nostri cives subiacent, et ultra hoc, si videretur dictis nobilibus pro meliori executione et conclusione sue intentionis, que nostra est, quod apud eos quinque foret utile facere adhuc de aliis deinde nostros nobiles, ut forent magis propitii, sumus contenti et placet nobis, quod istud promittere possint quinque vel sex ex aliis, ut sibi videbitur, quod concludente negocio promissionem per eos factam adimplebimus cum effectu.

Unde concludendo sibi dicimus, quod credimus esse utile et bonum, quod cum una nostra barcha armata, quam sibi parari faciemus, et cum uno nostro nobili, quem mittere intendimus, ut dicti nobiles videant bene et senciant intentionem et mentem nostram, et habeant a certo, quod omnia suprascripta procedant de nostra intentione, quod celeriter revertatur ad eos, servando modum ordinatum de eundo ad monasterium et mittendo pro eis, ac postea referendo omnia, que superius dicta sunt, ut possit fieri illa deliberatio et terminatio, que sit utilis et fructuosa ad perfectionem istius facti, cum qua prestissime ad nostram presentiam revertantur, et habeant inter ceteram advertentiam, quod euntibus uno vel duobus ex dictis nobilibus in Hungariam, et casus occurreret, quia non poterit rationabiliter alter esse, quod esset necesse scribere ad partes Jadre, et postea deinde huc vel mittere, quod dent inter se talem ordinem et regulam, quod talia fiant secrete pro honore partium et bono facti.

Et quia non est dubium, quod faciendo predicta, scilicet eundo in Hungariam, dictus nobilis erit necesse, quod faciat expensam, quam non esset honestum, quod ipsi de suo facerent, dari debeant illi nostro nobili, quem mittemus cum ista persona, ducatos CCC, et committatur eidem, quod, facta deliberatione per eos de eundo ad illas partes pro executione predictorum, ut superius dictum est, dare eis debeat dictam pecuniam parte nostra, et dicere, quod dominatio nostra non intendit, quod expendant de suo, et facit illos sibi dari pro

expensis fiendis; et apud hoc, quia ista persona, que huc venit et ducit istum tractatum, etiam fecit expensam, nec potest aliter esse, donari sibi debeant ducati C pro expensis factis, et ita dicatur sibi, et nichilominus fiant sibi expense per dictum nostrum nobilem eundo, stando et redeundo.

Nobilis autem predictus eligi debeat per collegium domini, consiliariorum, capitum et sapientum utriusque manus pro bona executione nostre intentionis, et comitatur eidem, quod cum fuerint ad monasterium suprascriptum, in quod vocari seu venire debent de predictis nobilibus Jadre, et cum venerint, presentata eis littera nostra credulitatis aperta de fide sibi et isti persone danda, quam tamen non dimittat, sed retineat apud se, in effectu replicare debeat illud, quod habuimus ab eo parte eorum et sociorum suorum, et postea subiungat, quod, sicut eidem diximus, ita sibi facimus responderi, dicendo sibi punctualiter totam mentem et intentionem nostram, sicut superius dictum est, et procurando cum illis verbis et rationibus, que sue sapientie videbuntur, quod se disponant ad executionem istius facti per modum superius declaratum, dando sibi punctualiter copiam istius responsionis, ut sit de ea plenissime informatus; et si facta dicta responsione et habita collatione simul per illum modum et in illa forma, que eis utile apparebit, deliberabunt de mittendo istud partitum et istam viam executioni, scilicet de eundo unum vel duos ex eis ad partes Hungarie ad procurandum per illam viam, quod possimus habere possessionem dicte civitatis Jadre, tunc dictus noster nobilis cum isto amico, si sibi placuerit, cum plena informatione dicte deliberationis et de omnibus, que dicta, raciotinata et discussa fuerint inter eos et de modis omnibus, viis et formis, quos in processu istius temporis servare haberemus a parte nostra, Venetias revertantur.

Si vero in istis discussionibus, rationamentis et praticis, quas similiter facient, dictus noster nobilis videret et cognosceret aut haberet ab eis, quod talis modus exto, quod dici fecerint, ipsum pro honore suo plus sibi placere, quod primum non esset nunc factibilis aliqua causa, quia de levi a dicto tempore citra res potuissent esse valde mutate, ostendendo sibi rationes et causas propter quas, tunc noster nobilis antedictus dicat, quod ipsi videre et comprehendere potuerunt respectus, qui moverunt nostrum dominium ordinate eis naratos ad eligendum istum secundum modum recordatum per eos, qui fuerunt principaliter propter dubium personarum suarum; nichilominus si cognoscerent, quod primus modus recordatus per eos vel alius foret magis factibilis, et de quo contenti forent pro securitate sui status et bona conclusione facti, ipsi possunt illum recordari sibi et dicere plenissime modos, vias, formas et ordines, qui tenendi forent per nos in quocumque casu, quia habet in mandatis a nobis redeundi citissime ad nos et plenarie informandi, ut possimus postea superinde deliberare, pro ut bonum, utile et salubre apparebit, et ita facere debeat veniendo cum tali declaratione quorumcunque, quod non sit expediens velle aliter declarari. De parte 69.

Ser Leonardus Victuri, ser Bartholameus Contareno, ser Barbonus Mauroceno, ser Johannes Georgio, sapientes ordinum. Cum cognitum semper fuerit per progenitores nostros non una vice sed pluribus, et cognoscatur etiam per nos propter approbatas experientias visas diversis et variis modis et causis, quod omnino necessarium est, volendo nostrum dominium

habere statum suum securum, quod civitas Jadre sit sub sua potentia et in manibus et fortia nostri dominii, quot vero periculis subiacent status noster dicta de causa, et in quanta damna incurrimus non habendo dictam terram omnibus satis patet in tantum, quod dominatio debet, possendo hoc facere, postponere omnia alia quecumque et quantumcunque sint pro attendendo ad habendum sub potentia et fortia nostra dictam civitatem, quia, si sumus securi a parte maris, pro aliis partibus multa sunt et inveniuntur remedia, et propterea consideratis predictis, et quod in nostris diebus nunquam habuimus ita clarum et subtile partitum et modum pre manibus de habendo dictam civitatem, ut habemus ad presens; considerato, quod omnis mora est periculosissima, quia tales dispositiones et talia partita rarissime eveniunt, et quod clare videtur, quod, nisi presto ponamus remedium, dicta terra est perventura ad manus persone, de qua essemus pessime contenti, quia status noster erit in periculo manifesto; vadit pars quod in nomine domini et sancti Marci evangeliste protectoris nostri debeat attendi et prosequi tractatum nuper nobis propositum per hunc fidelem nostrum de voluntate et commissione illorum quattuor nobilium Jadrensium, et non solum prosequi, sed totis sensibus nostris procurare executionem et conclusionem habendi dictam civitatem Jadre in manibus et fortia nostra et sub regimine et protectione nostri dominii, et ut in bona gratia detur bonum principium huic tractatui, dicatur et respondeatur dicto nostro fideli, qui est tractator huius negocii, quod cognoscendo manifestissimis signis et rationibus dictos nobiles Jadre, qui ipsum miserunt, et similiter ipsum tamquam sapientissimos et bonos se movisse a magna reverentia, quam semper habuerunt et habent corone Hungarie, ne dicta terra perveniat in manibus inimicorum dicte corone Hungarie, et a bono zelu, quem habent patrie sue, ne perveniat ad manus persone, que ipsam consumet et desertet, nec possit eam defendere, et a sincera caritate et reverentia, quam semper habuerunt et habent honori nostro et nostro dominio, quia cognoscunt, quod sumus amici corone Hungarie et potentes ad defensionem ipsius terre, et apti ad meliorandum ipsam et bene regendum et premiandum bene facientes, acceptamus et gratificamus cum illari, sincero et bono animo suam oblationem, dispositi et prompti procedere ad executionem et conclusionem huius negocii cum suo consilio et subventione, referendo dictis nobilibus et ipsi nostro fideli dignissimas grates, et offerentes nos paratos et promptissimos ad omnes suos honores et comoda, et propterea nolentes, ut supradictum est, videre damnum et exterminium dicte terre et tantum incaricum corone Hungarie, providimus mittere cum ipso nostro fideli unam personam pro parte nostra, qui ambo, quod prestius et caucius fieri poterit, vadant ad abbatiam et locum, ad quem datus est ordo, quo ipse tractator debeat se reducere in suo reditu, et post eorum applicationem teneant modum cum dicto abbate, quod secundum ordinem datum debeat notificare adventum dicti nostri fidelis et persone misse per nos illis quattuor nobilibus, pro quorum parte missus est dictus tractator, quibus nobilibus dictus noster fidelis et dicta persona missa habeant dicere responsionem nostram, et supradicta verba, que sibi diximus, et ultra illa, quod veniunt pro dando executionem dicto negocio, pro quo miserant ad nos ipsum nostrum fidelem, et quod deliberatio nostra et parere nostrum est in hac forma, videlicet quod in bona gratia sumus contenti mittere omne subsidium oportunum

pro accipiendo, gubernando et conservando dictam civitatem sub fortia, regimine et protectione nostra, et ad honorem et statum corone Hungarie et nostri dominii, reservato semper dicte corone iurisditionem sui trentesimi, de quo civitas Jadre tenetur dicte corone, et non de alia re, quia expresse cognoscimus, quod non accipiendo dictam terram, capitabit omnino in manibus inimicorum corone Hungarie, quod esset certissime nobis molestissimum et gravissimum pro honore corone Hungarie; et quod hoc sit verum et appareat per effectum subito habita dicta terra sumus contenti et dispositi mittere nostram ambassiatam in Hungariam ad notificandum causam, propter quam nos accepimus dictam terram sub fortia et protectione nostra, et ad tractandum ea, que sint honoris corone Hungarie et nostri et bonum dicte civitatis et civium ipsius.

Et ut dicti quattuor nobiles Jadrenses, qui offerunt dare nobis dictam civitatem, incipiant videre et sentire amorem et benignitatem nostram et bonam dispositionem, quam habemus et intendimus habere continue in futurum ipsis et suis heredibus et cuilibet eorum, ac etiam ut alii possint sperare semper reportare premium et gratiam a nostro dominio, quod ex nunc promittimus dictis quatuor nobilibus et volumus, quod, habita per nos dicta terra sub potentia, regimine et protectione nostra, dicti quatuor nobiles ac quilibet eorum et sui heredes sint nobiles cives nostri et de nostro maiori consilio, ita quod possint gaudere omnibus illis honoribus et immunitatibus, quibus gaudent nobiles cives nostri veneti originarii, qui sunt de nostro maiori consilio, et ultra hoc, quod quilibet dictorum quatuor nobilium habere debeat in vita sua de provisione a nostro dominio ducatorum CCCC pro quolibet annuatim de pecunia nostri communis, quibus nobilibus debeant dictus noster fidelis et dicta persona, que erit secum, simul dicere in conclusione, quod subventio necessaria pro isto negocio est et erit in ordine, quod data informatione dicto nostro nuncio, quo die, hora et ad quem locum ipsi volent dictam subventionem gentium nostrarum, ipsa erit parata et presta ad exequendum ordines, qui dabuntur per ipsos in hoc facto.

Dicto vero fideli nostro tractatori huius tractatus, ut sit ferventior et magis solicitus ad procurandum executionem et conclusionem huius negocii secundum nostram intentionem, debeat promitti per nostrum dominium, quod habita per nos dicta terra in fortia, potentia et sub regimine et protectione nostra, sumus contenti et volumus, quod in remunerationem suorum laborum, quia sua fidelitas non posset premiari quantum meretur, habeat et habere debeat ipse, sui filii masculi et femine de pecunia de provisione annuatim ducatos quincentos. Et quia laboravit circa ista negocia et non sine magna sua expensa, et nostrum commune melius potest pati dictam expensam quam ipse, quod detur ex nunc dicto tractatori ducati centum auri de pecunia nostri communis pro refectione expensarum, quas ipse fecit.

Persona vero, que deputabitur ad hoc, debeat esse persona sufficienss et cui sperandum sit, quod dicti nobiles debeant et possint dare fidem, et debeat eligi per scrutinium in collegio domini, consiliariorum, capitum et sapientum ambarum partium, que informata de relatione, quam fecit nobit dictus tractator missus, ac de responsione facta per nos dicto tractatori et de nostra deliberatione predicta, debeat prestissime et quantum secrete et

caute poterit ire cum dicto tractatore ad locum deputandum, faciendo sibi et sue familie expensas necessarias, et ibi presentatis nostris litteris appertis credentialibus dictis quattuor nobilibus ac facta salutatione et conforto necessario, debeat, retinendo tamen litteras credinciales apud se, eis nostri parte facere relationem de his, que nobis retulit dictus tractator pro eorum parte, et similiter dicere punctualiter responsionem et verba, que diximus dicto tractori misso per eos, utendo circa effectum dicte nostre responsionis illis bonis, pertinentibus, amicabilibus et indutivis verbis, que sciet et poterit, ut dicti quattuor nobiles nedum habent causam perseverandi in sua dispositione nobis significata, sed etiam essendi ferventiores ad factum, ut possimus deo concedente obtinere nostram intentionem; et audita eorum responsione et suis motivis et accepta plenaria informatione ab ipsis nobilibus de die, hora et loco ac de modo, ubi, quando et quomodo volent ducere ad executionem dictum negocium, accepto amicabili comeatu, dicat, quod revertitur ad avisandum capitaneum nostrum culpbi et gentes nostras de predictis, qui erunt parati et presti secundum ordines per eos datos. Et hoc facto subito et sine mora revertatur ad capitaneum nostrum culphi ad informandum eum de omnibus, que fecerit et habuerit, et de ordine dato per dictos nobiles, cui capitaneo, si capietur per nos pars, fiet postea commisio cum predicta libertate et alia, que huic consilio videbuntur.

Sed quia posset occurrere, quod dicti quattuor nobiles moverent dicte persone, que mittetur pro nostra parte, verba, per que ipsa persona videret et comprehenderet, quod dictis nobilibus videretur necessario vel utile pro bona executione huius tractatus, quod aliquibus aliis nobilibus Jadre promitteretur etiam, quod esse debeant nostri nobiles cives et de nostro maiori consilio, tunc habet libertatem dicta persona, que mittetur, faciendi pro parte nostra dictam promissionem usque numerum de VI ultra illos quattuor cum suis heredibus, ut non restet, quando possit intentio nostra predicta obtineri; ed si maior numerus nobilium Jadre petetur per dictos quattuor nobiles, quod fierent de nostro maiori consilio vel alia facta et promissiones pro ipsis nobilibus Jadre vel pro populo Jadre vel per alium modum, debeat dicta persona, que mittetur, dare eis largissimam spem, quod invenient nostrum dominium promptissimum et paratum ad faciendum omnia, que sint honoris et boni principaliter dictorum quattuor nobilium et similiter aliorum nobilium et tocius populi Jadre ita et taliter, quod habebunt merito laudari et contentari de nostro dominio, excusando, quod non potuimus magis particulariter providere nec dare libertatem dicte persone per nos misse, quam non poteramus scire, super quibus aliis habebamus providere nisi super his, que dictus tractator per ipsos missus nobis fuit expositum; et cum his et aliis bonis verbis et ampla spe procuret, quod bonus et salubris ordo detur dictis negociis, ita quod possint favente divina gratia habere bonam conclusionem, et sicut dictum est superius, omnia, que fecerit et habuerit, dicere debeat nostro capitaneo culphy, et informando nos, exeguatur mandatum, quod faciemus capitaneo nostro culphy. Et ex nunc ordinetur et captum sit, quod tantum prestissime quantum esse potest mitti debeat una barcha armata ad partes Istrie ad expectandum et inveniendum dictum capitaneum culphy et dictas alias duas galeas, quibus et cuilibet eorum per nostras littera triplicatas, unam dimit-

tendam in Parentio, alteram in Pola, terciam reservandam per patronum barche, scribatur et precipiatur expresse, quod debeat observare et adimplere hunc modum, videlicet quod ser Petrus Lauredanus cum omnibus suis hominibus a pede et tota zurma sue galee, excepto scribano, ut possit venire ad designandum mercationes in Venecias, debeat ascendere super galea subtili ser Nicolai Capello, qui ser Nicolaus Capello cum suis hominibus de pede et zurma debeant ascendere super galea grossa dicti ser Petri Lauredani, et hoc facto, capitaneus culphy cum galea sibi commissa et cum dicto ser Petro Lauredano cum sua galea subtili debeant nullo modo discedere de partibus Istrie, sed expectare nostrum mandatum, quod sibi de brevi mittemus. Ser Nicolaus Capello vero cum dicta galea grossa veniat Venecias. Verum possit et debeat capitaneus culphy pro ponendo se in ordine et similiter galeam Lauredanam accipere de ballistariis et hominibus a remo ser Nicolai Capello, incipiendo ab illis, qui voluntarie vellent remanere, et non accipiendo comitum nec patronum nec aliquem ex naucleriis dicti ser Nicolai, ut dicta galea grossa non remaneat disfulcita; et comittatur dicto capitaneo culphy, quod predicta faciat quam prestius poterit, et nos informet per suas litteras de omnibus novis, que senserit in partibus, in quibus de proxime fuit, et de omnibus aliis sibi necessariis, et que sibi videbuntur.

De parte 15, non 28, non sinceri 21.

Secreta Cons. Rog. I. 40, u mlet. arkivu.

DCX. God. 1401. 7 prosinca, u Mletcih.

Izabran poslanik, da podje na dogovore sa Zadrani.

1401. indictione decima, die septimo decembris. Capta in collegio Quod iste noster nobilis, qui debet ire cum isto nostro amico ad partes Jadre, fiat per scrutinium hic, et possit eligi de omni loco et officio, non perdendo officium nec utilitatem eius aut aliud, quod haberet; possit expendere ducatos tres in die, ducendo duos famulos et unum notarium cum uno famulo, et respondeat de presenti, non intelligendo de nabulis barcharum. De parte omnes, de non 0, non sinceri 0.

Electus ser Marinus Karavello.

Secreta Cons. Rog. I. 42, u mlet. arkivu.

DCXI. God. 1401. 8 prosinca, u Mletcih.

Kralj napuljski Ladislav po poslanicih traži od republike naknadu za Krf, te joj nudi savez i prijateljstvo, ali je odbijen.

1401. indictione X, die VIII decembris. Ser Benedictus Superantio procurator, ser Karolus Geno procurator, ser Leonardus Bembo, sapientes consilii. Capta: quod respondeatur istis oratoribus serenissimi domini regis Ladislai ad ambassiatam nobis portatam a parte sua continentem in effectu, quod ipse dominus rex intendit, quod, quantum erit pro parte sua, inter suam serenitatem et nos vigeat sincera caritas et sincerus amor, et quia cognoscit, quod ad volendum, quod istud bene sequatur, est primo removenda omnis materia, que posset esse causa rubiginis et contrarii, quam

quam cognoscit esse factum insule Corphyensis, que est in manibus nostris, pro tanto est dispositus, quod removeatur, et complacere nobis ac quietare de illa, facientibus nobis versus eum de his, que sint rationabilia et decentia. Et hoc facto intendit, quod contrahatur inter nos una bona unio et bona liga, ita quod illa amicicia perpetuo observari possit etc., quod certe a parte nostra inter ipsum excellentissimum dominum regem, et nos nulla viget causa rubiginis vel malivolentie, ymo fuimus semper precipui zelatores honoris et status serenissimi domini genitoris sui et suorum antecessorum, et ita sumus et esse intendimus sue serenitatis parte nostra. Et quia dicunt, quod insula Corphyensis, quam habemus, est causa istius rubiginis, ad hoc respondemus, quod istud nobis displicet, cum sicut alias diximus oratoribus suis, qui ob hoc fuerunt ad nostram presentiam, nos tenuimus et tenemus dictam insulam multis rationabilibus, honestis et iecitis causis, quas alias bene declaravimus, et si foret necesse declararemus ad presens. Nichilominus volentes et optantes vivere pacifice, amicabiliter et caritative cum ipso domino rege, quem teste deo sincere diligimus, parati sumus, si habent mandatum ad plenum super factis propositis nobis per eos, illud videre et audire, quecumque particularius et distinctius voluerint declarare, quibus auditis, nos respondebimus. Et ex nunc sit captum, quod, si ostenderent mandatum et libertatem ad plenum, collegium domini, consiliariorum, capitum et sapientum utriusque manus vel illa pars, que per dominium fuerit terminata pro utilitate facti, habeat libertatem audiendi, dicendi et tractandi, sicut eis vel maiori parti videbitur utile et bonum, non possendo aliquid concludere vel firmare sine deliberatione et voluntate istius consilii. De parte 70.

Ser Rambertus Quirino, sapientes consilii et sapientes ordinum. Quia bonum est multis respectibus sentire particularius ab ambassiatoribus domini regis Ladislai ea, que summarie et sub brevitate exposuerunt, secundum quod continetur in parte sapientum consilii; vadit pars, habito respectu, quod videntur avidi particularius praticare nobiscum, quod collegium domini, consiliariorum, capitum et sapientum ambarum manuum debeant esse cum dictis ambassiatoribus, et cum illis modis, responsionibus et verbis, qui et que videbuntur dicto collegio, debeant trahere et presentire quam particularius et clarius poterunt ab eis intentionem et voluntatem dicti domini regis, non possendo aliquid concludere nec dictis ambassatoribus dare expeditionem nec conclusivam responsionem sine voluntate et deliberatione istius consilii. De parte 38, non 2, non sinceri 4.

Secreta Cons. Rog. I. 43, u mlet. arkivu.

DCXII. God. 1401. 12 prosinca, u Trnovcu.

Sigismundus Hungariae rex rogat ducale dominium, ut favores suos non prestet novo romanorum regi contra fratrem suum regem Boemiae.

Commemorialium IX. 128, u mlet. arkivu.

DCXIII. God. 1401. 28 prosinca, u Mletcih.

Republika uskraćuje pomoć Hrvoji, bosanskómu vojvodi, proti Spljetu.

1401. indictioue X, die 28 decembris. Capta: cum dominus Ludovicus de Mathafaris pro parte Crevoy de Bossina cum literis credentialibus nobis exposuerit, quod aliqui inimici sui de Spalato occupaverunt locum Almisii, quod est suum, et ad ipsum spectat, et rogaverit nostrum dominium, quatenus nobis placeat non dare auxilium nec favorem dictis suis inimicis, sed potius favere sibi tanquam civi et amico nostro, et super hoc dictus dominus Ludovicus, volens hinc recedere, solicitet instanter responsponsionem; vadit pars, quod respondeatur dicto ambassatori, quod habemus dictum dominum Crevoy in carum civem et amicum nostrum, et semper fuimus et essemus parati ad omnia grata et beneplacita sue magnificentie, et non modicum displicet nobis, quod fiant contra eum res, que sint sibi moleste et in damnum suum; sed consideratis omnibus, non videtur nobis honestum de impediendo nos in factis predictis, et propterea placeat sue magnificentie habere nos excusatos.

Secreta Cons. Rog. 46, u mlet. arkivu.

DCXIV. God. 1402. 1 ožujka, u Šibeniku.

Potvrdjuje se ugovor sklopljen medju biskupom šibeničkim i onom občinom u pogledu desetine.

Bonifatius episcopus servus servorum dei episcopo Traguriensi salutem et apostolicam dilectionem. Sincere dilectionis affectus, quem dilecti filii commune et homines civitatis Sibenicensis ad nos et romanam gerunt ecclesiam, promeretur, ut votis eorum, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Sane petitio pro parte dictorum communis et hominum nobis nuper exibita continebat, quod olim prefati commune et homines, qui etiam a tempore, cuius contrarii hominum memoria non existit, certas decimas episcopo Sibenicensi pro tempore existenti annuatim dare et solvere tenebantur; attendentes, quod in recollectione decimarum huiusmodi per officiales dicti episcopi pro tempore existentes et ad hoc deputatos, qui se in premissis minus debite exercebant, diversa scandala et alia nephanda comissa et perpetrata extiterunt, propter que inter cives et homines dicte civitatis et hujusmodi officiales homicidia et quam plurima mala subsecuta fuerant, iidem commune et homines cum eodem episcopo in certo sinodo ecclesie Spalatensis tunc celebrato ad talem devenerunt concordiam, quod prefati commune et homines in recompensam ac loco huiusmodi decimarum eidem episcopo salinas positas in confinibus Ostrizze, villam Ostrizze et eorum territoria sub villa Tribohungn, insulam Crapani, duo scolia Karbelle et unum scolium Oblik nuncupatum, territoria cum pascuis in secunda Ostrizza prope portum Grebaschiza, terram cum villis in Bossiglina et decimas agnorum et capreorum in insula Xirya Sibenicensis diocesis cum omnibus et singulis eorum iuribus et pertinentiis per ipsum episcopum tenenda, possidenda et usufructuanda in perpetuum donarunt et liberaliter concesserunt; prefatasque donationem et concessionem una cumeodem d. episcopo obtinuerunt a venerabili fratre nostro archiepiscopo Spalatensi auctoritate ordinaria confirmari, pro ut in instrumentis publicis

inde confectis et litteris autenticis ejusdem archiepiscopi sigillo munitis dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, licet per episcopum Sibenicensem pro tempore existentem saline, ville, insule, territoria et alia supradicta excepta villa in Bossiglina, quam dilectus filius primicerius ecclesie Sibenicensis tenet et possidet a tempore donationis et concessionis prefatarum usque in hodiernum diem fuerunt et sint possessa, ipseque episcopus fructus, redditus et proventus perceperit et percipiat de presenti; tamen prefati commune et homines ex eo dubitant, se posse super premissis per episcopum predictum in posterum inquetari et molestari, ipsumque episcopum futurum salinas, villas, insulas et alia predicta, que huiuscemodi decimas ab ipsis commune et hominibus petere et exigere posse et velle, quod dudum certe gentes armorum in dictam civitatem violentia intrarunt, et inter cetera tam litteras confirmationis predictas quam instrumenta originalia inter episcopun et commune ac homines super hujusmodi comordias habita totaliter concremarunt; pro parte dictorum communis et hominum nobis fuerit humiliter supplicatum, ut hujusmodi concordias et alia facta inter eos habita et observata confirmare, et alias eis in premissis de opportuno remedio providere de benignitate apostolica. Nos igitur de premissis certam notitiam non habentes, ac volentes scandalis et controversiis, que exinde exoriri possent, quantum cum deo possumus salubriter obviare, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitatis tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus de premissis et eorum circumstantiis universis te diligenter informes, et si per informationem hujusmodi ita esse reperieris, donationem, concessionem nec non pacta et conventiones inter episcopum, commune et homines predictos habita, ut ipsi commune et homines asserunt, usque in hodiernum diem observata, et alia in dictis litteris et instrumentis contenta, quorum tenorem de verbo ad verbum haberi volumus, presentibus pro expressis autoritate apostolica confirmare et approbare procures; illaque facias perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observari, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita conpescendo, non obstantibus si aliquibus conjunctim vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excomunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de verbo ad verbum de hujusmodi indulto mentionem. Datum Rome apud sanctum Petrum kalendas martii CCCCII, pontificatus nostri anno XIII.

Nos igitur Grisogonus episcopus et iudex antedictus, volentes mandatum apostolicum hujusmodi nobis in hac parte decretum reverenter exequi, ut tenemur juxta ipsius littere apostolice continentiam et tenorem, ut res et negotium ad effectum melius producerentur, et melius ac lucidius veritas reperiri posset, non parcentes laboribus ac sudoribus, personaliter ad civitatem Sibenici ivimus, ubi super huiusmodi et singulis contentis in ipsa littera apostolica et secundum ipsius tenorem investigavimus, perquisivimus et indagavimus diligenter, et examinavimus consentiose et subtiliter ac perfecte cum sacramento, ut decuit, quam plures et infinitos testes tam religiosos quam seculares, nobiles et ignobiles, villicos et forenses, tam Jadrenses quam Nonenses, Scardonenses, Tragurienses, Spalatenses et non nullos allios Dalmatas et Sclavonos convicinos ipsius civitatis Sibenici nobis productis per prefatos d. comitem, iudices et commune jam dicte

civitatis Sibenici, et dato ac prestito corporali sacramento dictis testibus, pro ut fuit expediens et opportunum et pro ut tantum negotium requirebat, invenimus omni contrarietate postposita et mera veritate reperta, quod petitio facta per dominos comitem, iudices et commune Sibenici sanctissimo d. nostro pape fuit et est vera, juxta et consonans veritati ac rationi, exeoque invenimus, quod domini episcopi Sibenici, qui pro tempore fuerunt, cuius in contrarium memoria hominum non existit, semper pro decima civitatis Sibenici habuerunt, tenuerunt et possederunt omnes et singulas possessiones expressas, nominatas et specificatas in bulla domini nostri pape, videlicet salinas positas in confinibus Ostrizze et Zviga, villam Ostrizze, territoria sub villa Tribohugn, insulam Crapani, duo scolia Karbelle, et unum scolium Oblik, nuncupata territoria cum pascuis in secunda Ostrizza prope portum Grebaschiza, terram, villicos in Bossiglina, et decimas agnoram et castrorum, pro ut in ipsa bulla apostolica seriosius continetur; invenimusque, quod ipsi domini episcopi et capitulum Sibenici semper receperunt pro ipsa decima agnorum pro quolibet agno et capreto parvulos quinque usualis monete, invenimusque, quod ipsi domini episcopi Sibenicenses semper de dictis possessionibus pro dicta decima civitatis et decima agnorum et capretorum in insula Xirgia Sibenicensis diocesis fuerunt semper taciti et contenti. Invenimus etiam, quod de et super predictis fuit factum publicum instrumentum solemniter celebratum cum omnibus clausulis neccessariis et opportunis inter dictum episcopum Sibenici et commune hominesque, quod instrumentum invenimus confirmatum fuisse et approbatum per d. archiepiscopum in sinodo Spalatensi, quod instrumentum invenimus per attestationes dictorum testium fuisse et esse perditum tunc temporis, quando civitas Sibenici fuit combusta et expoliata per Venetos tempore guerrarum cum aliis scripturis, privilegiis et iuribus eiusdem civitatis Sibenici, pro ut in ipsa bulla apostolica continetur et exprimitur. Quare autoritate apostolica nobis in hac parte concessa precipimus et mandamus reverendo in christo patri d. Bogdano de Sibenico electo in episcopum Sibenicensem et dominis episcopis ejusdem civitatis, qui pro tempore erunt, quod de dictis possessionibus pro dicta decima civitatis Sibenici et decima agnorum debeant stare taciti et contenti in perpetuum et omni tempore, et quod dictis comiti, iudicibus, communi, hominibus civitatis Sibenici presentibus et futuris nullam debeant movere questionem nec novitatem facere, et quod omnia contenta in dicta bulla domini nostri pape et in presenti nostro privilegio debeant in perpetuum inviolabiliter observare et observari facere, confirmantes et ratificantes approbantesque auctoritate apostolica omnia contenta in ipsa bulla domini nostri pape. In contradictores vero quoslibet et rebelles in predictis et quolibet predictorum sententiam excomunicationis ex nunc pro ut ex tunc, et ex tunc pro ut ex nunc, auctoritate predicta summi pontificis ferimus et damus in his scriptis; in quorum testimonium et perpetuam firmitatem has presentes litteras fieri iussimus et fecimus sub appensione nostri pontificalis sigilli. Datum et actum in civitate Sibenici in palatio communis in sala magna sub anno domini MCCCCII, indictione Xma, die XX mensis martii, pontificatus sanctissimi in christo patris et domini nostri domini Bonifatii divina providentia pape IX anno XIII. Presentibus venerabilibus viris fratre Nicolao abbate monasterii s. Nicolai Sibenici, doctore fratre Pe-

regrino vicevicario totius vicarie Bossine ordinis minorum, fratre Blasio Ungharo eius socio, fratre Joanne priore loci ordinis predicatorum de Sibenico, fratre Marco de Sibenico ejusdem ordinis, domino Marino Joannis canonico Traguriense, nobili viro Nicolao Balsce de Spalato et Gilio de Albanis de Regio cancellario civitatis Sibenici, Joanne Andrea tinctore de Arimino, et quam pluribus aliis testibus ad predicta vocatis, habitis et rogatis.

Diplomatarium Sibenicense u dvorskoj knjižnici u Beču. Cod. Sup. 541. 13.

DCXV. God. 1402. 3 ožujka, u Mletcih.

Mletčani šalju pomorskoga kapetana u Dubrovnik, neka ondje nastoji, da bude povraćeno Mletačkim plemićem sve, što se spasilo od utopljenoga njihova broda na Mljetu.

1402. 3 marcii. Capta: quod committatur capitaneo nostro culfi, quod in bona gratia debeat recedere de Veneciis ad terminum et sub penis sibi impositis, et ire per Sclavoniam usque Ragusium, et informare se de rebus dicte navis reductis super insulam de la Meleda, et si de aliis rebus possent recuperari; et habita dicta informatione, debeat instanter rogare regimen Ragusii, quod placeat facere bene conservari omnes res recuperatas de dicta navi et mandare, quod, si possibile est, recuperentur de aliis in quamplura quantitate fieri potest, et ipsa omnia facere assignari merito nostrorum nobilium, quorum erat dicta navis. Et si aliquid esset furtive acceptum vel absconditum, quod dictum regimen provideat taliter, quod rehabeantur et assignentur nuntio predicto, et facto in hoc per capitaneum predictum quicquid boni poterit, debeat totam informationem, quam habuerit super inde, nobis significare, et postea debeat transfrectare ad partes Bari.

Misti XLVI. 1, u mlet. arkivu.

DCXVI. God. 1402. 13 ožujka, u Mletcih.

Republika iskazuje svoju radost ugar.-hrv. kralju, što je slobodu dobio.

1402. indictione decima, die XIII mensis marcii. Ser Petrus Cornario, ser Ludovicus Lauredano, ser Benedictus Superancio, ser Donatus Mauro, ser Leonardus Bembo, ser Justus Contareno, sapientes consilii. Capta: quia diebus preteritis habita fuit una littera a domino rege Hungarie, in cuius primordio significabat nobis liberationem suam, et cum liberatione restitutionem suam ad regnum, et subiungebat postea, quod sicut habuerat bonam amiciciam nobiscum hacteuus, ita de cetero intendebat habere, dummodo non preberemus causam sibi aliter faciendi, et hoc dicebat propter novum regem romanorum, quem intellexerat venisse Venecias, et querere a nobis navigia, cum quibus Romam pro adquirendis coronis imperii ire posset, et ad dictam litteram non apparuit tunc velle facere aliquam responsionem propter suspetionem conceptam, quod littera ipsa non bene procederet de mente regis, quia transactus erat mensis unus cum dimidio, quando presentata fuit a die date eius, et quia erat de manu cuiusdam Pauli cancelarii regii, qui est subditus domini ducis Mediolani, et per pluries alias considerationes; sed

quia modo de novo per mercatores, per litteras et nuncios de illis partibus venientes dictum novum liberationis et restitutionis ipsius domini regis ex toto verificatur, propter quod non potest esse aliud quam utile scribere ipsi domino regi aliquid super facto ipsius liberationis sue et restitutionis ad regnum, et non in forma, qua appareat, nos dictas suas litteras recepisse, nec illis respondere, sed solum appareat nos consolari de prosperitatibus suis, que ad nostram noticiam et audientiam pervenerunt, ostendendo etiam, quod alias scripserimus super dicta materia; vadit pars, quod scribatur ipsi domino regi, qualiter alias, dum ad nostrum pervenisset auditum, quod maiestas sua reducta erat ad pristinam libertatem et ad regnum suum Hungarie liberaliter restituta, nos de captivitate et aliis perpetratis in personam sue serenitatis, tamquam zelatores et amici sincerissimi honoris et status sui, maximam passionem et tristiciam senseramus, fuimus magno repleti gaudio, spiritusque nostri remanserunt maxime consolati, sicut nostris litteris tunc missis diffusius potuit presensisse; postea autem verificati dietenus et modo novissime per nuncios, mercatores et litteras ad diversos de illis partibus venientes, quod ita sit rei veritas, teste deo illam cordialem consolationem et leticiam sensimus et sentinus, quam requirit amicicie vera lex et sincere debitum caritatis, nam sicut serenitas sua multis et variis operibus, que mentiri non possunt, videre et comprehendere potuit manifeste, nos semper maiestatem suam dileximus, et eidem ac corone et regno suo in omnibus nobis possibilibus complacuimus animo iocundanti, sperantes ymo a certo tenentes, quod ille summus rex omnium opifex et magister deus, qui facta regum et principum gubernat et regit ad nutum maiestatis sue, tantum de sua gratia ministrabit, quod regnum et populos sibi traditos in quiete et pace disponet, et sub obedientia et fidelitate sua regia per longissima tempora conservabit de quibus erimus maxime consolati ad honores et beneplacita sua queque caritativa et sincera mente parati. De parte 94, non 5, non sinceri 7.

Secreta Cons. Rog. I. 54, u mlet. arkivu.

DCXVII. God. 1402. 13 ožujka, u Mletcih.

Vieće mletačko izabire dva pouzdanika s naputkom, neka budno pobiraju dogadjajuće se novosti, i o njih izvieste.

1402. die XIII marcii. Capta: quia facit satis pro factis nostris specialiter presenti tempore habere bonam et continuam informationem novorum de omni parte, vadit pars, quod collegium domini, consiliariorum, capitum et sapientum consilii habeat libertatem eligendi duos, qui eis magis apti et utiles videantur, per illum modum et cum illis conditionibus, que eis videbuntur, quibus duobus dare debeant libertatem possendi sentire et investigare per illas vias et modos, qui sue sapientie videbuntur, de habendo de tempore in tempus informationem de omnibus novis quarumcunque partium, possendo etiam, si opus fuerit, facere aliquam expensam, secundum quod deliberabitur per dominium, pro habendo melius veritatem predictorum; et cum senserint et habuerint aliqua relatu digna, teneantur venire ad dominium et significare de tempore in tempus omnia, que habebunt. Electi ad predicta ser Nicolaus Mudacio, ser Alvisius Delphino.

Secreta Cons. Rog. I. 54, u mlet. arkivu.

DCXVIII. God. 1402. 10 travnja, u Šibeniku.

Općina šibenička opredieljuje njeka svoja imanja za zidanje i obskrbu svoje stolne crkve sv. Jakova.

Dotatio ecclesiae cathedralis sancti Jacobi. In christi nomine amen. Anno navitatis eiusdem MCCCCII, indictione X die lune X mensis aprilis. Regnante d. nostro d. Sigismundo dei gratia serenissimo rege Hungarie, Dalmatie, Croatie etc. ac marchione Brandemburgense etc. Temporibus equidem reverendi in christo patris d. Bogdani ellecti episcopi Sibenicensis et egregii et sapientis viri domini Pasqualini de Restis de Ragusio honorandi comitis civitatis Sibenici, nobiliumque virorum domini Gregorii Nigoy, Thome Dominici, Zanini Barbe et Joannis Tavilich honoran. iudicum civitatis Sibenici, ac viri nobiles Andreas Jurini, Michael Mauri, Nicolaus Simeonich, Nicolaus Michete et Paulus Petrovich, quinque nobiles Sibenici ellecti et declarati per generale consilium nobilium dicte civitatis Sibenici una cum prefatis d. comite et iudicibus ad infrascripta omnia et singula et quodlibet predictorum habentes plenariam auctoritatem, licentiam, potestatem et bailiam ab ipso generali consilio nobilium dicte civitatis Sibenici, scripta et publicata manu ser Gilii q. Guillelmi de Albanis de Regio notarii publici et cancellarii prefati communis Sibenici, predictis millesimo, anno, indictione et die veneris VII dicti mensis aprilis, cujus quidem reformationis tenor per omnia talis est.

In christi nomine amen, anno nativitatis ejusdem millessimo CCCC. secundo, judictione X, die veneris VII mensis aprilis, regnante d nostro d. Sigismundo dei gratia gerenissimo rege Hungarie, Dalmatie, Croatie etc. ac marchioni Brandemburgense etc., tempore quidem reverendi in christo patris d. Bogdani ellecti episcopi Sibenicensis et egregii et sapientis viri d. Pasqualini de Restis de Ragusio hon. comitis civitatis Sibenici, nobiliumque viorum d. Gregorii Nigoy, Thome Dominici, Zanini Barbe et Jacobi Tavilich hon. iudicum dicte civitatis Sibenici. Congregato et convocato generali consilio virorum nobilium civitatis Sibenici in palatio communis dicte civitatis, ut moris est, de mandato egregii et sapientis viri d. Pasqualini de Restis de Ragusio hon. comitis civitatis Sibenici et sue curie ad sonum campane et vocem preconis, in quo quidem consilio interfuerunt XLV nobiles excepto d. comite. Propositum fuit in dicto generali consilio per prefatum d. comitem et suam curiam, si videretur dicto consilio pro augumentatione et fabrica ecclesie cathedralis s. Jacobi dicte civitatis Sibenici et pro salute animarum civium civitatis predicte ac pro amplianda, accrescenda et augumentanda dicta ecclesia, que ad presens non est sufficiens in tanta civitate propter parvitatem et incongruitatem suam, quod sit et esse debeat in arbitrio et auctoritate ac bailia dicti d. comitis et iudicium suorum et quinque nobilium inferius descriptorum dotationem propter eam posse dare, concedere et donare dicte ecclesie sancti Jacobi pro fabrica dumtaxat dicte ecclesie omnes et singulas terras de Vodice nominatas et vocatas tam pastinatas quam in futurum pastinandas, per eum modum, formam, per quam eas tenuit communitas Sibenici et tenet usque in presentem diem, videlicet solvendo qui-

libet soldos quattuor pro gognagio, qui habent ibidem vineas suas, seu tenuerint aliquam particulam de dictis terris. Item similiter decimam vini villanorum districtus Sibenici in dictam fabricam dicte ecclesie s. Jacobi posse errogare, et capitulo Sibenici, pro ut eis aut eorum maiori parti videbitur sanius faciendum; et tandem factis super dictam propositionem pluribus et pluribus arrengationibus et consultationibus in dicto consilio per varios et diversos nobiles antiquiores et seniores de dicto consilio, et bene discussis et sincere ruminatis eorum mentibus et puris voluntatibus super dictam propositionem, captum et reformatum fuit per XXXVIII balottas repertas in bussullo albo de sic, non obstantibus octo ballotis repertis in busullo rubeo de non:

Quod sit et esse debeat in arbitrio, auctoritate et plena bailia prefati d. Pasqualini comitis Sibenici, ser Thomasii Dominici, ser Grigorii Nigoy, ser Zanini Barbo et ser Jacobi Tavilich, iudicum curie dicte civitatis, ac nobilium virorum ser Andre Jurini, ser Michaelis Marini, ser Nicolai Simeonich et ser Nicolai Mihote et ser Pauli Petrovich ad infrascripta ellectorum aut majoris partis ipsorum posse dare, concedere et donare perpetuis temporibus et donationem perpetuam facere dicte ecclesie s. Jacobi cathedali in fabricam dicte ecclesie tantum et capitulo Sibenici omnes et singulas terras de Vodice ut supra, excepta aqua de dicta Vodice et pascuis ejus, que sunt communis Sibenici. Item illa pascua, que laborari non possunt. Item similiter decimam vini vinearum villicorum dicte civitatis Sibenici in dicto districtu Sibenici commorantium per eum modum, viam et formam, quibus eis aut eorum maiori parti videbitur faciendum. Item instrumentum, scripturas publicas et authenticas nomine dicte communis Sibenici stipulandas et faciendas, bonaque dicte communitatis pro premissis observandis et attendendis obligandas et hipothecandas, cum additione penarum debitis et congruentibus; et quidquid factum, dictum, actum et donatum, concessum et stipulatum fuerit per eos aut eorum maiorem partem in premissis et circa premissa, sit perpetuis temporibus ratum, validum, firmum ac etiam conclusum, ac si factum foret et ordinatum per universum generale consilium dicte civitatis Sibenici. Ego Gilius de Albanis quondam Guillelmi de Regio publicus imperiali auctoritate notarius et cancellarius dicte civitatis Sibenici predicta scripsi et publicavi. Advertentes et considerantes, quod divna clementia civitas Sibenici quotidie efficitur insignis, et de bono in melius nobilitatur et augeatur tam in civibus quam in divitiis atque bonis, non meritis ipsorum civium sed intercessione et precibus sanctissimi et venerabilis capituli sancti Jacobi deffensoris, protectoris et gubernatoris, prefatorum dominorum comitis, iudicium, consilii et communis civitatis Sibenici, et ut ipsa civitas Sibenici de bono in melius quotidie augeatur et multiplicetur, ipsi d. comes et iudices et quinque nobiles memores salutis animarum ipsorum, et advertentes, quod ecclesia cathedralis Sibenici vocabulo sancti Jacobi insignita ad hoc, ut ipse s. Jacobus non cesset coram deo omnipotenti et sanctissima eius matre virgine Maria suadere ejus precibus et intercedere pro ipsa civitate Sibenici, per eorumque in posterum successores et nomine et vice totius communitatis Sibenici, auctoritate predicta eis concessa ut supra, et omnibus alio modo, via, jure et forma, quibus melius potuerunt, titulo donationis irrevocabiliter et non aliqua alia ratione

seu obligatione vel debito, quibus commune Sibenici et homines tenerentur d. episcopo Sibenici, capitulo et ecclesie, sed pro salute animarum ipsorum, intuitu dei et beati Jacobi apostoli dederunt, traddiderunt et concesserunt in perpetuum reverendo patri d. Bogdano electo sibenicensi et dominis capitulo Sibenici ibidem stipulantibus, presentibus et recipientibus nomine et vice ipsius ecclesie cathedralis Sibenici totum territorium communis Sibenici vocatum Vodice positum in districtu Sibenici ad Vodice juxta tenutas Srime a parte orientali, juxta tenutas ville Bihavice et juxta tenutas ville Pisce a parte boreali et juxta tenutas monasterii s. Nicolai da portu Sibenici sive juxta tenutas ecclesie s. Andree de Bissac a parte austri, et juxta littus maris a parte inferiori, et juxta ecclesiam s. Crucis sive possessiones Tribohugn episcopatus Sibenici a parte ponentis, ad habendum, tenendum, possidendum, fructuandum in perpetuum, et quicquid ipsi fabrice melius videbitur faciendum, cum omnibus et singulis pertinentiis et circumstantiis suis, fructibus et utilitatibus, exceptis aqua et pascuis, quam aquam et que pascua ipsi domini comes, iudices et quinque nobiles auctoritate predicta pro ipso commune Sibenici totaliter reservarunt pro eorum usibus et utilitatibus cum pascuis illis, que laborari non possunt; qui fructus, reditus, utilitates et proventus sunt solidos quattuor parvorum pro gognajo quolibet vineato et pastinato vitibus et in futurum pastinando, quos solidos quattuor parvorum solvere teneantur debentes solvere in quolibet festo S. Michaelis de mense septembri in denariis sub pena quarti pluris, cum quibusdam territoriis parvis existentibus in pluribus locis positis infra dicta confinia, de quibus dicta fabrica debet habere terraticum, pro ut commune Sibenici habebat. Qui denarii exigendi, recolendi et percipiendi de dictis possessionibus vineatis et terraticum in perpetuum expendi debeat in laborerio et opere dicte ecclesie cathedralis Sibenici et non in alio opere ad laudem et reverentiam dei et ipsius beati Jacobi. Hoc pacto et conditione additis ipsorum d. ellecti, Sibenicensis capituli, d. comitis, iudicum, et quinque nobilium, quod dicta pecunia exigenda et recipienda de dictis possessionibus, ut prefertur, debeat pervenire ad manus duorum procuratorum seu operariorum et non ad alterius manus, quorum unus sit de capitulo Sibenici, et elligi et nominari debeat per d. comitem, iudices et consilium civitatis Sibenici, qui modo sunt et pro tempore erunt, et alter sit nobilis de consilio civitatis Sibenici, qui elligi debeat, nominari et confirmari per d. episcopum et capitulum Sibenici, qui modo sunt et pro tempore erunt, qui procuratores durare debeant annis tribus continue, qui sub eorum sacramento dictam pecuniam debeant expendere et operari fideliter, legaliter, solicite, bona fide et sine fraude in opere dicte ecclesie cathedralis Sibenici et pro ipsius fabrica et non in alio opere cum scitu, voluntate et consensu dominorum episcopi, capituli, comitis et iudicum civitatis eiusdem; et si aliquid expenderint sine voluntate et scitu dictorum dominorum seu maioris partis ipsorum, quod illud, quod expenderint, solvant de propriis eorum bonis. Qui procuratores in fine cujuslibet anni dictorum annorum trium teneantur et debeant readsignare integram ac bonam et legalem rationem de administratione eorum offitii, et teneantur facere quaternum et librum, in quo per scripturam appareat tam introitus quam exitus dicte fabrice; qui quaternus sive liber, readsignata ratione, remanere debeat in ipsa fa-

brica. Et si quid restabunt solvere dicte fabrice ipsi procuratores, teneantur solvere statim in denariis solum eorum successori ad voluntatem d. episcopi et capituli, comitis et iudicum Sibenici; et si contrafecerint in predictis seu aliquo predictorum, incurrant in penam ipsi et uterque ipsorum librarum centum parvorum, que perveniat ipsi fabrice ipso facto. Et si dicti procuratores seu alter eorum non fuerint soliciti ad predicta, et videbitur dominis episcopo, capitulo, comiti et judicibus Sibenici seu majori parti eorum, quod non sunt boni et utiles pro dicta fabrica, quod cassari debeant, et alii elligi debeant et poni in loco ipsorum seu alterius eorum, modis et conditionibus supra scriptis, qui durare debeant in dicto offitio usque ad completum tempus dictorum annorum trium, pro ut stare debeant illi, qui erunt cassi. Item quod domini episcopus, capitulum, comes et iudices et consilium Sibenici debeant elligere alios loco ipsorum, aut ipsos confirmare, si ipsis melius videbitur pro utilitate ipsius ecclesie ante spatium dierum octo vel quindecim ante expirationem offitii aliorum procuratorum, et hoc pro utilitate et bono ipsius ecclesie et fabrice. Et si d. episcopus et capitulum fuerint negligentes in elligendo unum nobilem loco alterius modis et formis superius declaratis, quod d. comes, iudices et consilium civitatis Sibenici elligere debeant illum nobilem de consilio. Et similiter si d. comes, indices, et consilium civitatis Sibenici erunt negligentes in elligendo unum de capitulo, quod d. episcopus et capitulum illum elligere debeant, et hoc toties quoties fuerit expediens et opportunum. Qui ellecti habeantur, sicut fuissent ellecti modis et formis suprascriptis et pro illo, quem prima vice elligere debebant, et hoc per bono et utilitate ipsius ecclesie et fabrice.

Preterea advertentes et considerantes ipsi d. comes, iudices et quinque nobiles superius nominati, quod sunt quedam possessiones in villis districtus Sibinici, que possessiones olim erant aratorie et pro blado, de quibus possessionibus capitulum Sibenici a villanis dictarum villarum decimas recipiebat, et dicte possessiones seu pars ipsarum modo sunt vineate, de quibus vineis dictum capitulum a villanis non recipit decimas; ad hoc, ut ea, que sunt dei, sint deo, et que sunt cesaris, cesari, voluerunt et promisserunt, et se nomine et vice civitatis Sibenici obligarunt auctoritate predicta, quod de omnibus possessionibus vineatis omnium villarum districtus Sibenici, que modo sunt et pro tempore erunt, villani dictarum villarum in perpetuum dent et solvant decimas debitas, de quibus decimis medietas sit et esse debeat dicte fabrice, que pervenire debeat ad manus dictorum procuratorum seu operariorum dicte fabrice, et expendi debeant pro ipsa fabrica et ipsius opere et utilitate, et non aliter, ut supra continetur, et alia medietas sit et esse debeat dominorum domini capituli Sibenici.

Hoc pacto addito, specificato et adjuncto: quod si aliquo tempore aliquis seu aliqui dictorum villanorum cum eorum familia et macinata venirent ad habitandum, morandum in civitate Sibenici, quod talis vel tales sint liber et liberi, exemptus et exempti a dictis decimis, faciendo factiones civitatis Sibenici.

Item si contingerit aliquem nobilem vel popalarem civem Sibenici emere aliquas vineas de dictis vineis, seu habere in suo dominio et potestate qualitercunque et quomodocunque, quod talis vinea vel vinee sint li-

bere ab omni onere decimarum, pro ut sunt vinee nobilium et popolarium civium civitatis Sibenici, et nullas decimas tenentur solvere ipso facto. Quam quidem donationem, obligationem, promissionem et omnia et singula suprascripta prefati d. comes, iudices ac quinque nobiles auctoritate predicta per se et eorum in posterum successores ac nomine et vice communitatis Sibenici promiserunt in perpetuum attendere et observare, firma et rata habere et tenere et in nullo contrafacere vel venire per se vel per alium aut per alios, pena mille ducatorum auri in auro; que pena pervenire debeat ipsi fabrice ipso facto, et totiens exigere contra communem Sibenici et ipsius bona, quotiens fuerit contrafactum in predictis seu aliquo predictorum; qua pena soluta vel non, predicta omnia et singula firma perdurent in qualibet parte sua. Et ad maius robur majoremque firmitatem omnium predictorum prefati d. comes, judices, et quinque nobiles auctoritate predicta presens publicum instrumentum appensione sigilli communis Sibenici consueti roboraverunt et firmarunt in testimonium et fidem omnium premissorum. Acta sunt in civitate Sibenici in palatio communis in sala magna, presentibus venerabilibus viris fratre Peregrino vice vicario totius provincie vicarie Bosine ordinis minorum, fratre Blasio Hungaro ejus sotio, d. Marino Joannis canonico Traguriensis ecclesie, Gilio quondam Guillelmi de Albanis de Regio cancellario et notario communis Sibenici, Jo. Andreas tinctore de Arimino, et quam pluribus aliis testibus ad predicta vocatis et rogatis, et nobili viro ser Saraceno Nicolai de Sibenico consiliario et examinatore etc.

Et ego Franciscus Lucii d. Andree de sancto Ginesio camenensis diocesis pub. imperiali auctoritate notarius, nunc juratus notarius civitatis Traguriensis, omnibus et singulis predictis, dum agerentur et fierent, interfui, et rogatus et requisitus una cum predictis examinatore et testibus scripsi et publicavi, nomineque signo meis consuetis roboravi in testimonium premissorum.

Diplomatarium Sibenicense u dvorskoj knjižnici u Beču. Cod. Sup. 541. 14—16.

DCXIX. God. 1402. 23 travnja, u Mletcih.

Odgovara se kralju bosanskomu, da mu slobodno graditi trgovačku luku i tvrdjavu na obali svojoj, ali da mu republika nebi mogla zato pomoći proti onomu, s kojim je ona u miru.

1402. indictione decima, die XXIII aprilis. Capta: quod respondeatur isti oratori serenissimi domini regis Bossine ad ambassiatam, quam nobis exposuit parte sua effectualiter continentem, quod dictus dominus suus rex deliberabat velle fieri facere pro utilitate et commoditate regni sui et subditorum suorum unum locum et unum fortilicium ad marinam cum portu, ut mercatores nostri et alii haberent commoditatem possendi ire ad dictum locum, traficare et mercari cum suis; et quia optabat, quod principaliter nostri haberent istud commercium, cum civis et venetus noster esset, mittebat ad presentiam nostri dominii, a quo volebat consilium et favorem nostrum ad faciendum dictum locum et cet. Quod, sicut serenitati sue notorium esse potest, nos sincere semper diligimus serenissimos predecessores suos reges, et diligimus cordialiter maiestatem

suam et generaliter omnes mercatores et subditos suos; et si cognoscit, quod constructio dicti loci possit esse utilis et commoda ipsis subditis et regno suo, quod potest facere et deliberare, sicut maiestati sue videtur et placet, quia omnis deliberatio sua placebit nobis, non dubitantes, quod in illo, si contruetur, et in omnibus aliis suis, sicut se offert, semper tractaret mercatores et subditos nostros favorabiliter et benigne, et de hoc sibi regratiamur, quantum possumus. Verum quia petit, velle habere favorem nostrum, in casu quo aliqui vellent obstare sibi, quod non construeret dictum locum, ad istud dicatur sibi, quod nos credimus, quod in locis suis possit facere ad beneplacitum suum, et nescimus, qui obstarent; et si aliqui obstarent, possent esse persone, cum quibus essemus in pace, et essendo in pace secum, nollemus intrare cum aliquo in guerram, quia hoc cum honore nostro facere non possemus.

Secreta Cons. Rog. I. 57, u mlet. arkivu.

DCXX. God. 1402. 16 travnja, u Mletcih.

Sigismundus rex Hungariae redit gratias veneto dominio pro significatione contentus ei facta nomine reipublicae a veneto cursore Geralo propter libertatem, quam nuper consequutus est, et gaudet, quod ita sit certus de amicitia Venetorum, cum fama aliter diceret.

Commemorialium IX. 131, u mlet. arkivu.

DCXXI. God. 1402. 1 svibnja, u Mletcih.

Ambasciatori regis Bosinae, qui detulit reipublicae pro parte domini sui regis unum roncenum (equm) et unum austurem, donantur 150 ducati. Roncenus et austur donati marchioni Ferrariensi.

Maius Consilium Leona. Misti XLVI. 60, u mlet. arkivu.

DCXXII. God. 1402. 13 svibnja, u Sinju.

Hrvoja vojvoda bosanski i Ivan knez centinski, povierenici raškoga i bosanskoga kralja Ostoje, podieljuju Šibeničanom njeke zemlje i slobodštine, te jim i stare pravice potvrdjuju.

Nos Hervoije regnorum Rasie et Bosne dominus voijvoda, nec non Joannes inter cet. Cetine atque Clisie comes per serenissimum principem dominum Ostojam dei gratia illustrem principem predictarum Rasie et Bosne regem ad partes Dalmatie et Croacie pro reformandis certis negociis deputati, memorie commendantes tenore presentium significamus quibus expedit universis, quod cum universi nobiles, cives et communitas civitatis Sibenicensis per nobiles viros Joannem Tavilich, Stephanum Maphei et Joannem Mise, cives eiusdem civitatis, ambassiatores et nuncii ipsorum peciales, habita conversione ad dominum nostrum regem predictum liberates, iura et gratias, donationes et consuetudines a nobis antiquitus et de moderno sibi ipsis dare postulassent, ac pro his et ceteris gratiis inferius declarandis prefati domini nostri regis vexilla imponere eorum civitati et magium et iuramentum fidelitatis observandum assumpsissent, et quocum-

que nos intereximus ad dominium semper nos invitare et non deserere poliquerunt; nos itaque iustis petitionibus eorumdem in persona domini nostri regis annuentes, primo et principaliter iuramus una cum dominabus contoralibus nostris ac nobilibus proceris servientibus nostris, ipsos cives in eorum iuribus, libertatibus, gratiis, donationibus et consuetudinibus conservare, specialiter tempore olim serenissimi principis domini Lodovici felicis recordationis regis Hungarie que privilegia obtinuerunt, grata et rata habebimus inconcusse, et omnia cetera qualitercumque acquisita presentibus approbamus, et a modo in persona dicti domini nostri regis eisdem de presenti tamquam eorum propriam hereditatem, molendina in flumine Charcha, Slap vocata, situata in Otozac et in terra firma ex parte ville Colevrata, restituimus et resignavimus, tamquam eorum rem propriam damus et conferimus perpetuo possidenda et habenda; item castrum ad presens conditum in territorio seu in districtu Sibinicensi, quod aparet, promittimus a modo et ex nunc illud castrum abolire, destruere et totaliter subvertere in terram; item quod de cetero in dicto loco nec in aliis locis districtus Sibinicensis nullum castrum nec fortilicium nos neque aliquis Bosnensium nec ad nos pertinentium facere possint. Item quod Holahi cuiusvis conditionis, presertim domini nostri regis Bosne, sic et nostri Holahi presentes et futuri non possint desensum habere, neque pascua obtinere in territorio et districtu Sibenicensi predictorum sub pena ducatorum auri applicandorum scilicet centum domino Holahorum et centum communitati Sibinicensi totines, quotiens cantrafecerint in premissis. Item adiungimus, et potestate predicti domini nostri regis villas Drinovlana, Prisap et Culisichi vocatas prope flumen Cerca adiacentes cum omnibus suis iuribus et pertinentiis perpetue ipsi communitati Sibinicensi et in eius districtu dedimus et concessimus testimonio presentium mediante, salvo iure alieno. Item eandem auctoritatem adiungimus et adiicimus communitati et districtui Sibenicensi omne illud eorum emptitium et pignoratitium et qualitercumque possident in Lucha, incipiendo ab ecclesia S. Marie de Rebaz usque ad Gudunca inclusive cum sexdecim sortibus terrarum intra dictas terras emptitias et pignoratitias prefatorum Sibenicensium collationi regie dare spectantes easdem possessiones emptitias et pignoratitias communitati et comitatui ac iuducio ipsius communitatis applicamus, ac dictas sexdecim sortes terre ipsi communitati perpetue donationis titulo conferimus; et insuper promittimus et presentium testimonio prefatam communitatem Sibenicensem assecuramus, quod in nullo neque in aliquibus superscriptis excedemus contra ipsos Sibenicenses, sed in omnibus prescriptis et infrascriptis firmi et rati manebunt sub vinculo iuramenti nostri predicti, sed eosdem cives Sibenicenses contra quoslibet defendemus et iurabimus per dictum dominum nostrum regem atque nostro favebimus toto posse; et insuper has nostras donationes, gratias et libertates modo premisso ipsi impensas per dominum nostrum regem Hostoiam ac per easdem litteras privilegiales confirmare, ac iuramento ipsius et baronum suorum approbare, ratificare et confirmare faciemus. In casu autem, ubi serenissimus princeps dominus Vladislaus rex ad istas partes pervenerit, ipsius litteras iuramentales cum omnibus clausulis et donationibus qualitercumque suprascriptis confirmare et approbare faciemus. Nihilominus assumimus et promittimus, quod in casu, quo nos et ad quod dominium conversi fuerimus, vel quam-

cumque conventionem cum aliquo principe facere intenderimus, tunc cum scitu ipsorum Sibinicensium et cum reformatione status illorum, sicuti pro nobis sic et pro ipsis faciemus. Presentes autem cum nobis in specie allate fuerint, per litteras privilegiales dicti domini nostri regis confirmare et approbare faciemus. In cuius rei testimonium presentes nostras litteras sub pendentibus nostris sigillis munimine concessimus roboratas. Datum in Cetina sub castro Fsin die 13 mensis maii, 1402.

Ex antiquo manuscripto apud S. Ljubić.

DCXXIII. God. 1402. 1 lipnja, u Mletcih.

Capitaneo culphi, qui suis literis datis Jadrae 17 et 18 maii querit, quid ei faciendum, si duo galeae catalanae intrarent in culphum in servitium regis Ladislavi, respondeatur, quod ipsas bene tractet, attendat solummodo, quod non offendant navigia, quae veniunt vel exeunt e Venetiis.

Secreta Cons. Rog. l. 64, u mlet. arkivu.

DCXXIV. God. 1402. 8 lipnja, u Mletcih.

Cum rectores, iudices et consilium Cattari suis litteris de 23 marcii se lamentent „quod contra antiquas consuetudines et franchisias hactenus observatas nuper in civitate nostra Venetiarum in dictis libertatibus et franchisiis non tractantur“, et rogent, quod vellimus ipsos sicuti antea tractare in posterum „cum veneti nostri in civitate sua sint liberi et franchi“, respondeatur, quod nichil innovatum fuit, et quod tractabuntur sicuti reliqui Dalmatini.

Secreta Cons. Rog. l. 66, u mlet. arkivu.

DCXXV. God. 1402. 17 lipnja, u Napulu.

Kralj napuljski Ladislav daje punomoć Alvižu Aldemarisku u svih poslovih tičućih se predobića Dalmacije.

Ladislaus dei gratia Hungarie, Jerusalem, Sicilie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Galitie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarie, rex, provincie et Frohcalquerii ac Pedimontis comes nobili viro Loysio Aldemarisco de Neapoli militis regii nostri, Sicilie mariscallo, et nostrarum gallearum generali, capitaneo, consiliario et fideli nostro dilecto gratiam et bonam voluntatem. De recuperatione et statu salubri regnorum nostrorum Hungarie, Dalmatie, Croatie, Slavonie et aliorum regnorum eis anexorum, quorum pars maxima per non nullos nostros tenentur emullos et rebelles nequiter occupata, die noctuque auris vigilibus cogitantes nec illorum recuperationem, que satis menti nostre inest, personaliter vacare valentes; et cupientes personam exquirere, que possit vices nostras in hac parte supplere, dum de multis cogitaremus, ad te postremo, qui statum nostrum cupis, et illum continue promovisti, nostrum juditium merito se convertit. Ideoque premissis inducti, ac de tui erga nos sinceritate et affectione confisi, te vicarium nostrum in dictis regnis Hungarie, Dalmatie, Croatie, Slavonie et aliis regnis eis annexis, cum plena meri mixtique imperii et gladii

potestate et jurisdictione plenaria, tam ad justitiam quam ad guerram et ad dependentia et ad emergentia quelibet ex eisdem usque ad nostrum beneplacitum de certa nostri scientia tenore presentium fiducialiter . . . . circa tue fidelitati harum serie percipimus, ut statim receptis presentibus ad dicta regna . . . . personaliter conferens, ac onus dicti vicariatus offitii prestantis nostro et nostrorum fidelium. regnorum predictorum hilariter et constanter assumens, circa recuperationem dictorum regnorum nostrorum Hungarie, Dalmatie, Croatie, Slavonie et aliorum regnorum predictorum ac ut predicitur annexorum studeas solerter intendere, nostrosque regnorum fideles et subditos equestantes caute conservare, jusstitia ipsos gubernare salubriter, pacem eis dare, potenter conculcare rebelles et emulos, et reducere ad rectos tramites ac obbedientie semitas, vi perversos, qua possis ex grato nobis gratiosior effici; perseverent nostri fideles, illud pertinet, quo ampliorem tibi dederimus potestatem. Idcirco tibi plenam damus licentiam, et omnimodam concedimus potestatem, quod possis et valeas loco et vice nostri in dictis regnis nostris Hungarie, Dalmatie, Croatie, Slavonie et prefatis aliis regnis eis annexis, altero vel aliis et quolibet eorundem locumtenentem tuum, ac in aliis civitatibus, terris et locis regnorum predictorum particulares capitaneos seu comites vel vicarios aut offitiales alios quocumque vocabulo distinguendos ad justitiam vel solum ad guerram, nec non bajulos, iudices, advocatos, procuratores, rationales, thesaurarios, notarios et alios offitiales quoscunque, pro ut rerum et agendorum necessitas exiget et requiret. Et in castris seu fortiliciis dictarum civitatum, terrarum et locorum regnorum predictorum castellanos seu custodes fideles quidem sufficientes et idoneos, de quibus sit merito confidendum, pro eo tempore, quo tibi videbitur, cum servientibus solitis vel aliter, pro ut tibi expedire videbitur, ac cum gagiis et emolumentis consuetis et debitis eis ad rationes consuatas et solitas super consuetis dictorum regnorum juribus solvendis ordinare et statuere. Et insuper gabellas nostras trigesimi et salis nec non minerias auri, argenti, metalli et eris cujuscunque generis fiunt tributa et alias quascunque gabellas nostras ac jura, reditus et proventus dictorum regnorum et cuilibet eorundem pro eo tempore, quo tibi videbitur, vendere, locare et ad extaleum concedere quibuscunque personis illas emere volentibus, plus ex inde offerentibus, et in defectu cunctarum gabellas ipsas cum juribus et pertinentiis earundem concedere aliquibus personis idoneis sufficientibus in credentiam procurandas. Et de pecunia, que iuste perveniret, tam tibi pro persona tua retinere gagia competentia, quam mandare solvi gagia seu stipendia gentibus armigeris, que justam provisionem tuam in dictis regnis pro illorum recuperatione et tuitione necessarie fuerunt, et in illis militaverint, ac galeis nostris et aliis vasis maritimis, quas ad partes Dalmatie misimus, et que in illis partibus armarentur vel ordinarentur armari ad rationes proinde tibi visas. Et demum de illa facere quicquid tibi videbitur oportunum, dictosque offitiales ab offitiis, que ipsis comiseris, si et quotiens tibi expedire videbitur, ammovere, et alios loco ipsorum in dictis offitiis surrogare, eisque tam de concessione predictorum offitiorum quam de solutione gagiorum, que ipsis propterea statueris, et aliis in premissis necessariis fieri facere et concedere sub tuo sigillo vel aliter tuas litteras vel cautelas alias opportunas; nec non omnia et singula in premissis et

circa premissa ac alia subsequenter dependentia et emergentia ex ejusdem agere, celebrare et exequi, que ad predictum spectant offitium; et per alios vicegerentes seu vicarios nostros eorundem regnorum, qui fuerunt pro tempore de cura ipsorum offitiorum, fieri et exequi solita hatenus extiterunt; queque nos etiam possemus agere, si in partibus dictorum regnorum personaliter adescemus. In exercitio autem dicti offitii observes et observari ab aliis mandes et facias ritus, observantias, capitula et consuetudines dictorum regnorum diutius observatos. Preterea ut cunctis clementia nostra pateat, ne aliquis lapsus in lubricum eandem in nobis propitiam invenire diffidat, et hinnerentes etiam non sint nostre munifice largitatis expertes, tibi, quem statum nostrum in dictis regnis augeri confidimus, tenore presentium de dicta certa nostra scientia plenam et omnimodam potestatem, facultatem et licentiam concedimus, quod possis et valeas tam principes, duces, marchiones, magnates, vojvodas, banos, proceres et nobiles quam universitates et homines ac per speciales personas dictorum regnorum nostrorum quidem rebelles ac inobbedientes et maleficos quosvis alios ad obbedientiam et fidelitatem nostram reducere, ac in sinu gratie nostre recipere, eisque et ipsorum cuilibet omnes et singulos excessus, crimina, cedes, depredationes, disrobationes, homicidia, discursiones, curarias et furta publica et privata ac alia quecunque delicta, quovis vocabulo nuncupentur, per eos et quemlibet aut alium vel alios ipsorum, quibuscunque preteritis temporibus et usque in diem reductionis ipsorum ad fidelitatem nostram, ubicunque, quandocunque, et quomodocunque comissos atque comissa. Notam insuper rebellionis et crimen lese paterne regie majestatis, quam et quos adherendo, favendo et assistendo quibusvis nostris emulis et occupatoribus regnorum predictorum, sequacibus, adherentibus et faventibus ipsorum vel ex aliis causis forsitan incurrerunt, omnemque culpam, offensam et penam realem et personalem, in quam premissorum vel aliquorum ex eis occasione seu causa incidisse noscuntur, bannaqua, bannorum jura, tertiarias, sententias et condemnationes quaslibet inde secutas, si in quantum persona et curia nostra tangitur, vel quomodolibet tangi posset, in perpetuum remittere et relaxare. Et in quantum partes tanguntur moratoriam dilationem ad tempus, pro ut tibi videbitur, eis concedere et largiri, omnemque infamie maculam aut rebellionis notam eis propterea irrogatam ab ipsis abstergere et clementius abolere, nec non ipsos et eorum quemlibet restituere et reitengrare per benefitium nostre plene restitutionis in integrum ad honores, dignitates, statum, famam et bona ipsorum quecunque mobilia et stabilia, burgensatica et feudalia ubicunque sita et posita, ac per eos habita et habenda, non obstantibus quibuscunque donationibus, concessionibus et promissionibus per nos vel alios de bonis predictis factis quibusvis personis, pro quibusvis considerationibus sive causis ac litteris, privilegiis, cedulis, mandatis et rescriptis nostris vel alterius cujuscunque exinde subsecutis, quas et que de dicta nostra scientia revocamus et penitus annullamus. Et insuper personis benemeritis et dignis ad vitam vel ad beneplacitum aut pro eo ipsis et eorum heredibus comitatus, baronias, terras, castra, feuda et alia bona in dictis regnis ad manus nostre curie per quorumvis rebellionem vel obitum sine legitimis liberis descendentium, aut ex quibus ius aliis causis legitimis devolutos, devolutas, devoluta iam vel in posterum devolvendos, de-

volvendas et devcivenda, cum castris, fortiliciis, hominibus, vassallis, juribus et pertinentiis eorum omnibus, feudi non mutata natura et honore feudalis servitii, quod pro illis nostre curie deberetur, omnibusque aliis, quod ex natura feudi vel alias superioritatis majoris nostri dominii ratione nobis et ipsi nostre curie debetur ex eis, siquidem feudalia fuerint; et si alterius conditionis fuerint, in naturam bonorum ipsorum ac provisiones super quibuscunque gabellis et juribus dictorum regnorum iusta ritum et observantiam eorundem regnorum donare et concedere, vel predicta bona taliter devoluta et devolvenda vendi et alienari vel obligari facere personis quidem fidelibus cum juribus et partinentiis suis omnibus pro ea quantitate pecunie, que sibi videbitur, expedire in causis hujusmodi et aliis, sicut dignum et ad commodum conspexeris convertenda pro dictisque personis de hujusmodi consessione bonorum predictorum et solutione dictarum provisionum ac venditionum, alienationum et obligationum dictorum comitatuum, baroniarum, terrarum, feudorum et bonorum eorum, non mutata natura, fieri facere et concedere litteras et cautelas aliis cum clausulis et solemnitatibus opportunis. Concedentes sibi in premissis omnibus et eorum singulis depedentibus et conexis ex eis harum serie de ipsa certa nostra scientia plenarias vices nostras. Promittentes nihilominus insuper presentium serie de dicta certa nostra scientia ex nunc omni futuro tempore habere, tenere et reputare ratum, gratum, firmum quicquid per te in premissis et premissorum quomodolibet omnibusque aliis inde dependentibus et annexis actum quandocunque factum fuerit sive gestum, illudque quomodocunque non infringere vel revocare, nec contrafacere, dicere, mandare vel venire, judicare, mittere vel deffendere publice vel occulte, sed unumquodque predictorum observare et observari inviolabiliter facere . . . . et effectu ea, que ad cautelam eorum, quorum interest . . . . . concedere vel ratificare et corroborare per nostras speciales litteras cum clausulis et solemnitatibus opportunis. Volenti iusuper de ipsa certa nostra scientia nostreque potestatis plenitudine . . . . acta, dicta, narrata, expressa et cogitata, que circa premissa et premissorum quomodolibet necessaria, utilia et expedientia viderentur, etiam si talia fuerint, que de sui natura speciale mandatum vel declarationem congruam postularent, ita quod ullo unquam tempore in premissis et singulis aut aliis vel aliquo premissorum aut contra illa non possit nec debeat quicquam obici vel opponi, ritibus, legibus, constitutionibus, capitulis et rescriptis quibuscunque contrariis, quorum vollumus in hac parte vigorem nullatenus obstituris. Ecce namque ecclesiarum prelatos requirimus, nec non magnatibus, proceribus, voivodis, comitibus, banis, castellanis, rectoribus, judicibus, universitatibus, communitatibus, offitialibus, personis aliis per regna dicta constituta fidelibus nostris dilectis, damus vigore presentium expressivis in mandatis, quatenus tibi tanquam vicario nostro regnorum predictorum per nos, ut predicitur, ordinato in omnibus tamquam persone nostre proprie ad honorem et fidelitatem nostram bonumque statum et prosperum ac recuperationem dictorum regnorum et preservationem eorum a noxiis quibuscunque devote pareant, efficaciter obbediant et intendant. Nos enim penas et banna, quas et que rite propterea tuleris, rata geremus et firma, eaque per te pro nostra curia irremisibiliter exigi volumus, pro ut justum fuerit, a transgressoribus eorundem. Has nostras litteras magno nostro pendenti sigillo munitas tibi

propterea concedentes, quas ex certis causis nos moventibus subscripsimus, et dedimus propterea manu nostra. Datum in castro novo Neapoli per manus nostri predicti regis Ladislai anno domini MCCCCII. die XVII mensis junii, decime indictionis, regnorum nostrorum anno XVI.

Diplom. Sibenic. u c. dvorskoj knjižnici u Beču Cod. Sup. 541, p, 20.

DCXXVI. God. 1402. 30 srpnja, u Mletcih.

Scribitur capitaneo culphi, ut vigilet, ne illae quinque galeae regis Ladislavi, quae nunc reperiuntur in aquis Jadrae, noceant Corphoi vel navibus transeuntibus per mare; quod tractet ipsas amicabiliter, cum ipsae etiam usque aduc se bene gesserunt cum nostris.

Secreta Cons. Rog. I. 69, n mlet. arkivu,

DCXXVII. God. 1402. 30 srpnja, u Mletcih.

Šalje se poslanik Dubrovačkoj občini te knezu srbskomu i njegovoj materi u poslu njeke štete nanesene od kneza mletačkim plemićem Contarenom, čemu je glavni uzrok bio Marin Gradić Dubrovčanin.

1402. indictone X, 30 iulii. Capta: cum nobiles viri ser Stefanus et ser Benedictus Contareno fratres comparuerint coram dominio, conquerentes, quod propter procurationem cuiusdam Marini de Gradi Ragusei, qui stat in curia comitis Stefani domini Rascie et multum potest apud eum, ipsi damnificati fuerunt per dictum Stefanum in magna summa pecunie, pro qua recuperanda etiam perdiderunt et spendiderunt ultra ducatos sexcentos, super quibus fuit scriptum alias communitati Ragusii, cum civis suus fuisset principalis causa, propter quam habuerunt dictum damnum, et etiam missus providus vir Johannes Ravagnano, et examinato negotio male possit hic haberi tanta claritas istius facti, quod possit in eo procedi; vadit pars, cum dicti nobiles contenti sunt, quod ad suas expensas mittatur unus nuncius et tam ad civitatem Ragusii quam ad ipsum comitem Stefanum cum illa comissione, que videbitur dominio, pro possendo habere tantam lucem istius facti, quod possit, secundum quod iustum fuerit, subveniri, quod collegium domini, consiliariorum, capitum et sapientum consilii et ordinum habeat libertatem mittendi unum nuncium ad expensas predictorum tam ad communitatem Ragusii quam ad ipsum comitem Stefanum et dominam comitissam eius matrem cum illa comissione, que eis vel maiori parti utilis et necessaria appurebit, pro veniendo in lucem et declarationem veritatis; ita quod illa habita, possit postea provideri ad indemnitatem nostrorum civium, sicut utilius et melius apparebit.

Misti XLVI. 36, u mlet. arkivu.

DCXXVIII. God. 1402. 3 kolovoza, u Mletcih.

Odgovara se poslanikom napuljskoga kralja Ladislava, da će njegove galije, odpravljene u Dalmaciju, biti od mletačke strane prijateljski vidjene; da se na ponudjeni savez pristati nemože; a glede Krfa odredjuje se, da se čuju predlozi istih poslanikâ.

1402. indictione decima, die tercio mensis augusti. Ser Ludovicus Lauredano, ser Ludovicus Mauroceno, ser Johannes Mocenigo, ser Rambertus Geno, ser Zacharias Trivisano miles, sapientes consilii; ser Leonardus Victuri, ser Bartholomeus Contareno, sapientes ordinum. Capta: quod respondeatur oratoribus serenissimi domini regis Ladislai ad ambasiatam nobis expositam parte sua; et primo ad primam partem facientem mentionem de mandato per ipsum dominum regem facto capitaneo galearum suarum missarum ad partes Dalmatie, quod si ipse galee forent nobis aliqua causa necessarie, ipse debeat esse ad omnem nostram obedientiam et nostrum mandatum, non dubitando, quod ipse galee et gentes sue in his, que expedientia sibi forent, in nostris locis et a nostris tractarentur amicabililiter et fraterne etc. Quod regraciamur satis regie serenitati, cui placuit tale mandatum facere capitaneo et galeis suis, cum illud a sincera benivolentia et amore, quem ad nos et nostra gerit, procedere cognoscamus, non dubitantes sed a certo tenentes, quod ita servari per illos videbimus per effectum, quia similis dispositio viget in nobis; dispositi leto animo dictum capitaneum et galeas suas ac gentes suas videre et tractare ac videri et tractari facere in locis nostris ac a galeis nostris amicabiliter et fraterne, ac si proprie nostre forent.

Ad secundam partem unionis, quam ipse dominus rex dicit velle facere nobiscum ad defensionem statuum et ad offensionem quorumcumque partes volentium molestare, et tam ultramontanorum quam citramontanorum etc. respondeatur, quod, sicut serenitas regia sensisse potuit, dominatio nostra per elapsa tempora, et tam vivente serenissimo genitore suo quam post, non semel sed pluries fuit requisita a regalibus et principibus Francie et Hungarie de volendo colligare se nobiscum, seu quod colligaremus cum eis, volendo certe nobis facere magna avantagia et larga partita, quibus nunquam dare audientiam voluimus propter inveteratum amorem, qui semper viguit et vigebit inter suos progenitores, eum et nos. Nun autem propter plures rationabiles et honestas causas non videtur nobis de attendendo ad ligam predictam.

Ad terciam de factis Corphoy, super quibus dicunt habere plenum mandatum ab ipso domino rege de possendo venire ad compositionem nobiscum, respondeatur, quod sicut supra diximus intentio et dispositio nostri dominii est velle vivere in bono amore et bona benivolentia, cum ipso domino suo domino rege, et propterea omissis multis, que dici possent super ista materia, sumus contenti, in casu quo mandatum suum, quod habere dicunt super dictis factis, sit in plena et expedienti forma, audire illa, que dicere voluerint de intentione dicti domini regis super ipso facto, quibus auditis, nos faciemus eis illam responsionem, quam considerabimus honestam et rationabilem.

Et ex nunc sit captum, quod collegium domini, consiliariorum, capitum et sapientum consilii et ordinum habeat libertatem, exeunte dicto mandato ad plenum, deputandi aliquos de dicto collegio, qui sint cum am-

baxatoribus suprascriptis, audiant, trahant et senciant, quantum poterunt, de intentione et dispositione ipsius domini regis circa factum predictum possendo respondere, dicere et allegare ac discutere factum pro ponendo illud in aliquo termino, secundum quod ipsis melius et utilius apparebit, ita tamen, quod non possint aliquid concludere vel firmare sine voluntate et deliberatione istius consilii. De parte 78, non 17, non sinceri 14.

Secreta Cons. Rog. I. 71, u mlet. arkivu.

DCXXIX. God. 1402. 8 kolovoza, u Mletcih.

Poslanici kralja napuljskoga Ladislava opet traže od republike, neka se izjavi, mislili ona stati na put njihovu kralju, koj kani prebrodit se u Dalmaciju, da si prisvoji krunu ugarsku, te joj na novo nude savez. Mletačko vieće odbija savez, a opetovano kaže, da će se prijateljski ponašati sa napuljskimi galijami, nego želi, da poslanici konačno rieše razmiricu glede Krfa.

1402. indictione decima, die VIII augusti. Sapientes omnes consilii et sapientes ordinum. Capta: cum oratores domini regis Ladislai, audita responsione pridie eis data secundum quod deliberatum fuerat in isto consilio, habuerunt dicere et replicare super facto galearum suarum bene tractandarum per nos in locis nostris et a nostris galeis, quod dominus suus predictus dominus rex bene sperabat habere talem et sic gratam responsionem a nobis et nostro dominio, et quod licet foret grata et accepta, multum tamen libenter vellet habere declarationem a nobis, si guerrizzante eodem terras Dalmatie et Dalmatinos et similiter regnum Hungarie, que sibi indebite occupantur, sicut erat dispositus facere, nostra dominatio se impediret de dictis factis, vel daret eis aliquam subventionem vel favorem, tangendo et faciendo iterum mentionem de facto lige, quam requisivit velle habere nobiscum etc; vadit pars, quod respondeatur eisdem: et primo ad factum lige, quod dominus suus dominus rex bene videre et comprehendere potest bonam intentionem et dispositionem, quam habemus ad eum et statum suum, et habere intendimus in futurum, sed, sicut diximus, per plures honestas et rationabiles causas non apparet nobis de attendendo ad ligam predictam, lutanando se ab illa cum istis et aliis verbis, que videbuntur.

Ser Donatus Mauro, ser Ludovicus Mauroceno, ser Johannes Mocenigo, sapientes consilii. Capta: ad alteram partem declarationis, quam petit a nobis, si guerizante ipso domino suo terris Dalmacie et Hungarie, sicut est dispositus facere, nos impediemus nos de dictis factis etc. respondeatur, quod satis clare nostro iudicio per responsionem nostram pridie eis datam ipsi videre et comprehendere potuerunt et possunt sincerum amorem et perfectam dispositionem, quam habemus et habere dispositi sumus ad honores et beneplacita dicti domini regis, nam eis diximus et dicimus, quod intentio et dispositio nostra erat et est, videre et tractare ac videre et tractari facere galeas et gentes suas in locis nostris amicabiliter et fraterne, quam nostram responsionem consideramus debere satis sufficere dicto domino suo, quia ita inveniet per nos fieri per effectum, nec aliam declarationem debet a nobis velle, quia cum honore nostro, se-

cundum quod ipse debet bene considerare, aliam sibi facere non possemus. De parte 75.

Ser Rambertus Quirino sapiens consilii, ser Leonardus Victuri sapiens ordinum. Ad alteram partem declarationis, quam petunt, respondeatur, quod dominus rex per responsionem, quam pridie eis dedimus, clare videre et comprehendere poterit bonam intentionem et dispositionem, quam habemus et habere intendimus versus eum, et illa satis sufficere sibi debet, quia aliam declarationem sine maximo preiudicio et damno nostro ac nostrorum sibi in presenti facere non possemus, cum cives et mercatores nostri habeant de mercationibus et aliis rebus multa agere et facere in partibus illis; civitas etiam nostra vivit in bona parte de locis illis, et multa alia interveniunt inter illos et nostros, unde rogamus ipsum dominum regem, quatenus de responsione nostra predicta placeat remanere contentum.

Et ex nunc sit captum, quod, capta presenti parte, pro bono agendorum nostrorum collegium domini, consiliariorum, capitum et sapientum utriusque manus habeat libertatem per unam barcham bene armatam scribendi capitaneo nostro culphy et aliis nostris locis, que viderentur, terminos et conditiones agendorum predictorum, ut sint de omnibus informati, et possint habere illam provisionem, que erit utilis et bona pro statu nostro. De parte 38.

Ser Bartholomeus Contareno, ser Barbonus Mauroceno, sapientes ordinum: respondeatur ambaxiatoribus suprascriptis in hac forma, videlicet, quod pridie intelligendo sua benivola verba et latas oblationes nobis factas per ipsos pro parte serenissimi domini sui nos cognoscimus omnia ex bona et sincera affectione procedere, quam ipse dominus rex habet nostro dominio, propter quod ultra amorem antiquum habitum inter serenissimum dominum regem predictum progenitoresque suos et nostrum dominium de novo plus cogimur ad diligendum ipsum, unde disposuimus galeas suas tractare et tractari facere amicabiliter et fraterne, uti speramus, quod a suis et in terris et locis ipsius domini regis tractabuntur galee et navigia nostra ac mercatores cum mercationibus suis; sed clarificati, quod idem dictus rex intendit guerizare contra regnum Hungarie et Dalmatinos, eis dicimus, quod multis consideratis non videtur nobis debere isti tali peticioni aliter respondere, nisi quod ipse dominus rex de responsione pridie eis facta debet esse contentus, quia ea, que diximus puro corde et cum animo inviolabiliter observandi; subiungendo responsioni hinc, quod nostra dominatio non est disposita se impedire, nisi de factis tangentibus et concernentibus statum nostrum, et velle vivere pacifice et quiete, ut nostri moris est, cum volentibus facere sic nobiscum.

De parte 3, non 5, non sinceri 11.

Sapientes omnes consilii et sapientes ordinum. Capta: ultimate dicatur eis, quod nos audivimus illa, ad que condescenderunt cum tractatoribus sibi deputatis pro factis Corphoy, ad que male posset eis dare responsio et expeditio, et quod propterea velint condescendere ad rem iustam et rationabilem, ut possit poni bonus finis dicto facto, quia ita fiet parte nostra; et ut istud fieri possit, collegium habeat libertatem dandi arbitrium tractatoribus de condescendendo ad partem ad partem usque ad summam XX millia ducatorum in totum pro habendo liberam insulam predictam ab

ipso domino rege per illos modos, qui dicto collegio videbuntur, faciendo ex hoc illa instrumenta et alias cautelas, que fuerint oportuna.

De parte 73, non 26, non sinceri 28.

Secreta Cons. Rog. I. 71, u mlet. arkivu.

DCXXX. God. 1402. 10 kolovoza, u Mletcih.

Daje se vlast malomu vieću, neka u dogovorih s napuljskimi poslanici privoli na trošak od 30,000 for. za Krf.

1402. die X. augusti. Ser Petrus Cornario procurator, ser Ludovicus Lauredano procurator, ser Ludovicus Mauroceno, ser Johannes Mocenigo, ser Zacharias Trivisano miles. Capta: cum tractatores deputati istis oratoribus domini regis Ladislavi secundum commissionem sibi factam per dominium fuerint cum eis, et ad partem ad partem condescenderint ad summam ducatorum XX millia dandorum dicto domino regi pro insula Corphoy, ad quam sive de qua nullo modo voluerunt esse contenti, dicendo et affirmando, quod nullo modo possunt condescendere ad minorem summam quam XXX millia ducatorum; et nullo modo faciat pro statu nostro relinquere istud factum imperfectum, et permittere, quod recedant sine concordio; vadit pars, quod collegium domini, consiliariorum, capitum et sapientum consilii et ordinum habeat libertatem condescendendi cum eis usque ad dictam summam XXX millia ducatorum in totum per illum modum et formam, et per illud tempus et terminos, qui videbuntur eisdem vel maiori parti pro maiori commodo nostri communis. De parte 86.

Secreta Cons. Rog. I. 71, u mlet. arkivu.

DCXXXI. God. 1402. 10 kolovoza, u Mletcih.

Obećaje se 1000 duk. poslanikom kralja napuljskoga Ladislava, ako privole u ime kralja na odpust Krfa za 20000 dukata.

1402. die X augusti. Ser Leonardus Victuri, ser Bartholomeus Contareno, ser Barbonus Mauroceno, sapientes ordinum. Cum clare cognoscatur, quod serenissimus dominus rex Ladislaus procuret habere pecuniam ad sufficientiam, cum qua possit exequi facta sua contra regnum Hungarie et Dalmatinos, et quantum possit cedere ad damnum nostrum, si haberet Dalmatiam in manibus suis, omnibus satis patet, ita quod postquam pro parte nostra ostensa est satis nostra bona dispositio in conventione fienda de dicta insula Corphoy, et sumus rationabiliter excusati, sapiens res est consideratis predictis non esse causa, quod possit pervenire ad intentionem suam cum nostra pecunia; vadit pars, postquam nos possuimus ad rationabilem quantitatem et fecimus omnem experientiam possibilem, quod debeat dici dictis ambaxiatoribus domini regis predicti cum illis rationibus et verbis, que videbuntur bona et utilia, quod nostro dominio videtur, quod quantitas precii promissi sit competens, et de qua dominus rex habeat contentari, et quod non dubitamus, quod si dominus rex sciret nos attendere ad hanc conventionem, et promisisse tantam quantitatem pecunie, remaneret contentus, et non faceret aliquam resistentiam, et propterea postquam dicunt non habere libertatem nisi de XXX millia ducatis, adhuc

ut dictus dominus rex videat bonam voluntatem nostram, sumus contenti et placet nobis, quod si infra quatuor menses proxime futuros venerit persona legittima cum sufficienti mandato et libertate circa quantitatem XX millia ducatorum promissorum pro predicta insula, inveniet nostrum dominium perseverare in promissione, quam fecimus de dictis XX millia ducatorum. Et quia non dubitamus, quod ipsi poterunt esse bona causa conclusionis huius negocii, sumus contenti etiam pro suis laboribus et bona voluntate ultra dictam quantitatem, si fiet conclusio, donare eis ducatorum mille auri inter ambos. De parte 19, non 3, non sinceri 13.

Secreta Cons. Rog. I. 72, u mlet. arkivu.

DCXXXII. God. 1402. 31 kolovoza, u Mletcih.

Na tužbu kneza senjskoga, da mu galije napuljske velike škode donose, odgovara republika, da joj je to veoma žao, nego da mu ona u tom pomoći nemože.

1402. die ultimo augusti. Sapientes consilii et ordinum. Capta: cum magnificus dominus comes Segne per suos ambaxiatores nobis significaverit, galeas domini regis Ladislai intulisse locis, terris et subditis suis magna damna, et roget nos, quod placeat providere superinde, quia reputat se filium nostrum etc.; vadit pars, quod respondeatur dictis ambaxiatoribus, quod nobis displicet et multum gravat, si est illatum locis et subditis suis per dictas galeas aliquod damnum vel iniuria, quia diligimus dictum magnificum dominum tanquam amicum nostrum carissimum, et quod non videmus, quod per nos aliquid possit fieri, sed sua magnificentia debet se reddere certissimam, quod nobis displicet et displiceret semper, quod dicte galee inferent in hoc cupho aliquam iniuriam vel novitatem sibi vel alicui alteri. De parte 62, non 32, non sinceri 12.

Secreta Cons. Rog. I. 72, u mlet. arkivu.

DCXXXIII. God. 1402. 22 rujna, u Mletcih.

Cum quidam Gasparus quondam Petri Come de Comis de Spalato, exititius et abitans in Tragurio, derobavisset nostros subditos in valore 500 ducat., et Tragurini ad instantiam Jacobi Cornario capitanei Istriae recusavissent satisfacere ipsa damna, quia ipse Gasparus habet multos affines in Tragurio, capta, quod capitaneus culphi eat Tragurium ad postulandam emendationem damnorum et punitionem reorum; et si hoc obtinere non posset, tunc dicat ipsis e parte reipublicae, quod providebitur super hoc, et deinde de omnibus infornet.

Secreta Cons. Rog. I. 80, u mlet. arkivu.

DCXXXIV. God. 1403, 9 siečnja, u Mletcih.

Obija se zahtjev ugar.-hrv. kralja, da mu se izplati danak od 7000 duk. za prošle tri godine i za četvrtu tekuću.

1402. indictione XI, die VIIII ianuarii. Ser Petrus Cornario sapiens consilii. Cum comparuerit ad presentiam dominii quidam Bartholomeus Guidoti pro parte domini regis Hungarie, petens et requirens parte sua ducatos XXI millia, quos dicit nos sibi dare debere pro tribus annis preteritis vigore pacis celebrate Taurini, dicendo et affirmando habere quietationes necessarias et oportunas; petit etiam in complacentiam ipsius domini regis unam quartam pagam pro anno presenti completuro de mense augusti futuro; vadit pars, quod respondeatur dicto Bartholomeo, quod nos videmus iam multo tempore ipsum dominum regem extra regnum. Videmus etiam et sentimus magnas et diversas mutationes factas in regno, ita quod propter istam et alias rationabiles causas non videtur nobis posse facere pro presenti solutionem, quam requirit a nobis. De parte 25.

Ser Ludovicus Lauredano procurator, ser Rambertus Quirino, sapientes consilii. Capta: quod, respondeatur isti Bartholomeo Guidoti nuncio domini regis Hungarie ad requisitionem, quam nobis facit, quod propter aliquas iustas et rationabiles causas non videmus posse facere responsionem ad requisitionem, quam nobis facit pro parte domini regis.

Et ex nunc sit captum, quod capta presenti parte, pecunia suprascripta ducatorum XXI millia, nec aliqua alia dicte conditionis in tempore futuro non possit in toto vel parte promitti vel dari alicui persone nisi cum auctoritate istius consilii congregati centum numero, vel inde supra; nec possit poni ad ipsum consilium, ut sepe fuit, quod hoc possit fieri cum minori numero quam supra dictum est sub pena ducatorum mille pro quolibet consiliario, capite, sapiente vel alio ponente vel consentiente partem in contrarium de qua non possit alicui contrafacienti fieri gratia, donum, remissio, revocatio, declaratio, nec aliqua termini elongacio sub penis suprascriptis, et sic procedatur de pena in penam usque in infinitum, ut observetur intentio supra scripta. De parte 58.

Secreta Cons. Roq. I. 86, u mlet. arkivu.

DCXXXV. God. 1403. 16 siečnja, u Šibeniku.

Šibenik raduje se sa Spljetom, što su ondješnji plemići učinili mir sa gradjani.

Congratularia de pace secuta inter nobiles et cives Spalatenses. Nos consilium secretum civitatis Sibenici percipientes a nobilibus et communitate civitatis Spaleti tam per eorum gesta quam per eorum litteras, quod sedatis, fugatis et deletis discordie et zizanie turbinibus longeve in dicta civitate regnatis, et quod pax celitus descendens dictos cives junxit et univit unione et conjuctione fraternali et caritativa. Perindeque videntes, percipientes et legentes capitula quam plurima dicte civitatis unite, per ejusdem regiminis procuratores politis sermonibus ostensa, in quorum artificio poluit ingenii facundia et artis arundo. Quibus quidem in nostra mente repositis, dictis procuratorum dicte civitatis annuentes, ac bene librantes,

quod dicta pax, concordia et unio civium et nobilium dicte civitatis redundat ad prosperum, felicem et tranquillum statum dicte civitatis totiusque regni Dalmatie, letabundi actionibus eorundem civium, et concinnentes cum David propheta: hec est dies, quam fecit dominus, letemur et exultemus in ea; cernentes etiam, quod pro tanta pace et unione, ut firma et inconcussa remaneat, et per nos roboretur, his remediis, quibus valemus, eisdem civibus, fratribus et amicis nostris carissimis et dilectis dicte civitatis Spaleti providemus complacere juxta eorum persvasiones. Quo circa nos ut supra consilium secretum dicte civitatis Sibenici, ad hoc et ad alia plenissimam gestantes auctoritatem, omnibus et singulis, ad quos harum series pervenerit, universis optimo omine, testimonio, fide evidenter facimus manifestum, quod, inclinati precibus, rogaminibus dictorum dominorum Spalatensium, pro bone agentibus fidejubentes, promittimus, dictos Spalatenses, in unionis pace vigentes, eque diligere, favere et tractare. Sed ubi propugnarum humani generis adversarius iterum vitio diviserit eos, ut pars una potentior alteram de civitate pepulerit, regnante in eos et annuente serenissimo principe et domino nostro naturali domino Ladislavo dei gratia illustri rege Hungarie, Jerusalem et Sicilie etc., tunc promittimus toto posse nostro, viribus nostris et armis insurgere contra tirannicam pravitatem, quo fratres et concives suos projecerit de civitate. In quorum omnium fidem, testimonium et certitudinem pleniorem presentes nostras privilegiales litteras fieri et scribi jussimus manu Zilii de Albanis de Regio cancellarii communis nostri jurati, sigillique consueti nostri magni appensione munitas. Datum Sibenici in dicte nostre civitatis palatio die sextodecimo mensis ianuarii, anno a nativitate domini nostri iesu christi millesimo quadrigentesimo tertio, undecima indictione. Et ego Zilius quondam Guglielmi de Albanis de regio publicus imperiali auctoritate notarius et nunc cancellarius juratus communis Sibenicensis hoc scribendi a supradictis dominis habita in commissis scripsi, et in presentem publicam formam redegi et publicavi etc.

Diplomatarium Sibenicense u car. knjižnici u Beču Cod. Sup. 531 p. 66.

DCXXXVI. God. 1403. 16 ožujka, u Mletcih.

Šalje se poslanik knezu raskomu Stjepanu Lazaroviću s molbom, neka dozvoli, da mletački gradjani mogu slobodno trgovati po njegovoj zemlji.

1403. 16 marcii. Cum territoria et loca magnifici domini comitis Stefani de Raxia proxima sint territoriis et locis nostris Scutari et Drivasti, et sicut notum est omnibus, in locis et partibus dicti domini comitis multum fit de mercantia et magna lucra, et specialiter per Raguseos et alios; unde considerato, quod bonum ymo necessarium est dare etiam, quod mercatores nostri possint ire et traficare in dictis partibus, habito respectu ad conditiones aliarum partium et locorum, in quibus nostri mercatores consueti sunt mercari; vadit pars, quod mitti debeat ad dominum comitem Stefanum predictum unus noster ambaxiator cum illa comissione, que ei dabitur per istud consilium, qui ambaxiator eligi debeat per duas manus electionum in hoc consilio et unam per scruptinium inter dominum, consiliarios, capita de XL et sapientes ambarum manuum, et possit accipi de

omni loco et officio, respondeat infra tertiam diem, et debeat ducere secum quinque famulos et tres ragatios, et unum, qui sit turcimanus et expenditor, unum cochum et unum notarium cum suo famulo, possendo expendere quolibet die de pecunia nostri communis ducatos quinque in omnibus expensis quomodolibet ocurrentibus, non intelligendo in hoc agocia equorum nec nabula navigiorum. Dictus vero ambaxiator pro suo labore habere debeat pro toto isto viagio ducatos ducentos cum conditione, quod teneatur facere sibi duas vestes pulcras, valoris ad minus ducatorum CXX inter ambas. Sed quia non esset iustum, quod commune nostrum haberet onus dictarum expensarum et mercatores utilitatem, ordinetur, quod de cetero de omnibus mercantiis et rebus, que conducentur Dulcignum et a Dulcigno superius versus illas partes, debeat solvi una cum dimidia pro C valoris dictarum mercationum et rerum, que una et dimidia exigatur per nostros vicedominos tabule maris. Et si aliquis contrafecerit in non solvendo vel defraudando datium predictum, cadat de XXV pro C, que pena subiaceat fractorem et ordinibus contrabannorum, et duret dicta exactio, donec commune nostrum erit satisfactum de pecunia, quam expenderit occasionibus suprascriptis.

Capta: caput de XL ser Antonius a Bocholis et ser Rambertus Quirino sapiens consilii volunt, quod mittatur unus sufficiens nuntius per illum modum, qui videbitur collegio, cuius commissio fiat in hoc consilio; et ubi dicitur, quod mercationes solvant unam et mediam pro C, quod solvant sollummodo unam, donec erit satisfactum communi de pecunia, quam expenderit dicta de causa.

Misti XLVI. 68, u mlet. arkivu.

DCXXXVII. God. 1403. 26 ožujka, u Mletcih.

Odgovara se poslaniku ugar.-hrv. kralja, da mu se za sada glede danka nemože odgovor po njegovu zahtjevu dati.

1403. die XXVI marcii, indictione XI. Ser Ludovicus Lauredano procurator, ser Benedictus Superancio procurator, ser Albanus Baduario, ser Rambertus Quirino, sapientes consilii; sapientes ordinum excepto ser Georgio Quirino. Capta: quia serenissimus dominus rex Hungarie per suas litteras datas in luna XXV februari et presentatas per illum Bartholomeum Guidoti, qui alias suo nomine requisivit a nobis pecuniam septem millia ducatorum contentorum in forma pacis pro tempore preterito, et requirit de novo nos, quod velimus eidem Bartholomeo dictam pecuniam assignare, nam si non assignaremus eamdem sibi, multa damna sibi sequerentur ex hoc; in conclusione petens sibi responderi per nos, quicquid est de nostra intentione superinde; et consideratis omnibus, non faciat pro nostro dominio, quod super hoc appareat nostra responsio in scriptis, sed quod expediamus nos a dicto Bartholameo cum responsione alias hic deliberata et capta, ac sibi facta; vadit pars, quod mittatur pro Bartholomeo predicto, et dicatur sibi per dominium, quod nos plene intelleximus illa, que nobis noviter scripsit dominus suus dominus rex super expeditione sua in facto assignationis pecunie, quam a nobis suo nomine alias requisivit, et quod propter aliquas iustas et rationabiles causas non videmus posse facere sibi

responsionem ad requisitionem suam, ita quod potest dictum dominum regem de ista nostra responsione vel oretenus vel in scriptis reddere avisatum.

De parte alii, non 3, non sinceri 11.

Secreta Cons. rog. I. 93, u mlet. arkivu.

DCXXXVIII. God. 1403. 20 travnja, u Mletcih.

Dozvoljeno Dubrovčanom, da mogu voziti svoju trgovinu iz Mletaka u Dubrovnik i iz Dubrovnika u Mletke na mletačkih ladjah.

1403. 20 aprilis. Capta: cum communitas Ragusii per suas literas datas XXVIIII. marcii instantis supplicaverit nobis, quod considerato, quod vie maris sunt eis spinose et male secure, pro presenti digneremur de speciali gratia eis concedere, quod sui mercatores et mercancie de civitate nostra Veneciarum ad partes suas et de dictis suis partibus ad civitatem nostram cum navigiis et galeis nostris conduci et reduci possint, sicut semper fecerunt. Et consideratis omnibus faciat pro nobis complacere sibi in hoc facto; vadit pars, quod rescribatur eisdem, quod veritas rei est, quod nos sentientes, galeas regis Ladislai, cum quo sumus in benivolentia et amore, intrasse intra culphum nostrum non bene dispositas, ut videbatur, contra communitatem suam et suos mercatores, consideravimus, nisi faceremus provisionem super hoc, quod transitus et conductus suus et suarum mercium cum nostris navigiis de civitate nostra ad suam et e converso de facili posset esse causa erroris et scandali inter ipsum dominum regem et nos, cum galee sue lucri et prede avide, sub specie querendi et habendi bona sua, injicerent manus in nostra navigia, et facerent de rebus nobis displicibilibus et molestis. Et propterea ad vitandum dictum errorem providimus, quod aliquod nostrum navigium non posset conducere aliquid de civitate nostra ad aliquam aliam intra culphum sine nostra licentia et voluntate, ut possemus informari et de omnibus providere, ita quod non intervenirent errores predicti. Sed audientes et intelligentes litteras suas, dispositi eis in maioribus complacere, cum habeamus pro amicis, et habere intendamus, placet nobis, quod, postquam eis placet, ad beneplacitum suum possint facere, que requirunt, ut poterant ante nostrum ordinem supradictum; reddentes eos previsos, quod videtur nobis, quod ipsi bene facient ad caricandum res suas super talibus navigiis, quod non possint rationabiliter recipere lesionem, et ita dici debeat Raguseis, qui hic sunt. Et ex nunc sit captum, quod ordo predictus, qui erat generalis pro omnibus, revocetur pro aliis, sicut revocatum est pro Raguseis predictis.

Misti XLVI. 76, u mlet. arkivu.

DCXXXIX. God. 1403. 26 travnja, u Mletcih.

Odbija se na novo zahtjev ugar.-hrv. kralja glede izplate danka i glede uzapćenja njekoga poklada stavljena u Mletcih.

1403. indictione XI, die XXVI aprilis. Ser Petrus Cornario procurator, ser Ludovicus Lauredano procurator, ser Benedictus Superancio procurator, ser Albanus Baduario, ser Rambertus Geno, sapientes consilii. Capta: quod respondeatur ambaxiatori domini regis Hungarie ad ambaxiatam, quam nobis portavit parte sua, videlicet ad illas duas partes, quibus non est data responsio; et primo ad primam de VII millia ducatorum, pro quibus habendis pro terminis elapsis dicit dominum regem misisse ad nos Bartholomeum Guidoti, sperando, quod immediate foret expeditus a nobis, et quod multum mirabatur, quod nondum erat expeditus, cum nesciret comprehendere causam, et propterea vellet libenter scire a nobis causam, et si dictus suus dominus rex erat in aliqua culpa, quia paratus erat corrigere omnem errorem, qui foret parte sua, et facere bene debitum suum etc. Quod veritas est, quod nos a die date literarum, quas nobis presentaverint circa, habuimus unam ambasiatam pro parte domini sui domini regis super facto istius pecunie, nobis portatam per dictum Bartholameum, et similiter postea de mense marcii circa fine recepimus literas dicti domini regis nobis per eundem presentatas super dicta materia, quibus ambassiatis dedimus illam responsionem, que nobis honesta et rationabilis visa est, propter quod non videtur nobis expediens respondere et dicere sibi aliud superinde, cum certi simus, quod sapientia sua a Bartholameo predicto de ipsa nostra responsione ad plenum extitit informata. Nichilominus, quando ipsam vellet audire a nobis, nos sibi diximus, quod propter aliquas iustas et rationabiles causas non videmus posse dare responsionem ad requisitionem, quam nobis faciebat dominus suus predictus.

Ad primam partem depositi, quod dicit debere fieri per dominum ducem Aurelianensem pro facto marchionatus Lucemburgi sibi venditi per dominum marchionem Justum Moravie, quod dictus rex asserit ipsum facere non potuisse, cum ad se spectet etc. et sequestrum, quod de illa pecunia habet libertatem faciendi; respondeatur, quod nos ignoramus, nec scimus, quod aliqua pecunia hic depositata sit ipsa de causa vel alia; et si factum esset vel fieret, istud leviter fieri posset sine nostra noticia vel conscientia, cum civitas nostra potens sit et libera omnibus, et omnes possunt facere facta sua non faciendo contra ordines nostros, nec de talibus rebus nos unquam impedimus nec impediremus. Bene est verum, quod nostra civitas habet iudices et iudicia ordinata, quibus talia et similia iudiciaria comissa sunt, et si aliquis vellet facere tales actus sequestrationis vel similes, esset necesse, quod compareret coram eis, et ipsi, auditis partibus, deliberarent et terminarent, sicut eis secundum ius et iusticiam honestum et debitum videretur; ita quod illud, quod per eos fieret, factum esset, nec de talibus iudiciariis actibus nos impediremus, ut dictum est.

De parte 64, non 33, non sinceri 17.

Secreta Cons. Rog. I. 100, u mlet. arkivu.

DCXL. God. 1403. 28 srpnja, u Mletcih.

Predlog, da se pošalju poslanici k Ladislavu u Zadar za počast, odgodjen zato, da se prije zapozna, što on kani učiniti.

1403. indictione XI, die XXVIII iulii. Dominus dux et consiliarii omnes. Quia facit pro honore et statu nostre dominationis habere respectum ad amicandum se cum illis principibus et dominis, qui sunt potentes, et specialiter, quando sunt nobis vicini, et conservare secum bonam amiciciam et bonam fraternitatem; et sicut notum est serenissimus dominus Ladislaus rex Apulee venit ad partes Dalmacie, que est sibi subiecta et obediens, pro accipiendo et intrando in regnum Hungarie, ita quod pro evidenti bono nostro considerato, quod dictus dominus rex est dominus utriusque riperie, facit ostendere secum benivolentiam et amorem, et tenere ipsum pro amico nostro multis de causis et respectibus; vadit pars, pro honorando adventum sue serenitatis ad illas partes Dalmacie, quod eligantur in bona gratia tres nostri solemnes ambaxatores, qui vadant ad presentiam ipsius dominis regis cum illa commissione, que dabitur eis per istud consilium, qui eligantur per scrutinium in rogatis et zonta, et respondeant statim vel altera die ad tercias, et non possint refutare sub pena ducatorum centum pro quolibet, et possint accipi de omni loco et officio et de iudicatu peticionum, non accipiendo ultra unum pro domo et unum pro officio, et debeant dicti ambaxatores habere ducatos quinquaginta pro quolibet a nostro communi pro faciendo unam pellandam, et ducant secum quattuor famulos pro quolibet, unum notarium cum uno famulo, unum expensatorem et unum cochum, qui famuli et famulus notarii et expensator et cochus habere debeant ducatos quattuor pro quolibet pro faciendo unam robam, que roba sit pro salario suo istius viagii, quod erit breve, expensatori autem et cocho provideatur de aliquo pluri ultra dictos quattuor ducatos, sicut videbitur dictis nostris ambaxatoribus, et possint expendere dicti ambaxatores ducatos tres in die pro quolibet, non intelligendo in hoc nabula navigiorum nec nabula equorum, et teneantur recedere ad omne beneplacitum dominii; et pro non impediendo negocia, que occurunt ad officium nostrorum advocatorum communis et auditorum nostrorum sentenciarum, non eligantur pro modo de advocatoribus et auditoribus sentenciarum.

Et ex nunc sit captum, quod mandetur capitaneo nostro riperie Istrie, quod debeat ire Justinopolin et recuperare de sepo, et palmet bene lignum, et mandetur potestati Justinopolis, quod solvat dictum sepum de pecunia nostri communis, et postea dictus capitaneus veniat usque Caprolas, et scribat nobis, quando illuc applicuerit, super quo ascendant dicti nostri ambaxatores, et conducantur Jadram cum illo bono ordine, qui dabitur per nostrum dominium superinde. De parte 31.

Ser Benedictus Superancio procurator, ser Rambertus Quirino, sapientes consilii; ser Bernardus Justiniano, ser Leonardus Haravello, sapientes ordinum. Capta: Quia licet asseratur per aliquos, quod dominus rex Ladislaus transiverit et applicuerit Jadram, tamen nos ignoramus, quem modum servaturus est, videlicet si intrabit de presenti regnum Hungarie vel non, vel si se faciet coronari in Jadra aut in regno, secundum quod semper

fecerunt alii reges, que omnia quante importancie et ponderis sint statui nostro quilibet considerare potest, et propterea sit procedendum in eis mature et cum bona advertentia et deliberatione, et habere considerationem ad multa, que sequi possent ex hoc; vadit pars, quod istud factum differri pro nunc debeat, donec videbitur plus ante quo transibunt, et in quibus terminis erunt dicta negocia, quia tunc poterimus cum maiori luce venire ad istud consilium, et facere, sicut melius et utilius apparebit pro statu nostro. De parte 68, de non 2, non sinceri 8.

Secreta Cons. Rog. I. 103, u mlet. arkivu.

DCXLI. God. 1403. 5 kolovoza, u Zadru.

Kralj Ladislav obaviešćuje Mletčane, da se je u Zadru okrunio sa ugar. hrv. kralja.

Copia litterarum domini regis Ladislai super coronatione sua de regno Hungarie. Eminens et magnifice vir ac amice carissime. Inefabilis alti numinis providentia ab eterno mortalibus, liberum quibus dedit arbitrium, providit et statuit, quid futurum, ita quod incommutabilis decreti sententia centesimi evi iam exacto curriculo regnum Hungarie ad inclitum genus progenitoresque nostros voluit pervenire, et demum ad hec usque tempora nobis eiusdem regni diadema, sceptrum et gubernacula resservavit, ob quod nostri parentes quodam quasi mentis presagio, cum nos ad primam lucem natura produceret, Ladislaum Hungarico potius quam latino aut italico nomine, cuius Italie omni ex parte benigno beatoque solo natalis nobis dies affuit, vocaverunt, deinde quamprimum tenera adolevit etas et huma, ita ut fit, pectus subierunt cure. Ista nobis precipua ista assidua semper fuit intentio, quam cito per etatem aut partim confectis expeditionibus, que nos occupatos tenuere diu tempus, habile se offeret has amplas regiones petendi, hicque regnis prevalidis invictissimis gentibus tanquam nobis hereditariis potiundi. Igitur per dictorum regnorum reverendi antistites, proceres et magnates, quorum semper innata fidelitas nos mente gessit et sincere dilexit, supplici prece vocati, a supero mari ad hoc inferum terrestri exercitu venientes, mox navali primam situ eorumdem regnorum provintiam, Dalmatiam, Jadramque eius civitatem maritimam pervecti sumus pariter et ingressi tanta cum civium incolarum, accolarum, finitimorum letitia, quorum iam infinita multitudo convenerat, quanta describi aut dici nedum brevi sed ampliloquio vix valeret; ubi morati paululum, solum ex profectionis nostre fama prenuntia, ingens infra biduum eorumdem prelatorum, baronum et magnatum, aliarumque gentium caterva promiscue supervenit, cuius jam incapax erat dicta civitas et districtus coronationi assumptionique nostre, hic dictus est dies, qui licet avidis populis annus visus sit, mox cum affuit, summo omnium assensu et alacritate quam maxima sacrum capiti diadema sceptrum dextra levaque pomum, utrumque fortitudinis, iustitie et dominii index ceteraque insignia et regalia iuxta morem regni Hungarie suscepimus incrementa, sicque multa iucunditate et gaudio dies iste letissimus actus est. Que et alia magnifica humanosque favetus non nostris meritis, a divina clementia regnoscimus

et tenemur humiliter suscepisse, et quum vos nostris felicibus letari successibus non veremur, hec breviter ad mentis vestre letitiam iussimus intimari. Datum Jadre sub parvo nostro sigillo die 5 augusti, decima prima indictione. Ladislaus rex Hungarie, Jerusalem et Sicilie etc. A tergo: Eminenti et magnifico viro domino Michaeli Steno duci Venetiarum etc. amico nostro carissimo.

Commemorialium IX. 155, u mlet. arkivu.

☛ *Dalje vidi na prednjoj strani.*

Štamparija Dragutina Albrechta u Zagrebu